This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Not in N.Y.
12/22-14.
T.L.

VALERI MAXIMI

FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM

LIBRI NOVEM

CVM INCERTI AVCTORIS FRAGMENTO

DE PRAENOMINIBVS

RECENSVIT ET EMENDAVIT

CAROLVS KEMPFIVS
DR. PHIL. GYMNASII LEVCOPHAEI BEROLINENSIS PRAECEPTOR ORDINARIVS.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

BEROLINI
IMPENSIS GEORGII REIMERI

MDCCCLIV.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS
R 1916 L

Aus d. Bibliothek
von
Philipp Schmidt.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

IOANNI FRIDERICO BELLERMANNO

THEOL. ET PHIL. DR. GYMNASII LEVCOPHAEI BEROLINENSIS DIRECTORI,

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

HVNC LIBRVM

GRATAE PIETATIS TESTEM ESSE VOLVIT

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

AVCTOR.

Quartus hic annus est, ex quo quae equidem in emendandos Valerii Maximi libros conferre posse mihi uidebar typographo excudenda tradidi. Speraueram tunc intra anni spatium hoc opus ita absolutum iri ut edi publicique iuris fieri posset. Quae spes multum me fefellit. Vix enim tribus plagulis ab illo descriptis ipse ad arma euocatus per aliquot menses ab officio, quod mihi in recensendis corrigendisque operarum speciminibus desumpseram, ita abstractus sum, ut mox omne imprimendi negotium modo inceptum necessario interrumperetur. Ac ne tum quidem, cum pacato rei publicae statu mihi studiisque meis redditus essem, fata ut sine intermissione opus continuaretur nostrum patiebantur. Typographus enim a me desertus aliorum interim uirorum curas describendas susceperat, quarum celeriter perficiendarum necessitate imposita nostram rem non potuit quin tardius persequeretur. Ego uero interea publico praeceptoris munere in gymnasio huius urbis praeditus, mox tot me tantisque negotiis circumfusum uidebam, ut nonnisi subseciuas horas de nocte saepe detrahendas huic libro impendere potuissem. Quam occupationem, alioquin iucundissimam mihi, quotienscumque ad Valerium meum tamquam ad deuerticulum accedebam, eo molestius sentiebam, quo plura se offerebant, quae mihi aut aliorum grammaticorum libris interea emissis edocto aut sponte mutata opinione mutanda rectiusque constituenda uiderentur. Quibus curis cum accesserit ingratus ille ea, quae excusa erant corrigendi labor, ita ut modo in hac modo in illa officii parte celerius quam gratum erat mihi uersandum fuerit, non pauca

fortasse erunt, quae ut angusto, quod auctori concessum erat, tempore excusentur a beneuolo et indulgenti lectore petant. Aliud incommodum huic libro e longo temporis spatio, quod inter imprimendum consumebatur, prodiit, inconstantia quaedam in scribendo et maxime in distinguendo, cum quam rationem ab initio secutus eram, ea procedente opere magis magisque displicuerit, ita ut in nonnullis saltem omittenda uideretur. Quae tamen inconstantia ad minutas plerumque res redit neque deprehendetur in uarietate scripturae e codicibus enotata, in qua, cum uel quae leuissima putantur maximi ponderis fieri possint, conscribenda numquam aut a proposito consilio discessisse aut non ea qua par erat fide ac diligentia egisse me confido. Praeterea aegre nunc fero quod praefationem eam, quae sequitur, ante imprimendam curaui quam ipsi memorabilium libri meique in illos commentarii descripti erant. Quod feci, ut breuius de multis in notis possem agere, ad hanc praefationem ablegatis lectoribus. Neque uero praeuideram fore ut nonnulla immutarem, cum ante quam excuderentur ultimum recenserem schedas meas. Quo facto iam de paucis quibusdam aliter paulo in praefatione iudicatum est atque in commentario. Haec habui praefanda et excusanda. Ceterum si aequis iudicibus, quibus nouum hoc Valerii exemplum commendatum esse uolo, eam formam scriptori diu neglecto reddidisse uidebor, ut iam aut ipsius uerba legantur, aut, ubi haec nondum inuenta sunt, certa altiori inquisitioni subiiciantur fundamenta, quod unum mihi proposui, neque frustra laborem consumpsisse satque magnum operae pretium me habere putabo.

Scripsi Berolini mense Nouembri
MDCCCLIII.

DE VALERII MAXIMI VITA ET SCRIPTIS.

Vna auctoritas, cui in componenda Valerii Maximi uita fidem habere possumus, cum neque ueteres scriptores praeter operis huiusce titulum nomenque auctoris quicquam de eo memoriae prodiderint neque aliunde quod huc pertineat constet, ipsius Valerii est in his dictorum et factorum memorabilium libris. Neque enim spero fore ut uita illa incerti auctoris, quae in recentioribus aliquot codicibus manuscriptis et in uulgatis Valeriani operis exemplaribus[1]) circumfertur, ullius existimetur ponderis, quippe quae et ipsa manifesto solis quibusdam huius libri locis nitatur additis aut parum probabilibus aut aperte falsis coniecturis.

Est autem haec: 'Valerius Maximus, ciuis Romanus, patricio genere natus, omnem pueritiam et magnam adulescentiae partem litteris percipiendis et honestis artibus dedit. Inde sumpta uirili toga se contulit ad rei militaris disciplinam, ubi aliquamdiu stipendia fecisse et in Asiam cum Sex. Pompeio nauigasse dicitur. Vnde reuersus, cum uideret se patriae tam bene dicendo quam bene faciendo posse prodesse, a quo incepto studio militiae gloria detinuerat, eodem regressus statuit urbis Romae exterarumque gentium facta simul ac dicta memoratu digna, ut ipse fatetur, litterarum monumentis commendare. Quod feliciter et gloriose consecutus est. Floruit autem Tiberii Caesaris temporibus et sub eius imperio hanc scripsit historiam, cuius etiam numen inuocat. Imperatores enim Romani, cum

[1]) Impressa primum est, quantum equidem indagare potui, in ed. Veneta a. 1494; nondum extat in Veneta a. 1478 nec in Mediolanensi a. 1480; de Moguntina exploratum non habeo.

uirtute sua iuste sancteque gessissent imperium, diuino celebrabantur honore et in deorum numerum transferebantur, unde etiam diuos imperatores appellamus. Genus uero suum paternum a gente Valeria, maternum a Fabia duxisse fertur, unde Valerius Maximus ex utraque familia ei nomen est. De cuius morte certi nihil potest afferri.'

Apparet esse huius compilationis eandem auctoritatem atque aliarum tot similium uitarum, quas constat a doctis librariis ueterum scriptorum operibus recentiore demum tempore praepositas nec aliis ex fontibus plerumque haustas esse quam quorum hodieque nobis pateat aditus. Quo fit ut errorum, qui in ea prolati sunt satis multi, nugarumque tantum non omnium origines et causae facile declarentur. Sed de singulis rebus data occasione pluribus disseremus; unum illud hoc loco non praetermittendum putaui, etiamsi ab argumento et a toto dicendi genere non esset suspecta haec uita, omnem tamen ei fidem abrogatum iri codicum Valerianorum ratione ac natura, quae, ut infra demonstrabimus, recentiore aliquo libro tradita, nisi eadem aut in optimo et praestantissimo nostro aut in plerisque saltem e reliquis melioris notae habentur, genuina et antiqua putari non patitur.

Eadem codicum ratio obstat quo minus iis astipulemur, qui praenomen Valerii aut Publii aut Marci fuisse statuerunt. Quorum praenominum, cum confirmantibus nec melioribus libris nec Iulio Paride aut Ianuario Nepotiano, factorum et dictorum memorabilium epitomatoribus, alterum codex quidam Mediceus apud Torrenium, alterum Leidensis primus ibidem, uterque haud magnae auctoritatis exhibeat, uero praenomine iam dudum oblitterato et hoc et illud a librariis inuentum esse pro certo potest affirmari.

Patriam Valerii ipsam urbem puto fuisse Romam, in qua certe maximam uitae partem degit. De origine eius, ut praeteream nugacissimam illam opinionem, qua uitae auctor Maximi cognomine deceptus scriptorem maternum genus a Fabia gente duxisse perhibuit, refutatam a Mitalerio (cf. praef. et dedic. ante Torrenii exemplum), ambigi certe potest utrum Valerius, quem ad modum censent uiri docti[1]), patricia Valeriorum gente ortus

[1]) Saxe, onom. I, p. 335. G. E. Müller, einleit. z. kenntniss d. alt. lat. schriftst. V, p. 233. Bähr, Röm. litter. gesch. II, p. 127. ed. 3.

fuerit. Nam si uerum esset quod illi opinantur, iure mirareris, cur qui saepius oblata occasione decora atque lumina eius familiae celebrauerit[1]), hanc affinitatem ne uerbo quidem tetigerit, cum praesertim in aliis rebus propriam fortunam spectantibus garrulitatem potius quandam quam taciturnum prodiderit silentium. Ac ne e cognominis quidem communione, quae in primis nexum inter uetustos illos Maximos et hunc quem tractamus scriptorem declarare uidetur, certum argumentum repeti poterit, siquidem constat fuisse iam ultimis liberae rei publicae temporibus qui priscorum gentilium, quorum gloria egregiis factis parta diuturnior erat quam stirpes, cognomina extinctis familiis, quae iis uterentur, sibi uindicarent et per posteros propagarent. At concedamus Valerio clarissimos illos maiores, non ideo probabimus Mülleri audaciam ex uetere hac scriptoris nobilitate concludentis (l. c. p. 339, 342.) accepisse eum et institutionem et rem familiarem illustri loco, unde natus fuerit, consentaneam, sed statuamus aut ipsum de ambigua ista affinitate nihil habuisse compertum aut consilio euitasse mentionem originis e familia, quae mature iam a priore splendore descenderit et fortasse etiam ad inopiam fuerit redacta. Neque enim alius eiusdem nominis uir post Punica bella innotuit ante M. Valerium Maximum consulem a. 253 et 256 p. Chr. n.[2]).

Vtut haec se habent, nam parum ad rem pertinet ancipiti diuinatione persequi quae neque in nascendo opere ullius erant momenti neque sunt in intellegendo, id certissime constat Valerium angustis tantum facultatibus modicaque usum condicione paulo laetiorem uitae statum modestamque quandam felicitatem Sex. Pompeii, potentis fautoris et amici, beniuolentiae ac liberalitati debuisse. Colliguntur haec e solatio, quod respectu paruuli sui census in priscorum Romanorum, Publicolarum, Aemiliorum, Fabriciorum, Curiorum paupertate repperit IIII, 4, 11, cum se ipsum quodammodo non excipiens inuehitur in eos, qui modicam fortunam numquam querellis uacuam esse sinant eamque quasi praecipuum generis humani malum cotidianis conuiciis lacerent, et sine ambagibus dicuntur IIII, 7, ext. 2, ubi pia gra-

[1]) Cf. II, 9, 2. II, 9, 7.

[2]) Alius est M. Valerius Maximus Sacerdos in sepulcrali titulo ap. Grut. p. 313, 4; alius, sed ad eandem familiam pertinens, ille Maximus, qui commemoratur a Plinio VI, epp. 8, 4, heres Valerii cuiusdam Vari.

taque memoria beneficia, quibus benigniter et liberaliter a Sex. Pompeio auctus sit, persequitur.

Ille autem Sex. Pompeius procul dubio idem est quem consulem a. u. 767 (14 p. Chr. n.), quo anno Augustus diem obiit supremum, cum Sex. Appuleio collega primum in Tiberii uerba iurasse scribit Tacitus I ann. c. 7, de quo nunc omnes uitae enarratores consentire uideo[1]). Is cum pro consule Asiam prouinciam obtinuisset, secum eo duxit Valerium Maximum (cf. II, 6, 8.), non stipendia in exercitu merentem, quamquam haec fere recepta sententia est, sed, ut mihi quidem ex ipsius uerbis, quibus cum iter illud tum omnino rationem commemorat, quae inter se et fautorem suum intercessit, probabilius uideor coniectare, in cohorte amicorum aut sine officio aut paruo aliquo munere praeditum. Profectionis eius tempus satis certis, ni fallor, argumentis constitui potest. Pompeius, ut praediximus, Asiam petiit pro consule, et quidem ex consule, non ex praetore. Instituerat enim Augustus, cum decem prouinciarum administrationem senatui populoque Romano addixisset, ut in duas earum, Asiam Africamque, consulares, in reliquas praetorii dumtaxat mitterentur. Itaque Asiaticum Pompeii iter neutiquam praecedere potuit eius consulatum. Quin e senatus consulto[2]) confirmato a Cn. Pompeio Magno[3]) et retento ab Augusto[4]) ne ante quintum quidem annum post gestum consulatum in prouinciam ire licuit, ut Sex. Pompeium aut a. u. 773 aut aliquot post annis in Asia fuisse necesse sit. Iam consulares secundum ordinem quendam in prouincias missos esse, ut qui diutius in ea dignitate esset prior acciperet proconsulare imperium, non solum in rei natura positum est, sed liquet etiam cum e Taciti III ann. 71[5]) tum e sequentibus quos enumeraui Asiae procon-

---

[1]) Cf. G. I. Voss. de hist. lat. I, 24. Fabric. bibl. lat. II, 5. G. E. Müller l. c. p. 341. Affinem eum Augusto fuisse tradit Dio Cass. LVI, 29. In indice consulum apud Dionem LVI uocatur Sexti filius, nec improbabiliter Ryckius ad Tac. ann. III, 11 eum filium fuisse existimat Sex. Pompeii cos. a. u. 719 (35 p. Chr.), cuius auus Sex. F. Cn. N. fratrem habuit Cn. Pompeium Strabonem, patrem Magni Pompeii. Cf. Drumann. gesch. Roms IIII, p. 305 et 318. De hoc Sex. Pompeio cf. praeterea Ouid. ex Ponto IIII, epp. 1, 4, 5. Lips. ad Tac. ann. III, 11. Dio Cass. LVI, 45.

[2]) Cf. Dio Cass. XL, 30, p. 242 Reim. ibid. 46, p. 251.

[3]) Cf. Dio Cass. XL, 56, p. 257.

[4]) Cf. Dio Cass. LIII, 14, p. 706. Strabo XVII, 25, p. 840. Suet. Aug. 36.

[5]) 'Ita sors Asiae in eum qui consularium Maluginensi proximus erat conlata.'

sulibus, e quorum serie simul constabit decem et amplius annos plerumque intercessisse inter consulatum et prouinciae procurationem.

Proximo enim quo lege permissum erat anno 773 Pompeium nulla sors contigit, sed morabatur Romae, siquidem idem is est Sex. Pompeius, quod non dubito, qui Cn. Pisonem de occiso Germanico suspectum ideoque ueneni et maiestatis postulatum patronus ab eo petitus defendere abnuerat. Ceterum eo tempore prouinciam Asiam administrasse uidetur C. Iunius Silanus, cos. ante decem annos (763), cui post biennium (775) repetundarum a sociis accusato damnatoque aqua et igni interdictum et relegatio in insulam Cythnum miti principis sententia concessa est, ut narrat Tac. III ann. 66—69. Item insequenti anno 774 Romae erat Sex. Pompeius, eoque obnitente M'Lepidus in Asiam missus est ante decennium (764) consulatu functus teste eodem Tacito III ann. 32[1]). Anno deinde 775 Ser. Cornelius Lentulus Maluginensis cos. ann. 763 eam prouinciam petiit. Quam non adeptus est, quia flaminem Dialem a sacris discedere nefas putabatur, ideoque sors in proximum ab eo consularem translata[2]) missusque nescio utrum L. Cassius Longinus, cos. suffectus a. 764, an T. Statilius Taurus, cos. ordinarius eiusdem anni, et quidem ut regeret Asiam per annum 776. Namque, ni omnia me fallunt, non in eum annum, in cuius fine hac de re loquitur Tacitus, (775) proconsulare imperium ambierat Maluginensis, neque enim tempus erat etiam tum adire magistratum illum, sed in proximum praedictum 776[3]). Successit a. 777 C. Fonteius Capito, cos. a. 765, qui redux e prouincia fictis per Vibium Serenum criminibus in iudicium uocatus absoluitur a. 778. (Tac. ann. IIII, 36). Hunc quis exceperit certe quidem non constat, sed optio tantum datur inter C. Visellium Varronem, a. 765 suffectum Capitoni, et L. Munatium Plancum cos. 766. Nam C. Silius, Munatii collega, a. 777 a consule Varrone accu-

[1]) Hoc loco Manium scribendum esse praenomen Lepidi, non Marcum, quamuis in eodem mendo consentiant Taciti cod. Med. et fasti Capitolini, recte coniecit Ryckius. Confirmat emendationem eius inscr. ap. Murat. p. 669. 4, et prae ceteris tabula Narbonensis ap. Grut. p. 229. Cf. griechische u. lat. inschrift. gesamm. v. Richter, herausgeg. v. Francke p. 286.

[2]) Cf. Tac. ann. III, 71.

[3]) Anno quem praetermisimus 775 Asiam tributam suspicamur aut L. (M.) Silano, cos. suff. ex K. Iuliis a. 763, aut C. Velleio Tutori, qui eodem anno ipsi Maluginensi erat suffectus.

satus imminentem damnationem uoluntaria praeuenerat morte. (Tac. IIII ann. 19.) Sex. Pompeius profecto nec hoc anno (778) Asiae sortem obtinuit[1]) neque insequenti 779, quo M. Lepidum eam prouinciam administrasse auctor est Tac. IIII ann. 56. Hic M. Lepidus idem esse uidetur qui iam a. 774 oblata prouincia Africa intentius se excusauerat ualitudinem corporis, aetatem liberum, nubilem filiam obtendens, re uera ut Iunio Blaeso eum locum cederet, Seiani auunculo (Tac. III ann. 35), quapropter mirandum non est quod uicesimo demum post consulatum (759) anno ei obuenerat proconsulare imperium semel recusatum. Ei denique ueri simile est in eadem dignitate successisse Sex. Pompeium anno 780, qui est quartus decimus ab eius consulatu. Certe ante eum annum prouinciam obtinuisse nequit. Quae plenius et accuratius paulo exponenda uidebantur, quia in constituendo tempore, quo compositum sit opus quod tractamus, haud parui sunt momenti.

Cum hoc igitur Sex. Pompeio artissimo mutui amoris amicitiaeque uinculo coniunctus erat Valerius Maximus. In eius animo uelut in parentium amantissimorum pectore laetiorem uitae suae statum uiguisse, tristiorem adquieuisse, ab eo se omnium commodorum incrementa ultro oblata cepisse, eius ductu et auspiciis studia sua lucidiora et alacriora reddita praedicat, comparatque ipse, quam conuenienter non perquiram, consuetudinem illam cum Alexandri et Hephaestionis familiaritate ac tanquam alter Hephaestio Pompeium sibi suum uindicat Alexandrum. Qualiscumque autem erat fructus, quem ex ea necessitudine percepit, non carebat inuidia quorundam, qui e clarissimi amplissimique uiri gratia a Valerio depulsos se aut exclusos existimantes nonnisi post mortem Pompeii carpere et insectari eum desierunt, parumque occulte gaudium ex hac eius iactura partum prae se tulisse incusantur[2]).

Vnum quod nobis superest huius scriptoris opus quodque unicum edidisse uidetur, nouem factorum et dictorum memora-

---

[1]) Quod ne ita quidem concesserim, si Maluginensis illa ambitio pertinuerit ad annum 775, ideoque sequentes proconsules uno anno ante quam statui obtinuerint prouinciam. Restarent enim duo minimum consulares inserendi biennio illi. Quo accedit quod praecedenti demum anno 777 Africam procurauit P. Cornelius Dolabella iam quadriennio ante Sex. Pompeium consulatu functus. Cf. Tac. IIII ann. 23.

[2]) Cf. IIII, 7, ext. 2.

bilium libri, (decimum enim de praenominibus neque huius operis partem neque omnino Valerii esse singulari disputatione demonstrabitur[1]), confectum est intra annum 781 et 785 a. u. c. (28—32 p. Chr. n.). Nemo enim iam dubitat quin acerbissima et uehementissima illa execratio, quae legitur IX, 11, ext. 4, ad Seianum referenda et post ruinam eius uiri caedemque propinquorum scripta sit. Atque ita Valerii memorabilia recentiora esse Velleii Paterculi historiis, cum in eo libello (II, 127) summis laudibus efferatur Seianus, contendit G. I. Vossius de hist. Lat. I, 24.[2]). Sed inter necem Seiani et praedictam eius execrationem paruulum dumtaxat tempus interiectum esse potest, cum et nomen uiri silentio praetermissum nulla apertiore atque accuratiore aut personae aut criminis significatione addita facinus indicet nuperrime demum perpetratum, quod uiuis etiam tum coloribus hominum animis obuersabatur et concitatissimus quo inuehitur affectus recentem iram prodat. Itaque uix credibile est interpositum tempus unius anni spatium superasse. Quod si conceditur, non iniuria e ratione, qua paene in fine totius operis annectuntur Seiani temerarii conatus eorumque detestatio, colligere mihi uideor praecedentes libros ab auctore iam ante Seiani interitum fuisse absolutos. Aliter enim quam mirum esset quod non iam priore aliquo uolumine notauit perfidiam hominis, cui totum se permiserat Tiberius, quem intima coluerat amicitia, quem summis euectum honoribus sibi tantum non aequauerat? Cur, inquam, increpandi occasionem totiens oblatam, cum scriberet de ingratis, de temeritate, de perfidia, praetermisisset qui tam libenter morem gessit imperatori? Cui rei omnem eximit dubitationem quod Iuliae (Liuiae Augustae), Tiberii matris, quae diem obiit supremum a. 782 (29 p. Chr.)

---

[1]) In aliquot saeculi XV exemplis mss., ut in codd. Vindobb. CLXXIII et CLXXIIII ap. Endlicherum, in cod. Florent. CLXXXV in Bandinii cat. biblioth. Leopold. I, p. 493, Valerianis curis praeter subditicium illud libri decimi fragmentum annectitur epistola quaedam 'Valerii Maximi ad Rufinum de non ducenda uxore' siue 'dissuasiones ne ducat uxorem' inscripta, quam, quoniam a uiris doctis neque habita est umquam neque habebitur huius auctoris opus, commemorasse abunde erit. Edita est ea epistola inter Hieronymi opp. spuria ap. Vallars. XI. col. 240. Cf. Fabric. biblioth. Lat. I, p. 337, II, p. 467. G. E. Müller. einleit. V, p. 363.

[2]) Cf. etiam Fabric. bibl. Lat. T. II, c. 5. Moller, diss. de Val. Max. §. 13. Hoffmann in uersione Germ. (Stuttg. 1829) p. 6. Atqui Valerium mox uidebimus sex priora uolumina ante composuisse quam Velleius conficeret historiam suam.

Rubellio et Fufio coss.[1]) a Valerio VI, 1, init. ita mentio inicitur, ut quo tempore liber sextus scriptus sit eam etiam tum inter uiuos fuisse liqueat. Itaque cum Asiaticum iter commemoratum II, 6, 8 non ante annum 780, execratio Seiani (IX, 11, ext. 4.) non post annum 785 cadere potuerit, necessario colligitur priores sex libros inter annum 780 et 782, reliquos tres inter 782 et 785 esse compositos.

Quod a Baehrio (Röm. litter. gesch. II, p. 126. ed. 3.) traduntur fuisse qui Valerium tertio p. Chr. n. saeculo uixisse existimarent eundemque statuerent huius libri auctorem et consulem anni 1006 a. u. c. (253 p. Chr.[2]), Volusiani imperatoris collegam, obiter tantum G. I. Vossius de hist. Lat. I, 24 attigit posse alicui in opinionem uenire, quia dicendi genus huius scriptoris uix sapiat Tiberii aeuum, pertinere eum ad longe inferiorem aetatem et esse fortasse eundem illum M. Valerium Maximum, quem Volusiani collegam praediximus. Atqui ipse Vossius statim reiecit suspicionem istam numquam serio prolatam. Nec tamen deerant qui ea deciperentur[3]).

De cetera Valerii Maximi uita, de statu, condicione, studiis eius nihil omnino compertum habemus. Si tamen coniecturam ex operis indole atque consilio factam admiseris, artem rhetoricam et ipse adfectabat et fortasse docuit alios. Persuasum enim habeo libros factorum et dictorum memorabilium in usum perorantium et declamantium maxime esse conscriptos, ut aut discipuli eius aut alii eiusdem artis studiosi, si quam materiam argumentis exemplisque ex historia petitis, quae erant in omni genere causarum potentissima, firmare uellent, labore longae inquisitionis in ueterum scriptorum operibus, ubi latius quae quaererentur essent diffusa, supersedere possent. Aliter sane explicare nequeo quae leguntur in praefatione libri primi, *ut documenta sumere uolentibus* et q. sq. Inde etiam qui mirus multis uisus est historiae, ut putarunt, componendae ordo ac dispositio[4]), qua exempla ex illustribus auctoribus electa in singula capita secundum certas notiones, uirtutes, uitia, quaeque sunt alia, di-

---

[1]) Cf. Tac. ann. V, 1 et Vell. II, 130, 5, qui paulo post hunc annum finiuit historiam suam.

[2]) Ita enim legendum est emendatis duobus operarum erroribus.

[3]) Cf. Revue de philol. I, p. 142.

[4]) Cf. Glarean. in praef. edit. suae.

gessit; inde rhetoricum, floridum, perpetuis argutiis insolentibusque festiuitatibus perplexum dicendi genus. Quod si aliis quoque ejusdem aetatis scriptoribus proprium fuisse scimus, a Valerio tamen praecipuo cum studio excultum uidemus. Intererat enim ut ipso opere simul insigne artis exemplar ac normam discipulis proponeret eius eloquentiae, quam unice elaboratam, ingeniosam, efficacem mente perceperat. Quod si uerum est, apparet in examinandis et pensandis Valerii curis non eandem adhibendam esse trutinam atque in operibus meram historiam spectantibus, neque enim historiam condere in animo erat, ut ipse profitetur, meliusque auctoris consilium epitomator ille perspexit, qui antiquo iam tempore hos libros in compendii formam redegit[1]), quam plerique recentiorum hominum, qui de eo sententiam in medium protulerunt.

Neque tamen si hanc potissimum operis utilitatem ante oculos habuerit auctor, ideo negauerim eum simul aliud quoque consilium in eligendis atque enarrandis dictis factisque memorabilibus esse secutum, quod peculiarem suam formam huic libello praebuerit. Nam repraesentatis notabilibus uirtutibus uitiisque et relatis moribus atque institutis laude aut uituperio dignis uoluisse eum ut aequales tamquam in speculum inspicerent in uitas hominum et ex aliis sibi sumerent exemplum, quis est quin sentiat? Praeterea tanta huius libri pars in illustrando et amplificando Romano nomine uersatur ut neminem fugere possit certo proposito populum Romanum tamquam specimen et exemplum unius cuiusque uirtutis ac decoris depingi[2]). Repraesentatur autem haec uirtus liberae rei publicae temporibus illustrium maxime familiarum progenie, Corneliis, Fabiis, Caeciliis, Aemiliis, Claudiis et postea Caesaribus quique pro eorum partibus steterant. Quibus ideo tantum externa exempla subnecti uidentur, quo clarius ex ipsa comparatione eluceat domestica gloria et ut delectent uarietate[3]). Nec, si illorum immoderatus laudator extitit, horum semper iustus aestimator est[4]). Sed de his plu-

---

[1]) Cf. epistola Paridis praemissa epitomae ap. Mai. scriptt. uett. noua, coll. III, P. 3. p. 1.

[2]) Cf. I, 1, 8. I, 1, 15. II, 7, 15. IIII, 7, 4.

[3]) Cf. III, 8, ext. 1. VII, 2, ext. 1. VI, 3, ext. 1. VI, 9, ext. 1. VIII, 15, ext. 1.

[4]) Ita ut e multis pauca afferam, aduersus Graecos maxime nimium saepius et ridiculum fere odium destrinxit. Cf. III, 2, 22. IIII, 7, 4.

ribus iam disseruit Dirksenius (abhandl. d. Berlin. acad. d. wissensch. a. 1845 p. 17 et sqq.) At quod opinatur uir doctus Valerium id maxime sibi proposuisse ut ostenderet quanto illa tempora, quibus singulari arbitrio regeretur orbis terrarum, praestarent antiquae rei publicae felicitati, nec sine uetustatis iniuria saluberrimum recentioris aetatis statum praedicari, uereor ne in praeconiis praesentiae passim sed non nimis frequenter operi immixtis inuenerit quod nec inest nec sine argutiis inde concludi potest. Nam si II, 1, init. promittit se scrutaturum in priscis ac memorabilibus institutis urbis Romae et ceterarum gentium elementa uitae, quam sub optimo principe felicem egerint aequales, non ita comparat utrumque ciuitatis statum ut appareat recentioris aeui praestantia, sed, ut liquide dicit, fructum a praesentia percipi uult ex illius aetatis simplicitate et candore. Manifestius etiam huic opinioni ipsa aduersatur ratio, qua priora Romanae historiae saecula perlustrat, a quorum dignitate, si quando adulandi occasione arrepta Caesarum tempora tamquam felicissima depingit, numquam aliquid conatus est detrahere.

Sed quoniam in hanc rem deducti sumus, necesse est mentem et indolem scriptoris accuratius paulo contemplemur.

Exprobratum est Valerio ingenium humile et seruile propter adulationes foede et inhoneste in Tiberium eiusque domum cumulatas. Nec immerito. Vix enim quicquam illiberalius esse potest quam nimiae illae et infinitae laudationes, quibus aut data aut non data occasione ad sidera usque extulit imperatorem, cuius summus iam tum furor, quo ne proprio quidem sanguini pepercit, insanae turpesque libidines, quibus Capreae penitus se immersit non latebant in occulto. Atqui Valerius salubriorem principem, feliciorem imperii statum, pulchriorem quam Tiberii pietatem cogitare non posse uidetur, eumque etiamnum uiuum tamquam deum colere non aspernatur[1]). Item domum familiamque imperatoris quasi praecipuam omnium uirtutum normam et speculum repraesentat[2]), inprimis uero C. Iulium Caesarem et Augustum, quos non hominum sed deorum principes ueneratur[3])

---

[1]) Cf. praef. libr. I. II, 1, init. II, 9, 6. V. 5, 3. IX, 11, ext. 4. cett.
[2]) V, 5, 3. VI, 1, init. II, 8, fin.
[3]) Praef. libr. I. I, 6, 13. I, 7, 1 et 2. III, 5, 6. III, 7, 7. VI, 2, 11. VI, 9, 15. VII, 7, 4. VIII, 9, 3. VIII, 15, init. cett.

uitatis diligenter omnibus, quae eorum aestimationem aliqua ex parte imminuere potuissent. Brutum contra et Cassium, Caesaris percussores, praeter omnem modum ac finem conuiciis lacerat, et si quando agnoscit egregium eorum animum, numquam tamen 'publici parricidii praefationem' omittendam arbitratur[1]). Non sum nescius talia conuicia tunc temporis in usu fuisse Romae. Latronum et parricidarum nota fuisse uocabula in designandis illis uiris oratione in senatu habita obiectat Cremutius Cordus[2]), cuius ipsius exemplum satis superque demonstrat quantopere fuerit periculosum laudasse M. Brutum, C. Cassium ultimum Romanorum dixisse. Quid quod ne imagines quidem eorum tamquam publice maiestatis damnatorum in pompa funebri Iuniae genti celebranda anteferebantur, ne aliqua ex parte honorifica eorum memoria offenderet principem?[3]) Ergo temporibus necessario inseruiendum erat. At una haec quae proferri potest excusatio quam parum ualet, si praecipua temporis uitia non inconsideranter accepta sed consulto, paene dixerim cupide arrepta et propagata cernimus, unde iam propria et peculiaris fit haec prauitas. Qui fortis sincerique animi defectus eo acerbius sentitur quo inexorabilius eadem uitia in aliis castigauit, quo uerbosius in aliis uirtutes celebrat, quarum ipse laudator et suasor quam imitator esse maluit. Adulationes autem istas, quae maxime dehonestant hominem, si eum misere coram potentibus abiectum delectari quodammodo ipsa illa humilitate demonstrant, et hanc quoque speciem interdum praebent Valerianae, quam facile sine ulla offensione euitare potuisset, cum suae aetatis contemplatio aut non necessaria aut aliena etiam a consilio fuerit, quo non noua tradere sed tradita ab antiquioribus scriptoribus eligere et ad eum quem diximus usum componere animo proposuerat.

Quo assentandi studio inductus dum aliquotiens, praesertim in effingendo statu ciuitatis sub Tiberii imperio magis indies tabescentis a uero discedit, saepissime alio uitio corrupit historiam, ignorantia et mira prorsus leuitate in exscribendis ueterum auctorum quos primarios duces sibi elegit operibus.

---

[1]) I, 5, 7 et 8. I, 6, 13. I, 7, 2. I, 8, 8. IIII, 5, 6. VI, 4, 5. cett.
[2]) Cf. Tacit. IIII, ann. 34.
[3]) Cf. Tacit. ann. III, 76.

Quae priusquam persequamur, consentaneum est breuiter inquirere quibusnam potissimum fontibus usus sit Valerius.

DE FONTIBVS VALERII MAXIMI.

Identidem iam commemoratum est Valerium non ea mente scripsisse, ut suorum aut praeteritorum temporum historiam dictis factisque memorabilibus exponeret, sed ut exemplorum institueret collectionem in usum maxime perorantium et declamantium, quae ad uarias orationum materias argumenta et testimonia a clarissimis cum domesticae tum peregrinae historiae uiris petita subministraret. Quae exempla cum, ut ipse fatetur, excerpere statuisset ex illustribus superiorum scriptorum operibus, factum est ut et rarius rerum sua aetate gestarum rationem haberet et plerumque totus ex illorum auctorum fide penderet[1]). Sunt tamen quaedam relata, quae aut ipse suis oculis uiderat accidere aut acceperat communicata ab aequalibus. Vt praeteream quae ad captandam principis gratiam intexuit de pietate Tiberii erga Drusum fratrem (V, 5, 3.), de fide coniugali et abstinentia Drusi Antoniaeque uxoris (IIII, 3, 3.), de perfidia Seiani (IX, 11, ext. 4.) aliaque nonnulla iam commemorata, est ex hoc genere narratiuncula de uoluntaria et speciosa morte mulieris in Cea insula, cui ipse spectator cum Sex. Pompeio interfuit (II, 6, 8.). Pertinent eodem quaedam ad diuum Augustum spectantia; sic, ut puto, quae de T. Marii (nisi mendum est in hoc nomine) ingrato in eum animo narrantur VII, 8, 6, quae referuntur de temeritate cuiusdam ipsius imperatoris familiae inserere se conati, quod Octauia Augusti sorore natum se diceret (IX, 15, 3.), de qua re reliquos scriptores tacuisse ualde miror, tum externa duo quae hoc capite recensentur exempla. Item ad proprium Valerii testimonium refero quae traduntur de Acilio Auiola I, 8, 12, qui, cum falso mortuus crederetur, uiuus crematus est, siquidem idem is est Acilius Auiola quem Tacitus

---

[1]) Cf. praef. lib. I. I, 8, 7.

commemorat III, ann. 41, ut non improbabiliter suspicatur Lipsius[1]). Mitto similia quaedam sed magis ambigua.

In reliquis Valerius propositi tenax antiquiora litterarum monumenta adiit fontibusque usus est non ignobilibus et magna ex parte hodieque patentibus, in primis Cicerone et Liuio, ita ut de ratione, quam in adhibendis illis secutus sit, sententiam ferre liceat. Sed ipsa haec ratio nouam imponit uituperandi necessitatem. Nolo urgere, quod ab aliis iam adnotatum uideo, eum res enarrandas arbitrarie ac promiscue omisso proprio iudicio et examine arripuisse et reddidisse, id profecto mediocris et imbecilli ingenii certissimum indicium est, quod ne uerba quidem ab illis auctoribus mutuari, paene dixerim furto subducere aspernabatur. Quod iudicium ne iniquius tulisse uideamur, apponamus aliquot locos, e quibus instituta comparatione appareat Valeriana sedulitas in expilandis superiorum scriptorum operibus. Nec longa inquisitione opus est, cum primo statim primi libri exemplo iisdem fere uerbis utatur Valerius, iisdem auctor orationis de haruspicum responsis. Legitur enim

apud illum I, 1, 1.	apud hunc 9, 18.
Maiores statas sollemnesque caerimonias pontificum *scientia,* bene gerendarum rerum auctoritates augurum *obseruatione,* Apollinis praedictiones uatum libris, portentorum *depulsiones* Etrusca disciplina *explicari uoluerunt.*	— *qui* statas sollemnesque caerimonias pontificatu, rerum bene gerendarum auctoritates augurio, *fatorum ueteres* praedictiones Apollinis uatum libris, portentorum *explanationes* Etruscorum disciplina *contineri putarunt.*

Quae paulo post sequuntur desumpta sunt e Cic. de diu. I, 41, 92.

— *ut* florentissima tum *et opulentissima ciuitate decem* principum filii *senatus consulto* singulis Etruriae populis *percipiendae sacrorum* disciplinae *gratia* traderentur.	*senatus* tum *cum* florebat *imperium decreuit, ut de* principum filiis *sex* singulis Etruriae populis *in* disciplinam traderentur.

Ab eodem Cicerone impudenter fere mutuatus est quae referuntur de Dionysii sacrilegiis

[1]) A Valerio nempe haec assumpsit Plin. h. n. VII, 53.

(Val. I, 1, ext. 3.)

Fano *enim* Proserpinae *spoliato* Locris, cum *per altum* secundo uento *classe ueheretur,* ridens amicis 'Videtisne,' *ait,* 'quam bona nauigatio ab *ipsis* diis immortalibus sacrilegis *tributur?*' Detracto *etiam* Ioui Olympio *magni* ponderis aureo amiculo, quo *eum* tyrannus Gelo e manubiis Karthaginiensium ornauerat, iniectoque ei laneo pallio *dixit* aestate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum, *laneum autem* ad *utrumque* tempus anni *aptius.* Idem Epidauri Aesculapio barbam auream demi iussit, *quod adfirmaret non* conuenire patrem *Apollinem* inberbem, *ipsum* barbatum *conspici.* Idem mensas argenteas *atque aureas e fanis sustulit,* quodque in *his* more Graeciae scriptum *erat* bonorum deorum *eas esse,* uti se bonitate eorum *praedicauit.* Idem Victorias aureas et pateras et coronas, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur tollebat et eas se accipere, non auferre dicebat, *perquam* stultum esse *argumentando,* a quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle sumere.

(Cic. de N. D. III, 34, 83.)

Cum fanum Proserpinae Locris *expilauisset, nauigabat Syracusas: isque* cum secundissimo uento *cursum teneret,* ridens 'Videtisne,' *inquit,* 'amici, quam bona a diis immortalibus nauigatio sacrilegis *detur?*' — *cum* — *in fanum uenisset* Iouis Olympii, aureum *ei* detraxit amiculum *grandi* pondere, quo *Iouem* ornarat ex manubiis Karthaginiensium tyrannus Gelo, *atque in eo etiam cauillatus est,* aestate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum, ei*que* laneum pallium iniecit, *cum id esse* ad *omne* anni tempus[1]) *diceret;* idem*que* Aesculapii Epidaurii barbam auream demi iussit; *neque enim* conuenire barbatum *esse filium, cum in omnibus fanis* pater imberbis *esset.* Idem mensas argenteas *de omnibus delubris iussit auferri,* in *quibus* quod more *ueteri* Graeciae *in*scriptum *esset* Bonorum deorum, uti se eorum bonitate *uelle dicebat.* Idem Victori*o*las aureas et pateras coronasque, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur *sine dubitatione* tollebat eaque[2]) se accipere, non auferre dicebat; esse *enim* stultitiam, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus *et dantibus* nolle sumere.

---

[1]) Excidit fortasse *aptius* post *tempus.* Cf. Lact. inst. diu. II, 4, 19.
[2]) Haud dubie cum Valerio legendum *easque.*

Eiusdem generis exempla haec sunt, I, 1, ext. 2, desumptum e Cic. in Verr. IIII, 46. — I, 5, 3 et 4 e Cic. de diu. I, 46. — I, 6, 4 e Cic. de diu. I, 33. — I, 8, 1 e Cic. de N. D. II, 2. — IIII, 1, 8 e Cic. de prou. cons. 8. — IIII, 1, 10 e Cic. pro Cluent. 48. — VI, 2, ext. 3 e Cic. Tusc. I, 43 et V, 40. — VI, 3, 5 e Cic. in Verr. V, 3. — VII, 2, 4 e Cic. de off. III, 19. — IX, 13, ext. 4 e Cic. Tusc. V, 20 aliaque permulta.

Atque haec quidem e Ciceronis orationibus et philosophiam continentibus libris desumpta sunt. Sed rhetoricis quoque eiusdem operibus et epistolis saepissime Valerius ita usus est ut propter consensum cum rerum traditarum tum ipsorum uerborum quin hanc praecipuam et unicam illis locis secutus sit auctoritatem dubitari nequeat. Vt e magno exemplorum numero pauca afferam, conferantur Val. VIII, 1, absol. 3 cum Cic. Brut. 23. Val. VIII, 7, ext. 1 cum Cic. de orat. I, 61. Val. VIII, 10, 1 cum Cic. de orat. III, 60. Val. VIII, 11, ext. 6 cum Cic. orat. 22. Val. VI, 2, 9 cum Cic. ad Att. II, 19.

Iam uero, cum Valerium totiens ex huius scriptoris etiam nunc superstitibus scriptis, quorum unum tantum apposito nomine citauit, librum quem de senectute composuit (VIII, 13, ext. 1.), totum pendere animaduertamus, non rarius cum iis operibus, quae iniuria temporum nobis interierunt, eodem modo usum esse merito suspiceris. In quo genere singula persequi longius nos a proposito abduceret, estque et difficile, cum uno dumtaxat loco deperditum Ciceronis uolumen, orationem pro Q. Gallio habitam, commemorauerit (VIII, 10, 3.)[1]), et, quia coniecturis subtracta fundamenti altera parte parum firmis innitendum est, non magni certe emolumenti.

Praeter M. Tullium, ut praediximus, primarium ducem sequitur T. Liuium, cuius uestigiis, quamuis et hunc semel tantum nominatim testem citauerit (I, 8 ext. 9.), saepissime plus iusto insistit uerbisque inhaerescit. Apponam insignia aliquot documenta. Mire prorsus ita inter se consentiunt Liuii Valeriique eiusdem rei narratiunculae, quae leguntur

---

[1]) At ne hoc quidem loco ipsam illam orationem adhibuit sed quae ex ea refert Cic. Brut. 80, 277.

apud hunc I, 1, 10.

Vrbe a Gallis capta cum flamen Quirinalis uirginesque Vestales *sacra* onere partito ferrent, *easque* pontem Sublicium *transgressas et* cliuum, *qui* ducit ad Ianiculum, *ascendere incipientes* L. Albinius plaustro coniugem *et* liberos uehens aspexisset, *proprior publicae religioni quam priuatae caritati, suis ut plaustro* descenderent *imperauit, atque* in id uirgines et sacra inposita *omisso coepto* itinere Caeretem *oppidum* peruexit.

apud illum V, 40.

Flamen *interim* Quirinalis uirginesque Vestales — *cetera (sacra) inter se* onere partito ferunt *uia, quae* Sublicio ponte ducit ad Ianiculum. *In eo* cliuo *eas cum* L. Albinius conspexisset plaustro coniugem *ac* liberos uehens, — *inreligiosam ratus sacerdotes publicos pedibus ire, se ac suos uehiculo conspici,* descendere *uxorem ac pueros iussit,* uirgines sacraque in *plaustrum* inposuit *et* Caere, *quo* iter *sacerdotibus erat,* peruexit.

Quae secundo primi libri capite recognouerat Valerius deperdita sunt. Verum nonnulla ex his seruauit epitomator Iulius Paris in singulis paene uerbis congruentia cum Liuiana eiusdem facti relatione.

Val. (abbreuiatus a Paride) I, 2, 1. — *Numa Pompilius* — — *uolebat uideri* sibi cum dea Egeria congressus esse nocturnos eius*que'* monitu se quae acceptissima deis *immortalibus* sacra *forent* instituere.

Liu. I, 19.

— — — — — — — *simulat* sibi cum dea Egeria congressus nocturnos esse; eius se monitu quae acceptissima dlis *essent* sacra instituere.

Eandem affinitatem prodet Valerius I, 1, 8 comparatus cum Liu. XXVII, 25. — I, 1, 12 cum Liu. XL, 29. — I, 5, 1 cum Liu. V, 55. — I, 6, 5 cum Liu. XXI, 62 et XXII, 1. — I, 6, 8 cum Liu. XXV, 16. — II, 2, 9 cum Liu. IX, 46, cett. Certius uero quam apud Ciceronem fieri potuit multa e deperditis Liuii uoluminibus a Valerio translata significare licet, cum in epitoma eorum saepissime factorum dictorumque relatio, interdum ipsae locutiones cum Valerianis insigniter conspirent. Nemo enim dubitabit quin Valerius, cum scriberet (I, 1, 2.) de Metello pontifice maximo eodemque flamine Martiali a sacris prohibito discedere, ante oculos habuerit Liuii undeuicesimum, ubi eadem copiosius paulo sed iisdem fere uerbis exposita fuisse uidentur. Ex eodem libro desumpta est Claudiae damnatio, quae narratur

VIII, 1, damn. 4, ex undecimo Aesculapii anguis Epidauro Romam deportatus (I, 8, 2). Quae II, 10, 5 referuntur de P. Rutilio haud dubie sunt e Liuii LXX, item quae de exitu Scipionis, Pompeii Magni soceri, e CXIIII. Et quanto maiorem, si haec respicimus, exemplorum numerum in iis fuisse censeamus, quae epitomator breuitatis nimium quantum studiosus non recipienda duxerit?

Multo quidem rarius alios eorum qui Latine scripserunt auctores adhibuit, sed interdum hos quoque ita, ut artissimo quodam nexu luculenter patente alterius origo ex altero non possit non agnosci. Dicam primum de Sallustio Crispo, quem inspectum et consultatum esse a Valerio Maximo non ambigua exempla demonstrant. Ex eius namque libro de bello Iugurthino sine dubio petita est narratio de Philaenorum erga patriam amore, quo, ut prolatarent Punici imperii fines, a Cyrenensibus uiuos se obrui passi sunt. (Cf. Val. V, 6, 4 et Sall. Iug. 79). Atque omnino in rebus ad Iugurthinum bellum spectantibus hunc Sallustii librum primarium fontem habuisse uidetur. Cf. III, 7, 2, ubi de disciplina militari a Q. Metello restituta agitur, cum Sall. Iug. 44, 45. Item ex eius Catilinario bello (c. 39) fluxisse puto quae V, 8, 5 leguntur de A. Fuluio, quem pater in Catilinae castra contendere conatum ex itinere retraxit et supplicio affecit. Cf. praeterea Val. IX, 1, 9 et Sall. Cat. 15. Historiarum deperditis uoluminibus usum esse Valerium praesertim in enarrandis rebus ad bellum cum Sertorio gestum pertinentibus, quod praecipua cura diserte atque copiose a Sallustio compositum erat, ut certe constat de nonnullis, quibuscum fragmenta ex hoc opere nobis seruata plane consentiunt, (nam quae de Metelli luxuria referuntur IX, 1, 5 e secundo, quae VII, 6, ext. 3 de Callagurritanorum nefaria perseuerantia in tuenda urbe a Pompeio obsessa e tertio, quae V, 2, 9 de honoribus Pompeio a Sylla habitis e quinto historiarum desumpta esse apparet), ita probabili coniectura de aliis colligitur. Etenim fabula de cerua alba, quam futura praedicentem secum traxisse fertur Sertorius (I, 2, 4), et narratio de uafro eiusdem hominis consilio, quo Lusitanos duorum equorum caudas alteram paulatim carpere, alteram uno impetu conuellere iussos ad suam sententiam perduxerit, et similia quaedam eandem originem prodere uidentur.

Gaii etiam Caesaris scripta quae etiamnunc supersunt adiit,

sed perquam raro; num deperdita quoque non liquet. Secundo enim de bello Gallico commentario (c. 25) usus esse uidetur III, 2, 19, ubi fortitudinis specimen a Caesare editum recenset, quamuis, cum aliud praesentis animi exemplum, quod statim sequitur, aliunde sumptum sit, nolim infitiari indidem et prius potuisse peti. Certe tertium de bello ciuili commentarium (c. 105) ante oculos habuit, cum de uariis prodigiis pugnam Pharsalicam comitantibus referret I, 6, 12. Quaedam e supplementis quoque horum commentariorum desumpta sunt; sic e Hirtii b. Alex. 55 quae de Cassii Longini auaritia memoriae produntur IX, 4, 2. Discrepantiam enim nominis ibi animaduersam, cum idem homo alteri Sestius, alteri Silius uocetur, librariorum potius peccato quam diuerso fonti imputandam esse arbitror. Valde autem dubito num narratiuncula de centurionis cuiusdam fide Caesarianis partibus praestita petita sit ex supplemento incerti auctoris, nam Hirtii non est, de bello Africano (c. 45), quoniam copiosius relatis ceteris reticetur ibi centurionis nomen, quod extat apud Valerium Maximum licet mendose scriptum. Aggeris deinde hostilium cadauerum congerie apud Mundam extructi, de quo Val. retulit VII, 6, 5, incertus auctor commentarii de bello Hispaniensi ita (c. 32) mentionem fecit, ut illi fons extitisse uideri possit. Sed alia eodem bello gesta (ex. gr. IX, 3, 4), quia copiosius et accuratius a Valerio quam in hoc opere enarrantur, aliunde fluxisse manifestum est, fortasse e CXV Liuii, qui huius belli historiam continebat.

Magis etiam ambigimus de Cornelio Nepote, cuius cum exemplorum libri tum qui de uiris illustribus erant inscripti, quorumque indoles atque dispositio simillima erat eius quam in hoc opere secutus est Valerius, facilem praebuisse debent excerpendi occasionem. Qua usum eum esse certis quidem argumentis probare nequeo. Sed cum Plutarchus (Marcell. 30) de extremis M. Claudii Marcelli fatis deque ossibus eius ad filium perlatis aut non perlatis Nepotis Valeriique testimonium Liuii[1]) et Augusti[2]) aliter referentium auctoritati opposuerit, uerisimile saltem est Valerium (V, 1 ext. 6) praetermissis aliis, quae parum ad rem pertinere uiderentur, — neque enim omnia, quae ab eo comprehensa

[1]) Cf. Liu. XXVII, 27.

[2]) In laudatione funebri Claudii Marcelli, eius quem generum sibi destinauerat. (Cf. Heeren de font. Plutarchi. p. 124).

putare possis propter Plutarchi uerba, reuera comprehendit — nonnulla de honoribus post mortem Marcello habitis e Cornelio Nepote asciuisse. Possis suspicari e Catonis censorii uita, quam singulari libello amplexum se esse ipse testatur Cornelius in breuiore illa Catonis uita adhuc superstite c. 3, fluxisse III, 2, 16 quod fortitudinis specimen Catoni filio, non ipsi patri tribuendum erat, nisi hoc potius a Pompeio Trogo accepit, uel quae III, 7, 7 de fiducia eiusdem hominis disseruntur, inimicum pro iudice sibi eligentis, et alia quaedam similia. Sed omnia haec adeo nihil habent singulare, ut equidem certiorem utriusque scriptoris affinitatem inde repetere nolim.

Non mirum est, si in hac quaestione totiens in ancipiti uersamur, cum ne eorum quidem scriptorum, quos nomine apposito Valerius testes citauit, ipsa opera num euoluerit satis liqueat. Certe non euoluit M. Catonis Origines, quarum commemorationem VIII, 1, absol. 2 una cum ceteris rebus ibi enarratis, retentis etiam uerbis, e Ciceronis Bruto (c. 23) mutuatus est. Atque etiam cum ex iisdem Catonis Originibus Cicero hausisset quae de carminibus inter epulas ad celebrandas clarorum uirorum laudes cantatis retulit Tusc. I, 2; IIII, 2; Brut. 19, Valerius in eorum commemoratione solum Ciceronem secutus est. Item I, 7, 6 L. Caelium Antipatrum, Gracchorum aequalem, qui septem libris secundi Punici belli historiam complexus est, quamquam ipsum adiisse uideri uult, nonnisi e Ciceronis I de diuinatione (c. 26) nouit. Quae de Aemilii Lepidi et Fuluii Flacci reconciliatione narrat traditaque ait a ueteribus annalium scriptoribus (IIII, 2, 1) non ex his ipsis petiit sed e Ciceronis oratione de prou. cons. c. 9, ubi 'annalium litterae summique poetae uox' eius rei documenta afferuntur. Plura ex eodem genere exempla recensebimus infra, ubi de Graecis auctoribus disseremus.

Quae cum ita sint, iam licebit, opinor, subdubitare de fontibus a Valerio commemoratis coniecturamque facere ex his, quos modo recensuimus, de aliis antiquioribus scriptoribus, quorum curas ab ipso pertractatas esse non possum mihi persuadere, adeo ut et C. Gracchi orationem in Plautium scriptam (IX, 5, ext. 4) et M. Scauri de uita sua librum (IIII, 4, 11) in hoc opere non sine improbitate quadam tamquam e propria cognitione laudatum existimem, cum recentiorum quae commemorantur scripta nulla alia interposita auctoritate ab ipso

inspecta esse concedendum sit. Neque enim est cur dubitemus quin Munatium Rufum, Catonis praetorii amicum Cypriacaeque expeditionis comitem, cui et Plutarchus in uita Catonis multum se debere fatetur, primarium ducem habuerit IIII, 3, 2. Idem dicendum uidetur de Pomponio Rufo, scriptore ab aliis, quod sciam, non commemorato, cuius testimonium e collectorum libro petitum semel amplectitur IIII, 4, init., quamquam de aetate eius nihil compertum habemus; idem de M. Terentio Varrone, in cuius monumentis praeclara illa uirtutis praemia in M. Siccium Dentatum congesta repperisse se ait Val. III, 2, 24[1]), et a quo haud dubie alia quoque auctoris nomine non indicato transtulit. Refero ad Varronis auctoritatem, ut pauca exempla ponam, quae in hoc libro (V, 6, 4) de appellatione portae Rauduscularae indita propter aeneam Genucii Cipi effigiem in ea inclusam traduntur, item quae II, 4, 5 de origine ludorum saecularium narrantur aliaque nonnulla. Nominatim denique Asinium Pollionem tamquam 'non minimam Romani stili partem' laudauit. E cuius historiarum tertio desumpsit quae de longa Arganthonii Gaditani uita tradidit VIII, 13 ext. 4. Atque Asinii quidem libris cum in aliis uti potuit tum praesertim in enarrandis rebus ad ciuilia bella inter Pompeium et Caesarem spectantibus, et fortasse usus est iuxta Caesaris Liuiique eiusdem temporis descriptionem. Sed quo minus in singulis eius uestigia in Valeriano opere perscrutemur iniqua fortuna impedit, quae nihil ex illis reliquum nobis esse uoluit.

Eadem ratio in longe maximo eorum scriptorum numero incidit, quorum et opera perierunt et nomina a Valerio reticentur. Nam dum ex illis, quos hucusque recensuimus, aliquot saltem locis quae receperit et in usum suum conuerterit aut perspicue indicari aut coniectura non improbabili diuinari licuit, de his quod rem quam tractamus magis expediat, omni inuestigandi facultate iudicandique condicione destituti, nihil fere in medium proferre possumus. Id unum certissime mihi quidem constat, antiquiorum scriptorum ex hac quaestione remouendos esse omnes Syllae aequales et aetatem eius praecedentes, qui neque ubi nominantur inspecti sunt, ut supra admonuimus, neque alibi

[1]) Credo Valerium haec in antiquitatum libris legisse, Varronem autem eundem fontem secutum esse quem A. Gellius II N. A. 11, qui haec ex annalium libris descripta esse testatur.

huic operi fontes extitisse uidentur. Insigniter autem opinio nostra confirmatur eo, quod in rebus enarrandis, si quando ab aliis auctoribus ueteres citantur testes, Valerius e solis recentioribus, a quibus illi citantur, hausit inque his acquieuit. Nam, ut documentis supra obiter commemoratis pauca addam, cum sint innumera, fabulae illius de libris Numae Pompilii in arca lapidea repertis, quorum septem ius pontificium, alii totidem disciplinam sapientiae continuisse dicebantur (I, 1, 12), Liuius XL, 29 et Plutarchus Num. 22 auctorem nominarunt Valerium Antiatem, alii alios; Valerius Maximus primarium fontem parum curans tacite solum Liuium sequitur. Eodem modo quod Cicero I de diu. 33 in Syllae historia scriptum refert Valerius I, 6, 4 non ab ipso Sylla, sed, ut solet, a Cicerone transtulit. Quapropter cum idem existimandum sit de L. Calpurnio, Cornelio Sisenna, Claudio Quadrigario, Licinio Macro aliisque permultis eorum temporum scriptoribus, cumque in negando solum usu ex his a Valerio percepto uersemur, nomina indicasse satis sit. Propiores uero a sua aetate praeter eos, quos recensuimus, haud dubie alios etiam interdum duces habuit, Caesaris Augusti commentarios, Pompeii Trogi historias quibuscum, quantum e Iustini excerptis colligi licet, saepissime congruit[1]), Iulii Hygini opera, fortasse etiam L. Fenestellae annales. Verum omissis quorum quantum ualuerit in hoc opere auctoritas et quibus potissimum locis, nisi alia et noua accedant subsidia, significari nequit, transgrediamur ad scriptores Graeco sermone usos.

Quorum primum qui Romanorum res gestas exposuerunt breuius etiam absoluere poterimus, cum paucis tantum locis ad Graecos fontes statuendos certis uocemur indiciis, et omnino Valerius, quamquam utrisque litteris eruditus erat, patentibus tot aliis scriptoribus eos potius consulere maluisse uideatur, in quibus describendi quam uertendi facilior erat opera. Itaque in reddendis rebus, quas una Liuius et Polybius memoriae prodiderunt, Valerius perpetuus Liuii assecla cernitur; e Polybio quid duxerit nusquam apparet, ut hunc quidem scriptorem adhibitum esse omnino negandum censeam, cum interim in his quae a Liuio praetermissa sunt non ita neglexerit Dionysii Halicarnassei

[1]) Cf. Val. VIII, 1, ext. 4 cum Iust. XXXVIII, 10. Val. IX, 1, ext. 5 cum Iust. XXXVIII, 8.

antiquitatum libros, quibuscum saepenumero insigniter consentit huius operis relatio. (Cf. Val. I, 1, 7. Dion. II, 68. — Val. I, 8, 7. Dion. I, 67. — Val. IIII, 3, 4. Dion. VI, 94). A Diodoro Siculo (XV, 87) Valerius III, 2, ext. 5 ultimum illud Epaminondae dictum, *orbus quoque, non tamen sine liberis morior* et q. sqq. accepisse uidetur, quod hic e credibili et uero rerum nexu uiolenter exemptum satis ridicule cum aliis morientis Epaminondae uerbis conectitur. Et certior etiam affinitas est inter Diodorum exc. Vatic. ap. Mai. coll. II c. 23 p. 20 et Val. IX, 12, ext. 9 et 10: neque enim Valerius h. l., cum scriberet de Milone Crotoniate et de Polydama athleta, quibus nimia uirium fiducia mortis causa extitit, fortuito in eandem sententiam incidit atque Diodorus, nimiis membrorum uiribus hebescere animi uigorem.

Recentioris historiae enarratores Posidonium, Iubam, Strabonem alios, quoniam eorum nulla extant aut indicari possunt uestigia, silentio praeterire liceat. Nam Theophanem Mitylenaeum, amicum Cn. Pompeii Magni, cuius res gestas singulari libello celebrauerat, commemorauit quidem Valerius, dicit namque eum a Pompeio propter has curas ciuitate esse donatum VIII, 14, 3, ipsa uero scripta non uidetur in usum suum conuertisse. Putauerit aliquis Nicolai Damasceni, philosophi et rerum scriptoris, testimonium in Romana historia a Valerio esse adhibitum, cum is de interitu Porciae, M. Catonis filiae, M. Bruti uxoris, aliter ac uulgo credebatur et repugnante epistula quadam ipsius Bruti nuntiauerit eam interempto marito ardentes deuorasse carbones mortemque ita sibi ipsam consciuisse, cumque eius famae, quae sane posterioribus demum temporibus latius dispersa fuit[1]), Plutarchus (Brut. 53) praeter Nicolaum Valeriumque Maximum (IIII, 6, 5) alios auctores non nouerit. At mihi quidem multo probabilius est utrumque eadem hausisse e communi fonte aut ignoto Plutarcho aut neglecto ab eo, qui Latinis litteris certe parum imbutus erat, quam alterum ex altero pendere.

Superest ut peregrinae quoque historiae praecipuos auctores fructumque ex his a Valerio perceptum perscrutemur. Verum cum maiorem fere quae huc pertinent rerum partem, ut solet maxime in propinquo sitos fontes adire, non e Graecis sed e Latinis operibus petierit, ex quo genere, quoniam multa exempla

[1]) Cf. Martial. I, 43. App. ciu. IIII, 136. Dio Cass. XL, 49. Zonar. X, 20.

supra iam posui, plura addenda non putaui, tota haec quaestio ad paucorum antiquiora testimonia redit. Et primum quidem Herodoti libros plurimis locis ipsum inspexisse eorumque praecipua et sola interdum auctoritate usum esse concedamus oportet. Etenim, quamquam eum nomine addito semel tantum citauit (VIII, 13, ext. 5) de diuturna Aethiopum uita, tamen in tot aliis rebus adeo cum eo consonat, tacentibus etiam ceteris qui nobis supersunt scriptoribus, ut qui de artiore affinitate dubitare uellet nodum quaereret in scirpo. Conferant qui ipse iudicare uolunt I, 2, ext. 2 cum Herod. I, 60. — I, 6, ext. 1 cum Herod. VII, 57. — I, 7, ext. 4 cum Herod. I, 34 sqq. — I, 7, ext. 5 cum Herod. I, 107 sqq. — III, 2, ext. 2 cum Herod. III, 78. (sed hic neglegenter inspecto fonte foede errauit Valerius.) — V, 2, ext. 1 cum Herod. III, 139 sqq. — V, 4, ext. 5 cum Herod. IIII, 125. — VII, 3, ext. 2 cum Herod. III, 85. — IX, 13, ext. 1 cum Herod. VII, 45, 46. et prae ceteris Val. IIII, 6, ext. 3 cum Herod. IIII, 145, 146, ubi tantum non uerba uerbis respondent. Alia multa adnotata sunt in commentariis nostris. Deinde ex Ionicis λογογράφοις nominatim commemorantur Hellanicus Lesbius et Damastes VIII, 13, ext. 6 ac praecedenti exemplo Ctesias Cnidius ita quidem, ut eos ipsos ante oculos habuisse uideri deberet, nisi interdum eum in adeundis ueteribus fontibus maiorem diligentiam simulasse quam reuera adhibuisse compertum haberemus eaque re merito iam proni essemus de interposita aliqua auctoritate cogitare.

Atticorum scriptorum unus Theopompus bis citatur, VIII, 13, ext. 5 et 14, ext. 5, sed ita ut nesciam an eius commemoratio aliunde fluxerit, fortasse e Pompeio Trogo, quem Theopompo praecipuo duce usum esse satis constat. Idem nescio num umquam in hoc opere secutus sit Thucydidem, cuius auctoritatem certe spreuit V, 6, ext. 3, de morte Themistoclis rethorica Callisthenis et Stratoclis commenta simplici ueritatis professioni, quae est apud illum I, 138, praeferens [1]), et V, 3, ext. 3, ubi aliter atque Thucydides et Charon Themistoclem Xerxe, non Artaxerxe regnante in Asiam transiisse scibit, in qua opinione scimus fuisse Ephorum, Dinonem, Clitarchum, Heraclidem [2]). Sed

[1]) Cf. Cic. Brut. 11.
[2]) Cf. Plut. Them. 27.

neque de his neque de Xenophonte, Philisto, Anaximene quicquam exploratum est. Nam quod Anaximenen VII, 3, ext. 4 et Callisthenen VII, 2, ext. 11 et IX, 3, ext. 1 commemorauit, ad ipsos homines, non ad scripta eorum respexit. Quo magis iuuat quod in quaestione tam ancipiti praeter Herodotum unius saltem scriptoris Graeci certa uestigia deprehendimus, Timaei Tauromenitani, cuius fragmentum propitia fortuna nobis seruauit, totum in hos libros ita a Valerio insertum, ut consentientibus singulis fere uerbis, quae hac quidem narratione continentur nullo iure ad alium referrentur auctore. Fragmentum illud legitur in schol. ad Aesch. ap. Reisk. oratt. Graeci III p. 751 et in Mureti uarr. lectt. XIIII, 15 [1]), Valerii eius conuersio I, 7, ext. 6. Quae cum ita se habeant, alia quoque nonnulla et rebus ipsis similia et similiter relata ex eodem fonte manasse consentaneum est. Et sane quae in Gellia siue Gillia Agrigentino eximiae liberalitatis atque humanitatis specimina recensuerat Timaeus ἐν τῇ πεντεκαιδεκάτῃ teste Diodoro Siculo XIII, 83 p. 608, ea inde haud dubie desumpta repetiit Val. IIII, 8, ext. 2. Alia minus certa sunt; inter quae tamen equidem persuasum habeo ad Timaeum referenda esse quae Valerius VI, 2, ext. 2 de libertate mulieris cuiusdam Syracusanae in Dionysium narrat.

Adnectam his duos γεωγράφους obscurioris famae, quos nominat Valerius VIII, 13, ext., 7 irridens mendacia eorum, num ipsos inspexerit nescio, Xenophontem, qui περίπλουν scripsisse fertur, et Alexandrum, qui librum de Illyrico tractu composuit. Hunc Alexandrum Plinius VII h. n. 48 Cornelium uocat, quamquam reliqua omnia, quae ibi narrat, ex hoc Valerii capite mutuatus est. Itaque haud dubie illum Alexandrum Cornelium significauit, quem Suetonius de ill. gramm. 20 propter antiquitatis notitiam a multis Polyhistorem, a quibusdam Historiam uocatum esse tradit. Atque in catalogo auctorum, quibus pro fontibus usus est Plinius, saepenumero Alexander Polyhistor commemoratur. Plura de eo communicauit Suidas u. Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος. Erat paedagogus Cornelii Lentuli, a quo manumissus Romae uixit Syllae temporibus et innumeros paene libros conscripsit. Xenophon autem ille Lampsacenus esse uidetur saepius

[1]) Muretus exemplo suo, ut uidetur, deceptus Timesiam nescio quem pro Timaeo posuit. Pertinet autem hoc fragmentum ad Timaei libr. VI.

a Plinio in supra dicto catalogo commemoratus, cuius *ἀναμετρήσεις τῶν ὀρῶν* citat Steph. Byz. u. *Ὠρωπός* [1]).

De philosophorum et oratorum scriptis idem fere iudicandum est, quod de plerisque aliis. Nam Platonem, ubicumque eius auctoritatem sequi poterat, adeo neglexit in recentioribus plerumque scriptoribus acquiescens, ut neque ubi interpositum testimonium ignotum sit neque ubi ipsum nomine indicato citauerit, ad eum rediisse uideri debeat [2]).

Eadem de causa dubito, uel potius uix crediderim ex ipsius Aristotelis notitia profectam esse narratiunculam, qua ille libros quosdam oratoriam artem continentes Theodecti discipulo quos ederet donasse, posteaque ab eo editos alio uolumine sibi uindicasse fertur VIII, 14, ext. 3, praesertim cum famam, qua artis rhetoricae, quae sub Theodectis nomine circumferebatur, Aristoteles auctor credebatur, communem et uulgatam fuisse discamus e Quint. inst. orat. II, 15, 10. Quapropter non minus in his secundarium quendam, ut ita dicam, fontem statuemus quam VIII, 13, ext. 3, ubi Aristoxeni musici testimonium de memorabili Xenophili Pythagorici senectute amplectitur, et VIII, 7, ext. 4, ubi Democriti quoddam uolumen commemorans incerta hac citandi ratione se ipsum illud uolumen non consuluisse, fortasse ne nouisse quidem satis aperte demonstrat, et VIII, 7, ext. 9, ubi de tempore disserens, quo Isocrates *Παναθηναϊκὸν* suum composuerit, in sola Ciceronis auctoritate insistit.

Sed finem aliquando faciamus dubitandi. Eorum, quae certissime hac inquisitione comprobasse me confido, ut breuiter summam repetam, cum in enarrandis factis et dictis memorabilibus magis id prospiceret ut animorum affectus excitaret quam ut quae relatione sua complecteretur antea accurate ueterum auctorum testimoniis inuestigatis atque inter se ponderatis ita posteritati traderet, quem ad modum maxime aut cum ueritate congruerent aut cum similitudine ueri, simplicitate quadam si non laudabili at certe in hoc eius proposito excusanda paucos tantum et eos duces sibi delegit, quorum opera et facilem aditum et uberem excerpendi materiam praeberent; ab his non solum res exponendas credule sed saepe etiam uerba temere mutuatus

[1]) Cf. Fabric. bibl. Graec. T. III p. 19 ed. Harles.
[2]) Cf. I, 8, ext. 1; VII, 2, ext. 4 et VIII, 7, ext. 8.

nihilo minus interdum non sine aliqua diligentiae et doctrinae iactatione altius ad primarios fontes perscrutandos ascendisse uideri uult. Atque adeo excepto quod nimium coartauit fines per se iam angustos, intra quos uersabantur Valerii curae, non iniuriam ei intulit Fr. Dübner (Revue de philol. I, p. 262), quod diceret quattuor scriptores Ciceronem, Liuium, Sallustium, Pompeium Trogum omnem huic operi materiam suppeditasse, cum, si quae ab aliis essent accepta, ea uno loco congesta uix quattuor capitum spatium explerent.

Quae cum ita sint, ne mediocrem quidem in studio rerum ueterum utilitatem ex his uoluminibus caperemus, si eorum, quos Valerio historiarum auctores extitisse diximus, integra opera nobis superesse fortuna uoluisset. Nunc, quoniam illa maiore ex parte interierunt, quaeritur in quantum, ubi sola Valerii auctoritate nitamur, traditis fides habenda sit. Quae cum tota pendeat e ueritatis amore atque studio, quo officio suo functus sit, et e diligentia ac religione, qua accepta reddiderit, singula haec primum accuratius paulo perquirenda atque examinanda uidebantur.

DE VALERII MAXIMI AVCTORITATE ET FIDE HISTORICA.

Iam dudum notum erat Valerium in enarrandis rebus gestis notabiliter interdum a uero aberrasse. Quod si passim in commentariis concesserunt grammatici praeter Pighium et eius sectatorem Colerum fere omnes, nobis tamen tristem reliquerunt demonstrationem eum in deprauanda atque corrumpenda historia eo processisse quo uix alium inter eos qui hodie ex antiquitate supersunt scriptores. Ad comprobandam hanc criminationem ne temere qualemcumque materiam contulisse iniuriamque fecisse uideamur scriptori non plane meritam, ab initio statim remoueamus ea mendacia, quorum aut corrupto iam fonte usus non ipse primus extitit auctor, aut quibus probabilem aliquam causam praetendere licuit. Quod ubi fieri potest, primus equidem subscribam eius defensioni. Tantum enim abest ut reprehendam in rhetore, et is est Valerius, declinationem a ueritate, quo maiorem

uim ornatumue reciperet oratio, consilio temptatam, ut libenter uel illi Ciceronis (Brut. 11, 42) assentiar concessum, esse rhetoribus ementiri in historiis. Nec facile quisquam Valerium obiurgauerit quod ad augendum orationis splendorem ueritatem longe excedens II, 7, 7 L. Minucii consulis (a. u. 296), a L. Quintio Cincinnato magistratu se abdicare iussi, XII fascibus Latii ac totius Italiae uires rectas esse retulerit, uel quod, quo foedior appareret ingratus Lacedaemoniorum animus, Lycurgum patria pulsum finxerit V, 3, ext. 2, cum satis notum sit ipsum sibimet uoluntarium imposuisse exilium, uel quod alia nonnulla in maius extulerit, quo efficacius commoueret lectorum animos. Sed quota quaeque pars est inter tot mendacia et errores, quae talem defensionem recipiat? Raro enim Valerius fallit consilio ac ratione, saepissime fallitur ipse ignorantia ueri, mira in inspiciendis aliorum testimoniis neglegentia, praua in exscribendis socordia. Cuius peruersitatis priusquam singula recognoscamus exempla unum hoc praemittendum uidetur, multa a nobis reprehensa in uulgatis editionibus ita circumferri ut luculenter ad historiae fidem enarrata bene procedant omnique careant uitio, longe aliter atque in hoc nouo exemplari. Quam spretam a nobis operis praestantiam non antiquo auctori sed recentioribus hominibus debebamus, in primis Pighio, qui cum ingenio et doctrina esset instructissimus, sed de uero criticae artis officio aut praue aut nihil sentiret, ubi tradita ueritati repugnare animaduertit, nullam medicinam tam audacem putauit quin admitteret, ut Valerium a turpissimis quae existimabat librariorum commentis foedissimisque corruptelis liberaret. Ipsum scriptorem aliquando hallucinatum esse persuadere sibi non potuit. Qui inanes eius uiri conatus, cum permultis locis iam a sequentibus grammaticis refutati essent, praecipue a Perizonio et Torrenio, magna tamen ex parte stabiles in sede sua remanserant mihique supererant remouendi. Alia denique Valerii peccata equidem primus detexi. In quibus omnibus, positis pro fundamento auctoris uerbis, quem ad modum nunc a nobis sunt constituta, qui causas atque confirmationes accuratius cognoscere cupiant rogatos esse uolumus ut commentarios nostros operi subiectos inspiciant.

Sed ut a leuioribus initium capiamus, socordem magis orationis neglegentiam, qua tamen etiam facta interdum deprauantur, quam nudum mendacium Valerius prodidit, si interdum

perhibuit aliquem alterius exemplum secutum aut imitatum esse aetate longe inferius, quod fecit VI, 4, 1; iustam enim illam patrum conscriptorum animaduersionem in L. Minucium et L. Manlium propter uiolatum ius legationis, quam Scipio simili facto imitatus esse dicitur, sedecim annis ipsa haec Scipionis aequitas praecesserat, et VI, 3, 4, ubi M'. Curius seueritatis exemplum imitatus esse dicitur Italico bello editum. Eodem pertinet, si II, 8, 2 in sponsione, qua Q. Valerius C. Lutatium prouocauit, ni suo ductu Punica classis deleta esset, Lutatium non dubitasse ait restipulari, cum in praeiudicialibus sponsionibus, qualis illa erat, restipulatio omnino fieri non potuerit; uel si fiscum tribuit C. Iulio Caesari VI, 2, 11. Difficilius iam excusatur quod aliis quoque suorum uel recentiorum certe temporum institutis ad ueteris rei publicae statum translatis turpiter interdum omnem ueram rerum condicionem disturbauit et euertit. Quid enim sibi uolunt VI, 3, 2 decem tribuni plebis aetate Sp. Cassii III consulis, eius qui primus legem agrariam tulit, cum manifestum sit quinque etiamtum fuisse numero, decem undetriginta demum annis post (297) creatos esse? quid Gracchorum temporibus quindecim uiri sacris faciundis, quos multo post pro decemuirorum collegio institutos esse constat? Verum haec leuia uideri debent reputanti incredibilem et inauditam Valerii neglegentiam, qua ueterum scriptorum operibus, e quibus sua desumpsit, obiter tantum inspectis, etiam ubi singula fere uerba surripuit ab illis, uera in falsum detorsit et errores cumulauit erroribus. Atque istam in describendo leuitatem insignibus quibusdam exemplis prodidit. Narrat enim I, 6, 5 infantem semenstrem in foro boario triumphum clamasse, in Sicilia scuta duo sanguinem sudasse, metentibus cruentas spicas in corbem decidisse. Quorum prodigiorum primum Liuius XXI, 62 in foro olitorio, alterum XXII, 1 in Sardinia, tertium apud Antium accidisse scribit. Vnde igitur apud Valerium forum boarium, unde Sicilia? Vtrumque ex eodem Liuio, apud quem cum legisset *infantem semenstrem in foro olitorio triumphum clamasse, et foro boario bouem in tertiam contignationem sua sponte escendisse,* alterum solum prodigium referens, primum ueloci oculo ac manu ex altero loci significationem transtulit, deinde sequentia non minus festinanter excerpens e Liuii uerbis (XXII, 1,) *in Sicilia militibus aliquot spicula, in Sardinia autem in muro circumeunti uigilias equiti scipionem*

quem manu tenuerat arsisse et litora crebris ignibus fulsisse et scuta duo sanguine sudasse, omissis ceteris quae interposita erant, prima cum ultimis conexit loco quidem minime congruentia, statimque adiunxit tertium tamquam item in Sicilia factum, quod Liuius Antiatibus accidisse paulo post memoriae tradidit. Eodem modo Liuii uerbis decipi se passus est VI, 6, 3, ubi L. Minucium et L. Manlium M. Claudii praetoris iussu, quia legatis manus attulissent, Karthaginiensibus deditos esse refert M. Aemilio L. (C.) Flaminio consulibus, quorum consulum nomina sane etiam apud Liuium XXXVIII, 42 illam narrationem praecedunt; sed si diligentius paulo quam Valerius animum attenderis, hos, designatos in proximum annum, tunc temporis magistratum nondum iniisse animaduertas. Similiter II, 5, 1, quia Liuii (XL, 34) uu. *is erat qui ipse*, quae ad filium Glabrionem pertinent, ad patrem retulit, celerius quam par erat perlecta Liuii narratione omnem rerum ordinem turbauit. Nonnisi propter eandem festinationem I, 1, 15 aperte Liuii testimonio (XXII, 56) contradixit, cum post Cannensem cladem, ut sacra Cereris peragi possent, publico priuatoque luctui triginta dierum spatium praescriptum esse traderet, quem luctum Liuius omissis iam illius deae sacris, quia senatus ueritus esset ne aliae quoque religiones propterea neglegerentur, finitum scripsit intra praedictum tempus. Turpius non intellecto Liuio (XXV, 14) omnia confudit ac miscuit III, 2, 20 in uerbis *cum Hannibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obsideret.* Neque enim Capuam tunc tenebant Romani, neque Hannibal umquam eam urbem obsedit, neque omnino contra Hannibalem sed contra Hannonem gesta erant quae ibi referuntur. Alia ex eodem genere peccata castigaui IIII, 3, 1 in commemoratione Indibilis Celtiberi, VI, 2, 9 in uerbis *directis in Pompeium manibus* aliisque locis. E simili denique segnitia perpetua eius orta est fluctuatio frequentesque lapsus in magistratuum dignitatumque significatione. Nam I, 6, 4 consulem Syllam appellat, qui etiam tum praetorius erat; contra IIII, 1, 8 pro consule ponere debebat praetorem; I, 6, 8 de consule Ti. Graccho narrat quae anno post alterum eius consulatum acciderunt; III, 7, 6 L. Crassum ex consulatu prouinciam Galliam obtinuisse tradit, quam obtinuit consul; IX, 3, 3 Cn. Flauium, cum aedilis crearetur, praeturam adeptum esse dicit, et, quod

super omnia est, Sp. Cassium III consulem V, 8, 2 tribunum plebei facit.

Temporum autem rationem quam parum omnino curae habuerit permagnus exemplorum numerus documento est, e quibus, ut satietatem uitemus, pauca tantum exhibeamus. Exposuit I, 6, 5 quaedam prodigia, quae scimus bello Punico secundo nuntiata esse Romae. Eam temporis denotationem in prioribus omissam soli ultimo addidit belloque Punico secundo Cn. Domitii bouem locutum esse retulit, 'caue tibi Roma!' Sed unum hoc prodigium eius belli finem multis annis excedebat. VI, 6, ext. 1 caedem duorum Scipionum in Hispania ante factam ait quam Saguntum ab Hannibale oppugnaretur, cum id oppidum nouem annis ante excisum sit. Longius etiam a uero aberrat IX, 10, 1, ubi Tusculanos post annum 431 a. u. c. in ciuitatem receptos putat, quam ante sexaginta minimum annos eos obtinuisse constat. IX, 7, 1 Saturninum oppressum refert a C. Mario quintum consule, quod recte in sexto eius consulato accidisse scribit III, 2, 18. VII, 5, 4 Q. Caecilius Metellus ante uictorias de Pseudophilippo et Achaeis reportatas repulsam comitiis consularibus tulisse traditur, miraturque Valerius quod ei populus consulatum negare potuerit, cui mox duas clarissimas prouincias aut daturus fuerit aut debiturus. Sed quanto iustius increparet Romanos, si uerum retulisset, post tot res egregie gestas frustra eum honorem a Metello esse petitum.

Mittamus reliqua ex hoc genere, cum multa et grauiora etiam supersint. Quid enim dicamus de ignorantia illa non minus foeda ac pudenda quam frequenti, qua eiusdem nominis uiros nec ignotae sortis, sed celeberrimos quosque clarissimosque Romanorum imperatores, quorum facta uel pueruli nouisse debebant, inscite confudit atque permiscuit? Ita posteriorem P. Cornelium Scipionem Africanum pro superiore posuit II, 4, 3 et in alia narratione V, 1, 7 (cl. §. 6). Contrarium uitium commisit VIII, 15, 1 relatis ad superiorem Africanum quae Aemiliani erant. Trium et fortasse quattuor Scipionum res gestas in unum P. Cornelium Scipionem Nasicam congessit VII, 5, 2. Eodem modo II, 2, 4 et ut uidetur etiam V, 2, 3 Q. Fabium Maximum Rullianum confudit cum Q. Fabio Verrucoso Cunctatore; M. Porcium Catonem censorium cum Catone filio III, 2, 16 et cum nepote V, 10, 3. Iam uero VI, 4, 1, quia

dinoscere nesciebat T. Manlium Imperiosum a posteriore Manlio Torquato, adeo historiam uexauit et impediuit ut exitus ex hac omnium rerum perturbatione fere non inueniatur. Facilius ei condonaueris quod VIII, 8, 1 et 2 Q. Mucium Scaeuolam, Laelii generum, eundem putauit atque P. Mucium Scaeuolam pontificem maximum, cuius laudabatur dexteritas in pilae lusu. Vt praediximus, Liuii uerbis deceptus II, 5, 1 M'. Acilium Glabrionem deuicto apud Thermopylas Antiocho compotem uoti factum aedem Pietatis dedicasse inque ea aede statuam patri equestrem posuisse scripsit, cum templum illud ipse pater Glabrio uouisset, qui et depugnauerat apud Thermopylas cum Antiocho. Et ne in Romanis tantum ita peccatum existimes, confudit III, 3, ext. 3 Zenonem Eleaten cum alio eiusdem nominis philosopho, ut mea quidem fert opinio, cum Cittieo, Stoicorum principe et auctore. Attalos duos in unum contraxit V, 2, ext. 3. Dareum Hystaspis filium, quem peruerse antea Ochum appellatum finxit, cum altero Dareo, cui sane cognomen Ocho erat, ita permiscuit ut res ab hoc gestas ad illum transferret, inscite praeterea de septem magis nescio quid fabulatus, cum duo tantum eius condicionis homines Persarum imperium mortuo Cambyse obtinuisse notum sit.

Vellem me his exemplis acquiescere finemque imponere posse molestae et ingratae inquisitioni. Sed et restant quae criminis magnitudine omnia hucusque commemorata superant et necesse est non solum de prauitate uerum etiam de numero errorum iudicare uolentibus faciam potestatem. Quapropter enotatis aliis quibusdam notabilis maxime foeditatis cetera festinantius etiam quam in praecedentibus factum est percurremus.

Nemo fere interpretum animum potuit inducere tantum peccatum in Valerio admittere ut I, 6, 1 Tanaquilem, quae Tarquinii Prisci erat, Anci Marcii dixerit uxorem, ideoque uulgo mendum in codicibus esse existimarunt. At si talia librariis imputari possunt, tum sane quae non possint me fateor nescire, neque ulla amplius erit codicum auctoritas. Quin equidem illud mendacium, quia res, etiamsi notissima, tamen et antiquissima erat, minus semper miratus sum quam quod ne iis quidem, quae ipse sua aetate, suis oculis uidisse se testatur, semper fides haberi potest. Quid enim quod I, 8, 3, postquam contra omnium reliquorum consensum primum Iunonem Monetam a Camillo

expugnatis Veiis Rómam translatam esse narrauit, templum eius etiam tunc in monte Auentino conspici refert, cum tamen constet Reginae Iunonis simulacrum a Camillo Veiis arcessitum inque eo monte collocatum esse, Iunonis uero Monetae aedem postea eundem Camillum dedicasse in Capitolino colle? Quid, inquam, quod ne tum quidem turpissima illa neglegentia animo eius occurrit, cum Iunonis Monetae templum, quod supra in Auentino se uidisse retulerat, in Capitolio cerni affirmabat VI, 3, 1? Nec minus neglegenter I, 7, 5 aedem Iouis Marianam fingit, in qua senatus de reuocando exule Cicerone decreuerit, quia non libuit inquirere quaenam fuerint monumenta Mariana commemorata a Cic. I de diu. 28, 59. Adeo, si quando ultra primarium fontem progreditur, lubricos gradus ponit.

Iam falso Valerius a Publicola fascium numerum imminutum esse dicit IIII, 1, 1, cum omnino numquam plures quam duodecim fuerint. Inepte VIII, 15, 11 Publius et Gnaeus Scipiones, qui insignem illam cladem in Hispania ab Hasdrubale perpessi sunt, ab Hannibale uicti putantur. IX, 3, 5 de Romanorum peditatu referenda referuntur de equitatu. Fallitur II, 8, 5 de causa, cur Marcello triumphus sit negatus. III, 7, 6 Carbonem damnatum et in exilium missum scribit, qui uoluntaria morte iudicio se subtraxit, et paulo post §. 8 M. Scaurum accusatum quod pecuniam a Mithridate accepisset, cum propter suspicionem de concitatis sociis illa quaestio exerceretur. Ridicule uero in narratione ad bellum Africanum spectante III, 8, 7 centurioni cuidam e Caesarianis ab aduersariis capto ea condicione ueniam a Scipione, Cn. Pompeii socero, oblatam esse tradidit, si se Pompeii militem fore affirmasset. Atqui ipse ille Pompeius, cui militem conciliare studebat Scipio, iam tum inter uiuos non erat. Vno exemplo (III, 4, 5) Perpernam, Aristonici uictorem, falso triumphalem appellat, cum omnino numquam triumphum duxerit, patremque eius Papia lege post mortem filii damnatum scribit, quod arrogasset sibi ciuitatem Romanam nihil ad se pertinentem, quae lex et aetate longe praecessit filii obitum nec ualuit in peregrinos Italiam incolentes.

Accedunt ad haec domestica multa aeque praepostere in externa historia peccata. In qua pueriliter sane lapsus I, 8, ext. 15 Aristomenem Messenium non a Lacedaemoniis sed ab Atheniensibus captum occisumque existimat. Confudit Darei et

Gobryae personas III, 2, ext. 2. Ille enim Gobryas, praeclari operis socius, fortitudinis specimen quod ibi recensetur edidit, non ipse Dareus. VII, 2, ext. 7 nescio quo errore instinctus Periclem posuit pro Aeschylo. V, 6 ext. 5 Stagiram, quam Philippus euertit, euersam uult ab Alexandro. — IX, 11, ext. 2 quod alii recte Pharnaci tribuunt, Mithridatis filio, Valerius ad Mithridatem patrem refert. Disputatio illa, ante quam helleboro se purgasse fertur Carneades VIII, 7, ext. 5, non erat inter Carneadem et Chrysippum sed inter Carneadem et Zenonem. Eodem capite §. 11 huius Chrysippi discipulus putatur Cleanthes, quem ceteri eius praeceptorem fuisse tradiderunt.

Omisi in hac erratorum enumeratione copiosissima nec tamen adeo plena ut non multa insuper addi potuissent omnia, quae ita discrepant ab aliorum scriptorum auctoritate ut dubitationem saltem admittant anne dissidentibus iam inter se antiquis fontibus qui contra faciant potius quam ipse Valerius a ueritate discesserint; item omnia, in quibus ancipiti librorum scriptura ambiguus haerebam utrum scriptoris mendacium an mendum statuerem librariorum. Et maxime haec quidem fluctuatio incidit in praenominibus, quae saepenumero in omnibus codicibus accedente etiam Paridensis compendii auctoritate aliter atque a reliquis auctoribus constituuntur, ut I, 6, 5 in P. Volumnio, II, 4, 7 in M. Fuluio, II, 9, 8 in P. Furio Philo, IIII, 7, 7 in C. Laelio, V, 1, 1 in L. Cornelio Scipione, V, 6, 7 in L. Metello, VI, 1, 11 in C. Laetorio, VI, 2, 3 et VI, 5, 6 in C. Carbone, cett. Quae discrepantia cum haud raro ad antiquissimi iam, cuius indagari licet, codicis testimonium reduci possit, in promptu est suspicio Valerium in his quoque ponendis interdum dormitasse. Quare si quando praenomen omnium nostrorum codicum consensu stabilitum animaduerti, etiamsi aperte falsum sciebam, tamen a tradita scriptura non discedendum putaui. Veram appellationem in commentariis exhibui.

Vnum autem prae ceteris hac peccatorum recensione praecauendum mihi uidebatur, ne, sicubi in dubia scriptura probabilibus rationibus motus errorem Valerii quam lectionem historiae quidem non repugnantem sed alias ob causas spernendam recipere maluerim, religio mihi iniceretur tamquam uanis suspicionibus detrectaturo uiri auctoritatem. Ipsa enim errorum incredibilis fere multitudo ubique suspicandi non modo

ius nobis dedit uerum etiam imposuit necessitatem. Quae quanta sit praesertim in rebus solius Valerii testimonio nitentibus, in quibus praecipuam huius operis utilitatem positam esse praediximus, pluribus in commentario exemplis comprobasse me credo.

DE VALERII MAXIMI STILO ET DICENDI GENERE.

De dicendi genere quo usus sit scriptor aliquis qui iudicium ferre uolunt duas maxime res in quaestionem uocent necesse est, per se plane diuersas et ideo accuratius quam uulgo solet fieri distinguendas, loquendi scilicet consuetudinem, quatenus grammatica ratione continetur, et enunciatarum sententiarum colorem, speciem, nexum, orationis uestitum oratumque, omnem denique scribendi artem, in quibus proprie consistit stilus quem dicere solemus. In utroque genere cum auctores pendeant e temporis quo scripserunt proprietate, tamen in altero potissimum unus quisque peculiare aliquid habet, quod tamquam suum affert et quo in primis differt a ceteris aequalibus.

Valerius, si grammatica praecepta consideramus, in uniuersum aequalium et aetate paulo praecedentium dicendi consuetudinem retinuit, raro auxit et amplificauit, numquam ita ut ultra saeculi morem excederet. Hanc ob causam et quoniam, si quando ab illis notabilius declinauit, simul critica quaedam difficultas aut dubitatio de scriptura plerumque extitit, omnia grammaticam rationem spectantia, copiosius in commentariis exponenda, optimo iure mihi uideor ex hac quaestione remouisse, de iis tantum uerba facturus, e quibus scribendi ars et rhetorica huius operis forma appareret.

Est autem omnium artium summum quoddam fastigium, quod cum obtinent, operum natiua in primis simplicitate naturalique candore excellunt parcisque adhibitis subsidiis magna efficiunt, donec ipsa haec simplicitas tamquam nimis ieiuna et arida non satisfacit hominum ingenio, subsistere nescio sed progredi aut regredi parato. Tendunt ab una illa quae in toto sita est

pulchritudine ad elegantiam subtilitatemque in singulis partibus, congerunt et cumulant ornatum, inhiant effectibus, et dum multa uolunt, pauca assequuntur. Quem omnium omnino artium communem decursum egregie de eloquentia repraesentauit Quintilianus[1]) dicto quodam, quo acutissimus et candidissimus harum rerum aestimator non magis certum aliquod dicendi genus improbasse quam primariam causam detexisse uideri potest, cur tam celeriter a summo fastigio facundia eorum temporum, quae argenteae aetatis nomine comprehendere solemus, descenderit. 'Sermo rectus,' inquit, 'et secundum naturam enunciatus nihil habere ex ingenio uidetur; illa uero, quae utcumque deflexa sunt, tamquam exquisitiora miramur, non aliter quam distortis et quocumque modo prodigiosis corporibus apud quosdam maius est pretium quam iis, quae nihil ex communis habitus bonis perdiderunt. Atque etiam qui specie capiuntur uulsis leuatisque et inustas comas acu comentibus et non suo colore nitidis plus esse formae putant quam possit tribuere incorrupta natura.' Quae uerba rem acu tangunt. Nam simul atque haec incorrupta natura, antiquorum naturalis simplicitas, sperni coepit tamquam minus idonea ad demonstrandum ingenium, transitum est ad quaesitum illud et artificiosum et praedulce scribendi genus, quod peculiarem huic aetati eloquentiae indolem ac formam efficit. Inde uel apud praestantiores eius aeui scriptores perpetuis flosculis et argutiis perplexa oratio, inde apud mediocris ingenii homines tot impropria, obscura, humilia, sordida, lasciua, effeminata; totidem enim uerbis Quintilianus nouam hanc scribendi dicendique consuetudinem significauit. Valerium qui aliqua cognitione attigerit et unum eius uolumen ueloci oculo percucurrerit in altero hoc numero esse facile intellexerit, ut superuacuum uideri possit pluribus confirmari et comprobari quae sint in aperto. Itaque in hac quidem disputatione imaginem quasi Valerianae dictionis paucis lineis adumbraturi, — cum neque omnia in quibus a uulgari sermone discesserit comprehendere nec rationem aut causam exponere potuerimus, quo modo orta sit et cur licuerit aut non licuerit una quaeque declinatio, — paucis tantum exemplis genera quaedam illustrabimus, quibus facile alia, quae huc pertinent, subiciuntur. Et primum quidem, quia

[1]) Inst. orat. II, 5, 11.

simplicia et secundum naturam enunciata quasi uulgaria atque nimis trita aspernatur hic scriptor, insolentia perquirens semperque plus iusto spiritus concipiens, factum est ut et in singulis notionibus et in sententiis exprimendis poeticam licentiam non modo imitaretur uerum etiam supergrederetur, orationemque conformaret adeo lasciuam, obscuram, molestam ut editores haud raro eam tamquam non ab antiquo auctore profectam librariis imputandam arbitrarentur et coniectura magis conuenientem substituerent quam ueram. Singulorum autem uerborum exempla haec sunto. Nemo facile prosae orationis scriptori ignouerit illud *corpus frigore duplicatum,* quo Valerius V, 1, ext. 1 denotauit corpus frigore contractum et incuruatum, quemadmodum suo iure saepius loquuntur poetae. Cf. Verg. XII Aen. 926. ib. XI, 644. Ouid. VI Metam. 293. Stat. III Theb. 89. ib. VI, 859. Praecerpendi autem uerbo pro eo quod est animo praecipere rem futuram ne poetae quidem, quod equidem sciam, usi sunt. Valerius II, 8, 3 scripsit *nimirum non plura praecerpens quam acciderunt.* Non minus insolenter quam obscure aes uxorium nodosam stipem uocauit II, 9, 1: *Ite igitur et nodosam exsoluite stipem utilem posteritati numerosae,* (ubi uide quae adnotaui). Quid, quod ne simplicitatem quidem in peruerso hoc studio euitauit frequentatis plus iusto et repetitis iisdem uerbis a naturali sermone detortis? Ita nimis profecto festiue rapere pro eo quod est cupide accipere posuit III, 2, 3: *omen uictoriae rapuit.* VII, 2, 5: *timoris modum, poenae genus, spei uiam uno mentis impetu rapiendo.* VII, 3, 3: *rapuit condicionem inbellis et timida iuuentus.* ibid. ext. 1. *occasionem expiandae religionis rapuit* et I, 5, 3: *arripuit omen Paulus.*

At multo frequentiora et fere innumera arcessitae eius et contortae orationis exempla in coniunctione complurium uerborum et in integris sententiis deprehenduntur. Inter quae iniuria magnopere offenderunt grammaticos, cum in solito poetarum more excusationem habeant, notiones adiectiue cum substantiuo quodam conexae, cui proprie substantiue genitiuo casu subiciendae erant. Ita IIII, 7, 1 *in eodem constanti gradu* sine dubio scripsit pro *in eodem constantiae gradu,* quod ipsum quam inconsideranter librorum testimonio substituerint editores, documento erunt alia ex eodem genere exempla. Nam V, 4, ext. 5 *Argiuam laudem* dixit laudem Argiuorum, eodemque modo composuit I, 6, 1

domestici oculi, I, 6, 11 *paterni oculi*, VII, 3, 9 *hostilibus oculis*, IX, 2, 1 *infelices oculos*, IX, 2, ext. 11 *infelicem spiritum*, IIII, 7, 4 *uictori gladio*.

His similis itemque poetis propria translatio est adiectiui a primario substantiuo, quocum sensu cohaeret, ad aliud, quod ex eo pendens genitiuo casu effertur. In quo genere Valerius VIII, 1, abs. 5 composuit *quae* (Tuccia) *conscientia certae sinceritatis suae spem salutis ancipiti argumento ausa petere est*, ubi miror, qui longe omnium optime nouerit Valerii dictionem, Perizonium maluisse *conscientia certa*, et VII, 3, 10 *adulescens infelicis animi impetum satietate licentis concubitus resolutum — deposuit*, cum expectares *infelicem animi impetum*, quem ad modum uel contra libros mss. ediderat Pighius. Contraria ratio translato adiectiuo a pendente notione ad primariam incidit VII, 6, ext. 3, *infelices cadauerum reliquias sallire non dubitauit*, et VII, 6, 6, ubi, licet perquam audacter scriptum sit *atque ut diuinam filii mentionem caelestis patris recordationi subnectam* et q. sq., iniuria tamen Perizonius coniecit legendum esse *ut diui iam filii*, oblitus similium exemplorum I, 6, ext. 1 in transitu ad externa, *Claudatur hoc exemplo talium ostentorum domestica relatio;* I, 7, 5: *laetiorem status spem* pro spe laetioris status; IX, 2, ext. 9 *humano sono uocis;* VI, 3, init. *uaria poenarum genera — minime in placido et quieto paginarum numero reponenda;* VI, 6, ext. 2: *fidum Peteliae sepulcrum* pro fidae Peteliae i. e. fidorum Petelinorum sepulcro; VI, 9, ext. 5: *breui tristitiae salebra;* cett.

Omnem uero licentiae modum Valerius alio insolentiae genere supergressus est, qua actionem ab aliquo profectam vel transeuntem ad aliquem ab eo reuocatam ad rem secundariam cum persona illa artiore quodam sententiae uinculo conexam ita retulit ut adiuncta notio subiectae locum teneret et interdum minime coeuntia dure copularentur. Hoc modo mire prorsus locutus est I, 6, 11: *sic deorum spreti monitus excandescunt, sic humana consilia castigantur, ubi se caelestibus praeferunt*, quae uerba etiamnunc in uulgatis editionibus exhibebantur, *sic dii spreti excandescunt* et q. sq. Similiter I, 7, 8: *propioribus tamen, ut ita dicam, lineis Aterii Rufi equitis Romani somnium certo euentu admonitum est*, cum tamen non ipsum Aterii somnium sed Aterius somnio admonitus sit. Et haec quidem in subiecto; in obiecto idem sibi indulsit VIII, 1, abs. 12, cum scriberet *crimen libidinis confessio intemperantiae liberauit*, quae

proprie dicenda erant *eum crimine libidinis confessio intemperantiae liberauit.* Ad similem licentiam referri posse uidentur quae IX, 12, ext. 1 ponuntur, *torqueant se miseri — in trepido et anxio consilio quanam ratione uita exeant quaerentes* pro *torqueant se trepidantes et anxii in consilio* (finiendae uitae) *quaerendo quanam* etc. et alia nonnulla, quae orta primum ex immoderato huius scriptoris studio, quo adiunctas notiones pro subiectis et abstractas pro concretis substituit, ubi parum reliquarum sententiae partium ratio habetur, certe non longe remota sunt a prauitate eorum, quae supra exhibuimus.

Et quoniam illam Valerii consuetudinem attigi, qua, si quis alius, nimius est in adhibendis adiunctis notionibus pro subiectis et abstractis pro concretis, huius generis exempla haec sunto: lib. I praef. *mea paruitas eo iustius ad fauorem tuum decucurrerit.* II, 6, 14: *quem* (rogum) *uxoris pietas in modum genialis tori propinquae mortis secura conscendit.* II, 7, 5: *copulatae societati generis et imaginum deformem in patriam reditum indicere aut communioni nominis ac familiae — contumeliosa uerbera adhibere aut censorium supercilium aduersus fraternam caritatem destringere.* III, 1, 2: *hic spiritus ne Marci quidem Catonis pueritiae defuit.* III, 7, 5: *duobus acerrimis odiis* (inimicis) *latera sua cingere.* V, 6, 2: *magna decora in foro Romano fulserunt.* VI, 8, 4: *poenas arbitrio piae uictoriae exsoluere.* VIII, 15, 7: *perfectissima uirtus.* IX, 3, 6: *miles summo imperio praelatus est.* IX, 12, ext. 2: *origo et principium fortioris tragoediae extinctum est.* Adiunctas notiones pro subiectis posuit, ut pauca exhibeam e permultis, I, 1, 3: *duodecim fascium* (i. e, consulis) *religiosum obsequium.* II, 7, 7: *imperiosissimi duodecim fasces.* III, 5, 1: *inter duo fulgentissima cognomina* (Africanum et Asiaticum) *manus uinciendas hosti tradere.* VIII, 1 abs. 1: *dextera eius forti punitione liberata.* Vtriusque generis concursu turbatur et obscuratur oratio III, 5, 3: *adhaerens Fuluianae stolae pugio militare decus muliebri imperio subiectum habuit;* nam pro Fuluia, quae, cum pugione cincta incederet, militare armorum decus sibi arrogauit, ipse eius pugio substitutus est.

Praeterea stilus Valerii metaphoris et translationibus non semper rei naturae consentaneis nimium quantum abundat. Putauit namque auctor ex hac quoque parte 'dandum nonnihil esse temporibus atque auribus', ut loquar cum Quintiliano, 'nitidius

aliquid atque affectatius postulantibus.' Sed quae passim apte et ingeniose adhibita summum efficiunt orationis ornatum, ea frequentata et cumulata taedium, si insuper inscite atque incongrue inuenta sunt, risum mouent. Apponam aliquot saltem huiusce modi insignia exempla; nam si numerum et multitudinem uellem significare, tempus me deficeret. Sic iis, quae leguntur V, 7, init., *Det nunc uela pii et placidi adfectus parentium erga liberos indulgentia, salubrique aura prouecta gratam suauitatis dotem secum adferat*, quid lasciuius pariterque conlatis ex diuerso genere tot impropriis et parum consentaneis inuenustius esse possit fateor me nescire. Nec melius IIII, 7, 3: *L. Rheginus — in optimo laudabilis conscientiae portu relinquendus est.* IIII, 8, ext. 2: *quem propemodum ipsius liberalitatis praecordia constat habuisse;* VIII, 7, ext. 10: *citerioris aetatis metas sed non parui tamen spatii Chrysippi uiuacitas flexit.* V, 1, 1: *in eo excipiendo tota urbs unius humani amici uultum habuit.* V, 2, 10: *Sit aliquis in summo splendore etiam sordibus gratis locus;* V, 3, 2: *qui pestifera Ti. Gracchi manu faucibus oppressam rem publicam strangulari passus non est.* VI, 2, ext. 3: *Inter has* (duas mulieres) *et Theodorum Cyrenaeum quasi animosi spiritus coniugium esse potuit, uirtute par, felicitate dissimile.* Perquam obscure et improprie IX, 12, ext. 6: *urbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosecutus senile guttur salebris spiritus grauauit.* V, 4, ext. 4: *nec ego Arginum detrecto laudem aut Aetnaei montis gloriam minuo, uerum obscuriori propter ignorantiam pietati notitiae lumen admoueo.* V, 6, ext. 2: *Ab eodem fonte pietatis Thrasybuli quoque animus manauit* etc.

Alia denique multa, quae uerbis describi et certis generibus subiungi nequeunt, parem, saepe etiam maiorem in detorquendo naturali sermone et in quaerendo nitore audaciam produnt temeritatemque. Sic III, 8, ext. 3, ubi praecesserat damnatio decem praetorum, qui apud Arginusas Lacedaemoniorum classem deleuerant, egregie prorsus Socrates praedicatur non timuisse *ne consternatae patriae undecimus furor mors ipsius existeret.* Cf. similia I, 1, 15: *qua quidem constantia optinendae religionis magnus caelestibus iniectus est rubor ulterius aduersus eam saeuiendi gentem.* V, 6, ext. 5: *Aristoteles supremae uitae reliquias senilibus ac rugosis membris in summo litterarum otio uix custodiens* et q. sqq. V, 3, 2: *duabus urbibus e rerum natura depulsis.*

In primis autem perpetua illa elegantiae ac nitoris affectatio cernitur in uerbis et sententiis contrarie relatis. Qua figura, quam antithesin uocare solemus, adeo delectatus est ut eam intra paucorum uerborum spatium ter quaterue repetere et sententias, quo facilius hanc formam induerent, quocumque modo deflectere et detorquere non fastidiret. Quo euenit ut totum hoc opus collectio et continua fere series existeret talium argutiarum, quales, ut exempla ponam, deprehendimus V, 6, 6 et 7: *Ita dinosci arduum est utrum Romana ciuitas Decios utilius habuerit duces an amiserit, quoniam uita eorum ne uinceretur obstitit, mors fecit ut uinceret. Non est extinctus pro re publica superior Scipio Africanus, sed admirabili uirtute ne res publica extingueretur prouidit;* uel V, 5, 1: *legatumque se* (P. Scipio) *L. Scipioni in Asiam iturum promisit, et maior natu minori et fortissimus inbelli et gloria excellens laudis inopi, et quod super omnia est, nondum Asiatico iam Africanus. Itaque clarissimorum cognominum alterum sumpsit, alterum dedit triumphique praetextum huius cepit, illius tradidit, ministerio maior aliquanto quam frater imperio;* uel V, 9, 4, ubi risum fere mouet exclamatio illa, *Solitudinem sanguine meliorem pacatioresque penatibus siluas et alimentis blandius ferrum ac mortis oblatae quam datae uitae felicius beneficium.* Sed genus indicasse contentus alia exempla, cum uno quoque capite sese sponte offerant multa, ascribere superuacuum duxi.

Non mirum est scriptorem nullam fere sententiam sine lumine et acumine aliquo efferentem non plane sibi cauisse ab omni neglegentia, cum in transitu maxime ab hoc improprio ad naturalem et simplicem sermonem et contra facile concurrerent quae minus inter se conuenirent. Quorum coniunctio ne ita quidem non moleste sentitur, si pluribus aliis interpositis sententiis longius paulo inter se distant. Dico talem neglegentiam qualis est in his (II, 9, 8), *M. Atilius Regulus et L. Furius Philus — eos — graui nota adfecerunt, qui — missi ad senatum de permutandis captiuis — in urbe manserunt — quia — M. Atilius Regulus censor perfidiam notabat, cuius pater* et q. sqq., quae mirifica sane notae causa est. In simili exemplo hanc quoque interiectarum sententiarum excusationem frustra quaesieris, VI, 4, ext. 1, ubi composuit *cum — urbs Cinginnia pertinaciter arma retineret, temptata redemptione propemodum uno ore legatis Bruti*

respondit ferrum sibi a maioribus, quo urbem tuerentur, non aurum, quo libertatem ab imperatore auaro emerent, relictum.

Ac ne inepta quidem et ridicula hic scriptor in praepostero illo argutae et nitidae orationis studio plane euitauit. Quis enim umquam tam audax fuit ut mitem et clementem parentium in liberos indulgentiam *comicam* diceret *lenitatem?* Valerius, cum facetus esse uellet, inficete hoc quoque sibi permisit, ut haberet quod opponeret *tragicae* aliorum *asperitati* V, 8, 1. Eodem capite §. 5, tamquam A. Fuluius, cum filium Catilinae partes secutum ex acie retraheret supplicioque afficeret, horum operum futuraeque Valerianae relationis rationem habuisset, composuit *Licuit, donec belli ciuilis rabies praeteriret, inclusum arcere; uerum illud cauti patris narraretur opus, hoc seueri refertur.* Perridicule in transitu ad nouum exemplum antea de Democrito locutus VIII, 7 ext. 4 pergit *Stupet mens admiratione tantae industriae, et iam transit alio.*

Quae omnia si comprehendimus, causa cur nec placuerit Valerius iudicibus integris atque incorruptis nec placere omnino potuerit, non est, ut alii arbitrabantur, inferioris aeui deprauata latinitas et sermo ab omni urbanitate longe remotus, qualem obiecisse uidetur Erasmus, quod diceret Valerium Afro potius quam Italo nec Ciceroni magis similem esse quam homini mulum, sed ipsius huius saeculi uitia cupide arrepta, nutrita, aucta, nimiaque urbanitas in homine pusilli ingenii, propter quam iam Scaliger eum non immerito ineptum sententiarum et uerborum affectatorem uocauit.

Neque tamen Valerius, quamquam elaborato et quaesito dicendi genere tantopere inhiauit nec occulte studium prae se fert uarietate oblectandi legentium animos, satietatem quandam uitauit, quae necessario non magis perpetuas eiusdem generis festiuitates quam frequentatas cum singulas uoces tum certas sententiarum figuras sequitur. Nimium eum esse in usu compositi uocabuli *consimilis*[1]) pro simplici, particularum *tantum non*, *modo non* pro *paene*[2]), in oppositionibus, quae fiunt per *prius* —

---

[1]) IIII, 6, 4. V, 1, 1. VI, 1, 11. VI, 3, 7. VI, 9, 14. VI, 9, ext. 7. VII, 2, 6. VII, 2, ext. 17. VII, 3, 6. VII, 3, ext. 2. VII, 6, ext. 3. VIII, 7, 4. VIII, 13, ext. 1. IX, 1, 6. IX, 2, ext. 8.

[2]) I, 8, 10. III, 8, 3. IIII, 1, 12, IIII, 6, ext. 3. V, 3, ext. 3. VI, 3, 3. VI, 9, ext. 7. VII, 4, 2. IX, 1, 1.

deinde (iterum)[1]), per *et — et*, cett. ab aliis iam adnotatum est. Sed multo maior simplicitas in repetitis iisdem sententiarum figuris deprehenditur praesertim in transitu et progressu orationis ad noua exempla. In quo genere, ut omittamus quae in promptu erant et facile obuia, ne remotioribus quidem et longius arcessitis abstinuit quo minus plus iusto frequentaret. Ita exempla interrogatione incipiunt, quae fit per *age quam* sequente adiectiuo aut aduerbio, *age quam grauiter senatus tulit?* II, 7, 15. VII, 2, ext. 2. VII, 2, ext. 10. IX, 3, 6. IX, 13, ext. 4. III, 5, 2. V, 1, 4. V, 6, 8. VI, 2, 12. IX, 8, 3, aut simplici uerbo VIII, 5, 4; per *age quantus (qualis)* III, 2, ext. 2. IX, 1, ext. 3. IIII, 1, 4; item interrogatione incipiente per *quid — quam? (Quid illud, quod L. Paulo euenit, quam memorabile?)* I, 5, 3. II, 6, 6. VII, 2, 4. IIII, 4, 8. VI, 1, 4. VI, 8, 6. VII, 2, ext. 6. VII, 7, 6. IX, 13, 3; et sequente *nonne* pro *quam* I, 8, 6. I, 8, ext. 11. III, 8, 2. VI, 9, 12. VII, 4, ext. 2. VIII, 5, 5. VIII, 11, ext. 6. IX, 3, 8. Tum comparatione instituta per *tam hercule (mehercule) — quam* I, 1, 21. V, 2, 5. VIII, 15, 2. IX, 2, ext. 3. Oppositis duabus notionibus per pronomina *hic — ille (iste)*, ubi plerumque *hic* ad praecedens, *ille* ad sequens exemplum referendum est, *(atque hoc quidem hominis et casu, illud tantum non ore ipsius Apollinis editum)* I, 8, 10. I, 8, ext. 3. II, 10, 3. III, 3, ext. 7. III, 7, init. III, 7, 5. V, 1, 1. V, 5, 3. VI, 1, 9. VII, 2, 5. VII, 3, ext. 7. IX, 7, 3. III, 8, 2. V, 4, 3. IX, 7 ext. 2. Per *est et ille, sunt et illa, (sunt et externa* etc.) annectit sequentia II, 10 init. III, 7, 10. IIII, 6, ext. 1. IX, 12, ext. 1. Per particulam *nam*, etiam ubi causalis nexus a sententia prorsus alienus est, I, 6, 10. II, 4, 7. II, 6, 16. II, 7, 13. III, 5, 4. III, 6, 5. VI, 9, ext. 4. VII, 3, 5. VIII, 7, ext. 41. VIII, 41 ext. 2. IX, 1, ext. 5. IX, 8, 2. IX, 9, 2. VIII, 10, 3.

Iam uero, siquidem omnino illam consuetudinem probaueris, qua singula uirtutum uitiorumque exempla, remota quadam rerum similitudine cohaerentia, externo etiam sermonis uinculo coniungere solet, confitendum erit facillime in tanta nectendorum multitudine fieri potuisse ut saepius in eandem sententiarum

---

[1]) I, 1, 8. I, 7, ext. 4. IIII, 8, ext. 1. VI, 1, 11. VI, 2, 8. VI, 5, ext. 3. VII, 3, 8. VIII, 6, 4. VIII, 10, ext. 1. VIII, 15, 4.

conformationem incideret. Quod ad ceteras eius aberrationes a simplici ciuilique sermone et ad audaciam in translationibus attinet, eo magis auctorem hoc peruersum genus amplexum esse dolendum est quo meliorem scribendi indolem prodiderit, si quando ipse sibi frena et modum imposuerit. Quod ubi factum est, nam laudemus aliquando post continuam uituperationem, tersa plane et pura optimisque latinitatis auctoribus digna utitur dictione. Cuius ut nonnulla documenta afferam, libri primi, uel potius totius operis praefatio et potissimum prior eius pars specimen esse potest orationis cum perpolitae tum aequaliter et leniter fluentis. Lepida et uenusta relatio est de origine ludorum saecularium II, 4, 5. Facta aptis et uiuidis coloribus adumbrata celeriter et perspicue se excipiunt, nec quicquam quod desideres reliquum est; item (II, 6, 8) in narratione de uoluntaria Ceae mulieris morte, cui ipse spectator interfuit et in aliis quibusdam, quorum laetiorem memoriam retinentes, aliquamdiu nunc ab ipso scriptore discedamus, ut contemplemur operis post auctoris mortem fata et historiam.

HISTORIA CRITICA VALERIANI OPERIS.

Valerii dictorum et factorum memorabilium libros nouem tota antiquitate notos fuisse saepeque esse lectos cum ueterum scriptorum aperta testimonia tum alia quaedam quae mox recensebimus non minoris momenti indicia demonstrant. Et primum quidem C. Plinius Secundus in enumeratione scriptorum, quos praecipuos duces habuerit, nominatim septimo historiae naturalis uolumine Maximum Valerium commemorauit, eumque in ipso opere ita in usum suum conuertit ut quibus locis eius potissimum auctoritatem secutus sit hodie quoque e rebus inde petitis facile et manifesto cognoscatur. Nam quae de similitudine formae congessit Valerius IX c. 14 excepto uno Hybreae Mylaseni exemplo omnia mutuatus est Plinius VII, 12, item VII, 48 et 50 omnia, nec sunt pauca, quae ille de memorabili senectute composuerat VIII, 13. Notabilis felicitatis quae tamquam specimina retulit Valer. VII, 1, ea occurrunt apud Plin. VII, 44 et 46. De mortibus non uulgaribus Plin. VII, 53 multa hausit e Valerio IX,

12, §§. 2, 3, 8. Quae eodem Plinii libro capite praecedenti narrantur de Acilio Auiola et L. Lamia, qui, cum falso mortui crederentur, uiui comburebantur, ducta sunt e Val. I, 8, 12; quae c. 36 e Valerii V, 4, 7[1]).

Non ita exploratum est num Plutarchus quoque ipse inspexerit Valerii opera, quae bis citauit, in uita Bruti c. 53 de ultimis fatis Porciae, Bruti uxoris, in quibus referendis Valerii (IIII, 6, 5) et Nicolai philosophi testimonia componit, et in uita Marcelli c. 30 de ossibus interfecti imperatoris ab Hannibale Romam missis ad filium sed in itinere impetu facto in comitantes a Numidis quibusdam inter pugnandum dispersis ac deperditis. Neque enim immerito omnino dubitatur de fructu, quem e Latinis scriptoribus ceperit Plutarchus, quippe qui sero demum ad has litteras percipiendas se conuerterit nec adeo multum in iis profecisse uideatur. Et sane altero loco non minus de Valerio quam de Liuio errauit, quos diuersae famae auctores laudat, cum neque a Valerio V, 1, ext. 6 quicquam commemoratum sit praeter humanitatem Hannibalis, qua Marcelli cadauer inuentum honorifice cremandum curauerit, neque a Liuio XXVII, 28 traditum sit quod opinabatur Plutarchus, ossa eius ad filium Romam esse translata. Quam ob rem equidem suspicor eum aut Graecum aliquem scriptorem, qui Valerii mentionem iniecerit testimoniumque eius de sepulto Marcello adhibuerit, non recte intellexisse, aut, quod similius etiam ueri uidetur, nuntium de hac Valeriana relatione fortasse parum accuratum ab amico studiorumque adiutore acceptum non diligentius excussa ueritate reddidisse.

Frontinum uero, cum libros strategematicon componeret, cognitum habuisse Valerium Maximum et excerpsisse apparebit comparatis his locis, quos ex uno utriusque scriptoris capite desumptos apposui, Frontin. IIII, 1, 31 et Val. II, 7, 4. Front. ib. §. 32 et Val. ib. §. 5, in quibus singula propemodum uerba sibi respondent. Front. ib. §. 26. Val. ib. §. 9. — Front. ib. §. 18. Val. ib. §. 15. — Front. ib. §. 44. Val. ib. §. 15. — Front. ib. §. 17. Val. ib. ext. §. 2. Reliquos cum huius tum aliorum capitum locos omisi, in quibus si probabilis, at certe minus manifesta est alterius scriptoris cum altero affinitas.

---

[1]) Cf. praeterea Val. I, 8, ext. 2 cum Plin. VII, 24. — Val. I, 8, ext. 6 cum Plin. VII, 50. — Val. I, 8, ext. 12 cum Plin. VII, 16. — Val. I, 8, ext. 14 cum Plin. VII, 21. — Val. I, 8, ext. 16 cum Plin. VII, 51.

Iam secundo post Christum natum saeculo hoc opere usus est A. Gellius, qui XII N. A. 7 ex eo narratiunculam illam de muliere quadam ueneficii rea et a Dolabella proconsule ad Arei pagi cognitionem reiecta desumpsit ipseque in fine addidit *Scripta haec historia est in libro Valerii Maximi factorum et dictorum memorabilium nono.* At nunc legitur in libro VIII (c. 1, amb. 2.). Itaque, cum probabile non sit Gellium aliam librorum distinctionem in suo Valerii exemplo inuenisse, aut ipsum scriptorem memoriae lapsu errasse aut librarium antiqui cuiusdam codicis in noctibus Atticis una addita lineola librum VIIII pro VIII substituisse liquet. Credo alterum, quia Gellius, cum haec describeret, manifesto ante oculos habuit et inspexit Valerii librum. Cui opinioni ne id quidem obstat, quod Ioannes Saresberiensis Policrat. IIII, 9. (p. 244 ed. Lugdun. 1639) eadem re exposita aeque scribit *hoc ita fuisse nonus liber memorabilium dictorum uel factorum Valerii Maximi docet,* cum ea omnia e Gellii l. c. translata esse non adhibito primario fonte e singulorum uerborum consensu luce clarius appareat.

Proxime insequentium quoque saeculorum scriptores, quamuis a nemine eorum, qui nobis supersunt, excepto Prisciano Valerii nomen citetur, opera eius et nouerunt et in usum suum conuerterunt; ac saepissime quidem L. Lactantius Firmianus, cuius institutionum diuinarum libri, cum haud raro ita a Valerianis pendeant ut illorum historiae seruatis tantum non ipsis uerbis uerborumque ordine repetantur, non sunt nullius momenti in restituendo hoc libro. Etenim historia de Numae Pompilii libris in arcis lapideis sub Ianiculo repertis, quam refert Lact. I, 22. ed. Dufresn. I, p. 103, neque e Liuio manauit neque e Plinio, sed e Valerio Maximo (I, 1, 12), quamquam discrepat ab eo in praenomine Petilii scribae, in cuius agro cistae illae inuentae esse dicuntur. Neque etiam ad primariam Ciceronis auctoritatem Lactantius II, 4. ed. Dufresn. I, p. 127 rediit in recensendis Dionysii tyranni sacrilegiis sed iterum ad Valerium I, 1, ext. 3. Omnia deinde obseruatae aut neglectae religionis exempla, quae ille affert II instt. diuu. 8. Dufresn. I, p. 140 sqq. ducta sunt e primo Valerii, in quorum uno de Iunonis Monetae uoluntario transitu in urbem Valerii errore et ipse deceptus est Lactantius, cum potius de Iunone Regina referre oportuisset. Mirum est uel in mendo consentire codices Valerii I, 8, 4 et Lactantii l. c.

Fortunae etiam muliebre simulacrum, ubi legendum *muliebris*. Nondum uero Lactantius II, 17. Dufresn. I, p. 181, cum Valerium I, 1, 16 secutus scriberet de Iunonis ira aduersus Varronem consulem destricta, quod ludis Circensibus formosum puerum in tensa Iouis ad exuuias tenendas posuisset, notabilem omnium nostrorum codicum corruptelam pro *tensa templo* exhibentium in suo exemplo inuenerat, necdum in eo interciderant libri primi tria capita II, III, IIII primique capitis extrema pars, quae temporum iniuria deperdita non nisi epitomis a Iulio Paride et Ianuario Nepotiano ex integro Valerii opere excerptis ad nostram notitiam peruenerunt. Inde enim hausit Lactantius quae narrat I, 22. Dufresn. I, p. 102 de Numae et Minois astutia, ut homines religionibus obstringerent, congressus sibi esse simulantium cum diis immortalibus, tum quae de Atto Nauio refert II, 8. Dufresn. I, p. 139 (Val. I, 4, 1.) et quae de Milesia Cerere tradit. Cf. Val. I, 1, ext. 5.

Denique Valerium Maximum, ut praediximus, nominatim commemorauit Priscianus VI comm. gramm. 1, 3 citauitque II memorabilium, (1, 10.), e quo affert *alienigena studia*.

Praeterii alios nonnullos antiquitatis scriptores, quos ipsa Valerii opera ante oculos habuisse uerisimile quidem est, certis tamen argumentis euinci nequit, neque utrum habuerint necne accuratius perquirere iuuat, quoniam e perpaucis rebus, in quibus notabiliter cum eo conspirant quarumque consensus aeque probabiliter e communi fonte deriuatur, non magnum critico negotio prodit emolumentum. Quod prodit quam maximum e compendiis huius operis antiquo iam tempore compositis. Quorum duo nuper in lucem protaxit A. Mai, alterum Iulii Paridis, fine quarti aut initio quinti saeculi confectum et circa annum 500, ut mox uidebimus, a Rusticio Helpidio Domnulo, descriptum, alterum aetate paulo inferius et certe non ante sextum saeculum ponendum, Ianuarii Nepotiani.

Inde ab illo tempore paullatim euanuisse horum librorum notitiam colligitur cum ex epistula ad Victorem quendam data a Ianuario Nepotiano et epitomae eius proposita, in qua haec leguntur, *cum integra fere in occulto sint, praeter nos duo profecto nemo epitomata cognoscat*, tum eo quod nulla omnino abhinc eorum uestigia reliquiaeue in aliis scriptoribus, nedum in codicibus illa aetate exaratis nobisque seruatis deprehenduntur usque ad finem

noni saeculi, quo tempore scriptus est antiquissimus qui hodie extat liber olim Petri Danielis, nunc in bibliotheca Bernensi asseruatus. Nam de alio codice iam non superstite, qui Bernensem haud ita multum, ut arbitror, praecedens et huius et omnium insequentium communis fons extiterit, infra docebimus.

Medio autem quod uocant aeuo praeter Ciceronis libros philosophiam continentes uix alius ex antiquis prosae orationis auctoribus frequentius et cupidius lectus esse uidetur quam hic scriptor, qui non minus operis argumento et materia, cum facta dictaque in tota historia maxime memoratu digna tamquam morum doctor breuiter componeret, quam enarrandi ratione nitidula atque arguta admixtis multis sententiarum luminibus magnopere se commendauit et in hominum animos insinuauit, non recentioribus modo temporibus, uerum diu iam ante renata per Italiam litterarum studia. Multiplicatis igitur et diuulgatis inde a saeculo decimo membranis primus, quantum equidem indagare potui, Valerii mentionem fecit Fulbertus cancellarius Roberti, Francorum regis, filii Hugonis Capet, postea episcopus Carnotensis, qui decessit a. 1027 uel, ut alii uolunt, 1031. Is monitus a rege Roberto ut inquireret 'si qua historia sanguinem pluisse referret', respondet ep. 95 [1]) se Liuium, Valerium, Orosium, alios huius rei relatores inuenisse, et in epistula praecedenti (p. 87 ed. Paris.) prodigia quaedam e Valerii primo memorabilium libro, capitulo, ut ait, quarto desumpsit, quae nunc leguntur I, 6, 5. Quae capitum discrepantia non est profecta ex errore Fulberti, cum in codice suo deperdita iam magna eius libri parte caput de prodigiis reuera quartum fuerit; sed in eo mire lapsus est, quod Valerio Rufi cognomen tribuit, non Maximi.

Abhinc magis indies percrebuisse horum librorum notitiam non tam codicum manuscriptorum frequentia ex illa aetate nobis relictorum, nam perpauci tantum eorum ad saec. XII recurrunt, quam crebra aequalium scriptorum testimonia declarant. Ioannes Saresberiensis, qui saeculo fere post Fulbertum eundem obtinuit episcopatum, interdum in epistulis (cf. ep. 172 in magn. biblioth. patrum ed. Lugd. p. 469.) Valerii mentionem fecit, sed multo saepius in libro, qui inscribitur Policraticus siue de nugis

[1]) D. Fulberti, Carnotensis episcopi antiquissimi, opera uaria ed. per Carolum de Villiers. Paris. 1608. p. 90 et in magna biblioth. patrum ed. Lugd. T. XVIII.

curialium, ubi auctoris nomine aut apposito aut praetermisso integra ex hoc opere exempla interdum ne uerbo quidem mutato exscripta animaduertas, quamquam nonnulla, quae ab eo se accepisse simulat, spreto primario teste e recentiore aliquo scriptore ascita sunt.

Item Ioannis Saresberiensis discipulus, Petrus Blesensis, archidiaconus Bathoniensis, qui floruit circiter a. 1160, in epistulis saepenumero affert Valerianos locos. At ne hic quidem, licet et ipsos Valerii libros inspexisse putandus sit, omnia, quae ex hoc scriptore hausisse uideri uult, inde petiit, sed nonnulla a magistro Ioanne tradita recepit[1]), quod e tota excerpendi et describendi ratione apud utrumque congruente patebit comparatis Petri Bles. ep. 75 ed. Par. 1667. p. 112 et Ioan. Sar. Policr. VIII, 14 p. 612 et Val. VII, 2, ext. 11. — Petri Bles. ep. 79 p. 120 et Ioan. Sar. Policr. VIII, 11, p. 578 et Val. VII, 2, ext. 1.

Longe uero copiosissimum exemplorum e Valerii libris receptorum delectum inuenimus apud Vincentium Bellouacensem, qui plus trecentos locos ab hoc scriptore modo plenius, modo breuius aut retentis aut immutatis uerbis in historiale et in doctrinale specula transtulit. Dicit autem VII spec. hist. c. 123[2]): *Praeterea temporibus Augusti fuit Valerius Maximus, sicut apparet ex ipso eiusdem uolumine, quoniam de dictis et factis memorabilibus antiquorum maximeque uirorum, qui apud gentiles et Romanos et Graecos habebantur famosi uel illustres, addens etiam ex propriis quaedam ad uirtutum commendationem et uitiorum detestationem pertinentia, luculento sermone conscripsit. In cuius VIII uel IX libro, ni fallor, ita dicit: Diuus, inquit, Augustus, qui nunc imperat*[3]*). Ex hoc ipsius grandi uolumine plurima quoque in hoc opere per*

---

[1]) Ea res confirmationem affert Orellii suspicioni (hist. crit. epp. Cic. p. IX ed. alterius, qua Petrum Blesensem testimonium illud de frequentibus Ciceronis epistulis non e propria earum notitia reddidisse sed a magistro Ioanne accepisse coniecit.

[2]) Ed. Mentelin. Argent. 1473. In Duacensi editione a. 1624 lib. VI, 123. Ita enim librorum distinctio in altera ab altera differt, ut lib. I ed. Duacensis in Mentel. secundus sit.

[3]) Deceptus est Vincentius male intellectis Valerii uerbis IX, 15, 2, *ne diui quidem Augusti etiam nunc terras regentis excellentissimum numen intemptatum ab hoc iniuriae genere*, quae ne Dirksenius quidem (l. c. p. 17.) recte explicat, tamquam Valerius *etiam nunc* dixerit pro *etiam tunc*, cum aperte auctor de diui Augusti numine cogitauerit, etiam post mortem orbem Romanum imperio suo moderantis ac regentis.

diuersa loca inserui iuxta congruentiam temporum illorum, quorum illa dicta uel facta fuerunt. Manifestum autem est Vincentium, cum easdem fere Valerii narrationes doctrinali speculo intexuerit, easdem historiali, in utroque uolumine, si quando ab illius uerbis recessit, pariter uariatas atque immutatas, excerpsisse quae ad rem suam pertinere uiderentur e Valerii aliquo exemplari, posteaque ex his excerptis desumpta operibus suis inseruisse.

Saxonem quoque Grammaticum penitus se demisisse in Valerii cognitionem neque solum totam loquendi consuetudinem ad illius locutionem conformasse eiusque *ἀχυρολογίαν* imitatum esse in historiis Danicis, uerum etiam integras sententias ab eo transtulisse recte iam a Stephanio et recentioribus eius interpretibus animaduersum est. Cf. ed. Müller. I, pp. 9, 25, 33, 299, 516, II, p. 627, cett.

Saeculis denique XIIII et XV quam late diuulgata fuerint haec opera per Germaniam, Gallias, Italiam argumento sunt cum frequentia scriptorum tunc temporis uiuentium testimonia[1]) ex iis petita, tum uersiones, quarum prima, quod sciam, Germanice emissa est ab Henrico de Muglein, ut ipse testatur in praefatione, bey keiser Karels zeiten des wirdigen nach Cristi gepurt tausend jar drei hundert jar und in dem neun und sechczigesten jar[2]). Aliae uersiones Gallicae, Hispanicae, Italicae satis antiquae nominantur in Hasii exemplo T. III, p. 445, ubi editiones quoque ueteres copiose ac plene recensentur.

Sed commodum, quod ex his Valeriani operis uestigiis percipitur, si criticam artem spectamus, exiguum tantum est aut nullum, cum ex hac aetate permagnus nobis relictus sit codicum manuscriptorum numerus, neque illi auctores antiquioribus aut praestantioribus fontibus quam nobis hodie patent usi sint. Verum ne priorum quidem saeculorum, quae hucusque recensuimus, critici negotii adminicula tanti sunt quanti duae epitomae, quae antiquis etiam temporibus ex integris Valerii exemplaribus excerptae per tot saecula occultae atque intactae

[1]) Cf. Petrarchae de off. et uirt. imperat. ed. Basil. 1581. p. 388. rerum memorandarum II, p. 420; III, p. 434, alibi. Saepius Valerium adhibuit nomine non indicato Ioannes de Monsterolio († 1418). Cf. ep. 22. ap. Martène et Durand scriptt. uett. ampl. coll. II, p. 1359.

[2]) Excusa est Augustae Vindelic. ab Antonio Sorg anno MCCCCLXXXIX. Codices eius extant in bibliotheca Augusta Vindob. Cf. etiam kritische beiträge der deutsch. gesellsch. z. Leipz. stück 3, p. 490.

latuerunt, donec nostra aetate ab Angelo Maio protraherentur in lucem. Quibus diuulgatis, cum nunc demum certa ratio ac uia emendandi huius scriptoris constet, dici uix potest quantam meruerit uir summus nostram futurorumque editorum gratiam.

DE IVLIO PARIDE, VALERII MAXIMI ABBREVIATORE.

Epitomarum ab Ang. Maio in scriptt. uett. nou. coll. T. III, P. 3 editarum altera e Vaticano codice[1]), calligraphia, ut ait, et uetustate spectabili (saec. X.), descripta, in nostro proposito, quia et integra est et ad Valerii formam propius accedit, praestantioris utilitatis, auctorem habet Iulium Paridem, ut apparet ex epistula praemissa, quam speciosis magnisque litteris exaratam Maius aeri incidendam curauit. Verba epistulae haec sunt, IVLIVS. PARIS. LICINIO CYRIACO SVO. SALVTEM. EXEMPLORVM CONQVISITIONEM. CVM SCIREM ESSE NON MINVS DISPVTANTIBVS QVAM DECLAMANTIBVS NECESSARIAM. DECEM VALERII MAXIMI LIBROS DICTORVM ET FACTORVM MEMORABILIVM. AD VNVM VOLVMEN EPITOMAE COEGI. QVOD TIBI MISI. VT ET FACILIVS INVENIRES SI QVANDO QVID QVAERERES. ET APTA SEMPER MATERIIS EXEMPLA SVBIVNGERES. FINIT EPISTVLA. Sequitur hanc epistulam capitum index, quem nos in principio Valeriani operis exhibuimus, et deinde ipsa epitome, inscripta IVLII PARIDIS EPITOMA DECEM LIBRORVM VALERII MAXIMI.

In ea componenda auctor breuitatis maxime studiosus recidit omnia, quae simplicem factorum dictorumque relationem excedentia moram imponerent lectori, praeteriit crebras laudationes et uituperationes, quibus nimium se iactat Valerius, contraxit

---

[1]) Nro. 4229, formae quadratae membranaceo, binis columnis exarato. Continentur hoc libro Censorinus de die natali cum fragmento Censorino perperam ascripto, Praecepta artis musicae collecta ex Sex.... Aug. de musica, Sermo, Plauti Aulularia, Iulii Paridis epitome Valerii Maximi, Pomponii Melae de chorographia libri tres. Vid. O. Iahn. prolegg. ad Censor. p. XVIII.

denique atque coartauit ipsas rerum narrationes longius productas retentis tamen, in quantum fieri potuit, uerbis primarii auctoris. Quae cum saepenumero rectius hic seruata sint quam in codicibus nostris, uitiosarum lectionum emendationes non uno loco aut nouas indicant aut temptatas iam a uiris doctis confirmant. Praeterea uiginti quattuor exempla libri primi, in omnibus bonis codicibus et in editionibus ueteribus omissa ac suppleta primum ab Aldo[1]), quae non antiquam Valerii compositionem sed abbreuiatoris cuiusdam manum redolere bene senserat Vorstius, quem ad modum huc usque legebantur, eidem debentur Iulio Paridi, cuius reliqua quoque nunc innotuerunt excerpta, confecta ante quam Valerius haud exiguae illius particulae faceret iacturam. Simul uero integrum Paridis opus nunc editum coniecturam, quam a Vossio prolatam sed ne ab ipso quidem creditam alii sunt amplexi, integris Valerii libris iam diu deperditis qui ad hunc usque diem sub eius nomine circumferantur nihil esse aliud quam epitomam a Iulio Paride excerptam, insigniter refutauit, si tamen opus erat ea refutatione. Nam epitomae omnino, ne haeream in nomine auctoris, quid magis sit dissimile quam hi Valerii libri, quibus multa ubique demi possunt, nihil facile poterit addi, equidem me nescire confiteor.

Attamen praestantissimum hoc emendandi scriptoris adiumentum, cuius auctoritatem in hoc negotio iniuria parui aestimat Dirksenius[2]), falsus etiam de mendosa, quam putabat, codicis Vaticani natura, ut eximiam nobis opem tulit, ita caute adhibendum erat, cum aliquotiens epitomator non solum in uerbis uerum etiam in rebus enarrandis notabiliter cum Valerio dissideret, aut mera neglegentia in describendo et excerpendo lapsus aut alio etiam ac Valerius fonte usus. In quibus maxime intererat discrepantiae nosse causam et originem. Nam si IIII, 6, 6 ed. Mai. contra Valerium (IIII, 6, ext. 1) retulit Artemisiam cum uiro Mausolo uiuam et spirantem componi se iussisse, liquet eum deceptum esse festiuitatibus male intellectis, quibus ille eam

[1]) Miserat haec exempla Aldo Cuspinianus quidam, qui, cum Viennae studia humanitatis profiteretur, inuenerat 'Valerium antiquissimum, in cuius principio quaedam haberentur numquam ante ab eo uisa.' Cf. epistulam Aldinae editioni praemissam, quae inscribitur ALDVS RO. CVSPINIANO GERMANO S., recusam a Torrenio inter praefationes et dedicationes.

[2]) Cf. actt. acad. litt. Berol. a. 1845. Die historische beispielsammlung des V. M. p. 4 et 5.

haustis mariti ossibus potioni aspersis tradit uiuum ac spirans Mausoli sepulcrum fieri uoluisse. Eiusdem neglegentiae est, quod (IIII, 7, 2 apud utrumque) inductus Valerii uerbis *in eadem domo* etc. praecedente Ti. Graccho ad eundem hunc Gracchum retulit quae Valerius recte de Gaio Graccho nuntiauit, et quod VI, 3, 1 Gracchorum filiis ius humationis ablatum esse scripsit. Cf. praeterea uu. *alterum ipso die triumphi* V, 7, 2 cum Val. V, 10, 2. — uu. *cum regnum Euboeae sibi proposuisset* I, 8, 10 cum Val. I, 8, 10. — III, 7, 1 cum Val. III, 8, 1, alia.

Plerumque uero, ubi a Valerio abbreuiator discessit, hunc aliis quoque scriptoribus usum nonnulla assumpsisse et mutasse, interdum primarium Valerii fontem iterum adiisse et noua quaedam inde petita addidisse manifestum est. Ita enim tantummodo explicatur discrepantia, quae intercedit inter Paridem I, 2, 2 et Val. Max. I, 1, 17, cum quae hic uniuersae Potitiorum genti accidisse scripserit ille mire Ambiuio histrioni Potitiorum familiari tribuat. P. Clodii facinus, quod Val. VIII, 5, 5 breuiter tamquam sacrilegum flagitium denotauit, Paris eodem libro et capite uberius exposuit, eum bonae deae templum ingressum esse narrans, ut stupro pollueret. Temere III, 2, 17, nescio quo ex fonte desumpta, ad Valerii narrationem III, 2, 18 addidit *ictuque saxi uulneratus est*, quae merito Valerius omisit, cum non ea, de qua sermo est, tempestate M. Aemilius lapide percussus sit sed in turbis a C. Norbano die Q. Seruilio dicta excitatis. Cf. Cic. II de or. 47, 197. At III, 3, 8 uu. *qui gymnosophistae uocantur*, quae non habentur ap. Val. III, 3, ext. 6, fortasse ab interpolatore quodam Vaticani codicis adiecta sunt. De Anaxarcho philosopho uulgarem Paris sequitur famam, qua, cum a Nicocreonte tyranno in pilam coniectus tunderetur, euocasse fertur 'Tunde, tunde, follem feris Anaxarchi.' Longe aliter Val. III, 3, ext. 4. Deinde III, 2, 23, relata secundum Valerii uerba Caesii Scaeuae forti pugna, in fine addit *ipse interuentu commilitonum seruatus*, quae ducta sunt aut e Plutarchi uita Caesaris c. 16 (*αὐτὸς δὲ διεσώθη τῶν οἰκείων περισχόντων*) aut ex alio scriptore eadem prodente. II, 2, 5 uu. *suis tamen mensibus*, quae non apparent apud Val. II, 7, 5, asciuit e Liuii XL, 41; item uu. *tolle inquit cadauer* V, 7, 10 e Liu. II, 8 (Cf. Val. V, 10, 1.). Manifestum Valerii errorem confusis (VIII, 9, 1.) Valerio Publicola et Menenio Agrippa doctus abbreuiator

bene correxit alterius nomine pro altero substituto, idemque fere accidisse uidetur I, 1, 2, ubi pro Valerii XV uiris (I, 1, 1.) Paridem, nisi librarii mendum est, e Cicerone (in Verr. IIII, 49, 108) decemuiros reuocasse arbitror. Plura inuenies in commentario nostro exposita.

Post explicitos autem nouem Valerii libros abbreuiator decimum praeterea, quem falso eiusdem auctoris putabat, in compendium redactum annexuerat, cuius capita, ut ex indiculo operi praemisso perspicitur, haec erant: I, de praenominibus. II, de nominibus. III, de cognominibus. IIII, de agnominibus. V, de appellationibus. VI, de uerbis. Verum ex his omnibus primum dumtaxat de praenominibus nobis relictum est. Cuius postrema uerba *Gaias esse se dicerent*, quae nunc quidem finem imponunt uniuersae Paridensi epitomae, mira prorsus excipit subscriptio, C. TITI PROBI FINIT EPITOMA HISTORIARVM DIVERSARVM EXEMPLORVMQ' ROMANORVM, quasi iam non Iulius Paris sed Gaius ille Titius[1]) Probus auctor totius sit epitomae. Et sane idem abbreuiatoris titulus, qui in antiquissimum nostrum Bernensem Valerii librum quem ad modum infra eum descripsi transiit, cuinam tribuendum esset hoc compendium, de quo agimus, dubitationem iam mouit uiro docto, qui saeculo decimo uel sub noni finem illum codicem Bernensem, non ita multo ante exaratum, adhibito epitomae quodam exemplo, recensuit et emendauit, adeo ut propter istam ambiguitatem ipse incertus marginalibus aliquot additamentis ex ea epitoma desumptis praefigeret litteras BR. (breuiator) aut I. P. (Iulius Paris) aut denique semel IX, 11, 2 C. T. i. e. Gaius Titius. Nam ad inscriptionem capitis quarti libri VIII plene additum est *C. titus. t. de seruilibus.* (sic). Simul adnotatu dignum est in prioribus septem tantum libris, utpote in quibus codicis Bern. emendator nondum animaduertisse uideatur illam subscriptionem, occurrere notas I. P.[2]); inde ab libro VIII c. 4, ubi extat illud *C. titus*, semper additamentis praeponi BR. excepto uno loco praedicto IX, 11, 2. Sed dubitauit iniuria. Certissimum enim testimonium in epistula ad Cyriacum supra exhibita, quo ipse Paris auctorem se confitetur epitomae eius et quocum plane consentit

[1]) Non duplici praenomine Gaius Titus, quem ad modum eum post Ang. Maium etiam nunc interdum inscite appellari uideo.

[2]) Aliquotiens in his libris simplex praeponitur *u.* aut *l'.*

inscriptio totius operis, nullo omnino iure remoueri potest, cum interim C. Titii Probi, ut mox uidebimus, aut nullum aut perquam anceps et exiguum in hoc compendio sit meritum.

Praeteritis autem passim ante Ang. Mai operam prolatis superiorum editorum opinionibus, quippe qui uix Iulium Paridem nouerint, nedum epitomae rationem aut C. Titii Probi subscriptionem, conuertar statim ad Theodorum Bergkium, qui nuper (Rhein. mus. neue folge. iahrg. 4. p. 120.) copiose quidem et docte de subscriptione illa eo usque neglecta disseruit, ingeniosaque diuinatione summas difficultates enodare conatus est, neque tamen mihi stabilitam iam tum meam sententiam potuit euertere. Res, per se sane obscura atque impedita, magis etiam perturbatur duabus praefatiunculis, quarum altera, quam Maius, cum abesset ab eo codice Vaticano, qui unus integrum hunc abbreuiatorem nobis seruauit, e Pighiano exemplo desumptam decimi libri epitomae praeposuit, haec est: *Decimus atque ultimus huius operis liber seu studiosorum inertia seu scriptorum segnitia seu alio quouis casu aetati nostrae perditus est. Verum Iulius Paris, abbreuiator Valerii, post nouem libros explicitos hunc decimum sub infra scripto compendio complexus est, per quod de nominibus, praenominibus, cognominibus atque agnominibus fuisse eundem a Valerio compositum coniectari licet. Verba quidem Iulii Paridis haec sunt, 'Liber decimus de praenominibus et similibus.'*

Altera recentior et ex priore, ut recte animaduertit Bergkius, descripta eamque ob causam nullius fere auctoritatis haec:

Decimus huius operis liber, qui et ultimus est, uel ex neglegentia aut maleuolentia librariorum deperiit. Abbreuiator titulos eius habebat integre fortassis. Tamen de uno tantum, hoc est de praenomine, epitoma repraesentabat[1]*).*

---

[1]) Ipse cum centum amplius Valerii codices modo accuratius modo celerius examinauerim, ne in uno quidem, qui saeculum XIIII uetustate excederet, neque in ullo alicuius auctoritatis et pretii has praefatiunculas inueni, quae passim occurrunt in saeculi XIIII, frequentius in saeculi XV libris. Ita, ut exempla afferam, priorem praefationem legi in codd. Vat. n. 1925 et 1928 membr. fol. saec. XV, in ms. biblioth. Arundel. in mus. Brit. Lond. n. 7 fol. saec. XV, in cod. chart. eiusd. biblioth. n. 256, quaternaria forma, saec. XV; alteram uidi in cod. Vat. n. 1917 membr. fol., qui exaratus est Veronae a 1328, in

Iam Bergkius praefationem priore loco collocatam negat compositam esse a recentiore homine, motus potissimum, ut uidetur, commemoratione deperditorum nunc capitum de nominibus, de praenominibus, de cognominibus, cett. Dicit namque auctorem eius manifesto et ipsius Valerii opus, sed nouem tantum libros continens, ob oculos habuisse et abbreuiatorem eius, atque hunc quidem integrum nondum amissis capitibus illis, quorum tituli in praefatione legantur, cum in ipsa epitoma nunc primum dumtaxat de praenominibus extet; illud uero *sub infra scripto compendio* referendum esse ad ea, quae in fine sequantur, *uerba quidem Iulii Paridis haec sunt; Liber decimus de praenominibus et similibus.*

Viro doctissimo concedamus oportet qui composuerit hanc praefationem Valerii nouem libros, qui nunc in codicibus circumferantur, cognitos habuisse, uidisse eundem eam epitomam, quam sub Paridis nomine nunc edidit Ang. Maius. Hanc uero epitomam etiamtum fuisse integram et cetera quoque de reliquis nominum generibus capita ipsa praeter illud de praenominibus amplexam esse non solum idoneis causis non poterit euinci, sed ne ueri simile quidem est. Decimum enim hunc librum Paridensis compendii non unum tantummodo caput de praenominibus sed et alia similia continuisse praefationis auctor procul dubio cognouerat aut e capitum indiculo epitomae praemisso (p. 2. ap. Mai.), e quo nos, etiamsi praefatio ista non ad notitiam nostram peruenisset, idem deberemus colligere, aut ex initio decimi huius uoluminis, quod in nonnullis Valerii interpolatis codicibus in hunc fere modum effertur, *Incipit liber decimus*

1) *de praenominibus* (uel singulariter *de praenomine).*
2) *de nominibus.*
3) *de cognominibus.*
4) *de agnominibus.*
5) *de appellationibus.*
6) *de uerbis* [1]).

Varro simplicia in Italia etc. Ad tale initium haud dubie spectat praefationis finis, *uerba quidem Iulii Paridis haec sunt,*

---

cod. Vat. n. 1923 fol. min. saec. XV, in cod. Paris. n. 5851 saec. XV, in cod. Harleiano n. 2759 saec. XV, al.

[1]) Ita in Campensi codice, quo usus est Pigh. Atque eius quidem librarius duo postrema capita ex ingenio suppleuit inscripta *de appellationibus po-*

'*Liber decimus de praenominibus et similibus.*' Neque etiam cum Bergkio ad haec tantum uerba *de praenominibus et similibus* refero quod 'infra scriptum compendium' dicitur sed ad totum quod supererat decimi libri compendium cum hac inscriptione, amissae simul particulae indice. Prae ceteris autem probe tenendum est praefationis auctorem coniectura tantum colligere Valerium item decimo libro de nominibus, praenominibus, cognominibus, cett. egisse, qui si omnia ea epitomae capita integra ante oculos habuisset, sane minus timide locutus esset, cum Valerium decem libros composuisse eosque continuos excerpsisse Paridem persuasum iam haberet.

Opinatur igitur Bergkius priorem praefationem profectam esse ab epitomatore quodam Valerii, qui in ceteris a nemine praeterea pendens, cum in suo Valerii exemplo nouem tantum libros inuenisset, in Paridis opere unum insuper accedere uidisset, ut hunc decimum librum suppleret, Paridis epitomen adhibuerit. Illum nouum abbreuiatorem sine dubio eundem C. Titium Probum esse, de quo in subscriptione agatur, quemque altera praefatio apud Pighium diserte auctorem prae se ferat. Nam Pighius praecedente Seb. Gryphio ita ediderat, *C. Titi Probi in epitomen suam praefatio.*

Miror uiro prudentissimo et sagacissimo non fuisse suspectum Probi nomen alteri praefationi praefixum, cum praesertim in priore, quam illius fontem esse optime intellexit, nusquam eius hominis mentio facta sit, cumque iam Pighii adnotatio, hanc inscriptionem in multis codicibus desiderari, eum cautum reddere debuisset. Et abest sane ab omnibus libris, quos supra alterutram praefatiunculam exhibere dixi, excepto uno Parisino n. 5851, qui non solum praefationem C. Probo tribuit [1]) uerum etiam ipsum illud fragmentum de praenominibus. Etenim post uocem *repraesentabat* haec sequuntur, *decimi libri cari titi probi de praenomine epithoma incipit,* et in fine totius operis, *decimi libri cari titi probi epithoma desinit.*

Quae cum ita se habeant, dubitari omnino nequit quin ea praefatio, quam primariam diximus, profecta sit a docto quodam

---

testatum, de uerbis Romanae historiae, quas tamen ineptias ipse Pighius luce non dignas existimauit.

[1]) *In epithoma decimi libri caii titi probi praefatio incipit.*

librario, qui nouem Valerii libris descriptis[1]), cum praeterea decimum fuisse sex olim capita amplexum e Paridensi epitoma et eius inscriptione capitumue indice colligeret, hunc decimum, quem integrum interiisse putabat, in quantum potuerit fieri, e Iulii Paridis compendio suppleuerit. Quem doctum librarium pro certo affirmarem eundem fuisse atque illum, qui fine noni saeculi aut decimi initio librum Bernensem adhibita Paridis epitoma recensuerit, multa inde petita margini adiecerit, deperditorum quoque Valerio XXIIII exemplorum compendia inseruerit[2]), dummodo quem locum in eo codice obtinuerit haec praefatio possem significare. Nam ante decimum librum, emendatoris illius manu in fine codicis annexum, sedem suam numquam habuerat. Iam diuulgata ea paulatim per recentiores codices modo plena modo in breuius contracta, quem ad modum est quam secundo loco posuimus, alius superuenit librarius, qui subscriptione epitomae C. Titium Probum auctorem uindicari ratus, coniectura facillime quidem obuia[3]) sed infelici, ut ipsum decimi libri compendium, ita praefationem quoque ei praepositam C. Titio ascriberet. Concedamus igitur Bergkio, nihil enim interest in hac re, priorem illam praefationem ad antiquiora tempora pertinere, credamus, quod mihi tamen non persuadetur, qui eam composuerit ipsum aliquando integra sex libri decimi capita, non unum dumtaxat hodie reliquum de praenominibus nouisse, at mittamus opinionem ne minimo quidem argumento fultam, qua Titius alterius auctor esse putatur.

Subscriptio codicis Vaticani, quae una auctoritas sola est, in qua nititur Titii Probi nomen, quid sibi uelit aut unde orta sit non aeque constat. Qua etiamsi docemur a Probo confectum esse libellum quendam, inscriptum *Epitoma historiarum diuersarum exemplorumque Romanorum*, tamen ne id quidem diiudicari potest, utrum illud Valerii fuerit compendium an alius scriptoris an complurium etiam auctorum. Nam ad solos Valerii libros abbre-

---

[1]) Cf. epistulae uu. *decimus atque ultimus huius operis* (i. e. Valeriani) *liber — aetati nostrae perditus est* et q. sqq.. Ita uix loqui poterat epitomator nouem Valerii libris in compendium redactis decimum ex alio compendio desumptum annexurus.

[2]) Praemissis his uerbis, *In adbreviatore, qui et uetustus est, quaedam reperta sunt quae, quoniam nostro deerant, necessario suppleui.*

[3]) Reuoco in mentem eadem subscriptione deceptum emendatorem quoque libri Bernensis praecedentes etiam Paridis libros C. Tito tribuisse. Cf. p. 53.

uiatos ut pertinere quodam modo potest haec inscriptio, ita profecto in designandis huius uiri curis non est aptissima, seiunctis aperte exemplis Romanis ab historiis diuersis, quibus quid in hoc opere respondeat non assequor. Et si Bergkius opinabatur a Titio Probo quoque, quem ad modum a Iulio Paride, Ianuario Nepotiano, aliis, Valerii libros in epitomae formam esse redactos, summam tamen difficultatem, qui fieri potuerit ut ex hac eius epitoma repetita subscriptio in calce alieni prorsus operis adhaereret, quod inscriptum erat *Iulii Paridis epitoma decem librorum Valerii Maximi*, non expedisse se ipse uir doctus confitetur.

At nexus quidam necesse est inter utrumque fuerit. Putauerit igitur aliquis cum praedicto librario, quod maxime in promptu est, partem huius compendii, et quidem decimum de praenomine uolumen non a Paride sed a Probo esse compositum. Verum quid tum putemus de Paridis decimo libro, quem ab eo cum reliquis nouem comprehensum esse et epistula et capitum index documento sunt? Quis contra certissima haec testimonia totam illam particulam, quae coniuncta cum praecedentibus nobis tradita est, eidem auctori abrogauerit? Similia multa centum quoque aliis, quae excogitari possunt, opinionibus obstant. Itaque ut coniecturam proponam, cui saltem nihil aduersatur, fortasse C. Titius Probus antiquo tempore studiose etiamtum cogitantibus uiris doctis de conseruandis ueterum auctorum operibus complures similes inter se rerum memorabilium scriptores, a se ipso aut ab aliis in compendia redactos, in unam *συναγωγήν* collegerat, eique titulum praefixerat *C. Titii Probi epitoma historiarum diuersarum exemplorumque Romanorum*. Quorum scriptorum ultimum statuamus fuisse Valerium Maximum abbreuiatum per Iulium Paridem, ut significabat epistula huic epitomae praemissa, priorem autem totius uoluminis partem alios nescio quos auctores continentem nostrae aetati deperditam esse siue casu, siue quia Rusticius Helpidius Domnulus, quem eadem subscriptio hunc librum descripsisse et emendasse testatur, solum Paridem posteritati seruare uoluerit, retenta tamen uniuersi operis subscriptione, atque omnia iam plana erunt, quae difficilia uidebantur explicatu, remota in primis mira illa de duobus auctoribus discrepantia, cum epistula recte Paridi, subscriptio recte Probo tribuat epitomen, ita ut neutrum testimonium mentiatur? Quae suspiciones quam sint ambiguae ipse bene sentio; sed donec probabiliora prolata erunt,

quae tamen inuentum iri fere desperauerim, sine ullo negotii nostri detrimento in his acquiescere poterimus.

Iam quis fuerit Gaius ille Titius Probus nec scimus et in tam ancipiti re tantaque eius nominis frequentia ne suspicari quidem possumus, probamusque Bergkium coniecturis omnino abstinendum iudicantem. Id certissime constat, falsum esse Grotefendium, cum Maii editionem ignorans duos homines statueret (zeitschr. f. alterthw. 1843, n. 22. p. 176), Gaium Titium et Titum Probum, temere, ut opinatur, confusos, decimumque librum a Tito quodam Probo conscriptum, sed a librariis ad Gaium Titium, Lucilianae aetatis oratorem [1]), relatum et ita subscriptionem ortam esse putaret. De tempore tamen Titii Probi fortasse licebit coniecturam facere. Sed antea de altera subscriptionis parte disseramus oportet.

Sequitur in Vaticano Paridis codice librarii et emendatoris titulus, ab eadem manu itemque litteris initialibus at paulo minutioribus exaratus, qui, ut fieri solet, e codice longe antiquiore transscriptus est, FELICITER EMENDAVI | DESCRIPTVM RABENNAE | RVSTICIVS HELPIDIVS DOMNVLVS $\overline{VC}$ [2]).

Bene quidem Bergkius animaduertit hunc uirum clarissimum ad satis antiquum pertinere tempus, de ipso homine falsus est, cum eundem hunc esse Domnulum existimaret atque illum, quem poetam suae aetatis haud ignobilem celebrasset Apollinaris Sidonius IX epp. 15 his uersibus,

Seuerianus ista rhetor altius,
Afer uaferque Domnulus politius
Scholasticusque sub rotundioribus
Petrus Camoenis dictitasset acrius;

ad eundem Domnulum referendum esse idem nomen epp. IX, 13, ubi coniunctum occurreret cum Seueriano et Lampridio, colligendumque inde, comparata epp. IIII, 25, eum rhetorem Galliae fuisse et uixisse Maioriani imperatoris (457—461) temporibus. Cui opinioni parum firmo congruentis unius cognomenti, quod facile pluribus commune esse potuit, fundamento fultae nolo accuratius repugnare, cum quae opponam habeam probabiliora. Nullus enim dubito quin subscriptionis auctor ille Rusticius Hel-

[1]) Cf. Macrob. Satt. II, 12. III, 2. I, 16.

[2]) Paruulae notae, quae hos tres uersus praecedunt (cf. ueteris scripturae specimen ap. Maium), ornatus causa additae esse uidentur.

pidius sit, cuius extant tristicha quaedam et maius carmen de Christi Iesu beneficiis, edita primum a Georgio Fabricio in libro, qui inscribitur *Poetarum ueterum ecclesiasticorum opera christiana et operum reliquiae atque fragmenta etc. Basil.* p. 754, et deinde repetita in bibliotheca magn. patr. Paris. 1644. T. VIII et in bibl. maxima. patr. Lugd. 1677. T. IX. Tristicha illa apud Georg. Fabricium titulum prae se ferunt *Rustici Helpidii, V. C. exinlustris, exquaestoris, historia testamenti ueteris et noui.* Congruit igitur utroque loco Rusticii nomen, congruit nomen Helpidii, congruunt dignitatis notae V. C. Sed grauius argumentum e docta coniectura Fabricii et Sirmondi (in notis ad Ennodii episcopi Ticinensis epistulas VIII, 8 p. 39) repetitur. Nam quod illi iam ueri perquam similiter suspicati sunt, horum carminum auctorem eundem esse Helpidium diaconum, ad quem data sit Theoderici Magni regis epistula apud Cassiodorum IIII Varr. 24 et ad quem aliquot inter Ennodii epistulas pertineant, item inscriptae Helpidio diacono [1]), quem denique medicum Theoderici regis fuisse constat e Procop. I de bello Gothico [2]) 1. p. 311. A., ei nunc quidem accedente subscriptione codicis Vaticani omnis dubitatio eximitur, cum egregie prorsus cum hoc eius munere in Theoderici aula conueniat locus, quo illam epitomen emendasse et descripsisse se testatur. Etenim Rauennam Theoderici regis sedem fuisse notum est.

Itaque Paridis epitome descripta est a Rusticio Helpidio circa a. 500. Rusticium autem cum necessario Titius Probus, hunc Iulius Paris praecesserit, altera ex parte definitum tempus ut artioribus finibus circumscribatur, confugiamus oportet ad ipsum opus. Nam quis fuerit quoue tempore uixerit Paris aut Licinius Cyriacus, in cuius usum ille Valerianos libros excerpsit, non minus in dubio uersatur quam quae de Titio Probo existimanda sint. Neque uero etiam a perscrutatione linguae et sermonis

---

[1]) VII, 7. VIII, 8. IX, 14. IX, 21. Cf. quae de Rustico Helpidio, nam sic hucusque perperam appellabatur, disseruit Bährius (die christl. dichter u. gesch. schreib. Rom's p. 69. Apparet genitiui Rustici terminationem in tristichorum inscriptione eodem modo uiros doctos induxisse ut Rusticum ponerent pro Rusticio, quem ad modum Titium multi propter simplex genitiui I in subscriptione Titum uocarunt. Sed ne quis dubitet de codicum scriptura, Rusticius quidam Selymbrianus occurrit in inscr. ap. Grut. p. 1003 n. 4.

[2]) *Μετὰ δὲ ἅπαντα ἐς Ἑλπίδιον τὸν ἰατρὸν τὰ ξυμπεσόντα ἐξενεγκὼν τὴν ἐς Σύμμαχόν τε καὶ Βοήτιον ἁμαρτάδα ἐλάσειν.* Cf. Ennod. ep. IX, 21. XI, 19.

huius epitomae multum sperare possumus, quoniam, licet recentioris aeui certa indicia habeat nulla, ut in excerptis e prioribus nouem libris pauca tantum abbreuiatoris propria deprehenduntur, prementis nimirum ubique Valerii uestigia, ita exigua quae supersunt decimi libri fragmenta, ne explorato quidem quantum ex illis epitomatori, quantum primario auctori debeatur, de tempore, quo compositum sit id compendium, coniecturam facere non permittunt. Sed aliud et grauissimum quidem argumentum eodem hoc decimo librō continetur, quapropter aliquantulum in eo contemplando commoremur necesse est.

Nescio quomodo fugere potuerit uiros doctos, qui operam impenderunt huic libello, superstes illud caput de praenominibus fragmentum esse maioris cuiusdam grammatici operis duas, praecipuas orationis partes, nomen et uerbum, ita amplexi ut quae ex his ad antiquititatem, etymologiam, scribendi rationem aliasque grammaticae artis disciplinas spectarent, plene et copiose explicarentur [1]). Disseruerat enim auctor quinque capitibus de nomine, et primum quidem quattuor capitibus de nominibus propriis, 1. de praenominibus, 2. de nominibus (gentiliciis), 3. de cognominibus, 4. de agnominibus; deinde quinto de nomine appellatiuo [2]), postremo capite sexto de uerbis. Quae quantopere sint aliena a mente et consilio Valerii eiusque libris factorum et dictorum memorabilium adeo planum est ut uix refutatione egeat eorum sententia, qui ipsum priorum uoluminum auctorem hoc decimum ideo adiecisse existimarunt ut frequentia, quae in illis deprehenderentur Romanorum uirorum et mulierum nomina, accuratius paulo explicarentur, tamquam grammatica de nominibus inquisitio faceret aliquid ad intellectum rerum antea expositarum aut interesse posset historiarum enarratoris uel rhetoris de ety-

---

[1]) Similiter artes de nomine et uerbo, sed solam linguam spectantes, composuerant Phocas grammaticus (Lindem. corp. gramm. I, p. 315. Putsch. p. 1683 sqq.), Consentius ap. Putsch. p. 2018, alii. Eodem proposito de cognominibus scripsisse puto Epicadum Cornelii Syllae libertum. Cf. Osann. beiträge zur griech. u. röm. litter. geseh. II p. 359. Lersch. zeitschr. f. alterthw. 1840 p. 109.

[2]) Id significari inscriptione *de appellationibus* patebit comparatis Charisii uerbis V de idiomatibus p. 225 Putsch., *participia etiam fiunt nomina appellatiua, ut amans, seruans,* cett. et p. 257, *quae autem pro appellationibus usurpantur — — ut amans* et q. sqq. cum Diomed. I, p. 291 P. Scaur. ap. Diomed. I, p. 306. P. Quint. IX inst. or. 3, 9, ubi dicit Persium in hoc uersu, *et nostrum istud uiuere triste Aspexi,* infinito uerbo pro appellatione usum esse et ibid. I, 4, 20 et q. sqq.

mologia, de scribendi ratione deque primariis causis nominum, quae forte se obtulerant, separato titulo disputare, ne dicam de eo quod, si illud animo proposuisset, certe non tam multus fuisset in exponendis nominibus, quorum ne mentionem quidem fecerat in priore operis parte. Nec magis toto argumento decimum hoc uolumen a Valerianis reliquis quam dicendi genere abhorret et stilo, quem tamen, quia non primaria eius libri forma sed compendium tantummodo ad nostra peruenit tempora, ex hac quaestione remouendum esse diximus, praesertim cum illam discrepantiam ipsis rebus plane diuersis effectam esse aliquo saltem iure obiceretur.

Quid, quod omnino hoc opus Valerii aetate compositum esse nequit? Constat namque certissime, quod praeter alios obiter iam Perizonius monuerat (anim. hist. c. 2. p. 71 ed. Harl.), omnia, quae de discrimine inter cognomen et agnomen iactari soleant, futilia esse recentiorum demum grammaticorum commenta, ueteribus agnomina plane fuisse ignota. Dubitationes autem nuperrime hac de re prolatae nullius fere ponderis sunt. Afferunt quidem Ciceronis uerba II de inuent. 9, 28 a Lambino sic edita, *nam et de nomine nonnumquam aliquid suspicionis nascitur. Nomen autem cum dicimus cognomen quoque et agnomen intellegatur oportet.* At uu. *et agnomen* desunt in optimis quibusque codicibus mss. et in omnibus quibus usus est antiquissimis Orellius, meritoque iam dudum tamquam additamentum recentioris hominis expuncta sunt in uulgatis exemplis. Non commemorarem Ouidii uersum (ex Ponto. III, 2, 107.), quo olim praeter omnem rationem sic constituto, *Adiectique probent genitiua agnomina Cottae,* meam opinionem impugnauit I. G. Vossius de art. gramm. III, siue de anal. I, 7 in coll. opp. T. II, p. 121, ni Grotefendius (zeitschr. f. alterthw. 1843 p. 179), quamuis ueram scripturam acciperet, *genitiua ad nomina,* his uerbis aperte agnomen describi censuisset. Sed quidni illud potius, quod item adiectum ad nomen gentilicium cognomen ueteres summo consensu dicebant? An ipsum agnominis uocabulum necessario ex illa appellationis denotatione expromitur? Atqui legitur nunc in uulgatis editionibus instit. Iust. II, 20, 29, *si quis in nomine, cognomine, praenomine, agnomine legatarii errauerit,* et in cod. Iust. VI, 23, 4, *si in nomine uel praenomine seu cognomine seu agnomine testator errauerit.* Quid autem, quod priore loco u. *agnomine,* quamuis

seruauerit eam Haloander, in plerisque codicibus mss. a Schradero collatis non habetur, in aliis ualde incerta sede fluctuatur, a Theophilo graeco interprete reddita non est? Quid, quod altero uu. *seu agnomine* nec Haloander nec praeter alia praestantissimum Veronense exemplar (cf. ed. Kriegel) agnouit? Itaque sine dubio utroque loco superuacuum glossema extirpandum est. Nam ecl. basil. XXXV, 8, 3; Isid. or. I, 6, alia, ubi sane quattuor appellationes distinguuntur, uel propter aetatem non mihi obstare facile intellegitur.

In primis uero Grotefendium miror formam *agnomen* inuentam esse arbitrantem ante quam usu reciperetur *adnomen*, quod legitur apud Iulium Capitolinum in uita Veri imperatoris c. 3, cum si uerum esset quod nunc ibi editur, *nec aliud ei honorificentiae adnomen adiunctum est, quam quod Augusti filius est appellatus*, litterarum tamen mutatio, quae est in *agnomine*, recentiorem saperet aetatem quam incorruptum *adnomen*. At Iulii uerba procul dubio sic scribenda sunt, *nec aliud ei honorificentiae* (i. e. nec alia honorificentia) *ad nomen adiunctum est*, quo facto hoc quoque ad irritum cadit Grotefendii argumentum solusque restat Appuleii locus (apolog. 38 p. 310 ed. Elmenh.), *Agnomenta ei duo indita, Charon ob oris et animi diritatem sed alterum, quod libentius audit, ob deorum contemptum, Mezentius;* in quo, etiamsi uocabulum alias nusquam repertum praesertim in ore hominis, cui iure meritoque nouorum uerborum et insolentium locutionum affectatio exprobrata est, parum contra me ualeret, eo facilius adducor ut credam *cognomenta* scribendum esse, quo frequentiore in usu haec potissimum forma apud recentioris aeui scriptores fuerit.

Iam quae inferiorum temporum grammatici subtilibus et artificiosis distinctionibus gaudentes uoluerunt esse agnomina, ea antiquos, qui tria dumtaxat nominum genera nouerunt (Iuu. sat. V, 126. Senec. de benef. IIII, 8. App. hist. praef. 13. Dig. XXVIII, 1, 21 §. 1.), constanter pro cognominibus habuisse docebunt, ut pauca afferam exempla e permultis, Cic. pr. Mur. 14, 31 et Val. Max. II, 7, 1 de Africani, Val. Max. V, 2, 7 de Pii, Senec. suas. 2 med. de Grandionis, Suet. Calig. 9 de Caligulae, id. Vitell. 18 de Beccionis cognominibus. Plura congessit Periz. anim. hist. c. 2. p. 70 Harl. Itaque non, ut opinatur Grotefendius, confusio in his diuersarum notionum deprehenditur, quemadmodum sane interdum miscentur cognati et agnati, sed

certa et perpetua ueterum Romanorum consuetudo. Inde a quarto demum saeculo modo haec, modo illa utriusque uocis differentia in libris grammaticis tractari coepit, egeruntque de ea argute magis quam docte Donat. ar. gramm. II ap. Lindem. segm. 2 §. 2. T. I p. 9. Charisius II instt. gramm. p. 125 P. (*cognomen quod nomini subiungitur, ut Scipio, agnomen quod extrinsecus adici solet, ut Africanus),* Diomedes de or. et part. or. I p. 306, Priscianus II de nomine p. 577 P., Asper Iunior ap. Lindem. segm. 5 §. 3. p. 311. (p. 1728 P.), Pompeius comment. art. Don. p. 99. ed. Lindem. aliique multi.

Quapropter cum neque totum illud caput de agnominibus aut inscriptio eius in indice seruata simulque primi capitis uerba (§. 2.) *quod ad ultimum dicitur agnomen* ab epitomatore ex ingenio addita esse probabile sit, et multo etiam minus de recentiorum librariorum interpolationibus cogitari liceat, quibus sane apud Ciceronem de inuent. l. c. suadentibus ita melioribus libris discrimen inter cognomen et agnomen debemus, opus hoc grammaticum, quod post nouem Valerii libros absolutos in compendium redegit Iulius Paris cuiusque ita abbreuiati primum tantum caput ad nostra tempora peruenit, non facile ante initium quarti saeculi, nedum Verrii Flacci, quem Grotefendius auctorem putabat, aetate compositum esse potest.

Attamen cum scriptor, quisquis is erat, antiquos maxime et egregios fontes adierit, Valerium Antiatem, Q. Mucium Scaeuolam, Varronem, quos nominatim citauit (§§. 1, 2, 3), et Varronem certe ipse inspexisse existimandus est, res, quae ab eo traduntur, non sunt nullius auctoritatis exiguique momenti. Atque etiam Verrii Flacci opera saepenumero adhibita multaque ex iis recepta esse equidem persuasum habeo. Vt praeteream originationes quasdam utrique communes, quarum haud dubie magna pars ab ipso Varrone inuentore profecta est, alia utique artissimam affinitatem produnt cum Verrianis, ut illa quae de Numerii nomine communicantur §. 3. Cf. Fest. u. Numer. p. 170 Müller. Sed pleraque quae huc pertinent docte et accurate iam persecutus est Grotefendius, cuius opinio magna ex parte in ea affinitate nititur. Quod si conceditur, remouetur simul aliud et grauissimum quidem argumentum, quo usus Grotefendius Verrio illud fragmentum uindicauit, cum ita facile explicetur quo modo fieri potuerit ut §. 2 uu. *quae olim praenomina fuerunt nunc*

cognomina sunt, ut Postumus, Agrippa, Proculus, Caesar, quae sane optime in Flacci aetatem cadunt, cum qui primus his nominum exemplis usus sit de Gaio et Lucio Caesaribus et M. Agrippa Postumo, M. Vipsanii Agrippae filiis, et de Proculo Augusti liberto (Suet. Octau. 67) cogitasse uideatur, quomodo, dico, fieri potuerit ut haec potissimum exempla longe inferioris aetatis scriptor citaret. Asciuit namque ea ex antiquiore et fortasse e Valerii Flacci quodam opere. Neque id ita inconsideranter et stolide fecit, siquidem eadem cognomina posterioribus etiam temporibus usu recepta erant. In fastis enim consularibus a. u. 935 extat Marcus quidam Egnatius Postumus Cos. suff., anno autem 1092 L. Aradius Valerius Proculus. Agrippae post M. Asinium M. f. Agrippam, cos. ann. 777, in fastis quidem non inueniuntur sed frequenter in inscriptionibus recentiorem aetatem prodentibus. Cf. Murat. p. 1077, 1. 1544, 12. 1618, 2. cett. Atque etiam Caesaris nomen, quamuis post Neronem iam non familiam denotaret sed merus honorificentiae titulus euaderet, quem inde ab Hadriano designati Augustae maiestatis heredes obtinebant, semper cognominis instar habuisse manifesto liquet e ratione, qua de ea appellatione inferiorum saeculorum scriptores locuti sunt. Cf. Aelii Spartiani uit. imp. Veri c. 2, ubi, postquam L. Aurelium Verum Caesarem dictum esse tradidit, non absonum putat inquirere de prima eius appellationis origine relatisque compluribus interpretationibus ita pergit, *Certe, quaecumque illa felix necessitas fuit, unde tam clarum et duraturum cum aeternitate mundi nomen effloruit, hic ergo, de quo sermo est, primum L. Aurelius Verus est dictus, sed ab Hadriano ascitus in Aeliorum familiam et appellatus est Caesar.* Eodem modo nullo discrimine facto inter priorum et insequentium Caesarum appellationem Dio Cassius (XLVI p. 484 Reim.) *πᾶσιν* inquit, *τοῖς τὸ τῶν Ῥωμαίων κράτος λαμβάνουσιν ἡ προσηγορία* (cognomen) *αὕτη ἐκτενίκηκεν.* Cf. praeterea Vlpii Traiani uitam, quae Sex. Aurelio Victori tributa est (uit. Caesar. 13), *abhinc diuisa nomina Caesarum atque Augusti inductumque in rem publicam uti duo seu plures dissimiles cognomento ac potestate dispari sint.*

Quae cum ita se habeant, uix opus erit pluribus euincere Verrium Flaccum non esse huius operis auctorem; unum tamen breuiter adiciam, aduersari Grotefendio notabilem quoque inter Verriana et haec nostra fragmenta in quibusdam rebus discre-

pantiam, in quibus eur tam parum ipse sibi constitisset idem auctor non facile intellegeretur. Nam Sertorem auctor de praenominibus qui per sationem natus sit appellatum putat, Verrius ap. Fest. p. 340 Müll. aut a prendendo, quia, cum cuipiam adserat manum educendi eius gratia ex seruitute in libertatem, uocetur adsertor, aut probabilius, qui sereret quid. Seruium ille dictum contendit in utero matris seruatum, hic (ap. Fest. u. Nothum) susceptum matre seruiente. Gnaeos, quos ille ob insigne naeui appellatos existimat, Verrius (ap. Paul. Diac. p. 96 Müll.) a generando et quidem a Graeco uerbo γίγνεσθαι ducit et ab eodem ipso maculam in cute. Alia nonnulla, in quibus discrepant, in commentario commemorabo.

Qua opinione remota, quis composuerit hunc decimum quem Iulius Paris Valerii putabat librum, superstitibus tam exiguis fragmentis et ne eorum quidem antiqua forma neque habeo dicere et, ni alia prospera accedant fata, umquam inuentum iri despero. Epitoma, quam e nouem Valerii libris accedente decimo subditicio incerti auctoris excerpsit Paris, cum annum 300 p. Chr. n. excedere non facile potuerit propter causas supra a nobis expositas, necessario cadit in quartum aut quintum saeculum. Artioribus finibus nunc quidem Paridis aetatem circumscribere non ausim. Neque tamen post medium quintum saeculum epitomam eius confectam esse crediderim, quia circa ann. 500 iam Rusticius Helpidius Domnulus, ut praediximus, eam recensuit et descripsit, inter cuius operam et primas Paridenses curas aliquot saltem codices interpositos fuisse uerisimile est. Cui aetati ne Licinii Cyriaci quidem nomen in epistula epitomae praemissa repugnare uidetur, quod Bergkius tamquam recentioribus temporibus proprium, quia Iulium Paridem antiquiorem putabat et fortasse iam Hadriano imperante uixisse suspicabatur, a librariis corruptum et cum Syriaco permutandum censuit. Extat autem idem cognomen in sepulcrali titulo ap. Murat. p. 890, n. 6. [1]).

Iam ex eadem epistula sequitur Paridem, ni consulto eum mentitum esse credideris, cuius tamen criminis idonea causa suppeditatur nulla, decimum illum suppositicium librum genuinum

---

[1]) T. AELIVS CYRIACVS AVG. LIB. CVBICVL. REFECIT SIBI ET SVIS LIBERTIS LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM.

putasse et una cum Valerianis in compendium redegisse, haud dubie quia iam adhaeserat ei factorum et dictorum memorabilium exemplo, quo usus est epitomator. Aberat autem et iure quidem ab alio quodam codice, e quo omnes qui hodie extant libri manuscripti originem acceperunt. Cum illo cur coaluerit opus alieni prorsus argumenti et consilii difficile est dictu liberque manebit suspicionibus campus. Quod Valerius Antias primo capite de praenominibus nominatim citatur, profecto non potuit causam praebere, ut placuit cum aliis quibusdam Grotefendio, cur integer ille libellus Valerii putaretur Maximi, cum qui Valerii nomen ibi commemoratum ad nostrum Maximum referret eo ipso de diuerso decimi libri auctore doceri debuisset; neque enim Valerius Maximus de se poterat dicere in referenda sententia '*Valerius scribit*' et q. sqq.

DE IANVARIO NEPOTIANO ET ALIIS VALERII MAXIMI ABBREVIATORIBVS.

Hactenus quae ad Iulium Paridem pertinent copiosius paulo explicanda erant, quia in restituendo Valerii opere prima eius est et praecipua auctoritas. Breuius iam de altero epitomatore, quem Ang. Maius ante hos uiginti tres annos in lucem protraxit [1]), de Ianuario Nepotiano agere licebit, quippe qui superstitibus XXI capitibus, quae duos tantum priores Valerii libros et initium tertii (usque ad III, 2, 7.) continent, a uerbis primarii auctoris adeo recesserit, tot etiam praetermissis aliis exemplis aliena admiscuerit ut paucis dumtaxat locis insignius criticae arti inde redundet emolumentum. Ita non habentur in Valerianorum exemplorum serie sed aliunde arcessita sunt quae narrantur c. VII, 3, p. 100 Mai. c. XV, §§. 6, 7, 8, 12. Quae leguntur eodem capite §§. 17, 18, 19, 20 desumpsisse uidetur e Ciceronis III de rep. c. 3 et 4; quae IX, 21, p. 105, *(Cumque discerni ad sepulturam etc.)* ex eodem Cicerone de orat. II, 86,

[1]) Scriptt. uett. nou. coll. T. III, P. III, p. 93.

353; ibid. §. 27 Clipeae et Strabonis commemorationem e Plinii VII h. n. 21. Noua habet Nepotianus quae referuntur c. XV, §7 in fine, c. XXI, 3, p. 115. cett. Praeterea codex ille Vaticanus [1]), qui unus hoc fragmentum nobis seruauit, quartum decimum saeculum aetate non excedens teste Blumio (itiner. Italic. III, p. 97), sed ex antiquissimo quodam libro lectu perquam difficili descriptus, innumeris scatet librarii mendis, saepissime tam illepidis et impeditis ut ueram scripturam ne coniectura quidem indagare permittant. Quo magis dolendum est quod, cum Maius in restituendo hoc scriptore aliter atque in Paride plerumque plus iusto arbitrio suo indulgeret, id quod planum fit e Blumii schedis, scripturam in illo codice inuentam rarissime apposuit, ita ut sciri nequeat quantam quae nunc ab eo eduntur mereantur fidem. Quapropter praecipua Ianuarii Nepotiani utilitas, ut recte animaduertit Maius p. XXIII, est quod Valeriani operis lacunam saepius iam commemoratam ipse quoque explet, sed non diuersa solum a Paride uerba ponit uerum etiam partes

---

[1]) Est autem cod. Vaticanus n. 1321, membranaceus forma maxima, binis columnis exaratus, foliorum 279. Insunt Fol. 1—137 relatio synodi Chalcedonensis. Fol. 137—139 constitutiones Theodorici, Valentiniani, Marciani de synodo Chalcedonensi (editae a Labbeo, biblioth. mss. IIII, p. 1782—1786. 1807—1811.). Fol. 139—144 epistola fidei cathol. in defensione trium capitulorum. Fol. 144—147 epistola Cypriani ad cecilium de sacramento dominici calicis. Fol. 147—154 Ianuari Nepotiani epitome Valerii Maximi. Fol. 154—271 XII libri S. facundi episcopi herminensis ecclesie prouincie africanae ad Iustinianum imp. in defensione trium cap. Fol. 271—276 eiusdem liber contra Misianum scolaium. Fol. 277 quaedam de synodo a. 1078 (ap. Labbeum X, p. 369). Fol. 278 et 279 index recentiore manu scriptus. Ipse, cum Romae uersarer, integrum hunc librum deficiente tempore describere non poteram. Quare redux ex itinere Blumium V. Cl. per litteras rogaui ut apographum Ianuarii, quod eum Romae fecisse sciebam, mecum communicaret. Ille, ut est omni humanitate ac liberalitate instructissimus, pauca, quae inter schedas suas repperit, praeter codicis descriptionem primum caput et partem decimi ac finem epitomae continentia, promptissimo animo mihi misit; totum apographum se iam dudum amico dono dedisse rescripsit, sed non meminisse cuinam. Ex eodem codice sine dubio Labbeus (biblioth. mss. I, p. 669) ediderat Nepotiani epistulam ad Victorem epitomae praemissam: *Ianuarius Nepotianus Victori suo salutem. Impensius quam ceteri adulescentes litteris studes, quo tantum proficis, ut exigas scripta ueterum coerceri, mi Victor. Quod iudicium etiam in senibus rarum est, quia recte dicendi scientia in paucis. Igitur de Valerio Maximo mecum sentis opera eius utilia esse, si sint breuia. Digna enim cognitione componit, sed colligenda producit, dum se ostentat sententiis, locis iactat, fundit excessibus, et eo fortasse sit paucioribus notus. Recidam itaque, ut uis, eius redundantia et pleraque transgrediar, nonnulla praetermissa conectam. Sed hoc meum nec uim antiquorum habebit nec fucum nouorum, et, cum integra fere in occulto sint, praeter nos duo profecto nemo epitomata cognoscat. Hoc tutius abutor otio. Heus censor piueteres* (sic cod.) *caue hic aliud quam brevitatem requiras, quam solam poposcisti. Cura, mi Victor, ut ualeas.*

quasdam Valerii retinet, quas a Paride omissas hactenus desiderabamus, uel quas Paris breuiauerat, ipse fere inlibatas excerpsisse uidetur. Itaque facturum me operae pretium existimaui, si deperditam hanc Valerii particulam, e sola Paridis epitoma, tamquam incorrupta ea uerba essent, in recentiores codices et inde in editiones translatam, ex utroque abbreuiatore, in quantum fieri potuisset, supplerem.

Quod Bergkius Ianuarium Nepotianum eundem esse suspicatur atque Nepotianum illum, quem Ausonius in commemoratione professorum Burdigalensium praedicauerit carm. 15, et Victorem, ad quem data est Nepotiani epistula, eundem atque C. Iulium Victorem, auctorem artis rhetoricae, quam edidit Ang. Maius (scriptt. uett. nou. coll. T. I, P. 4.) et ex eo Orellius inter scholiastas Ciceronis, coniecturae sunt solo ac nimis incerto conspirantis unius cognominis fundamento extructae, quae ipse quam fallaces sint Rusticii Helpidii Domnuli expertus est exemplo. Accedit quod epitomatoris sermo corruptus et interdum fere barbarus dicendique genus rude prorsus atque incultum sextum septimumue potius quam quartum saeculum prodere uidetur, et querellae quoque, quae in epistula iactantur de inertia hominum, eloquentiae ac litterarum studium foede neglegentium, et de Valerii operibus tantum non obliuioni traditis, melius his recentioribus quam Ausonii, Symmachi, Ammiani aequaliumque temporibus conueniunt. Quapropter in tanta utriusque nominis frequentia, nam et Nepotiani sat multi nominantur et Victores, nos quidem talibus suspicionibus abstinemus.

Media autem aetate cum uno aliquo exemplo, quod iam non extat, seruati Valerii libri multiplicatis paulatim codicibus latius diuulgati essent, denuo librarii epitomas conficere coeperunt, quarum haud paruus numerus hodieque in bibliothecis latet et semper, si paucas exceperis, sine ullo litterarum detrimento latebit. Fortasse in earum quas excipiendas esse dixi numero referendum erit compendium quoddam, de quo seruato in duobus codicibus, Thuaneo regiae bibliothecae Parisiensis n. 4952 et Vaticano n. 3307, cum me notitia effugisset, M. Hertzius certiorem me fecit[1]). Exhibent autem hi codices anthologiam quandam

[1]) Cod. ille Thuaneus n. 4952, olim Colbertinus 1566, saec. XII, membranaceus forma quaternaria, continet Iustini historias, tum epistulas duas medii aeui, tum Prisciani praeexercitamenta rhetoricae, deinde *Ex Maximi Valerii*

ita institutam ut e Valerii Maximi historiis et A. Gellii noctibus Atticis alternis uarient excerpta, quorum tamen, quamuis non pauca Valerii Maximi amplectantur, auctoritas in restituendo hoc scriptore quantum ualeat ex iis, quae M. Hertzius mecum communicauit, non satis constat, insignior utilitas certe nulla prodiit. Magnopere uero alio compendio adiutus sum, quod e codice Gudiano n. 166 (ap. Ebert. catal. bibl. Guelf. n. 303 et 388) desumptum et littera *Γ* notatum in uarietate scripturae integrum adhibui. Excerptum enim e libro non infimae notae necdum foedato interpolationibus falsisque recentiorum hominum coniecturis, cum abbreuiator non nimia resecans Valerii uerba plerumque retinuerit, boni codicis uicem obtinet. Reliquae epitomae a me aut ab aliis inspectae, quippe quae non ultra saec. XIIII recedant, omnino nullius pretii sunt. Sic illae, quas Ang. Maius repperit in cod. Vat. n. 5817 et in Ottobon. n. 1876, paruulumque epitomae fragmentum, quod est in cod. Guelferb. n. 894, inscriptum *Ex libris Valerii Maximi mirabilium dictorum et factorum* [1]), quocum artissimo nexu cohaerere uidetur aliud compendium eodem modo incipiens uu. *Sulpicio sacerdoti inter sacrificandum lapsus apex de capite* etc. in codice n. XCIIII bibliothecae ciuitatis Lipsiensis, saec. XIII et XIIII exarato, quem descripsit Naumann in catalogo eius biblioth. p. 29, ipse non uidi. Neque alia ratio est florilegii in cod. Vatic. 5114, ubi excerpta fiunt e Valerio. Quod enim Maius (praef. p. XXIII) ex hoc codice ineditam huius scriptoris particulam eruisse sibi uisus est, ex integro olim opere desumptam, fallitur. Nam uu. *sic dii spretis monitis excandescunt, sic humana consilia castigantur, ubi se caelestibus praeferunt*, quae ibi excipiunt L. Iunii exemplum (I, 4, 3, in lacuna libri primi suppleta e Paride), non desiderantur in libris nostris, ut opinatur uir doctus, sed leguntur paulo post I, 6, 11 fin. et multo quidem correctius in optimis quibusque codicibus,

---

et Agellii libris excerpta. Codex alter Vaticanus n. 3307, item saec. XII, membranaceus est forma duodenaria.

[1]) Incipit uu. *Salpitio sacerdoti inter sacrificandum lapsus apex de capite sacerdocium abstulit.* Cf. Val. I, 1, 4. Sequuntur deinde decurtata eiusdem capitis exempla 5, 13, ext. 3. cap. V de ominibus 2, 3, 9. cap. VI de prodigiis ext. 2, 3; tum: *Qui ad senectutem celibes peruenerant digni iudicati sunt puniri eraque pro pena in erarium ferre iussi sunt camillo postumio censoribus. Auaro numquam deerit causa negandi.* quae pertinent ad Val. II, 9, 1. Interpositas deinde glossas quasdam 'in canticum Miriam' alia excipiunt exempla excerpta e Val. III, 4. IX, 13, 2. IX, 1, ext. 3. VIII, 13, ext. 1 et 2. etc.

Sic deorum spreti monitus excandescunt, sic humana consilia castigantur etc. Aliud compendium nullius, ut uidetur, pretii composuit Io. Honorius [1]), quod typis impressum in eadem bibliotheca Lipsiensi rogatus a me per litteras inspexit amicus meus Carolus Nipperdeius. Inscriptum esse refert *Epitomata super nouem libros Valerii Maximi de dictis factisque memorabilibus diligenter et accurate a Magistro Iohanne Honorio Cubitensi recollecta.* In fine operis legitur *Epitomata in Valerii Maximi libros nouem — — recollecta impressit Liptzik uir diligentissimus Iacobus Abiegnus* (Tanner) *Herbipolensis anno salutis* 1503.

DE VALERII MAXIMI CODICIBVS MANVSCRIPTIS.

Vertimur nunc ad manuscriptos Valerii libros, quorum in bibliothecis Germaniae, Heluetiae, Italiae, Galliae, Britanniae permagnus numerus extat; qui uetustate excederent saeculum quartum decimum, non adeo multi innotuerunt. Prius uero quam de libris uerba faciam, quos ipse inspexi atque examinaui, cum has terras festinandi necessitate imposita celerius quam gratum erat perlustrarem, quosnam codices adhibuerint priores editores inde a Pighio breuiter exponendum uidetur. Nam qui ante Pighium Valerium in lucem emiserunt de codicibus, quibus usi sint, ut ferebat mos illorum temporum, rationem omnino non reddiderunt. Ille autem uir doctissimus, qui primus maiorem diligentiam et eam curam huic scriptori impendit, ut non immerito Valerii sospitator diceretur, primusque condidit uulgatam quae uocatur eius scripturam, hucusque omnibus fere editionibus subiectam, in restituendo hoc opere 'octo uel decem', ut ipse ait, 'manuscriptis archetypis' adiutus est. Quos omnes, unum fortasse si exceperis, et recentiores fuisse neque magnae auctoritatis e uariis interpolationibus atque emendationibus colligitur, quas ex unoquoque enotauit Pighius, temptatis, ubicumque sententia mendo aliquo scripturae perturbata aut erat aut esse uidebatur librariis.

---

[1]) Cf. Io. Alb. Fabricii biblioth. Latin. T. II, c. 5.

Sunt autem hi: 1. codex Susianus, quem ab Iacobo Susio accepit, 2. liber Theodori Pulmanni, 3. codex Gemblacensis monasterii, post Cauchianum librum fortasse optimus inter Pighianos, 4. cod. Coloniensis[1]), 5. cod. Wincheliani collegii, 6. cod. Atrebatensis collegii, 7. Campense exemplar, in quo exempla, in primo Valerii deperdita et a correctore libri Bernensis e Paridensi epitoma in primo eius codicis folio suppleta, suo loco inserta itemque e Paride decimi qui putatur libri reliquiae in fine adiectae sunt, praescriptis titulis *de nominibus, de praenominibus, de cognominibus, de agnominibus, de appellationibus potestatum, de uerbis Romanae historiae,* quorum capitum duo postrema, *de appellationibus potestatum* et *de Romanae historiae uocabulis* utcumque suppleta statim excipiunt superstes fragmentum de praenominibus, sed recte ab ipso Pighio recentiori librario tribuuntur luceque uix digna iudicantur; 8. cod. Io. Sambuci, qui et ipse Pseudoualerianum illud habuit decimum uolumen. Suspicor idem hoc esse exemplum, quod nunc asseruatur in bibliotheca Augusta Vindobonensi, cuius sane cod. n. CLXXI (ap. Endlicher. in catal. codd. philoll. Latt.) et sequens n. CLXXII olim Ioannis Sambuci fuisse perhibentur. Vetus autem codex, qui saepe in hoc fragmento a Pighio commemoratur, aut Sambucianum aut Campense exemplar est. Restat optimus inter Pighianos, 9. Io. Cauchii (van Cuyck) codex Batauus uel simpliciter Cauchianus. At is si quis alius caute debebat adhiberi; est enim aut idem prorsus, quem nos abbreuiatum Guelferbytanum appellare solemus, quod mihi ueri uidetur esse similius, aut ex Guelferbytano illo descriptus, quocum et in reliqua uarietate et in lectionibus huic libro plane singularibus adeo consentit[2]) ut pauca, quae discre-

---

[1]) Miror quod Pigh. p. 678 ed. alter. (ap. Torr. p. 105.) duo exempla Coloniensia a Io. Metello ICto accepisse se scripsit, cum ex uno tantum in notis commemoratae sint uariae scripturae.

[2]) Cf. uarietatem meam scripturae sub *Γ* et Pighii adnot. de cod. Cauchiano II, 4, 4 in uu. *ad id tempus;* VII, 3, ext. 9 in uu. *ad communionem ciuitatis usque;* V, 3, ext. 3 in uu. *tacent mutae illorum umbrae;* VI, 2, 5 in uu. *efficaces futurae pro noxio;* V, 2, 8 in uu. *uietis cicatricibus* pro *uetustis cicatr.;* VI, 3, 3 in uu. *libertatis adhuc custos* etc.; VII, 3, 1 in uu. *quam se proxima aqua;* V, 2, ext. 4 in uu. *beneficio enim Scipionis;* VIII, 8, init. in uu. *subnecti debet;* IX, 2, 1 in uu. *ad eius supplicium;* VI, 9, ext. 7 fin., ubi notabilis lacuna eodem modo in utroque expletur; I, 7, ext. 10, ubi post uu. *tamquam supervacuum damnauit* in utroque e Cic. de diu. I, 27 additum est *idque uisum pro nihilo ducens.*

pant, Pighii neglegentiae imputare non dubitem. Quod quominus faciam non impedit codicis Cauchiani testimonium bis citatum in particula libri primi, quam consulto praeteriit abbreuiator Guelferbytanus, cum exemplis probare possim Pighium de codicibus suis non semel seu consilio seu leuitate esse mentitum. Accuratius describetur hic codex infra sub *Γ*.

LIPSIVS, qui breues sed nequaquam spernendas notas ad alteram Pighianam Valerii editionem adiecit, duobus libris usus est, 'quos Vltraiecto benigne ei curarunt uiri cl. Lambertus et Hadrianus Vanderburchii', eosdem ut puto Vltraiectinos, e quibus postea Torrenius excerptam scripturae uarietatem accepit a Drakenborchio, quorumque alter (Vltrai. 1. ap. Torr.) ita consentit cum libro nunc quidem Berolinensi sed olim et ipso Vltraiectino ut nullus dubitem quin unum idemque exemplar sit. Quem codicem, ante quam Berolinum transferretur bibliothecae electoralis Brandenburgicae, Vorstius quoque adhibuit, equidem integrum contuli, quamquam non optimae est notae, descripsique infra sub *D*. Alter uero Vltraiectinus, quantum e uarietate scripturae apud Torrenium dinosci potest, nullius omnino auctoritatis est.

Praestantissimo et antiquissimo omnium qui hodie extant Valerii libro, olim Petri Danielis Aurelianensis, nunc bibliothecae Bernensis, usus est Christophorus COLERVS, qui tamen homo, cum uel in paucissimis, quae inde excerperet, saepissime mentiretur aut non discreta primaria eius scriptura a recentiorum emendatorum interpolationibus, aut quod frequenter de uno aliquo uocabulo agens reliquorum, quae simul citauit, rationem non habuit, sed praeposteram uulgatam lectionem Bernensi quoque tribuit, aut denique in enucleandis litterarum ductibus eo foedius lapsus quo sunt nitidiores et lectu faciliores, plus fere nocuit opera sua quam profuit. Itaque denuo diligenter et accurate ipse hunc librum excussi et contuli. Pluribus describam paulo post sub *A*. Item examinaui alterum Bongarsianum in eadem nunc bibliotheca asseruatum (Sinner. cat. mss. Bernn. I, p. 620), sed perquam exiguum tantummodo fructum ex eo percipi cum intellegerem, iure meritoque spreui.

IO. VORSTIVS duobus adiutus est exemplaribus manuscriptis bibliothecae electoralis Brandenburgicae, quorum alterum olim Vltraiectinum, nunc Berolinense (*D* inter meos), antea iam

non esse diximus magnae utilitatis, alterum, nunc item Berolinense, longe plerisque aliis praeter Bernense praestat auctoritate atque fide. Vtriusque integram huic editioni inserui uarietatem. Descripta sunt in recensione meorum librorum sub *C* et *D*.

De TORRENII singulis codicibus difficile quidem et incertum est iudicium. Congesta namque e quadraginta, si recte numeraui, libris mss. uasta atque incondita uariarum lectionem mole, cum in inuestiganda genuina scriptura plus multis quam probabilibus testibus tribueret, codicum in lectione aliqua conspirantium plerumque numerum potius ac genera quam nomina apponere solet. Attamen quae nominatim citantur testimonia eiusmodi sunt ut inter omnes Torrenianos libros ne unum quidem alteri Berolinensi meo *(C)*, ne dicam Bernensi, parem esse auctoritate quouis pignore contendam. Praeterea paucos tantum uir doctus ipse inspexit, plerorumque collationem ab aliis accepit, non continuam sed passim et interdum non nisi in primis Valerii libris institutam ac ne ibi quidem semper, ut mihi uidetur, accuratam, quod prae ceteris cadit in uarias scripturas a Gudio e uiginti quinque codicibus excerptas, quas Perizonius testamento bibliothecae academiae Lugdunensis legauerat. Horum XXV codicum, quorum catalogum reperies apud Fabricium (biblioth. Lat. Vol. II, lib. II, c. 5) et inde desumptum in Torrenii praefatione, equidem ipse tres excussi, Vaticanum primum (n. 1928) et qui Gudio appellantur Heinsiani, nunc inter Gudianos Guelferbytanae bibliothecae n. 886 saec. XIII et 887 saec. XV, omnes aeque nullius fere pretii.

Eodem Perizonii legato academiae Lugdunensi cesserant collationes codicis Copesiani, in margine Pighianae editionis a. 1567 ascriptae, quo codice usus erat Perizonius in adnotationibus ad Valerium ex schedis eius primum a Torrenio editis, itemque aliorum quorundam librorum, quos deterioris etiam notae silentio praetermittam. Copesianus autem, cum constanter fere consentiat cum Guelferbytanis meis *E* et *F*, quid ualeat in restituendo hoc opere ex iis mox apparebit, quae de his exponemus libris. Extant praeterea in eadem bibliotheca octo codd. manuscripti, quos Leidensium nomine comprehendit Torrenius, plerosque ipse contulit, sed ita ut in uarietate inde enotata nihil omnino inuentum sit, quod sinceriorem proderet fontem. Immo quintum et septimum, qui saepius quam reliqui nominatim citantur, e

Bernensi codice receptis etiam recentioris manus emendationibus descriptos esse manifesto constat. De Vltraiectinis duobus, quorum collationem Torrenio misit Arn. Drakenborchius, supra iam diximus.

Qui Torrenium secuti sunt Valerii interpretes, Kappius, Helfrechtus, Hasius, codices contulerunt nullos, ni codicem dixeris ueterem editionem sine nota anni loeiue, quo excusa sit, qua usus est cuique multum se debere fatetur Kappius. Atqui in tanta frequentia recentiorum potissimum librorum mss., e quibus plerumque fluxerunt ueteres editiones, equidem huius generis testes omnino audiendos esse nego [1]).

Restat nunc ut de codicibus a me ipso inspectis disseram. Sed cum et longum sit in tanta eorum multitudine neque referat de omnibus, quos examinauerim, accuratius rationem reddere, breuiter dumtaxat significatis a quibus nulla huic scriptori salus sperari possit, pluribus describam quos totos in hanc editionem transtulerim.

Et primum quidem inter Romanos codices nullum uidi, quod ualde miratus sum, cum praesertim eorum permagnus sit numerus, qui saeculum XIIII aetate excederet, nullum adeo intactum a recentiorum hominum interpolationibus et coniecturis, nullum omnino tam bonae notae, quem integrum conferre operae fuisset pretium. Euolui autem et examinaui ipse codd. Vaticanae bibliothecae n. 1917, membr. fol. scriptum Veronae ann. 1328, qui habet praefatiunculam decimi libri, *Decimus huius operis liber* etc., non tamen ipsum libr. X; n. 1918, scriptum ann. 1381, membr. fol. cum decimo libro; n. 1919, membr. forma octon. mai., exaratum post medium saec. XIIII, initio mutilum; incipit enim I, 6, 11 uu. *(pater)ni respersi oculi*; n. 1920, chartaceum saec. XV; n. 1921, Vrbin. chart. script. ann. 1476; n. 1922, Vatic. saec. XIIII (in fine: *Explicit lib. X Valerii Maximi abbreuiatus per Iulium Paridem eiusdem libri abbreuiatorem)*; n. 1923,

[1]) Fallitur autem Kappius, quod editione illa, quoniam plane congruit cum Lipsii quodam libro, quem is saepe simpliciter ueterem appellat, Lipsium quoque usum sed minus accurate de ea tamquam de codice manuscripto locutum esse credidit. Nam cum eadem consentire soleat cum Vltraiectino primo Torrenii et Lipsius duos, ut praediximus, Vltraiectinos adhibuerit, sine dubio idem est Lipsii ille uetus codex, idem Vltraiectinus primus, Kapplanum uero exemplar aut huius ipsius aut similis prorsus libri *ἀπόγραφον*, utique post Aldinam editionem ponendum, quia continet compendia XXIII exemplorum libri primi, quae ab Aldo primum edita esse constat.

Vatic. saec. XV ineunte scriptum, qui habet librum X et praefationem alteram, *Decimus huius operis liber — repraesentabat;* n. 1924, membr. saec. XIIII cum commentariis in margine ab eadem manu ascriptis; n. 1925, saec., ut uidetur, XIIII, qui habet partem decimi libri cum praefatione priore, *Decimus atque ultimus huius* et q. sqq.; n. 1926, partim membr., partim chartac., post medium saec. XV exaratum; n. 1927, membr. saec. XV; n. 1928, saec. XV, membr. cum decimo libro et priore praef., *Decimus atque ultimus* et q. sqq.; n. 417, Vrbin. scriptum ann. 1411. Deinde uidi codd. Palatinos n. 902, membr. ann. 1425 exaratum; n. 903, scriptum Florentiae ann. 1397, membr.; n. 904, saec. XV; n. 905 saec., ut uidetur, XIIII; n. 906 et 907, utrumque saec. XV; codices Reginenses n. 604, saec. XIIII cum decimo libro; n. 748, scriptum ann. 1412; n. 766, saec. XIIII; n. 865 chartac. saec. XV; n. 876, saec. XV aut XVI, in quo librarius antiquiorem scripturam imitatus est; n. 882 et 939, saec. XV; n. 945 saec. XIIII exeuntis. Horum codicum mss. Vaticanos et Palatinos ante quam Romam perueni per litteras a me rogatus uir doctissimus mihique coniunctissimus, Brunnius, per aliquot tertii libri capita plene et in reliquis cum scriptura libri Bernensis, passim excerpta ex editione Torreniana, ut iudicium facerem de eorum pretio atque auctoritate, diligenter et accurate contulerat. Opinio ex hac collatione praesumpta, nihil in his quidem latere, quod magnopere nos adiuuaret, coram intuenti mihi confirmata est. Quapropter omnes aeque spreui.

Neque etiam in aliis Italiae bibliothecis, quarum aut aditus mihi patuit aut editi extant catalogi, quicquam asseruari animaduerti, quod in hoc meo consilio aliquem fructum promitteret ideoque inspiciendi iniceret desiderium, nisi forte melioris notae est qui describitur apud Bandinium I, p. 493. cod. CLXXXIIII; perhibetur enim scriptus esse saec. XIII. At Laurentiana bibliotheca, cum fine mensis Octobris et initio Nouembris morarer Florentiae, per magnas ferias uti non licuit.

Proximum a Vaticana locum quod ad numerum librorum Valerianorum regia bibliotheca Parisiensis obtinet, in qua duo de triginta codd. asseruantur, descripti in catalogo huius bibliothecae sub. n. 5839—5860 et 6141—6150[1]), quos omnes

[1]) Codd. 5861—5866 continent commentarios in Valerium Dionysii de Burgo, Benuenuti Imolensis, Petri ex praedicatorum ordine, aliorum.

benignissime exceptus a Carolo Benedicto Hasio, uiro omni humanitatis laude instructissimo, diligenter examinaui, sed mox intellexi recte aestimatos esse ab Hasio (praef. ed. Val. p. VIII), cum negaret eos futuro editori ullam utilitatem esse praebituros. Nam uel antiquiores codd. 5839 et 5840, qui saeculo tertio decimo exarati esse dicuntur, (dubito autem de cod. 5840,) adeo infecti sunt librariorum erroribus uanisque suspicionibus ut magna et inutili uariarum lectionum farragine impediant rem quam expediri uolumus libris mss. Idque magis etiam ualet de omnibus codicibus, quos Londini inspexi in museo Britannico et diligentius excussi monente uiro summo C. Bunsenio, cum ipse de utilitate eorum desperationem iam praesumpsissem. Accuratius recensentur 1. codd. bibliothecae Arundelianae in Forshal catalogue of the manuscripts in the British Museum. New series. Vol. I, part. I, n. 7 et 256. 2. codd. bibliothecae Burneianae ibid. part. II, n. 208—212. 3. codd. Harleiani in catalogue of the Harleian manuscripts Vol. II, n. 2488, 2504, 2759, 2779, 3872. Codicem 2774 huius catalogi ipse non uidi.

Euolui praeterea codd. Vindobonensis bibliothecae Augustae, qui commemorantur ab Endlichero (catal. codd. philoll. Latt. p. 82. sqq. n. 159—162), sed examine instituto exiguae tantum auctoritatis esse animaduerti praeter cod. 159, qui mihi littera *B* notatus mox pluribus describetur. Reliquos n. 163—166 chartaceos et saeculo demum XV exaratos, cum tempus iam deficeret, ne inspexi quidem.

De duobus libris Bernensibus (ap. Sinner I, p. 160), quibus usus erat Colerus, supra diximus.

Ex itinere reuertenti, cum attingerem Guelferbytum, antea iam a me rogatus Schoenemannus, uir et ipse litteratissimus et singulari praeditus officio in homines litteratos, omnes mihi Valerii libros manuscriptos, qui asseruantur in bibliotheca Guelferbytana, descriptos in Eberti catalogo p. 168. sqq. n. 886—895, inspiciendos commodauit, ut quos uellem integros conferre eligerem. Elegi n. 886, 888, 889, 892; nam reliqui aut parui aut nullius pretii sunt, eosque mecum Berolinum asportaui. Horum uero cod. 886 per priores tantum libros plene collatum, cum nullum omnino fructum inde perciperem, mox remisi. Codd. 889, 892, 888, in hac editione adhibiti, mihi nunc sunt *E, F, I.*

Perscrutatus plurimarum praeterea bibliothecarum catalogos, perpaucos inueni codices, qui saeculo XIII exarati esse dicuntur; antiquiores hac aetate nulli, quod sciam, extant praeter Bernensem meum, abbreuiatum Guelferbytanum, Vaticanam et Parisiensem anthologian Valerio-Gellianam, unum e quadraginta amplius codicibus, quos per diuersas terras dispersos commemorauit Haenel in catalog. librr. mss. etc. p. 957, bibliothecae S. Laurentii Escurialensis, qui perhibetur pertinere ad saec. XII. Ac ne mediae quidem aetatis scriptores, Fulbertum episcopum Carnotensem, Ioannem Saresberiensem, Petrum Blesensem, Vincentium Bellouacensem, melioribus aut integrioribus membranis usos esse quam nobis hodie suppeditent, diligenter comparatis eorum excerptis cum nostrarum codicum uarietate liquide cognoui.

Exempla igitur, quorum uarietatem huic operi integram inseruimus, haec sunt:

A. COD. BERNENSIS n. 366 in Sinner. catal. mss. Bernenss. uol. I, p. 620, membranaceus, forma quaternaria, iudice Sinnero saec. X exaratus. Atqui litterarum ductus scribendique ratio aliquanto etiam antiquiorem aetatem indicare uidentur. Quapropter equidem consentientibus Lachmanno et Pertzio, acribus in primis earum rerum arbitris, quibus proposui complura scripturae specimina a me in perlucida charta ex eo accuratissime depicta, ad nonum saeculum eum pertinere credo. Continet autem folia CLX, binis columnis diuisa, quarum una quaeque habet XXIIII uersus, uersus circiter XXX litteras aequaliter ac nitide exaratas. Tituli librorum atque capitum singulorum et subscriptiones litteris quadratis pleramque capitalibus, raro rotundioribus illis, quas unciales uocare solent diplomatici, item Graeca, quae leguntur III, 7, ext. 3, 4, alibi, sed ea non intellectis ideoque mire interdum turbatis ductibus, reliqua minutioribus scripta sunt. Inter lineas et in margine hic illic adduntur emendationes et lacunarum supplementa aut uariae scripturae alio atramento et manu paulo recentiore, quae tamen et ipsa saeculi IX aut X non ualde differt a primaria. Marginalibus additamentis petitis tantum non omnibus e Iulii Paridis epitome [1])

[1]) Raro et leuiter tantum haec additamenta e Paride ascripta a Vaticano huius epitomae codice discrepant, ut IIII, 2, 6, ubi margo codicis *A* habet *I. P. c. ennius gallus*, sed cod. Vatic. recte ut nostri *caninius gallus*.

praefiguntur notae, ut praediximus, *I. P.* aut *BR.* (breuiator), semel *C. T.*, semel (VIII, 4, init.) plene *C. titus.* (Cf. praef. p. 58.) aut denique simpliciter *u.* (uel) aut *l*, curua lineola transfixum. Nonnumquam, erasa antiqua scriptura ita ut legi iam nequeat, nacta spatia illa manu paulo recentiore expleta sunt[1]). In primo codicis folio siue folii particula, cum magna ex parte uetustate exesum sit, leguntur uerba, ut equidem iudico, ab eodem homine profecta, a quo emendationes marginales et interlineares, *In adbreuiatore qui et uetustus erat | quaedam reperta sunt quae quoniam nostro deerant | necessario suppleui.* Sequuntur deinde exempla libri primi deperdita Valerio, quem ad modum nunc leguntur abbreuiata a Iulio Paride, *Timasitheus liparensis ceteram | quam romani pythio appollini mise | rant. interceptam a piratis. curauit | delphos perferendam.*[2]) | et reliqua, quae aliquando usque ad I, 4, ext. 2, *Deiotaro uero regi* et q. sqq. pertinuisse probabile est. Sed nunc, cum maxima eius folii pars humore corrupta sit, ita ut pauca tantum legi possint, alterum uero post hoc integrum folium omnino excidisse uideatur, pleraque in hoc codice denno perierunt. Item ultimorum quaternionum aliquot folia diutino situ ita infecta sunt ut non pauca uerba praesertim in calce paginarum euanuerint. Folium uero, quod nunc ultimum est, in aduersa desinit postremis libri noni uerbis, *supplicio impendere coegit.* VALERI MAXIMI FACTORVM ET DICTORVM ... MORABILIVM ... (reliqua deleta sunt); in auersa sequitur eadem manu scriptum, a qua primum folium uel parua eius particula, fragmentum, quod incipit *Lib. X. De praenomine. Varro simplicia in italia* et q. sqq., cuius ultima uerba, quae legi possunt, sunt *animaduerto enim in consulum* ... (§. 2), sed uidetur etiam proxime sequentia amplexum esse usque ad uu. *murmcum et postumum aebu*[3]). Post hoc folium annexa est parua schedula pergamena, quae continet extremam epitomae particulam, item recentiore illa manu exaratam, et subscriptiones, *ferunt enim*

[1]) Sic integrum Martialis epigramma, quod in omnes nostros codices e margine antiquissimi cuiusdam libri irrepsit II, 10, 8, in cod. Bernensi cum aliquot genuinis e praecedentibus et sequentibus Valerii uerbis erasum est, quae genuina postea illa manu extentis in longum litteris repetuntur.

[2]) Primum hoc Timasithei exemplum integrum adhuc extat inter Valeriana. Compendium eius haud dubie librarius apposuerat, ut significaret locum, ubi inserenda essent reliqua, quae sequuntur.

[3]) Nam sic (uel *obii*) desinunt plerique recentiores libri, quos ideo manifestum est transtulisse hoc fragmentum e libro Bernensi.

gaiam caeciliam | tarquinii prisci regis uxorem | optimam lanificam fuisse | et ideo institutum ut nouae | nuptae ante ianuam mari | ti interrogatae quaenam | uocarentur gaias esse se | dicerent | — feliciter emendaui descri | ptum rabennae rusticius | helpidius domnulus u. c. | — Duo hoies (sic) — | TITVLVS ADBREVIATORIS | *C. titi probi finit epitoma | historiarum diuersarum | exemplorum romanorum.* — Apparet igitur unum folium duarum paginarum uel quattuor columnarum ante hanc schedulam esse euulsum, cum prior epitomae pars, in Bernensi codice duobus columnis absoluta, usque ad uu. *Postumum Aebutium* ipsa dimidia sit deperditae a uu. *Heluam et Vopiscum* usque ad uu. *super omnes celebrata est*, illa uero in Ang. Mai editione XX uersus, haec XLII occupet. Fronti autem secundi nunc ab initio folii Petri Danielis Aurelianensis nomen ipsius manu impositum est, prorsus eodem modo scriptum, ut depingitur a C. G. Müllero in anall. Bernenss. part. III (in ind. lectt. uniuers. Bern. sem. aestiu. ann. 1841 in tabula speciminum VII). Sequitur deinde capitulorum index, quem initio editionis meae exhibui, et tum ipsum opus inscriptum VALERI MAXIMI FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM LIB. PRIMVS INCIPIT. Singulos libros praeterea praecedit beuior elenchus capitum ad eos pertinentium.

Hunc codicem olim puto fuisse monasterii Floriacensis S. Benedicti prope Aureliam, cuius copiosissima bibliotheca, cum iure belli diriperetur anno 1562, seruata a Petro Daniele ICto Aurelianensi, magna ex parte in huius uiri transiit possessionem. Inde tot ei quibus postea inclaruit uetusti et egregii libri manuscripti. Danielinam uero bibliothecam a. 1603 emerunt Paulus Petauius et Iacobus Bongarsius. Bongarsiani libri, interque eos procul dubio antiquissimus noster Valerii, anno 1632 Bernam translati sunt [1]). Ante nos, sed non ea qua par erat diligentia, hoc libro usus est Christophorus Colerus.

B. COD. VINDOBONENSIS, qui asseruatur in bibliotheca Augusta Vindobonensi, descriptus ab Endlichero in cat. codd. philoll. Latt. p. 82. n. 169. Est membranaceus, forma quaternaria, foliorum XLII. E scriptura, quae pulcherrima ac nitidissima est singulisque paginis in binas distincta columnas,

[1]) Cf. Baillet jugemens des savans Vol. II, p. 180. ed. a. 1725 et qui ibi citatur Voyage littéraire de deux Bénédictins de la congreg. de S. Maur. p. 65, 66. Sinner. in praef. Catal. mss. Bern. p. VIII.

hunc librum sub finem saeculi XIII exaratum esse conicias. Praecedit, ut in Bernensi, capitum index, quem excipit ipsum opus, inscriptum *Valerii maximi factorum et dictorum memorabilium lib. I incipit. Vrbis rome* etc. Lacuna libri primi non expletur, cum uerba cap. 1, ext. 4 *ut comperit eam delphos perferendam curauit* statim aeque atque in codice Bernensi sequatur nouum caput, inscriptum *de ominibus*, quod incipit *Deiotaro uero regi omnia fere* et q. sqq. (uulgo 1, 4, ext. 2). Raro recentior manus mutauit antiquam scripturam, quae tamen numquam sub litura euanuit. Fluxit omnino hic liber e fonte sincero et parum corrupto. Quo magis dolendum est quod non integrum Valerium sed tres dumtaxat priores libros et quarti aliquot capita nobis seruauit; desinit enim uerbis libri IIII, 4, 9 *cuius pecunia tam ieiunos.*

C. CODEX REGIAE BIBLIOTHECAE BEROLINENSIS, in catalogo codd. mss. fol. n. 48, huc translatus ex electorali Brandenburgensi, unde Vorstio, qui eum contulerat, alter Brandenburgensis uocatur. Est membranaceus, folio minore, initio, ut uidetur, saeculi XIIII exaratus. Foliorum, quae sunt numero CIII, singulae paginae binis columnis diuisae eleganter et emendate scriptae sunt non adeo frequentibus lituris aut additamentis in margine et in calce paginarum adiectis, quorum alia a librario oculorum lapsu in textu omissa et postea ab ipso suppleta primariam, alia ex interpolatis iam libris translata multo recentiorem saeculi XV aut XVI produnt manum. Litterae initiales colore tum rubro, tum caeruleo distinctae sunt. Inscriptionem autem habet hanc, *Valerii maximi factorum et dictorum memorabilium lib. primus incipit. De religione, de neglecta religione, de ominibus, de prodigiis, de sompniis, de miraculis.* Desunt igitur in hoc quoque codice libri primi deperdita capita, quae in aliis e Iulio Paride excerpta inseruntur, sequiturque, ut in cod. Vindobonensi, post ultima uerba I, 1, ext. 4 caput, quod nunc est quintum, inscriptum *de ominibus* et incipiens ultimo praecedentis capitis exemplo *Deiotaro uero regi* et q. sqq. Item decimus qui putabatur liber in eo non extat; explicit enim libro nono uu. *supplicio impendere coegit*, quae uerba excipiunt aliquot capita e Frontini strategematicon libro I.

D. CODEX BEROLINENSIS ALTER eiusdem bibliothecae, membranaceus, forma maxima, in catalogo notatus numero 46,

saeculi XV, foliorum CXXX. Litteras initiales habet minio pictas. Reliqua scriptura continua per se satis nitida nec indecora est, sed turbatur innumeris emendationibus, scholiis cum marginalibus tum interlinearibus, uariis lectionibus partim a primaria, partim a recentiore manu profectis, quae omnia, et in emendando et in interpretando scriptore parum utilia, silentio praetereunda duximus. Duo ab initio folia continent indicem capitum, inscriptum *Iste sunt rubrice primi libri.* In fine eiusdem paginae leguntur uu. *pertinet ad Carthusienses prope traiectum ex testamento galen. coep.* (sic). Est igitur, ut praediximus, idem liber, qui Torrenio uocatur Vltraiectinus primus, Vorstio alter Brandenburgensis, haud dubie unus ex Vltraiectinis, quibus olim usus erat Lipsius. Tertium autem folium in fronte incipit uu. *Prologus ualerii. Vrbis Rome* et q. sqq. Viginti quattuor deperdita libri primi exempla et spuria decimi libri epitome de praenominibus e Paridensi compendio suppleta et suo loco inserta sunt, uerum non integrum illud fragmentum sed ea sola pars, quae hodieque in Bernensi codice extat, omissis uerbis inde a *Aebutium Heluam* (§. 2) usque ad *super omnes celebrata est.* Atque etiam subscriptio post uu. *Gaias esse se dicerent* plane eadem est, quae in Bernensi, *Feliciter emendaui descriptum rauennae rusticus helpidus dominilus u.* (uel *n*). *c. Titulus abbreuiatoris C. titi probi finit epitoma historiarum diuersarum exemplorum romanorum.* Ceterum et huic codici et sequentibus duobus Guelferbytanis, ubique scilicet interpolatorum manus perpessis, aut paruam aut nullam auctoritatem tribuimus, satisque quattuor reliquis muniti in his acquieuissemus, nisi interesset et familiarum, de quibus mox dicemus, affinitatem aut discrepantiam pluribus testimoniis confirmare et simul indolem ac naturam recentiorum et deteriorum librorum, qui tantum non omnes ad idem genus pertinent, insignibus exemplis demonstrare.

E. COD. GVELFERBYTANVS, apud Ebertum significatus n. 889, inter Gudianos n. 61, membranaceus, forma maxima, saeculi XIIII, foliorum CXXXIX, scriptura nitida litterisque initialibus pictura ornatis. Insunt multa scholia interlinearia et marginalia nullius fere utilitatis. Inscriptionem habet hanc, *Valerii maximi incip. lib. I de religione siue cultu deorum.* Lacuna saepius iam commemorata ne in hoc quidem expletur. At in fine libri noni legitur *Expliciunt libri nouem memorabilium*

factorum ac dictorum Valerii maximi. Sequitur liber Xus eiusdem abreuiatus per iulium paridem dicti Valerii abreuiatorem. Sequitur fol. 138 et 139 legenda quaedam de martyre Albano, inscripta *Martiris albani uenerabilis ecce legenda Vtilis erranti quia fertilis est relegenda.*

F. COD. ALTER GVELFERBYTANVS, apud Ebert. n. 892 (Gud. 39), membranaceus, forma maxima, saeculi XIIII. Constat nunc quidem foliis LXIIII, sed mutilus est in fronte et in calce, cum deperditis primis XXXIII foliis incipiat uu. (III, 7, 3.) *morabilium partem exemplorum*, et desinat libro IX, 3, 2 uu. *accensus eo quidem magis quod.* Scriptura satis quidem elegans est sed parum castigata, litterae initiales pictae. Singulis libris praemittuntur capitum indiculi.

Γ. ABBREVIATVS GVELFERBYTANVS, apud Ebertum n. 303 et 888 (inter Gudianos n. 166) notatus, membranaceus, saeculi XII, forma quaternaria, foliorum LXXXVI, quorum LVI continent epitomam Valerii Maximi in octo libros distributam [1]), reliqua Cornelium Nepotem, inscriptum *Ex libro Cornelii nepotis de latinis historicis incipit uita Attici* et q. sqq. Cf. Rothii Aemilium Probum p. 219. Est enim idem ille antiquissimus et praestantissimus omnium qui hodie extant Cornelii codex. Scripturae duobus columnis distinctae et compendiorum genus sane, ut animaduertit Rothius, simile est specimini Ciceroniani codicis, communicato a Freundio in editione Milonianae, sed litterae multo minutiores. Valerium autem non integrum reddidit sed in compendii formam redactum omissis cum totis quibusdam capitibus tum nimiis illis uituperationibus, laudationibus aliisque degressionibus, quarum si taedium mouerit Valerius haud inscito librario non ualde miror. Quapropter maxime in conectendis exemplis abbreuiatoris manus cernitur, ubi, dum ille 'se iactat excessibus', hic simpliciter ipsorum factorum dictorumque relationem aggreditur. Turbat praeterea saepius exemplorum ordinem, corrigit quae deprauata animaduertit [2]), explet lacunas ex ingenio [3]), addit etiam ex aliis scriptoribus

[1]) Non congruit igitur librorum distributio cum uulgari reliquorum codd. Incipit enim liber II a capite *de disciplina militari* (uulgo II, 7), lib. III a capite *de fiducia sui* (uulgo III, 7), reliqui quemadmodum notauimus in uarietate scripturae.

[2]) Insigne exemplum est II, 10, 8, *huc et illud Martialis epigramma.*

[3]) Cf. VI, 9, ext. 7 fin.

desumpta[1]), multa denique suo arbitratu mutat, sed numquam adeo recessit a Valerii uerbis, ut non totam eius discrepantiam inter ceteros codices facile enotare potuissem, quod non permiserunt aliorum epitomatorum, Paridis et Nepotiani curae. Id uero eo magis faciendum putaui, quod opus eius, ex incorrupto et non spernendae fidei exemplari excerptum, discretis quae a primario auctore et quae ab abbreuiatore profecta sunt, et ipsum boni in primis codicis uicem obtinet. Inscriptionem epitomae, *Incipiunt capitula libri Valerii Maximi*, sequitur praefatio *Vrbis Rome* et q. sqq., quae tamen aliter explicit atque in uulgatis libris, *reliquos enim deos accepimus, Cesares dedimus. Et primo quidem a priscis urbis nostre ceterarumque gentium memorabilibus institutis ordiendum uidetur. Opus enim est cognosci....* etc. Ita statim omisso libro primo transit ad II, 1, init. Libri primi particula inde a capite quinto, quod inscriptum *de ominibus* incipit *Deiotaro uero regi* et q. sqq., usque ad finem cap. 8 postea suppletur, inserta post uu. (II, 6, ext. 17) *uacuum esse conuenit.* Desinit codex IX, 14, ext. 3 his uerbis, *audacius quam subiecto conueniebat ultus est. Explicit lib. VIII Valerii dictorum et factorum memorabilium.* Signaui eum Graeca littera *Γ*, ut ea quoque nota statim appareret discrimen inter hunc abbreuiatum et reliquos integros Valerii libros.

Finita igitur codicum Valerianorum recensione superest ut de ratione, quae inter singulos intercedat, de affinitate, i. e. de generibus siue, ut nunc dicere solent, de familiis eorum disseramus. Esse autem certas quasdam familias, per quas ab antiquitate ad nostra tempora propagati ac deducti sint libri, si alicubi, profecto constat in hoc scriptore. Et primum quidem, cum in omnibus, qui ad nostra tempora peruenerunt, Valerii codicibus eaedem, si excipias recentiorum librariorum nugas et peculiaria singulorum peccata, deprehendantur lacunae, interpolationes, corruptelae, dubitari nequit quin omnes ad eundem redeant communem fontem, e quo originem acceperint et per diuersos quasi riuulos emanauerint.

---

[1]) I, 7, ext. 10, ubi uu. *idque uisum pro nihilo habendum esse ducens* repetita sunt e Cic. de diu. I, 27, 57.

Lacunarum autem omnibus saltem melioribus libris communium, — nam in recentioribus manca sententia aut aperta coniectura uarie suppletur aut eodem modo e marginalibus additamentis codicis Bernensis, quae ibi e Paridis epitoma plerumque ascripta esse diximus, — praeter maiorem illum libri primi defectum aliquotiens commemoratum exempla permulta sunt. Quorum pauca apponam. Exciderunt I, 1, 4 nomen *Siculus*; I, 6, 5 uerbum *clamasse;* I, 6, ext. 1 nonnulla uerba post *terram pedestri* et post *sensus fuisset;* I, 7, ext. 1, participium nescio quod, pertinens ad ablatiuum *oculis;* I, 8, ext. 5 uu. *admirabilis fuit;* II, 2, 4 uu. *quod cum filius sensisset, proximo lictori ut sibi appareret imperauit;* II, 7, 3 uu. *eo bello quod in Sicilia* et q. sqq. usque ad uu. §. 4 *C. Cotta;* II, 8, 2 nescio quod uerbum in fine post *ut non legitimum ita;* III, 2, 7 aliquot uerba post *sustinendos casus suos;* III, 2, ext. 5 aliquot in his, *sospes patria moenia intrasset;* III, 4, ext. 2 uu. *olera ulterius patrem;* III, 7, 9 u. *factus;* IIII, 1, 14 alterum *negat;* IIII, 4, init. particula *dum* uel alia eiusdem generis; V, 3, ext. 2 u. *oculo;* VI, 1, 11 post uu. *fuga prius, deinde etiam*, ut uidetur, *morte puniuit;* VI, 2, 2 pronomen *tibi;* VI, 2, 7 *aut tristi iam* uel simile aliquid; VI, 5, 3 nescio quae in his, *nec se eo facto*; VI, 9, 9 uu. *et consul;* VI, 9, 14 u. *felices*; VI, 9 ext. 7 complura uerba in fine libri sexti; VII, 2, ext. 11 uu. *aut rarissime*; VII, 3, 6 u. *alterum*; VII, 4, init. adiectiuum pertinens ad u. *appellatione;* VII, 4, 2 u. *credens* et paulo post u. *alterius;* VII, 8, 7 nescio quod uerbum post *transuersum egit;* VIII, 1, abs. 11 adiectiuum *sapientissimi*, ut uidetur; VIII, 7, 3 adiectiuum aut participium pertinens ad *Varro;* VIII, 7, 5 adiectiuum aut pronomen in his, *namque alii incommodo;* VIII, 9, 2 u. *eloquentiae;* VIII, 9, 3 *eloquentia de ui* uel simile aliquid; VIII, 15, 4 aliquot, ut uidetur, uu. in his, *neque ciui ambitiosi senatori;* IX, 11, 4 nescio quod adiectiuum post uu. *uetus et;* IX, 12, 2 aliquot uocabula post *inciderat;* cett.

Item interpolationes, plerumque ex interpretatione aut male intellectis Valerii uerbis, cum aliquid deesse uideretur, interdum e uariis lectionibus in margine antiqui cuiusdam libri ascriptis ortae, eaedem omnes inuaserunt codices. Quarum, ne in sanandis uulneribus huic scriptori inlatis saepius temere urendi et secandi medicinam adhibuisse uidear, plura apponam exempla, e quibus appareat quam frequenter illud corruptelae genus in libris nostris

deprehendatur, quod alia ratione remoueri non potest. Locum, qui prae ceteris notabilis simul documento est quam stupide librarii quae non intellexerunt per multa deinceps saecula propagauerint, supra iam attigimus, II, 10, 8, ubi integrum Martialis epigramma inter media Valerii uerba irrepsit. Praeterea spuria additamenta deprehenduntur I, 1, 14 *deos;* I, 8, 4 *prius*, II, 1, 3 *in publicum;* II, 6, 14 *potentiam;* II, 7, 4 *filium*; II, 7, 6 *habet*; II, 7, 9 *fugitiuorum;* III, 2, 2 *enim* et paulo post *hosti;* III, 2, ext. 1 *dicente;* III, 2, ext. 9 *ediceret;* III, 5, 1 *maiori;* III, 7, ext. 3 *se ad;* V, 1, 7 *regibus;* V, 1, ext. 2 *de humanitate;* V, 3, 2 *re*; ibid. paulo post *aut* VI, 1, 11 aut *similis* aut *aeque foedus;* VI, 3, 6 *prius;* VI, 5, 5 *et dominus;* VI, 9, ext. 3 *stultitiae;* VII, 3, 10 *pater;* VII, 6, 3 *potius* et *effectum;* VII, 6, ext. 3 *libertatis;* VIII, 2, 2 *aduersaria;* VIII, 3, 2 *iterum;* VIII, 4, 2 *hanc;* VIII, 5, 6 *inter;* VIII, 14, ext. 2 *gloriae;* IX, 2, ext. 11 *ut;* IX, 8, 2 *non* aut *uix* et paulo post *ac;* IX, 12 ext. 10 *est;* cett.

Saepenumero denique eadem menda aeque omnes libros occuparunt, adeo interdum singularia ut casu quidem a pluribus librariis simul ita erratum esse nequeat.

Quae cum liquido approbent unam esse communem omnibus originem, sponte se offert suspicio reliquos omnes fluxisse e codice longe antiquissimo Bernensi, eaque opinio maxime profecto commendatur, quod haud raro discrepantiae, quae in diuersis codicum generibus animaduertitur, causam non facile intellegas ac perspicias, nisi huius libri testimonium adhibueris. Ita VIII, 11, ext. 4 alii produnt *uacua rationis animalia*, alii *animantia,* causam uarietatis suppeditat primaria Bernensis scriptura *uacua rationis ania,* quae aeque facile in utram lectionem deflecti potuit. VIII, 1, absol. 3 Bernensis habet *ira percipiti,* unde in aliis factum *perciti,* in aliis *praecipiti.* V, 4, ext. 5 Bern. *gloriam inuo uerum,* inde alii *gloriam minuo uerum*, alii *gloriam inuoluerim.* V, 6, init. Bern. *interstatus rep.*, inde alii *intemptatus*, alii *interdum status.* III, 8, 5 Bern. *intanti*, alii *instanti*, alii *minitanti*; II, 5, 4 Bern. *ededit* mendose pro *edit,* repetitis scribentis lapsu duobus primis litteris; reliqui omnes perperam *edidit.* II, 10, 5 in cod. Bern. erat *eius secessum eius;* itaque altera familia reliquorum codd. prius, altera sequens *eius* deleuit. Talia sescenties occurrunt. Sed omnia haec nihil aliud demonstrant quam Bernensem codicem archetypo illi fuisse

simillimum; ipse uero archetypus non erat, cum habeat suas peculiares lacunas suaque menda, quae in reliquis non inuenta, nequaquam coniectura aut expleta aut remota esse putare liceat. Nolo urguere quod I, 1, 4 in Bernensi desunt uu. *deorum immortalium uariis temporibus bellisque diuersis*, quippe quae, ut minime desiderantur, ita fortasse melius aliquanto abessent, quamquam non uidentur in ceteris codicibus ab interpolatore esse profecta. At certe non e coniectura in illis inserta sunt quae omisit Bern. IX, 10 ext. 1, *satellitem regium crudelis operis ministrum nomine*, neque quae in solo Bern. desunt I, 1, 21, *Scipionis in thesauro Proserpinae spoliando sceleratam*, neque II, 10, 6 et 7 uu. *absterrere posset. Marcum quoque Porcium Catonem*, neque III, 8, ext. 3 uu. *ac truculentissimo*, neque V, 1, ext. 1 *lustrat*, VI, 2, 3 *ab uno iterum*, VII, 3, ext. 10 *gratia magna Volscorum multitudo*, cett.

Itaque cod. Bern. communem quidem cum reliquis habet fontem, neque tamen ipse communis eorum fons est. Appellemus hoc primarium exemplar, quod fortasse Bernense aetate non ita multo superauit, codicem archetypum. Reliqui (*BCDEFΓ*), quamquam, ut postea uidebimus, in duas digrediuntur familias, omnes iterum eiusdem generis, necessario ex uno exemplari descripti esse debent, quod, quia iam non extat, breuitatis causa uocemus cod. *X*. Declarant hanc affinitatem interpolationes atque errores, qui per omnes illos peruulgati non deprehenduntur in Bernensi *A* et in aliis, qui ex eo originem traxerunt. Ita IIII, 1, ext. 7 uocis *consensu* (cod. archet. et Bern. *consenso*) priores duae syllabae *consen* exciderant et legebatur in *X tum ille so thaleti*, unde alii fecerunt *tum milesio thaleti*, alii *tum illi sothadeti*. Deteriores longius etiam aberrarunt. V, 1, 11 cod. *A* exhibet *uictoriam philippicampi* (sic) pro *philippii campi* (qui ex eo descriptus est Leidensis 4. ap. Torr. *philippi campi*); reliqui omnes *philippicam dii* e coniectura aperte falsa. Manifestum mendum archetypi et Bern. *A* III, 3, ext. 6, *gladia* pro *glaciali*, eodem modo sublatum est in *BCDEΓ*, qui exhibent *gelido*. III, 7, 1 cum in archetypo a u. *discerpsit* aberratum esset in *discessit*, reliqui libri praeter Bern. omnes accusatiuum praecedentem *prolatum — librum*, qui non conuenit huic uerbo, mutarunt in ablatiuum consequentiae quem uocamus. III, 7, 8 in archet. et *A* pro *uarius sucronensis* legebatur *uarius ucronensis* omissa

prima alterius nominis littera propter praecedens *s*; codd. uero reliqui omnes inde fecerunt *uarius ueronensis*. Iidem omnes IIII, 1, 12 omittunt uu. *uiris sermo*, consilio, ut opinor, deleta, et paulo post *non potuit. itaque*. Contra VI, 6, 2 male inculcarunt u. *dux*. VIII, 8, 1 in cod. Bern. *obbilicos* scriptum est pro *umbilicos*, quod habet Paris, cum reliqui omnes aeque interpolati pro eo proferant *calculos*. Quae si manifesto declarant codd. *BCDEFΓ* ex uno exemplo (*X*) deductos esse, hoc quidem exemplum necessario ex eodem archetypo fluxit, e quo cod. Bern. *A*.

Atqui, ut praediximus, longius etiam progredi licet in constituenda librorum affinitate aut discrepantia. Nam unius gentis, ut ita dicam, ortae e codice *X*, duas esse familias certissimis proprietatibus inter se discretas ne leuiter quidem examinantem uarias eorum lectiones fugere potest. Ad alteram earum pertinent inter nostros codices *D* et *Γ*, ad alteram *BCEF*, quos artissime inter se cohaerere exemplis probari in tanta eorum frequentia superuacuum uidebatur.

Stemma igitur omnium nostrorum codicum hoc est,



In his generibus et generum familiis omnes, quibus priores editores usi sunt, omnes, quos medii aeui scriptores adhibuerunt, omnes omnino qui extant Valerii libri suum locum habent, facile quidem definiendum in antiquioribus et melioribus, qui ex uno aliquo exemplo descripti sunt nulla adhibita aliorum codicum uarietate, quam in recentioribus et deterioribus saepe obscurasse originis et familiae indicia mirum non uidebitur, si reputaueris in his ipsorum librariorum manu uarias lectiones, aliunde petitas, in margine adiectas et haud raro pro primaria scriptura inter Valerii uerba intrusas esse. Ita enim factum est ut aliquotiens in codicem *D* transferrentur scripturae alteri familiae propriae, tum ut in huius familiae codices *EF* ascirentur quaedam desumpta ex illo genere, quod x' signauimus, denique ut unum alterumue ex his (*DEF*) occuparent emendationes aut addita-

menta e familia codicis *A* petita[1]), quod numquam accidit in melioribus *BC*. De *Γ* postea uidebimus.

Ex quo apparet facillime plerumque archetypi scripturam posse cognosci adhibita certissima hac regula et norma,

1. si cod. *A* in probanda aliqua scriptura uel cum uno meliorum librorum *BC(Γ)* ita conspirat ut commune eorum testimonium non mero casui debeatur eadem scriptura erat in archetypo.

2. Quae omittuntur in *A* et in uno e reliquis *BCDEFΓ*, ea deerant in archetypo.

Dubitari potest de archetypi scriptura,

1. si *A* discrepat a reliquis nostris codicibus inter se consentientibus, i. e. a codice *X*. Quo facto diiudicandum utrum quod illi tradunt e librarii emendatione, coniectura, errore profectum sit an antiquiorem prodat fontem;

2. si *A* discrepat a reliquis ne his quidem inter se conspirantibus. Quod ubi accidit, plerumque plus ualet auctoritas codicis *A*, cuius antiquam scripturam constanter fere archetypi lectionem retinuisse uidimus.

Iam uero, postquam Ang. Maii opera Iulii Paridis et Ianuarii Nepotiani epitomae innotuerunt, ad antiquius etiam Valerii exemplum plurimis saltem locis regredi nobis licuit, e quo et compendia illa et archetypus integrorum codicum originem traxerunt, quodque haud dubie iam ante annum 400 Christianae aerae exaratum erat. Statuamus enim Paridis epitomen medio demum quinto saeculo, ultra quod eam remoueri non posse praediximus, compositam esse, et nemo iam negabit aliquanto certe hoc tempus praecessisse Valerii codicem, quem Paris ob oculos habuerit, cum ea excerperet, cuique tamquam decimum uolumen post nouem libros explicitos adhaeserat nescio cuius grammatici libellus de nomine et uerbo.

Sed adeo arta etiam inter utrumque Valerii abbreuiatorem intercedit affinitas ut Ianuarii Nepotiani epitome aut item ex ipso hoc decem librorum codice fluxisse oporteat aut e codice, qui cum Paridensi illo communem fontem habuerit. Cuius affinitatis etsi pauca tantum, attamen certissima sunt argumenta.

---

[1]) Inde habet *D* XXIIII illa exempla libri primi, quae Valerio deperdita seruauit in compendium redacta Iul. Paris, inde Pseudoualerii decimi libri fragmentum de praenominibus, sed eam tantum particulam, quae hodieque superest in *A*.

Inter exempla enim Valerii I, 1, 18 et 19 de sacrilegio a Romanis militibus in templo Apollinis perpetrato et de Turullio Antonii praefecto, qui succiso Aesculapii luco eius dei iram in se conuertit, apud utrumque epitomatorem insertam legimus narratiunculam, notam e Ciceronis I de diu. 37, 81, Iustini XXIIII, 8, aliis, de Brenno Gallorum duce templum Delphici Apollinis ingresso deique uiribus profligato, copiosius relatam a Nepotiano, in breuius contractam a Paride, quae hoc quidem loco a Valerio posita esse nequit, cum, per totum opus constanter seruato eo discrimine, inter externa potius quam inter Romana exempla fuisset referenda. Et reuera ibi eam non fuisse positam documento est quod desideratur in omnibus melioribus nostris [1]), i. e. in archetypo codice. Itaque siue eam omnino alienam a Valerio putas et ab interpolatore quodam adiectam, quod tamen uix probabile uidetur, siue genuinam et falso tantum loco insertam repetitamque e sequentibus externis exemplis, quorum maior pars in codicibus nostris interiit, in quam opinionem equidem cum maxime inclino, id unum certissime constat, inuentum esse Brenni exemplum eo loco plene narratum in libro quodam Valerii perantiquo, eumque librum communem fontem extitisse duabus hisce epitomis, diuersum autem fontem archetypo codici fuisse, quem ea corruptela non occupauerat. Aliud aeque manifestum eiusdem nexus indicium cernitur in utroque compendio Valerianae relationis de dedecore Punicarum feminarum dotes corporis iniuria contrahentium (II, 6, 15). Commemoratur ibi fanum Veneris Siccensis, in quod se contulisse dicuntur mulieres turpem illum quaestum facturae. Atqui pro urbe Sicca, quam archetypus cod. recte tuetur, quamque propter ipsum huius deae cultum Veneriae nomen tulisse scimus, apud Paridem et Nepotianum male notior, ut uidetur, urbs Cirta, de qua nihil eiusmodi constat, substituitur, non fortuito librariorum errore sed interpolatione consilio temptata, quae simul in Paridis et Nepotiani epitomas transire non potuit nisi ex eadem Valerii recensione. Praeterea minutiora quoque menda utrique communia, quae eiusmodi sunt, ut suspicionem non admittant casu eodem modo eodemque loco in duobus

[1]) In recentiores quosdam eo loco Paridis compendium irrepsit e marginali additamento codicis Bernensis.

diuersis uoluminibus lapsos esse librarios, communem eorum originem demonstrant, e quibus unum illud exhibeam quod Paris I, 4, 6 (p. 8 ed. Mai.) Ciceronem apud Caletanam uillam, Nepotianus I, 5, 6 (p. 98 ed. Mai.) in Caletano (cod. *Saletano*) agro fato functum esse referunt manifesta corruptela pro *Caietana* et *Caietano*. Breuitatis causa hunc codicem Valerii, e quo duo illi libri fluxerunt, quorum altero Paris, altero Nepotianus usus est, notemus littera *Π*.

Codex autem *Π* peruetustus quidem, neque tamen antiquissimus nec ultimus finis est, in quo traditam Valerii scripturam exploraturos subsistere atque acquiescere oporteat. Nam si exempla afferri poterunt, in quibus a primaria Valeriani operis forma aut scribarum errore aut aliorum hominum interpolatione declinatum est, quaeque ita deprauata per duorum diuersorum generum libros, descriptos partim e cod. *Π*, partim ex archetypo libro diuulgata et propagata, ideoque communia nunc sunt omnibus codicibus nostris et epitomatoribus, concedendum erit istas corruptelas, qualescumque sunt, exceptis in quibus fortuitus consensus utriusque familiae recentiore demum tempore ortus deprehendatur, iam occupasse librum antiquiorem codice *Π*, e quo et is ipse et ille, quem nos quidem archetypum uocare solemus, originem acceperint.

Et sunt profecto quaedam, quae omnem de ea re eximant dubitationem. Notabile in primis exemplum inuenitur II, 1, 4, ubi pro quingentis annis, quos necessario posuisse debet Valerius, in omnibus codd., Paride, Nepotiano (i. e in cod. *Π* et in cod. archetypo) de centum et quinquaginta tantum annis refertur, haud dubie quia a quingenarii numeri nota ↀ aberratum erat in cl [1]). III, 2, 23 uitiose in utraque familia legitur *Ad eum capiendum*, ni fallor, pro *ad id capiendum*. VI, 1, 13 errore, cuius causa facile intellegitur, scribebatur in cod. archetypo et in *Π quem deprehenderat* pro *qui deprehenderat*. III, 2, 20 *pu-*

[1]) Id mendum saepissime occurrit in minutiore cursiua quam uocant scriptura inde a saeculo VIII. Ne tamen quis dubitet de satis antiqua hac figura d, — nam D non admittit eam quam accepimus confusionem, — inuenitur in inscript. apud Mabillon. II de re diplomat. p. 114 ed. Adimar., quae recurrit ad ann. CCCXXXVIII, Vrso et Polemio coss. Vulgata iam est saec. V et VI. Cf. specimen e cod. Vatic. Hilarii desumptum ap. Mabill. I, p. 371 et aliud in epistula Pauli ad Romanos in Nouveau traité de diplomatique par deux religieux Bénédictins de la congreg. de S. Maur. III, p. 143.

nicum bellum pro *punicum uallum*, ubi lapsus causam praebuerunt confusae litterae V et B, cum pro *punico uallo* primum poneretur *punicum ballum*, ut habet cod. Medic. Tac. ann. XII, 33. Vtriusque familiae testimonium VII, 2, 4 consentit in *iudex addictus* pro *iudex aditus*. In archetypo IX, 1, 8 erat *Metello et Scipione cons.*, in Paride *Metello et Scipioni consulibus* pro nomine unius hominis, Metelli Scipionis. Saepius nomina propria eodem modo utrobique traduntur corrupta. I, 1, 10 codd., Par., Nep. *Aluanium, Albanium, Albanum* pro Albinio ponunt; II, 7, 15 *M. Furium Flaccum* pro M. Fuluio Flacco; 1, 1, 4 *P. Coelium Siculum* pro P. Cloelio Siculo; III, 4, ext. 1 *Sophoniscum* pro Sophronisco; VI, 1, 10 *C. Fescenninum* uel *C. Fescennium* pro C. Pescennio; VII, 4, 5 oppidum *Trebiam* pro Contrebia. VII, 6, 1 *Iuni opera* legitur pro Iunio Pera, cett. Fieri potuisse ut aliquot locis recentiores utriusque familiae librarii forte fortuna in idem mendum inciderent non omnino quidem negauerim, quo facto affinitatis argumentum ex illis repeti nequit; atqui in plerisque certe unius primarii fontis necessitatem, quae e consensu diuersorum generum sequitur, quam fatalem istum et perquam dubium probaueris casum.

Eodem aliud quoddam pertinet interpolationis genus, inscriptiones, quae singulis capitibus praeponuntur. Nam has quidem non a Valerio esse profectas fugere neminem potest, qui spectauerit cum uniuersam earum rationem, qua misere plerumque recoquunt uerba excerpta e sententiis, quibus nouae relationes ab auctore inducuntur, tum alias quasdam prauitates, ab eo qui hunc librum confecerat utique alienas. Qui enim per totum opus id obseruauit, ut prius Romana, deinde externa eiusdem generis exempla recognosceret, eaque ab alio genere discerneret [1]), is certe pietatem erga parentes cum beniuolentia fraterna et amore patriae non potuit ita tamquam uno capite comprehendere mixtis Romanis cum externis, quemadmodum una inscriptione comprehenduntur libri quinti capita IIII, V, VI; idem non potuit VIII, 11, ext. 5 et IX, 13, ext. 2 aliquot externorum exemplorum a reliquis seiuncta peculiaribus titulis ad propria capita componere. Itaque iam Fabricius II bibl. Lat.,

[1]) Cfr. I, 5, ext. 1; I, 6, ext. 1; II, 10, ext. 1; III, 8, ext. 1; IIII, 1, 15; IIII, 3, ext. 1; IIII, 5, ext. 1; IIII, 6, ext. 1; IIII, 7, ext. 1; IIII, 8, 5; V, 2, ext. init.

Funccius de immin. Lat. ling. senect., Müller hist. crit. einl. z. kenntn. d. alt. schriftst. V, p. 348, nuperrime Dirksenius l. c. p. 6—15, spurias esse omnes has rubricas merito contenderunt, quamquam Dirksenii quidem argumenta accuratius nunc excussis Valerii codicibus magna ex parte ad irritum cadunt. Praepostera autem haec grammatici cuiusdam, ut equidem opinor, cura iam antiquissimum codicem occupasse debet, cum plane diuersi testes, cod. *Π* et cod. archetypus, summo consensu in ea conspirent.

Hic antiquissimus omnium liber et communis omnium codicum cum integrorum tum abbreuiatorum quasi parens, ad cuius testimonium in restituendo Valerii opere ubicumque licet redeamus oportet, qua aetate fuerit scriptus pro certo indicare uelle temerarii esset. At si memineris aliquot saltem librorum seriem ex eo deduci debuisse, antequam Rusticius Helpidius Paridense exemplar describeret, exaratum, ut praediximus, circa annum 500 p. Chr. n., facile concesseris eum ab illo minimum unius saeculi spatio diuisum uix post annum 400 confici potuisse. Acquiescimus in hac temporis definitione, qua subtiliorem ausi non sumus, accuratiorem ne expedire quidem arbitramur, satisque habemus Paridis et archetypi libri consensum ad testimonium aetatis retulisse, cui quanta fides tribuenda sit docemur Mediceo Virgilii codice, distincto et emendato a Turcio Rufio Aproniano eodem fere tempore, quo Rusticius Helpidius Domnulus Paridis epitomen recensuit.

Integrum igitur stemma omnium Valerianorum librorum hoc est,



Superest ut de iis locis admoneamus, in quibus scripturae alteri codicum generi propriae in alterum translatae perturbarunt diuersarum familiarum testimonia, quibusque, ni satis uetusti

ex utroque genere hodieque extarent libri, omnia ita impedita essent ut exitus uix inueniretur. Nunc nulla fere relinquitur difficultas. Iam enim commemorauimus doctum quendam hominem saeculo, ut uidetur, decimo recensuisse codicem nostrum Bernensem *A*, inque eo negotio maxime adiutum esse Paridensis epitomae exemplo aut eodem, e quo ante hos triginta annos Ang. Maius id compendium edidit, aut certe huius simillimo, cum discrepantiam inter excerpta Bernensi libro inserta et Vaticanum codicem inuenerim fere nullam.

Tribus tantum locis notabilia deprehenduntur additamenta, quae non e Paride petita aut ipse librarius ex ingenio adiecisse aut aliunde accepisse existimandus est. Dubitamus maxime de uu. *aut tristi iram*, quae ascripta in margine VI, 2, 7 ad explendam archetypi lacunam sane coniecturae speciem prae se ferunt. Nam oppositio illa (*aut tristi*) ut propter praecedentia, *neutra in parte mutato uultu utrumque cauit*, *ne aut hilari fronte libenter agnoscere potentiam*, omnino necessaria erat, ita facillime obuia, cum interim eam sententiam, quae efficitur uu. *aut tristi iram*, uix posuisse potest Valerius, ni dormitasse eum credideris. Desideratur potius *aut tristi iam* uel simile aliquid. (Cf. commentar. nostr.) Ac ne ea quidem, quae VI, 2, 3 in margine Bernensis libri ascripta sunt, *prementes ora*, quibus egregie sane damnum archetypo codici illatum reficitur, haud insciti emendatoris potius diuinationi tribuere dubitaremus, quam ex alio libro diuerso ab archetypo correcta existimare, nisi tali libro eum usum esse tertius locus III, 2, 10 insigni demonstraret exemplo, ubi lacuna codicis archetypi, orta, quod librarius uelocí oculo a syllaba *cam* in u. *punicam* ad eandem in u. *camporum* transilierat, ita expleta est ut de coniectura recentioris hominis cogitari omnino nequeat. Leguntur enim in margine uu. *classem nantes lubricis pelagi quasi cam*, inserenda in monstro uocabuli, quod inter ipsa uerba est, *punicamporum*.

Quapropter cum iam constet adhibuisse correctorem libri Bern. praeter Paridis epitomam aliud quoque integri Valerii exemplar, quaeritur anne ex eo emendationes permultae fluxerint, quae non e Paride desumptae, eandem tamen manum atque reliquae interpolationes, quarum originem indicauimus, produnt. Quod si concedendum erit, habebunt et ipsae suam auctoritatem, profecto non spernendam, quippe quae in libro satis quidem

uetusto nitatur. Verum omnia, quae huc pertinent, adeo manifestam coniecturarum speciem prae se ferunt ut facere non possimus quin in his docti cuiusdam uiri, modo feliciter modo audacius et parum recte Valerium emendantis, curam, hac aetate sane raram, agnoscamus. Documento esse possunt hae primi uoluminis interpolationes, c. 6, 9 *Is enim captarum;* c. 7, 3 *ac periculo suo graui;* c. 7, 7 *anquem* pro *ecquem;* c. 8, 10 *petentibus* pro *reddentibus;* ibid. paulo post *nihil inquit* pro *nihil enim inquit;* c. 8, ext. 2 *in eum potissimum locum;* cett.

Harum igitur emendationum, saepissime e Paridis epitome, rarius e coniectura docti librarii, perquam raro ex integriore Valerii codice in Bernense exemplar inductarum, magna pars in alios libros transiit, sed, quod gratulari debemus propitiae fortunae, in recentiores dumtaxat et ne in hos quidem omnes, cum optimi quique ab illis interpolationibus liberi manserint. Occuparunt igitur inter meos hic illic alterum Berolinensem *D* et utrumque Guelferbytanum *EF*, numquam Vindobonensem *B* neque Berolinensem praestantiorem *C*. In primario uero codice eius familiae, in qua sunt codd. *D* et *Γ*, pauca quaedam a correctore libri Bernensis assumpta esse uidentur; animaduerto enim hos libros et maxime abbreuiatum Guelferbytanum aliquotiens cum secunda codicis Bernensis manu ita conuenire ut omnis de fortuito quodam consensu remoueatur suspicio. Vt pauca ponam exempla, VII, 2, ext. 10 *dimittens* pro archetypi *mittens* ascitum est ex correcto Bernensi. Ibidem uu. *aut rarissime,* omissa in cod. archetypo, in aliis libris uarie e coniectura, in cod. *A* recte e Paridensi compendio suppleta, ita in Guelferbytano quoque *Γ* habentur. V, 1, 1 duarum lacunarum omissis in archetypo uerbis *ad gratulandum* et *deuicto* altera intacta mansit in *Γ*, u. *deuicto* e marginali additamento codicis *A* receptum est in *DΓ*. IX, 13, 1 u. *extingui* desideratum in archetypo a Paride mutuatus est emendator Bernensis, ab eo codd. *DΓ*. IIII, 3, 14 in archetypo et *A* legebatur *moribus an moribus* pro *armis an moribus*. Mendum sublatum est in corr. *A* et in *DΓ*. Item P. Annii nomen VIII, 9, 2 recte habetur in Paridensi epitome, in correcto Bernensi inque abbreuiato Guelferbytano. Fortasse huc referendum erit, quod VI, 2, 7 uu. *aut tristi iram*, quae, ut praediximus, *A* in margine habet, recepta sunt a Ioanne Saresberiensi Policr. VII, 25

p. 1518, qui non semel consentit cum illa familia, et in codice Berolinensi *D*; nam abbreuiator Guelferbytanus totum hoc exemplum omisit.

Paucissima denique illa, in quibus aut eiusdem familiae testimonium ita diuisum est aut diuersarum ita congruit ut primo saltem obtutu his quidem euerti et redargui uideantur quae de distinguendis codicum generibus exposui, facilius et perspicue magis in ipsis commentariis enodare et reliquis accommodare potero.

De consilio et indole huius exempli Valeriani uix restant quae addam, cum pleraque, quae huc pertineant, ipso libro declarentur. Propositum erat scriptorem, qui, quamquam a uiris doctissimis, Pighio, Lipsio, Perizonio, Torrenio, diligenter et ingeniose tractatus erat, tamen maxime propter bonorum librorum defectum parum sui similis ad aetatem nostram peruenit, auditis fidissimis quibusque, qui hodie citari possunt, testibus in integrum restituere, perquirere quid antiquissimo, de quo supra diximus, codice traditum, et si aditus ad eum non pateret, quid in archetypo integrorum codicum aut in archetypo Paridis et Nepotiani scriptum fuisset, inter haec seiungere genuina a corruptis, corrupta, si ita aut sanata iam essent a prioribus grammaticis aut a me sanari possent ut euidentissime emendationis ueritas comprobaretur, corrigere, reliqua uulnere nondum probabiliter sanato indicare, ita ut numquam rationem non redderem negotii mei, nisi si quando leuiter aut sine ulla causa priorum exemplorum uulgata lectio ab omnium librorum mss. consentiente testimonio discederet.

Quae cura huic scriptori in primis necessaria cum per se iam satis magnam uoluminis partem compleret, ne ultra modum fines extenderentur, a quaestionibus historiam, antiquitates, grammaticam spectantibus, quarum saepe occasio praebebatur, abstinendum erat, praeterquam ubi illis disciplinis subsidia et adminicula critici officii continebantur, quod ipsum permultis locis accidisse neminem fugiet. Ita quae de peculiari auctoris dicendi genere, quatenus ad grammaticam rationem pertinet, habui communicanda, tantum non omnia criticis notis potui intexere. Historiae uero et antiquitatibus operam nauantibus cum scirem non modicae utilitatis esse locorum conquisitionem, quibus alii scriptores circa easdem res uersati essent, hos singulis

exemplis ascripsi, et copiosius quam in prioribus exemplaribus factum erat et accuratius, cum in citandis ueterum auctorum operibus nimium quantum neglegentia peccauerint editores, simulque ubi notabiliter Valerius ab eorum testimonio discrepuerit religiose admonui.

Varietatem codicum meorum, ut eadem quae mihi iudicandi facultas lectoribus quoque esset, exhibui integram omnium, omissis tamen in plerisque utpote recentioribus quae ad solam scribendi rationem et morem diuersis temporibus diuersum pertinere uiderentur. Non aeque spreui orthographiam antiquissimi codicis Bernensis, quam diligenter enotatam aut ipse secutus sum aut uarietati scripturae inserui exceptis paucis quibusdam, quae non constanter me excerpsisse ualde nunc doleo. Grauioribus enim cum maxime intentus mox omisi in collatione mea adnotare confusionem litterarum B et P, D et T, quae passim sed non adeo frequenter propter similitudinem pronunciationis permutatae, interdum effecerunt hasce uocabulorum figuras, *set*, *aput*, *uelud*, *scribsit* cett. Tum in praenominibus non ubique significaui utrum plene scripta sint in codice an per unam, duas uel tres priores litteras. Gaii et Gnaei nomina, si omnibus his litteris exarata sunt, constanter per G incipiunt, compendium pari fere numero per C et per G. Nos illic G, hic C, quod unice rectum putamus, tacite reposuimus. Denique non semper in collatione nostra, rarius etiam in uarietate lectionum de scripturae compendiis admonuimus praesertim in uerbis, quae nihil afferunt ambiguitatis. Praeterea uero commemoranda numquam, quod sciam, non commemoraui, ita ut sperem me, in quibus ingenii nullus sit locus, diligentiae meruisse testimonium. Sciunt autem qui ipse aliquando codices manuscriptos per integrum opus aliquod conferendos sibi desumpserunt, fieri posse ut uel diligentissime in id negotium incumbentem fugiant aliquot minutae res, neque ego me ipsum operamque meam huic fato succubuisse negauerim. Quapropter ubi suspicionem mouit collationis silentium, enotaui quod legisse me arbitrabar, codicis uero notam, ut significarem illud silentium, parenthesi (—) inclusi. Hanc parenthesin perraro aut numquam appositam inueneris libris Bernensi *A* et Berolinensibus *CD*, quorum illum nonnullis locis, de quibus subdubitaui, gratificaturus mihi denuo inspexit uir humanissimus G. F. Rettig, professor in uniuersitate

litteraria Bernensi, semperque fere me uerum uidisse per litteras monuit, pauca quaedam correxit; hos ipsi mihi tantum non cotidie licuit adire et identidem euoluere. Reliquorum igitur, de quibus nihil adnotaui in uarietate scripturae, testimonium cum uerbis a me editis consentire scias. Congruit cum iisdem, ubi de altera sola alicuius libri scriptura retuli, altera eiusdem libri manus; non item de primaria scriptura constat, si in rasura quid correctum esse dixi. Litteras radendo deletas significaui asteriscis inter superstites interpositis e. g. *quos..uero A.*, ubi alii codd. *quosdam uero*. Denique in cod. *A* sub finem libri noni humore et situ, ut praediximus, euanida ita significaui ut quae legere et persequi non potuissem circumdarem uncis, sic: *tem*[*pore — et*] *ueri* A. Praepositionum in consonantem litteram exeuntium ultima in uerbis compositis pari fere numero aut accommodatur sequenti consonanti (*afferre*) aut suam retinuit figuram (*adferre*). In his quoque, quantum fieri poterat, seruaui codicis scripturam, ita tamen ut, si compendium librarii consilium dubium redderet, nam *tperium* esse potest *inperium* et *imperium*, assimilarem ultimam praepositionis. Addidi praeterea in uarietate scripturae discrepantiam Torrenianae editionis, ut appareret quibus locis a uulgatis Valerii exemplaribus discessissem. Nam Torrenii recensionem constanter fere secuti sunt recentiores editores Kappius, Helfrechtus, Hasius. Sed ne inutilis uariantium multitudo perspicuitati officeret in his quidem, quod in sola scribendi ratione et orthographia diuersa a mea consistit, discrimen enotare nolui.

Inter ipsa Valerii uerba quae exciderant in codice archetypo, sed aut certa coniectura aut e Paridensi epitoma poterant restitui, cursiua quam uocant scriptura a reliquis distinximus. Idem fecimus in ampla libri primi lacuna, quam hucusque in editionibus secundum Paridis compendium expletam, nos, quoniam Paris propius quidem ad Valerii uerba accessit, Nepotianus dicta factaque copiosiore relatione amplexus est, utroque breuiatore adhibito sarcire studuimus. Contrarium uitium archetypi, interpolationes omnibus libris communes, cunctas excepta una maioris ambitus II, 10, 8 in textu reliquimus uncis seclusas, ut, in quantum fieri posset sine noxa, exprimeretur huius primarii codicis species ac forma, intellegeretur frequentia eius corruptelae, primo statim aspectu monerentur lectores medicinam esse adhibitam, quae plerumque non iniuria uiolentior putatur.

Peruersa maxime et aliena ab indole huius operis capitum distinctio erat in editionibus post Pighium uulgatis, qui titulorum et inscriptionum, quibus in codicibus manuscriptis secernuntur singula capita, parum rationem habens, alios pro arbitratu immutauit, alios transposuit falsoque loco intrusit, alios prorsus deleuit, contractis in unum diuersis capitibus, alios denique, diuulsis quae coniuncta proferri debebant, introduxit fictos a se ipso. Ita factum est ut libro secundo de institutis antiquis quae uno tenore absoluenda erant sex diuersis capitibus pertractarentur 1, de matrimoniorum ritu et necessitudinum officiis. 2, de magistratuum atque ordinum officiis et institutis. 3, de militaribus institutis. 4, de spectaculis. 5, de frugalitate et innocentia. 6, de externis institutis. Quae inscriptiones ut non habentur in codicibus manuscriptis, ita ne aptae quidem sunt omnibus rebus, quae illis capitibus continentur. Valde praeterea displicuit quod Romana et externa eiusdem generis exempla, quae optime comprehendi potuissent, ut comprehenduntur in compendiis a Maio editis, separatim suis numeris insignita erant, et multo etiam magis quod interdum moleste ipsa Romana sublitiore etiam discrimine dirimebantur, ita ut libro IX cap. 7 secernerentur ac per se numerarentur plebei a militum Romanorum seditiosis conatibus. Neque tamen quicquam mutandum censui in hac librorum capitumque diuisione, ne ipsa illa peruersitate molestior posthac existeret dubitatio et fluctuatio in citandis Valerii exemplis. Inscriptiones uero capitum, quod facere potui sine ullo incommodo, restitui quem ad modum suadebant et mei libri omnes et breuiator Paris.

SIGLA CODICVM.

A = Cod. Bernensis olim Petri Danielis. Cf. praef. p. 78.

B = Cod. Vindobonensis (praef. p. 80.) tres tantum priores libros et quartum usque ad c. IIII §. 9 continens.

C = Cod. Berolinensis (praef. p. 81.).

D = Cod. alter Berolinensis (praef. p. 81.).

E = Cod. Guelferbytanus ap. Ebert. n. 889. (praef. p. 82.).

F = Cod. alter Guelferbytanus ap. Ebert. n. 892. (praef. p. 83.), qui incipit III, 7, 3 et desinit IX, 3, 2.

Γ = Cod. abbreuiatus Guelferbytanus (praef. p. 83.).

Par. = Cod. Vat. epitomae Iulii Paridis editae ab Ang. Maio (praef. p. 50.).

Nep. = Ianuarii Nepotiani epitome edita ab Ang. Maio pertinens usque ad III, 2, 7. (praef. p. 68.).

Torr. = Vulgata scriptura enotata ex exemplo Torreniano anni 1726.

* * Asterisci interpositi Valerianis uerbis archetypi codicis lacunam denotant, in uarietate scripturae litteras radendo ita deletas ut legi nequeant.

Lacunarum supplementa cursiua quam uocant scriptura significata sunt.

[—] Vncis spuriae uoces Valerianis interpositae secluduntur, in uarietate scripturae ea, quae in fine codicis Bern. humore et situ euanida legi non potuerunt.

CAPITVLA LIBRORVM VALERII MAXIMI FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM.

Lib. I.

1. a. De religione.
1. b. De neglecta religione.
2. De simulata religione.
3. De superstitionibus.
4. De auspiciis.
5. De ominibus.
6. De prodigiis.
7. De somniis.
8. De miraculis.

Lib. II.

1. De institutis antiquis.
2. De disciplina militari.
3. De iure triumphandi.
4. De censoria nota.
5. De maiestate.

Lib. III.

1. De indole.
2. De fortitudine.

(In hoc indiculo significat P indicem capitum Paridensi epitomae praemissum; P'' inscriptiones singulorum capitum in ipso Paridis opere; A indicem capitum in Bernensi codice toti operi praemissum; A' indicem capitulorum in Bernensi codice singulis libris praepositum; A'' ipsas capitum inscriptiones in Bernensi codice suis locis insertas.)

Lib. I. 1. De religione seruata aut neglecta aut simulata. Qui simulata religione auctoritatem habuerunt *P.* ‖ 1. a. De religione seruata aut neglecta P''. ‖ 1. b. De contempta religione P''. ‖ 2. *om.* $A\ A'\ A''$. De religione simulata *P.* ‖ 3. *Sic Nep. om.* $A\ A'\ A''\ P'\ P''$. ‖ 4. *om.* $A\ A'\ A''$. De auguriis et auspiciis *P.* de auspicio P''. ‖ 5. De omine P''. ‖ 8. De uisis *et ante* I, 8, §. 11 De mirandis P''.

Lib. II. 3. triumphandi] triumphi AP.

3. De patientia.
4. Qui humili loco clari euaserunt.
5. Qui a parentibus claris degenerauerunt.
6. Qui ex inlustribus uiris in ueste aut in cetero cultu sibi licentius quam mos patrius permittebat indulserunt.
7. De fiducia sui.
8. De constantia.

Lib. IIII.

1. De moderatione.
2. Qui ex inimicitiis iuncti sunt amicitia aut necessitudine.
3. De abstinentia et continentia.
4. De paupertate.
5. De uerecundia.
6. De amore coniugali.
7. De amicitia.
8. De liberalitate.

Lib. V.

1. De humanitate et clementia.
2. De gratis.
3. De ingratis.
4. De pietate erga parentes et fratres et patriam.
5. De parentum amore et indulgentia in liberos.
6. De seueritate patrum in liberos.
7. De parentum aduersus suspectos liberos moderatione.
8. De parentibus qui obitum liberorum forti animo tulerunt.

Lib. VI.

1. De pudicitia.
2. Libere dicta aut facta.
3. De seueritate.
4. Grauiter dicta aut facta.

Lib. III. 4. De his qui humili loco nati clari euaserunt *A''*. Qui ex humili clari fuerunt *P*. Qui ex humili loco euaserint *P''*. || euaserunt] euaserint *A'*. || 5. *om. P P''*. || a parentibus] *eras. in A*. || degenerauerint *A'*. || 6. Qui sibi diligentius indulserunt *P*. Qui sibi licentius quam mos patrius permiserat indulserunt *P''*. || illustribus *A''*. || in cetero] aut cetero *A''*. || licentius sibi *A''*. indulserint *A'*.

Lib. IIII. 2. Qui ex inimicis amici fuerunt *P*. || sint *P''*. || amicitia aut necessitudine *om. P''*. || 3. et continentia *om. P''*. aut continentia *A*. || 7. *om. A A' A''*.

Lib. V. 1. De humilitate *pr. A'*. || aut clementia *A A'*. || 4. parentes erga fratres erga patriam *A A'*. parentes fratres patriam *P P''*. || 5. amore et indulgentia *om. P*. et indulgentia *om. P''*. || 6. De parentum seueritate aduersus liberos *A A'*. De parentum seueritate *(omissis reliquis) P P''*. || 7. *om. P''*. || aduersus suspectos liberos *om. P*. || susceptos *A'*. || 8. De parentibus *om. P P''*. || liberorum] filiorum *A P''*. || forti animo *om. P*.

5. De iustitia.
6. De fide publica.
7. De fide uxorum erga uiros.
8. De fide seruorum.
9. De mutatione morum aut fortunae.

Lib. VII.

1. De felicitate.
2. Sapienter dicta aut facta.
3. Vafre dicta aut facta.
4. Strategemata.
5. De repulsis.
6. De necessitate.
7. De testamentis quae rescissa sunt.
8. Quae rata manserunt, cum causas haberent cur rescindi possent.
9. Quae aduersus opiniones hominum heredes habuerunt.

Lib. VIII.

1. Infames rei quibus de causis absoluti aut damnati sint.
2. De priuatis iudiciis insignibus.
3. Quae mulieres apud magistratus pro se aut pro aliis causas egerunt.
4. De quaestionibus.
5. De testibus.
6. Qui quae in aliis uindicarant ipsi commiserunt.
7. De studio et industria.
8. De otio.
9. Quanta uis sit eloquentiae.
10. Quantum momentum sit in

Lib. VI. 5. *om. A.* || 7. erga uiros *om. P P''.* || 8. *om. A.* || 9. morum aut *om. P.* || aut fortunae *om. P''.*

Lib. VII. 1. De fortuna constanter propitia *P''.* || 3. *om. P.* De astutia *P''.* || bafre *A A'.* || 4. Stragetica *pr. A.* Strategetica *corr. A,* Stragemata *A'.* Strate ge mata *A''.* || 5. De ambitu *P''.* || 6. *Duo capita hic habet inscripta* De legibus et imperiis truculentis, *et tum* De necessitate *P''.* || 7. De testamentis rescissis *P. Tria capita VII, VIII, IX, ad unum coniunxit inscriptum* De testamentis *P''.* || 8. cum causas — possent *om. P.* || possunt *pr. A'.* || 9. Qui contra opinionem heredes *P.* || opinionem *A A'.*

Lib. VIII. 1. De iudiciis publicis *P''.* || absol. aut damn.] damn. aut absol. *P,* || sunt *P.* || 2. priuatis *om. P.* || insignibus *om. P''.* || 3. Quae feminae per se causas dixerint *P''.* || apud — aliis *om. P.* || pro aliis] pro *om. A A'.* || 4. De seruilibus *P''.* || 5. Quibus testibus creditum non sit *P''.* || 6. in aliis *om. P.* || uindicarunt *A.* uindicauerant *P.* uindicabant *P''.* || commiserint *P''.* || 9. Quanta uis eloquentiae est *A A'.* Quanta uis in eloquentia et pronunciatione *P''.* || Quinta *A''.* || sit *om. P.* || 10. *om. P''.* Quantum ex pronunciatione *(omissis reliquis) P.* || Quintum *pr. A''.* || aptu *A''.*

pronunciatione et apto motu corporis.
11. a. Quam magni effectus artium sint.
11. b. Quaedam nulla arte effici posse.
12. Suae quemque artis optimum et auctorem esse et disputatorem.
13. De senectute.
14. De cupiditate gloriae.
15. Quae cuique magnifica contigerunt.

Lib. IX.

1. De luxuria et libidine.
2. De crudelitate.
3. De ira aut odio.
4. De auaritia.
5. De superbia et impotentia.
6. De perfidia.
7. De ui et seditione.
8. De temeritate.
9. De errore.
10. De ultione.
11. Dicta improba aut facta scelerata.
12. De mortibus non uulgaribus.
13. a. De cupiditate uitae.
13. b. Quam exquisita custodia usi sint quibus suspecti domestici fuerunt.
14. De similitudine formae.
15. De his qui infimo loco nati mendacio se clarissimis familiis inserere conati sunt.

Lib. X.

1. De praenominibus.
2. De nominibus.
3. De cognominibus.
4. De agnominibus.
5. De appellationibus.
6. De uerbis.

---

11. a. Qui effectus artium *P*. De effectu artium *P''*. || 11. b. Quae nulla arte fieri possunt *P P''*. || 12. *om. P''*. || et auctorem — disputatorem] auctorem et iudicem *P*. || actorem *A''*. || 14. De gloriae cupiditate *P''*. || 16. Quae cui magnifica contigerint *P P''*.

Lib. IX. 5. potentia *A*. || 9. Quantum ualeat error *in rasura A'*. || 11. improba *om. P*. || 12. uulgatibus *A''*. || 13. a. De uitae cupiditate *P''*. || 13. b. Quam exquisita quidam custodia usi sint *(omissis reliquis) P''*. De custodia sui *P*. || sint] sunt *A*. || 14. formae *om. P*. || 15. *om. P''*. De his qui alieni melioribus se inseruerunt *P*.

Lib. X. 1. *om. A A' et pr. A''*. || 2. *Hic titulus et qui sequuntur extant in solo P*.

VALERI MAXIMI

FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM

LIBER PRIMVS.

Vrbis Romae exterarumque gentium facta simul ac dicta memoratu digna, quae apud alios latius diffusa sunt quam ut breuiter cognosci possint, ab illustribus electa auctoribus digerere constitui, ut documenta sumere uolentibus longae inquisitionis labor absit. Nec mihi cuncta conplectendi cupido incessit. Quis enim omnis aeui gesta modico uoluminum numero conprehenderit, aut quis compos mentis domesticae peregrinaeque historiae seriem, felici superiorum stilo conditam, uel attentiore cura uel praestantiore facundia traditurum se sperauerit? Te igitur huic

1. VALERI (Valerii *BC.*) MAXIMI FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM LIB. PRIMVS INCIPIT. *ABC.* Valerii maximi incipit lib. I de religione siue cultu deorum *E.* *Inscriptionem om. DΓ.* Factorum dictorumque libri nouem ad Tiberium Caesarem Augustum *Torr. Cf. A. Gell. noct. A. XII.* 7. ‖ 5. illos *Γ.* ‖ diffusa *E.* ‖ ut quam *Γ.* ‖ 6. digerere] deligere *ABCDEΓ Torr.* ‖ 9. tam modico *D.* ‖ 10. aut] ac *D.* ‖ 11. feliciter *Γ. om. D.* ‖ superiori *ABCDΓ.* ‖ conditam] traditam *D.* ‖ aut attentiore *D.* ‖ 12. praestanciori *ABCE.*

Lib. I. *Ab illustribus — digerere*) Omnes omnino libri pro *digerere* exhibent *deligere* foedissima in designandis diuersis rebus eiusdem fere notionis geminatione. Falso enim interpretantur qui cum Gebhardo Crepund. III, 3., ut nuper Calmberg (nouae edit. Val. Max. specim. in programm. Ioannei Hamburg. 1844.), ita enarrant, tamquam quae superiorum temporum illustres scriptores elegerint, ea Val. collegerit atque certo ordine composuerit; nam qui historiam condiderunt, et hi maxime intelleguntur, simpliciter in hoc sententiarum nexu elegisse facta et dicta dici nequeunt. Valerius quae ipse ex aliis scriptoribus (ab illustribus auctoribus) elegerat in certum ordinem et in genera quaedam disposuit, ut exempla orationum et declamationum argumentis subiungere cupientibus longae inquisitionis labor abesset. Quod scriptoris negotium non per deligendi sed per digerendi uerbum exprimi pridem iam docuit Meursius (Mantiss. 25. p. 130.), probauit Perizonius, non male comparans Cic. I de inuen. 30, 49. Confunduntur haec uocabula iam in antiquissimo palimpsesto Ciceronis II de rep. 12, 24. p. 283 Mai.

felici superiorum stilo) Vitiosa archetypi codicis scriptura *felici superiori*

coepto, penes quem hominum deorumque consensus maris ac terrae regimen esse uoluit, certissima salus patriae, Caesar, inuoco, cuius caelesti prouidentia uirtutes, de quibus dicturus sum, benignissime fouentur, uitia seuerissime uindicantur. Nam si prisci oratores ab Ioue optimo maximo bene orsi sunt, si excellentissimi uates a numine aliquo principia traxerunt, mea paruitas eo iustius ad fauorem tuum decucurrerit, quo cetera diuinitas opinione colligitur, tua praesenti fide paterno auitoque sideri par uidetur, quorum eximio fulgore multum caerimoniis nostris inclitae alacritatis accessit. Reliquos enim deos accepimus, Caesares dedimus. Et quoniam initium a cultu deorum petere in animo est, de condicione eius summatim disseram.

DE RELIGIONE.

I. 1. Maiores statas sollemnesque caerimonias pontificum scientia, bene gerendarum rerum auctoritates augurum obseruatione, Apollinis praedictiones uatum libris, portentorum depulsiones Etrusca disciplina explicari uoluerunt. Prisco etiam instituto

1. coepto huic *DΓ*. || 2. Caesar *om. pr. B.* || 4. si *om. pr. B.* || 5. a ioue *E.* || 7. decurrerit *EΓ Torr. Vid. ad* III, 1, 1. || 10. inclytae *corr. A.* || claritatis *E Torr.* || Deos enim reliquos *Torr.* || 11. quoniam — (12.) disseram] primo quidem a priscis urbis nostrae ceterarumque gentium memorabilibus institutis ordiendum uidetur. Opus est enim cognosci *(sic omissis reliquis statim transit ad lib. II cap. 1.) Γ.* || 13. Valerii Maximi factorum dictorumque liber primus. Cap. I De religione obseruata *Torr.* De religione seruata aut neglecta *Par., om. E.* || 14. Maiores] *add.* nostri *corr. D, Torr.* || statutas *C.* || sollempnesque *A.* || 15. auctoritate *ABCDE.* || 16. praedicatione *ABCDE.* || depulsis *ABC DE.* depulsa *Pigh.* depulsus *uel* depulsas *Gronou. correxit Vorst.*

stilo emendata iam est in altero Guelferbyt. et in recentioribus quibusdam libris. Ita superioris aetatis homines simpliciter superiores dici II, 1, 10 adnotauit Periz.

alacritatis) Cum uulgo legeretur *claritatis*, reuocaui quod non paucis aliquot, ut narratur apud Torrenium, sed omnibus fere libris confirmatum, cur tanto consensu a grammaticis spretum sit non intellego. Adulator Valerius nouum quodam modo uigorem eximiamque alacritatem, qua tum maxime excelluerint Romanorum caerimoniae, splendidis sacris in honorem diui Iulii et Augusti institutis accessisse praedicat.

1. Cf. Auct. de har. resp. 9, 18.

rebus diuinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione, cum exposcendum, uoto, cum soluendum, gratulatione, cum inquirendum uel extis uel sortibus, impetrito, cum sollemni ritu peragendum, sacrificio, quo etiam ostentorum ac fulgurum denuntiationes procurantur.

Tantum autem studium antiquis non solum seruandae sed etiam amplificandae religionis fuit, ut florentissima tum et opulentissima ciuitate decem principum filii senatus consulto singulis Etruriae populis percipiendae sacrorum disciplinae gratia traderentur, Cererique, quam more Graeco uenerari instituerant, sacerdotem a Velia, cum id oppidum nondum ciuitatis accepisset nomen, Calliphanam peterent [uel, ut alii dicunt, Calliphoenam], ne deae uetustis ritibus perita deesset antistes.

Cuius cum in urbe pulcherrimum templum haberent, Gracchano tumultu moniti Sibyllinis libris ut uetustissimam Cererem

---

1. cum *om. pr. D.* || 2. soluendae *A.* exsoluendum *C.* || gratulationes *AB.* || 3. uel extis] extis *E.* || uel sortibus] et sortibus *D.* || impertito *ABCDE. correxit Merula.* || 7. e florentissima *D.* || tum *om. D.* || 10. Cereri quoque *Torr.* || 11. nomen accepisset *Torr.* || 12. Calcitanam *ABCDE Torr.* || caliphoenam *A.* calliphoenam *B.* calliphenam *CDE.* Calliphennam *Torr.* || 14. gracchano tumultu *in rasura A.* gracco nutu *B.* gracco tuitu *C.* graeco ritu *E et margo C.* graeco nutu *D.* tumultu Gracchano *Par.* || 15. ex libris sibyllinis *in rasura A.*

Tantum autem) Cf. Cic. de diu. I, 41, 92. de legg. II, 9, 21. Priorem Ciceronis locum cum haud dubie ante oculos habuerit Valerius, ubi non decem sed sex e principum filiis singulis Etruriae ciuitatibus in disciplinam traditi esse perhibentur, in alterutro scriptore a librariis peccatum esse uidetur. Certe falsa est Lipsii coniectura, quam tamen ceteris interpretibus persuasit, pro *decem* legendum esse *duodecim*, ita ut Val., cum duodecim fuerint Etruriae ciuitates singulos iuuenes ad singulos populos missos esse scripserit. Debebat enim grammaticae legis meminisse, qua intellegere iubemur e Valerii mente denos adulescentes singulis ciuitatibus, in uniuersum igitur CXX esse attributos. Veram rationem iam Dauisius ad Cic. de inu. l. c. perspexerat.

Cererique quam) Cf. Cic. pro Balb. 24, 55.

Calliphanam) Veliensem illam sacerdotem Calliphanam uocatam fuisse Iulii Paridis, Nepotiani, Ciceronis consensus declarat. Alteram satis miram huius nominis formam, quam libri Valeriani exhibent, Calcitanam, quod neque Cicero, in quo solo h. l. nititur Valerius, neque abbreuiatores nouerunt, cum tamen a Valerio priore loco posita sit, suspectam reddere debebat grammaticis. Equidem persuasum habeo epitomatores in suis Valerii codicibus, ubi nunc *Calcitanam* scribitur, etiamtum inuenisse Calliphanam, postea nomen esse deprauatum. Quo facto sequentia *uel ut alii dicunt Calliphoenam* (i. e. *Calliphanam,*) a nescio quo librario, qui in integriore Valerii exemplo ueram nominis formam inuenerit, ascripta, iniuria sedem inter ipsa Valerii uerba occupasse uidentur. Quapropter ea seclusimus.

Cuius cum in urbe) Cf. Cic. Verr. IIII, 49, 108. Lact. inst. diu. II, 4, p. 128 Dufresn.

placarent, Hennam, quoniam sacra eius inde orta credebant, XV uiros ad eam propitiandam miserunt. Item matri deum saepenumero imperatores nostri, compotes uictoriarum, suscepta uota Pessinuntem profecti soluerunt.

2. Metellus uero pontifex maximus Postumium consulem eundemque flaminem Martialem ad bellum gerendum Africam petentem, ne a sacris discederet, multa dicta urbem egredi passus non est, religionique summum imperium cessit, quod tuto se Postumius Martio certamini commissurus non uidebatur caerimoniis Martis desertis.

3. Laudabile duodecim fascium religiosum obsequium: laudabilior quattuor et uiginti in consimili re oboedientia. A Tiberio enim Graccho ad collegium augurum litteris ex prouincia missis, quibus significabat se, cum libros ad sacra populi pertinentes legeret, animaduertisse uitio tabernaculum captum comitiis consularibus, quae ipse fecisset, eaque re ab auguribus ad senatum relata, iussu eius C. Figulus e Gallia, Scipio Nasica e Corsica Romam redierunt et se consulatu abdicauerunt.

4. Consimili ratione P. Cloelius *Siculus*, M. Cornelius Cethegus,

1. hernam *B.* hernuam *E.* bennam *Par.* Ennam *Torr.* ‖ X uiros *Par. et pr. C, Torr.* ‖ 2. deorum *E.* ‖ 4. pessiminitem *B.* ‖ 7. mulcta *DE et corr. C.* ‖ indicta *Torr.* ‖ 8. quo *CE et pr. A.* quia *in rasura B.* ‖ se] *post* certamini *D.* ‖ 9. commissurum *D.* ‖ uidebatur *D.* ‖ 10. martis marciis *E*, (*sed* martis *punctis notat.*) ‖ 13. gracco *pr. A.* ‖ 18. rediere *D.* ‖ se de consulatu *B.* ‖ abdicauerunt — (19.) Cornelius *om. pr. A.* ‖ 19. p. coelius *DE et margo A.* post celius *B.* pu. celius *C.* ‖ siculus *om. BCE.* ‖ Cornelius] cor. n. *B.* coruinus n. *E.* ‖ cetheus *B.*

XV uiros ad eam prop.) Ita omnes nostri libri praeter Berolin. *C*, in quo *V*, omissum propter primam sequentis uocis, recentiore manu suppletum est. At Cicero ex decemuirali collegio sacerdotes Hennam profectos esse narrat. Recte; nam decemuiri sacris faciundis, quibus Sibyllinorum quoque librorum cura mandata erat, creati anno 386 a. u. c. pro duumuiris a Tarquinio Superbo institutis (cf. Liu. VI, 37 et 42. Dion. Hal. IIII, 62), quindecimuirorum collegio non ante annum 640 cesserunt, ad quem annum referenda sunt, quae ipse Val. tradidit VIII, 15, 12. (Cf. Plut. quaest. Rom. c. 83. Iul. Obseq. 97.) Illud uero iter, a Cicerone et Valerio Maximo commemoratum, P. Mucio L. Calpurnio coss. a. u. 621 factum est. Itaque aut Valerius, quod saepius accidisse docui in praefatione p. 28, suae aetatis instituta ad antiquiora tempora transtulit aut librarius ueloci oculo lapsus male geminauit litteram V. Credo illud, etiamsi Paris cum Cicerone faciat, quia Nepotianus, quem eodem fonte atque Paridem usum esse diximus, de XV uiris refert, et fieri sane potuit ut Paris, ni idem potius mendum librarii statuendum sit, quod in cod. Berolin. *C*, Valerii errorem ex ipso Cicerone corrigeret.

2. Cf. Liu. epit. lib. XIX. id. XXXVII, 51. Tac. ann. III, 71.

3. Cf. Cic. de nat. deor. II, 4, 10; id. de diu. I, 17, 33; II, 35, 74; id. ad Q. fratr. II, 2, 1. Plut. Marc. 5.

4. Cf. Liu. XXVI, 23. Plut. Marc. 5.

P. Cloelius Siculus) Nomen Siculi, quod in archetypo cod. propter

C. Claudius propter exta parum curiose admota deorum immortalium *aris* uariis temporibus bellisque diuersis flaminio abire iussi sunt coactique etiam.

At Sulpicio inter sacrificandum e capite apex prolapsus eidem sacerdotium abstulit, occentusque soricis auditus Fabio Maximo dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi causam praebuit.

Adiciendum his quod P. Licinio pontifici maximo uirgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens aeterni ignis custos fuisset, digna uisa est quae flagro admoneretur.

Maximae uero uirginis Aemiliae discipulam extincto igne tutam

---

1. gneus claudius *D.* et C. Claudius *Torr.* || deorum — diuersis *om. A.* || 2. aris] *om. BCDE, ante* deorum *Torr.* || flamonio *Par.* || 4. apex e capite *Torr.* || 5. soricus *D.* || 6. Flamonius *Par.* || 7. praestitit *B.* || 8. quod] *litterae* od *in rasura A. om. C.* || p * * licinio *A.* po licinio *(sed litt.* o l *in rasura) C.* post licinio *BD.* postumio licinio *E. P. Licinius uocatur a Par., Liuio, Valer. VI,* 9, 3. || 9. quia] cum *in rasura C.* eo quod *D.* || 10. quae] ut *D.* || admoueretur *CD et corr. E.* amoueretur *pr. E.* || 11. disciplinam *in rasura C et corr. E.*

---

similem terminationem praecedentis vocis excidisse videtur, servatum est a Jul. Paride, e quo in marginem libri Bernensis et in recentiores aliquot codices transiit. Sed idem illud cognomen demonstrat in gentilicio quoque nomine ab antiquissimo quodam librario aberratum esse, cum et omnes Valerii codices et Paridis Vaticanus pro Cloelio Coelium vel Caelium habeant. Nequè enim in plebeia Caeliorum sed in patricia Cloeliorum gente Siculi cognomen invenitur (Liv. IIII, 11, 5. VI, 31, 2.), ut recte monuit Drak. ad Liv. XL, 42, 11, ubi eaedem gentes confusae sunt in P. Cloelio Siculo, rege sacrifico, quem honorem non nisi patricii poterant obtinere.

aris uariis temporibus) aris omissum in omnibus, quos equidem excussi, codicibus et fortasse etiam in omnibus, quibus usus est Torrenius, sed confirmatum Paridensi compendio, procul dubio in archetypo exciderat propter similem formam u. *uariis.* Quapropter recte quidem e coniectura suppletum, non probabili tamen loco insertum erat ante *deorum.* Longe plura interierunt in libro Bern., ubi haec tantum leguntur, *propter exta parum curiose admota flaminio abire* etc., quae per se quidem recte procedunt, nam sic simpliciter hostiae admoueri dicuntur a Tac. II ann. 69; sed ne ea quidem, quae in alterius familiae codicibus adduntur, interpolationis speciem prae se ferunt. Quod nos edidimus proposuerat iam Torr.

5. Plut. Marc. 5 Minucio dictatori id accidisse scribit, de magistro equitum C. Flaminio cum Valerio consentit. Aliunde nihil de hac re constat.

6. Cf. Liv. XXVIII, 11, 6.

7. Cf. Dion. Hal. II, 68. Prop. IIII, 11, 53.

Aemiliae discipulam) Codicis antiquissimi scripturam, in qua conspirant Paridis et optimorum quorumque codd. testimonia, *discipulam,* cum a plerisque ante Pigh. ederetur *disciplinam* probantibus Torrenio, Kappio, Calmbergio, aliis, egregie confirmat Dion. Hal. l. c., narrans non tam Aemiliam, *ἀναίνου μὲν οὔσαν*, quam aliam uirginem *τῶν νεωστὶ κατειλεγμένων καὶ ἄρα μανθανουσῶν*, cui mandasset illa custodiam ignis, officio suo defuisse. Itaque discipulae commemoratio omnino necessaria est, cum interim uix intellegitur nude positum *disciplinam.* Iam uero, cum strictae leges grammaticae postulent ut

ab omni reprehensione Vestae numen praestitit. Qua adorante, cum carbasum, quem optimum habebat, foculo inposuisset, subito ignis emicuit.

8. Non mirum igitur, si pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax eorum indulgentia deorum semper excubuit, quo tam scrupulosa cura paruula quoque momenta religionis examinari uidentur, quia numquam remotos ab exactissimo cultu caerimoniarum oculos habuisse nostra ciuitas existimanda est. In qua cum Marcellus quintum consulatum gerens templum Honori et Virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus, nuncupatis debitum uotis consecrare uellet, a collegio pontificum inpeditus est, negante unam cellam duobus diis recte dicari. Futurum enim, si quid prodigii in ea accidisset, ne dinosceretur utri rem diuinam fieri oporteret; nec duobus nisi certis diis una sacrificari solere. Ea pontificum admonitione effectum est ut Marcellus separatis aedibus Honoris ac Virtutis simulacra statueret, neque aut collegio pontificum auctoritas amplissimi uiri aut Marcello adiectio impensae impedimento fuit quominus religionibus suus tenor suaque obseruatio redderetur.

9. Obruitur tot et tam inlustribus consulatibus L. Furius Bi-

---

1. Quam adoranti *coni. Perizonius.* || 2. quam optimam *E Torr.* || 5. quod *AB CDE Torr., quod correxi.* || 6. quoque *om. D.* || examinasse *D.* examinare *Torr.* || 7. uidetur *Torr.* || 10. debitis *D.* || 13. in ea prodigii *D.* || ne] ut *B.* || 14. nixi *E.* || 15. effectum est] factum *E.* || 17. aut] enim *D.* || pontificum collegio *E.* || aut] ac *D.* || Marcello *om. pr. D.* || 18. adiecto *E.* || impedimentum *D.* || 20. Oritur *B.* || et tam] etiam *ACD Torr. et ante* tot *BE.* || consularibus *ABCD Torr.*

---

uu. *qua adorante* referantur ad discipulam, historia secundum Dionysii relationem de Aemilia haec intelligi iubeat, equidem Valerium alterum uoluisse, sed, ut saepius sic hoc quoque loco parum accurate scribentem, relatiuum non cum propiore discipulae notione sed cum primario Aemiliae nomine coniunxisse arbitror. Similiter I, 6, 6 in uu. *Consulis obtruncati corpus ad funerandum ab Hannibale quaesitum est, qui quantum in ipso fuerat Romanum sepelierat imperium* relatiuum *qui* non ad Hannibalem pertinet sed ad consulem.

carbasum, quem optimum) Masculinum huius u. genus perquam raro ueteres scriptores adhibuisse uidentur, neque suppeditant mihi exempla praeter unum Amm. Marc., qui XIIII, 8 pluraliter pro uulgata neutrali forma scripsit *supremos carbasos.* Sed confirmat masculinam singularis numeri positionem Phocas IIII de nom. et uerb. 3. Lindem. I p. 338 et h. l. Paris.

8. Cf. Liu. XXVII, 25. Plut. Marc. 28. Iniuria Torrenius erroris Valerium arguit comparato Liu. XXIX, 11, 13, qui filium demum huius Marcelli aedem Virtutis dedicasse referat uotam a patre. Neque enim Val. eundem Marcellum aedificasse eas aedes eundem et dedicasse scripsit.

9. Cf. Lact. diu. inst. I, 21, fin. p. 102 Dufresn.

tot et tam inl. consulatib.) Secutus sum necessariam Lipsii emendationem

baculus, exemplique locum uix post Marcellum inuenit; sed pii simul ac religiosi animi laude fraudandus non est. Qui praetor, a patre suo collegii Saliorum magistro iussus, sex lictoribus praecedentibus arma ancilia tulit, quamuis uacationem huius officii honoris beneficio haberet. Omnia namque post religionem ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summae maiestatis conspici decus uoluit. Quapropter non dubitauerunt sacris imperia seruire, ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si diuinae potentiae bene atque constanter fuissent famulata.

Quod animi iudicium in priuatorum quoque pectoribus uersatum est. Vrbe enim a Gallis capta, cum flamen Quirinalis uirginesque Vestales sacra onere partito ferrent, easque pontem Sublicium transgressas et cliuum, qui ducit ad Ianiculum, ascendere incipientes L. Albinius, plaustro coniugem et liberos uehens, aspexisset, propior publicae religioni quam priuatae caritati, suis ut plaustro descenderent inperauit, atque in id uirgines et sacra inposita omisso coepto itinere Caeretem oppidum peruexit. Vbi cum summa ueneratione recepta grata memoria ad hoc us- 10.

3. ex *A.* || litoribus *E.* || 4. uocationem *B.* || 6. in quibus etiam *D.* || 8. futura] habere *corr. D.* || 11. indicium *D.* || uersatum est pectoribus *E.* || 12. Gellis *pr. A.* || 14. descendere *ABCDE Torr.* || 15. aluanius *BCDE et pr. A, Torr.* Albanius *Par. et corr. A.* Albanus *Nep.* || 16. sui *A.* || 17. in] ad *BCDE et pr. A.* || 18. caere *Par. et in rasura A.* cererem *B.* cerete *corr. C.*

probatam a reliquis editoribus praeter Vorstium, qui male defendit uitiosam archetypi scripturam *tot etiam inlustribus consularibus. (consulatibus* iam extat in Guelferb. *E.*) Respicit Val. ad quinque Marcelli consulatus.

10. Cf. Liu. V, 40. Plut. Camill. 21. Flor. I, 13.

ascendere incipientes) Nescio quem cliuum descendere potuerint uirgines Vestales pontem sublicium transgressae et iturae ad Ianiculum, cum nulla omnino ualle interrupta sit planities, quae leni ascensu inde a Tiberis ripa usque ad radices montis Ianiculi porrigatur. Itaque bene librorum mendum, quod est in *descendere*, perspexerunt Lips. et Periz. *escendere* scribendum rati. Quibuscum consentirem nisi usitatius ascendendi uerbum aeque facile cum descendere a librariis confundi potuisse et confusum esse cernerem.

L. Albinius) Codicum scriptura, quam sequuntur editores, *Aluanius*, mendum prodit ortum e mala pronuntiatione pro *Albanius*, quod tuetur Iul. Paris. Sed ne hoc quidem nomen notum est in Romana historia. Valerius propter consensum Liuii, quem ob oculos habuisse existimandus est, et Flori eundem atque illi scriptores Albinium posuisse debet, a quo non multum discedit Plutarchi Ἄλβινος.

Caeretem oppidum) Valde dubito num genuinum sit quod archetypus codex habuisse uidetur, *Caeretem oppidum*, cum neque haec accusatiui forma alibi inuenta sit, neque in hoc appositionis genere omissae praepositionis *in* aliud nouerim exemplum. Suspicor cum Torrenio Valerium suo more adiectiue composuisse *Caerete in oppidum*. Vid. ad I, 6, ext. 3.

que tempus hospitalem humanitatem testantur. Inde enim institutum est sacra caerimonias uocari, quia Caeretani ea infracto rei publicae statu perinde ac florente sancte coluerunt. Quorum agreste illud et sordidius plaustrum tempestiue capax cuiuslibet fulgentissimi triumphalis currus uel aequauerit gloriam uel antecesserit.

11. Eadem rei publicae tempestate C. Fabius Dorsuo memorabile exemplum seruatae religionis dedit. Namque Gallis Capitolium obsidentibus, ne statum Fabiae gentis sacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus umerisque sacra gerens, per medias hostium stationes in Quirinalem collem peruenit; ubi omnibus sollemni more peractis, in Capitolium propter diuinam uenerationem uictricium armorum perinde ac uictor rediit.

---

1. testatur *ABD.* || 2. fracto *corr. C.* || 3. florentes ante *A.* florente ante *BC DE.* florente (*omisso* sancte) *Torr.* || quarum *pr. A.* quare *BCDE.* || 4. sordidum *Torr.* || 7. dorso suo *BCD et pr. A.* dors suo *corr. A. J.* dorsuo *margo A.* dorsuo suo *pr. E.* Dorso *Torr.* || 9. statutum *BC.* || 10. *J.* gabino cinctus *margo A e Paride.* || 12. propter] pop. (sic) *pr. A.* f. post *margo A.* post *Torr.* 13. ac] *om. A.* ut *D.* || redit *pr. A.*

---

florente sancte coluerunt) Certissimam recepi I. Vossii coniecturam, pro *florentes ante* probante Torrenio scribi iubentis *florente sancte.* Cf. Cic. III de nat. deor. 21, 53, *quos auguste omnes sancteque ueneramur.* id. ib. I, 20, 56, *pie sancteque colimus naturam.*

sordidius plaustrum) Comparatiuus ille, qui enarratoribus praeter Vorst. ualde displicuit, in designando satis magno sordium gradu, etsi insolentior paulo est, tamen non habet quo offendat, si intellexeris sordidius fuisse plaustrum quam pro eorum, quae eo uehebantur, sanctitate. Quapropter non opus est Lipsii coniectura, per se parum uerisimili, *sordidans.*

11. Cf. Liu. V, 46. App. Gall. 6. exc. Peir. p. 557. Flor. I, 13. Dio. Cass. exc. Peir. I, p. 14 ed. Reim. Min. Fel. Oct. 6.

C. Fabius Dorsuo) Dorsonem eum fasti Capitolini appellant et Valerii editores inde a Pighio, quibuscum faciunt Vell. Pat. I, 14, 7. Flor. App. ll. cc., siquidem codicum collationi fides haberi potest. At ne de ea quidem, quam nos posuimus, forma in tanto optimorum quorumque codd. ita scribentium consensu dubitari potest. Nam quod nostri innuunt, Iul. Paris et Nepotianus confirmant, extat in praestantissimis quoque Liuianis Mediceo et Parisino V, 46, 2 et VII, 28, 1. Accedit quod quae nomina deriuantur a dorso seruant litteram u, ut *dorsualis, dorsuosus, dorsuarius* alia.

umerisque) Non spernendam duxi hanc scripturam non semel inuentam in codice Bernensi (II, 10, 3. III, 6, 1.) et in aliorum scriptorum antiquissimis et optimis quibusque libris (cf. A. Mai. ad Front. p. 107 ed. Rom. Symmach. laud. in Valent. orat. 2, 1, p. 14. ed. Mai. Eutyches gramm. p. 2312. Putsch.), constanter in cod. Medic. Tac. annalium. Aspiratur autem haec uox in cod. Bernensi II, 8, 5. IIII, 1, 12. V, 4, ext. 4. VII, 1, 1. VII, 2, ext. 3.

propter diuinam ueneration. etc.) Omnibus libris commendatum *propter* iure me restituisse pro editionum *post* comprobant Liuii uerba, excerpta a Val. Quod enim ille ita exprimit, *in Capitolium rediit seu adtonitis Gallis miraculo audaciae, seu religione etiam motis, cuius haudquaquam neglegens est gens,* id

Magna conseruandae religionis etiam P. Cornelio, Baebio Tam- 12.
philo consulibus apud maiores nostros acta cura est. Siquidem in agro L. Petili scribae sub Ianiculo cultoribus terram altius uersantibus, duabus arcis lapideis repertis, quarum in altera scriptura indicabat corpus Numae Pompili fuisse, in altera libri reconditi erant Latini septem de iure pontificum totidemque Graeci de disciplina sapientiae, Latinos magna diligentia adseruandos curauerunt, Graecos, quia aliqua ex parte ad soluendam religionem pertinere existimabantur, Q. Petilius praetor urbanus ex auctoritate senatus per uictimarios facto igni in conspectu populi cremauit. Noluerunt enim prisci uiri quidquam in hac adseruari ciuitate, quo animi hominum a deorum cultu auocarentur.

Tarquinius autem rex M. Atilium duumuirum, quod librum 13.
secreta ciuilium sacrorum continentem, custodiae suae commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culleo insutum in mare abici iussit, idque supplicii genus multo post parricidis

---

1. etiam *om. E.* || et Baebio *Torr.* || 2. pamphilo *A B.* pamphylo *C.* pamphilio *D (sed* io *in rasura) E, Nep.* || 3. in agro] magro *pr. B.* || petuli *pr. B.* || altius] *ante* terram *E.* artius *C.* || 4. archis *B D E.* || in *om. E.* || 5. Pompili] *add.* Pomponis filii *Torr.* || erant reconditi libri *E.* || 8. Graecos quia] grecosque *B.* grecos autem quia *corr. D. incerta pr. D.* || ex aliqua, *(sed* ex *in rasura) D.* || 9. q•• Petilius *A.* quos petilius *B.* petilius *pr. D. incerta pr. C.* || pater *B.* || 10. igne *D et ante* facto *Torr.* || conspecto *A.* || 11. quicquam *corr. A.* || 12. aduocarentur *B.* || 14. m. tullium *A B C D E Torr.* || 15. secretarium *A.* || 16. corruptum *A D.* || dedisset scribendum *E.* || 17. patricidis *E.*

---

breuius Val. *propter diuinam uenerationem uictricium arm. per. ac uictor rediit,* recteque intellexit Par., cum redderet, *in Capitolium rediit admirantibus Gallis.* Praepositio *post* contra molestam efficeret tautologiam uerborum *omnibus sollemni more peractis* et *post diuinam uenerationem.*

12. Cf. Liu. XL. 29. Plut. Num. 22. Cassius Hemina ap. Plin. XIII, 13. Lact. inst. diu. I, 22 p. 103 Dufresn.

P. Cornelio, Baebio Tamphilo cons.) Codd. *Pamphilo,* quod emendauit Pigh. e lapidibus Capitolinis. Cf. interpr. ad Liu. XL, 18, 1, ubi in Ascensianam demum irrepsit Pamphilus. Eodem modo in eodem nomine aberrarunt librarii II, 5, 1. Plin. h. n. l. c. Copulam *et,* quam inseruerant editores inter duorum consulum nomina, complurĭbus aliis locis tacite omisi.

Numae Pompili) Deleui uu. *Pomponis filii,* quae sequuntur in uulgatis edd. nomen Pompili. Interpolatio, petita e Liuio sed aliena ab omnibus quos uidi Val. libris, profecta est ab Aldo, qui ediderat *Numae Pomponii filii,* Liuii uerbis accommodata a Pighio.

13. Cf. Dion. Hal. IIII, 62.

M. Atilium) Μάρκον Ἀτίλιον hunc duumuirum appellat Dion. Hal. l. c., neque aliter Valerium scripsisse demonstrat Nepotiani breuiatoris cod. Vat., in quo teste Blumio legitur *Matilius.* (Par. omisit hoc exemplum.) Erratum est igitur in cod. archetypo sed non in antiquissimo omnium.

lege inrogatum est; iustissime quidem, quia pari uindicta parentum ac deorum uiolatio expianda est.

14. Sed quae ad custodiam religionis adtinent, nescio an omnes M. Atilius Regulus praecesserit, qui ex uictore speciosissimo insidiis Hasdrubalis et Xantippi Lacedaemonii ducis ad miserabilem captiui fortunam deductus ac missus ad senatum populumque Romanum legatus, ut [ex] se et uno et sene conplures Poenorum iuuenes pensarentur, in contrarium dato consilio Karthaginem petit, non quidem ignarus ad quam crudeles quamque merito sibi infestos [deos] reuerteretur, uerum quia his iurauerat, si captiui eorum redditi non forent, ad eos sese rediturum. Potuerunt profecto dii inmortales efferatam mitigare saeuitiam. Ceterum, quo clarior esset Atilii gloria, Karthaginienses moribus suis uti passi sunt, tertio Punico bello religiosissimi spiritus tam crudeliter uexati urbis eorum interitu iusta exacturi piacula.

---

2. esset *D.* || 3. Sed] *add.* in his *Torr.* || omnis *D.* || 4. attilius *A.* altilius *B.* || uictorie *E.* || speciosissima *B.* || 5. asdrubalis *pr. A.* || et xanctippi *ACD.* ex antippi *B.* || 7. ex] *sine uncis Torr.* || 8. poenarum *pr. A.* || pensarent *E.* || chartaginem *pr. A.* carthaginem *corr. A.* || 9. petiit *DE.* repetiit *Torr.* || quidem] quod *ABC et corr. D. om. E et pr. D, Torr.* || ad quam] atq. *pr. A.* || quamque *in rasura A.* quoque *B.* || 10. sibi] *om. pr. D. post* infestos *corr. D.* || et infestos *corr. D.* || deos] hostes *E. om. D. sine uncis Torr.* || 11. se *Torr.* || 13. carthaginienses *(A.)*

---

14. Cf. Cic. de off. III, 25, 99. id. Cat. mai. 20, 75. Sil. Ital. VI, 455. A. Gell. VI, 4. Auct. de uir. ill. 40.

ut [ex] se et uno) uu. *ut ex se et uno — pensarentur* nihil aliud significare posse quam 'ut ex se illorum iuuenum pretium aestimaretur' recte animaduertit Periz. comparato Liu. XXXIIII, 49, 7, *Reliquas ciuitates monere ut ex factis, non ex dictis amicos pensent*, ubi tamen priore loco in cod. Bamb. et in aliis deest praepositio *ex*, quae ne in hac quidem significatione adeo frequens esse uidetur. Quo cum accedat, quod Val. constanter pensandi uerbum cum simplici ablatiuo coniunxit, (I, 8, ext. 3. IIII, 2, 4. IIII, 3, 3. IIII, 7, ext. 1. V, 3, 2 cett.) Lipsio et Perizonio auctoribus suspectam praepositionem seclusi, quae mihi quidem ex interpolata copula *et* orta esse uidetur.

non quidem ignarus) Omnes libri praeter Guelf. *E* uitiose *non quod ignarus ad quam — uerum quia*, unde enarratores alii u. *quod*, alii cum Pighio *quod* et *quia* delerunt, satis audacter, quoniam nulla interpolationis causa perspicitur. Nos facillima et certissima emendatione *quidem* posuimus pro *quod*, quae uu. saepius confunduntur a librariis. Cf. uar. script. cod. Bern. I, 1, 21. Prorsus eodem modo locutus est Val. VIII, 14, 1, *non quidem ignarus, quam diu Romanum imp. floreret — — si tamen litterarum* etc.

infestos [deos] reuerterentur) Deorum commemorationem parum aptam esse h. l. nemo non uidet, ac ne Kappius quidem negat, quamquam opinatur Valerium in uerbis et in sententiis granditatem quandam affectantem indicare uoluisse ius iurandum non tam hominibus quam diis ipsis praestari. Sed qui poterat infestos sibi deos sentire Atilius, cum non laeso iure iurando repeteret Karthaginem? Merito iam librariis ineptum illud *deos* displicuit, unde in aliis codd. prorsus omissum est, non tamen in cod. P. Danielis, ut narratur apud

Quanto nostrae ciuitatis senatus uenerabilior in deos, qui 15.
post Cannensem cladem decreuit ne matronae ultra tricesimum diem luctus suos extenderent, uti ab his sacra Cereris peragi possent, quia maiore paene Romanarum uirium parte in execrabili ac diro solo iacente nullius penates maeroris expertes erant. Itaque matres ac filiae coniugesque et sorores nuper interfectorum abstersis lacrimis depositisque doloris insignibus candidam induere uestem et aris tura dare coactae sunt. Qua quidem constantia optinendae religionis magnus caelestibus iniectus est rubor ulterius aduersus eam saeuiendi gentem, quae ne iniuriarum quidem acerbitate ab eorum cultu absterreri potuerit.

DE NEGLECTA RELIGIONE.

Creditum est Varronem consulem apud Cannas cum Kartha- 16.
giniensibus tam infeliciter dimicasse ob iram Iunonis, quod, cum ludos circenses aedilis faceret, in Iouis optimi maximi tensa

2. trigesimum *E Torr.* || 4. maiore] *post* paene *E.* maiori *D.* || 5. erant expertes *B.* || 6. ac sorores *E.* || 8. dare tura *Torr.* || quae *pr. A.* || quidem] propter *pr. E. om. corr. E.* || 10. saeuire *D.* || 12. *λ.* de contempta religione *margo A.* De contempta religione *Par.* Neglecta *Torr.* || 14. tam *om. E.* || 15. faceret] *add. λ.* ederet *margo A e Paride.* || tensa] templo *A B C D E Torr. add. λ.* tensa *margo A e Paride.*

Colerum, in aliis pro eo substituitur *hostes*, quod quodammodo commendatur Ciceronis de diu. I. c. uu. *neque uero tum ignorabat se ad crudelissimum hostem — proficisci.* Minus certe placent recentiorum hominum coniecturae, *eos* Lipsii, *dominos* Perizonii, *Poenos* Klokkii et Torrenii. Equidem persuasum habeo spuriam uocem intrusam esse e peruersa interpretatione eorum, quae sequuntur, *Potuerunt dii efferatam mitigare saeuitiam;* delendam esse recte iam Guyetus monuerat.

15. Cf. Liu. XXII, 56; XXXIIII, 6. Plut. Fab. 18. Paul. diac. u. Graeca sacra p. 97. Müll.

uti ab his sacra Cerer.) Errauit Val. obiter tantum inspiciens fontem suum. Refert enim Liu. II. cc. senatum Cereris sacris propter communem omnium familiarum luctum iam intermissis, ne ob eandem causam alia quoque sacra publica aut priuata desererentur, triginta dierum, quo luctus finiretur, tempus praescripsisse. Consentiunt cum Liuio Plutarchus et Paulus diaconus, nisi quod hic de centum diebus scripsit.

16. Cf. Lact. diu. inst. II, 16 p. 181 Dufresn.

Iouis opt. max. tensa — ad exuuias tenendas) Mire haec omnia corrupta erant in cod. archet., in quo, ut in omnibus nostris, pro *tensa* legebatur *templo*

eximia facie puerum histrionem ad exuuias tenendas posuisset. Quod factum post aliquot annos memoria repetitum, sacrificiis expiatum est.

17. Hercules quoque detractae religionis suae et grauem et manifestam poenam exegisse traditur. Nam cum Potitii sacrorum eius ritum, quem pro dono genti eorum ab ipso adsignatum uelut hereditarium optinuerant, auctore Appio censore ad humile seruorum ministerium transtulissent, omnes, qui erant numero super triginta, puberes intra annum extincti sunt, nomenque Potitium in duodecim familias diuisum prope interiit, Appius uero luminibus captus est.

18. Acer etiam sui numinis uindex Apollo, qui Karthagine a Romanis oppressa ueste aurea nudatus id egit, ut sacrilegae manus inter fragmenta eius abscisae inuenirentur.

---

1. excubias *ABDE et corr. C.* exubias *pr. C.* || 2. aliquot *om. E.* || 7. optinuerunt *E.* || 12. quia *E.* || 14. intra *D.* || abscissae *Torr. et post* inuenirentur *E.*

---

et *excubias* pro *exuuias*. Prius mendum sustulit Schottus e suo Valerii codice, haud dubie correcto e marginali additamento codicis Bernens., alterum Periz. e coniectura, ut uidetur. Confirmant eorum opiniones Lactantii, qui haec e Valerio descripsit, codices, licet et ipsi non immunes ab erroribus *(tentesea, tentaesa* etc.) et nunc in primis epitomae Paridis *(quia cum ludos circenses aedilis ederet, in Iouis tensa eximiae formae puerum histrionem ad exuuias tenendas imposuerat)* et Ianuarii Nepotiani *(eo quod puerum speciosissimum in Iouis tensa posuisset)*. Tensam Sinnius Capito ap. Festum p. 364 O. Müll. ait uocari uehiculum, quo exuuiae deorum ludicris circensibus ad puluinar uehuntur. Cf. Cic. in Verr. V, 72. Suet. Aug. 43; id. Vesp. 5.

17. Cf. Liu. IX, 29. Dion. Hal. I, 40. Macrob. Sat. III, 6. Seru. ad Aen. VIII, 179. Auct. de uir. ill. 34. de orig. gent. Rom. 8. Lact. II, 8 p. 141 Dufresn. Fest. u. Potitium p. 237. Müll. Paridense huius exempli compendium uitiose ab Ang. Maio e codice Vaticano ita editum est ut breuiator a Valeriana relatione longe discessisse uideatur, narrans Ambiuium histrionem, Potitiorum familiarem, ab Hercule interemptum esse, quod impulsu Appii Claudii morem sacrorum seruos publicos edocuisset. Vid. excursum ad hunc locum.

prope interiit.) Offendit u. *prope* Torrenium; nec immerito, cum reliqui auctores omnes in eo consentiant, totam Potitiorum stirpem esse extinctam. Probat igitur scripturam cod. Barberini *propere interiit*, i. e. Itali cuiusdam coniecturam certe non spernendam. Potest tamen fieri ut Val. contra ceterorum testimonium cogitauerit de illa modo triginta uirorum iactura, post quam pauci tantum Potitii mulieres infantesque remanserint. Tacite omiserunt u. *prope* Helfrechtus et Hasius.

18. *Karthag. a Rom. oppressa)* Cf. Appian. Pun. 127.

(PARIS).

(Brennus Gallorum dux Delphis Apollinis templum ingressus, dei uoluntate in se manus uertit.)

(NEPOTIANVS).

(Brennus rex Gallorum uictoriis Delphos usque peruenerat. Cumque iam humanae uires resistere ei omnino non possent cultoresque loci ad Apollinem confugissent, respondit deos secum et candidas puellas Gallis pugnaturas. Tum niuibus cum omni exercitu Brennus oppressus est.)

Nec minus efficax ultor contemptae religionis filius quoque 19.
eius Aesculapius, qui consecratum templo suo lucum a Turullio, praefecto Antonii, ad naues ei faciendas magna ex parte succisum * *, inter ipsum nefarium ministerium deuictis partibus Antonii, imperio Caesaris morti destinatum Turullium manifestis numinis sui uiribus in eum locum, quem uiolauerat, traxit, effecitque ut ibi potissimum a militibus Caesarianis occisus, eodem exitio et euersis iam arboribus poenas lueret et adhuc superantibus inmunitatem consimilis iniuriae pareret, suamque uenerationem, quam apud colentes maximam semper habuerat, † dismultiplicauit.

---

2. Brennus] *uerba quae suppleui e Paride om. B C E et pr. A D. alterum supplementum e Nepotiano om. omnes codd. et edd.* || 13. a Turullio] *add. λ.* a caruilio *margo A e Paride, Turulum uocat Nep.* || 14. succisum] *add.* dolens *E Torr.* || 15. nefandum *E.* || 16. morti] *post* destinatum *Torr.* morte *E.* || 17. eum in *Torr.* || 19. spirantibus *D.* || inpunitatem *A B C D E. Correxit Mitalerius* || 21. diismultiplicauit *corr. A.* deus multiplicauit *B C D E Torr.*

Brennus Gallorum dux) Totum hoc exemplum de Brenno, quod deerat in archetypo, compendiis tantum seruatum Paridis et Nepotiani, in antiquo quodam codice, e quo illorum opera fluxerunt, falso hoc loco insertum fuisse uidetur, referendum potius inter externa huius capitis exempla, quorum pleraque item deperdita sunt in libris Valerianis. Cf. quae de h. l. disserui praef. p. 90. In edd. hucusque Paridis tantum uerba inter genuina Valerii legebantur. Causam transponendi iam Vorstius suspicatus est Apollinis mentionem in hoc et in superiore exemplo factam praebuisse. De ipsa re cf. Cic. de diu. I, 37, 81. Iustin. XXIIII, 8. Diod. Sic. XXII, 13. ap. Dind. T. II, 2 p. 11. Pausan. X, 23. 19. Cf. Dio. Cass. LI, 8 p. 448 B. Lact. diu. inst. II, 8 p. 141 Dufresn.

succisum * *) Manifesta archetypi lacuna quo modo explenda sit non constat. Potuit quidem scribere Val., quod tacite receperunt editores, ***succisum dolens,*** sed potuit aeque bene ***succisum inique ferens*** aut ***indignatus*** aut simile nescio quid.

† ***dismultiplicauit)*** Vereor ne non recte in altera familia mendum hoc libri Bernensis, quod ex archetypo translatum esse credo, sublatum sit. Etenim ***dis*** mutato in ***deus*** adeo moleste subiecta notio repetitur ut merito Perizonius, ignarus quidem uariae scripturae, illud ***deus*** 'glossam olere' iudicauerit teste

20. Quintus autem Fuluius Flaccus inpune non tulit, quod in censura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniae templo in aedem Fortunae equestris, quam Romae faciebat, transtulit. Negatur enim post hoc factum mente constitisse. Quin etiam per summam aegritudinem animi expirauit, cum ex duobus filiis in Illyrico, militantibus alterum decessisse, alterum grauiter audisset adfectum. Cuius casu motus senatus tegulas Locros reportandas curauit, decretique circumspectissima sanctitate inpium opus censoris retexuit.

21. Tam mehercule quam Plemini, legati Scipionis, in thesauro Proserpinae spoliando sceleratam auaritiam iusta animaduersione uindicauit. Cum enim eum uinctum Romam pertrahi iussisset, ante causae dictionem in carcere taeterrimo genere morbi consumptus est. Pecuniam dea eiusdem senatus inperio et quidem summam duplicando recuperauit.

Ext. 1. Quae, quod ad Plemini facinus pertinuit, bene a patribus conscriptis uindicata, quod ad uiolentas regis Pyrri sordes atti-

---

1. Quincius autem *D.* || 2. censum *E Par.* || lacune *B C D.* locrinie | *E.* || 5. expirasse *E.* || 6. Yllirico *A.* || 7. locris *C E et corr. D. incerta pr. D.* locis *B Par.* || portandas *E.* reponendas *Par.* || 10. p. lemini *A D.* lemini *B.* post leminii *C.* postumi leuinii *E.* Q. Pleminii *Torr. Praenomen om. etiam Par. et Nep.* || Scipionis *om. pr. A.* || in thesauro — sceleratam *om. A.* || 12. enim eum] .. eum *A.* || protrahi *E Torr. Vt nos etiam Par.* || 13. ante] qui ante *A.* || dicionem *E.* || 14. de *B.* || quidem] quod *A.* || 16. publii lemini *A B.* publii leminii *C.* p. lemini *D.* publii leuinii *E.* || 17. uindicata] *add.* est *Torr.*

Torrenio. Equidem desiderans quod respondeat aut oppositum sit uu. *quam apud colentes maximam semper habuerat*, non tam de sententia quam de uerbis. restituendis desperaui. Scripserit igitur *cunctis multiplicauit* uel simile aliquid.

Locros reportandas curauit) At templum Iunonis Laciniae erat prope Crotonem, non Locris (Liu. XXIII, 3, 3). I. F. Gronouius Locros a Valerio coms memoratos arbitratur, quod eo esset commodissimus et frequentissimus appulsud nauibus et simul inde paratissima ad Iunonis templum subuectio. Verum ad rem pertinebat narrare ipsi templo uel urbi restitutas esse tegulas. Alii a coniecturas non magis probabiles confugerunt, *loco, loco suo, ilico, sociis*, ceti Nos Valerium leuitate aut ignorantia errasse credimus confusis Locris cum Crotone, quamquam recte Iunonis Laciniae templum Crotone fuisse scribit I, 8, ext. 18. Quod mirum non uidebitur reputanti quantopere hallucinatus sit Valerius de aede Iunonis Monetae, quam modo in Auentino, modo in Capitolino colle conspici retulit. Proserpinae autem fanum, de quo insequenti exemplo egit, Locris erat. Ceterum fieri potest ut in libro omnium antiquissimo exaratum fuerit *Locris reportandas*, quod non male mutauerit Paris in *Locris reponendas*, (cf. V, 1, 6, *inque pristinis sedibus reponenda curarent.*) sed facilius aliquanto cod. Bern. in *Locros reportandas*.

21. Cf. Liu. XXIX, 8 et sqq. 21 et sqq. Lact. diu. inst. II, 8. Diod. Sic. exc. de uirt. et uit. p. 570. ap. Dind. T. II, 2, p. 105.

Ext. 1. Cf. Liu. XXIX, 18. Dion. Hal. exc. XIX, 9, 10. App. Samn. 12. Lact. diu. instit. II, 8 p. 141 Dufresn.

nuerat, se ipsa potenter atque efficaciter defendit. Coactis enim Locrensibus ex thesauro eius magnam illi pecuniam dare, cum onustus nefaria praeda nauigaret, ui subitae tempestatis tota cum classe uicinis deae litoribus inlisus est, in quibus pecunia incolomis reperta, sanctissimi thesauri custodiae restituta est.

At non similiter Masinissa rex. Cuius cum praefectus 2.
classis Melitam appulisset et aeque ex fano Iunonis dentes eburneos eximiae magnitudinis sublatos ad eum pro dono attulisset, ut conperit unde essent aduecti, quinqueremi reportandos Melitam inque templo Iunonis conlocandos curauit, insculptos gentis suae litteris, significantibus regem ignorantem eos accepisse, libenter deae reddidisse. Factum Masinissae animo quam Punico sanguini conueniens!

Quamquam quid attinet mores natione perpendi? In media barbaria ortus sacrilegium alienum rescidit. Syracusis genitus 3.
Dionysius tot sacrilegia sua, quot iam recognoscimus, iocosis dictis prosequi uoluptatis loco duxit. Fano enim Proserpinae spoliato Locris, cum per altum secundo uento classe ueheretur, ridens amicis 'Videtisne', ait, 'quam bona nauigatio ab ipsis diis immortalibus sacrilegis tribuatur'? Detracto etiam Ioui Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum tyrannus Gelo e ma-

---

1. ipsam *A B C D E Torr.* || 2. texauro (*sic saepius*) *E.* || 3. honustus *pr. A.* || 4. incolomis] *Sic A constanter. Cf.* II, 6, 11. II, 10, 6. II, 7. *init.* III, 2, 1. *cett. Nec aliter cod. Med. Tac. ann.* I, 19. I, 58. IIII, 71. *cett.* || 6. Ac *D.* || 7. Melicam *B.* || et aeque ex] eque *E et in rasura D.* || eboreos *Par.* || 9. aduecti essent *Torr.* || quinqueremi *om. pr. D.* || 10. insculptos *B.* insculptis *D et corr. C. incerta pr. C.* || 12. quam] quod *pr. A.* plus quam *D.* || 15. rescidit] *ante* alienum *Torr.* recidit *D.* || Dionysius genitus *Torr.* || 21. Gelo] hȳr. *B.* hiero *C D E Par. Torr. A.* hiero *margo A. Vt nos etiam Nep.* || e *om. C E.*

---

se ipsa) Nominatiuum *ipsa* inuitis libris reuocaui in hac uindicantium oppositione omnino necessarium. Librarii solito mendo praenomen praecedenti *se* accommodauerant.

2. Cf. Cic. Verr. IIII, 46, 103.

3. Cf. Cic. de nat. deor. III, 34, 83. Ael. u. h. I, 20. Lact. diu. inst. II, 4 p. 127 Dufresn.

tyrannus Gelo) Manifestum est Gelonem olim hanc Iouis Olympii statuam, spoliatam postea a Dionysio, e manubiis Karthaginiensium ornasse, non Hieronem, cum de bellis ab altero Hierone, Gelonis fratre, aduersus Karthaginienses gestis nihil constet, alter uero Hiero, Hieroclis filius, Dionysio toto saeculo fuerit posterior; commemorantque donaria deuictis Karthaginiensibus dedicata a Gelone Pausan. VI, 19, 4 p. 499 et Diod. Sic. XI, 27 p. 425. Mira tamen discrepantia in hoc nomine non solum Valeriana uerum etiam Ciceroniana exempla occupauit, nec, ut concedam Schützium recte Ciceroni Gelonem pro Hierone e cod. Glogauiensi et ed. Ascens. reuocasse, utrum posuerit Valerius, pari fide dignis testibus in diuersas partes digredientibus, cum optimus

nubiis Karthaginiensium ornauerat, iniectoque ei laneo pallio dixit aestate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum; laneum autem ad utrumque tempus anni aptius. Idem Epidauri Aesculapio barbam auream demi iussit, quod adfirmaret non conuenire patrem Apollinem inberbem, ipsum barbatum conspici. Idem mensas argenteas atque aureas e fanis sustulit, quodque in his more Graeciae scriptum erat bonorum deorum eas esse, uti se bonitate eorum praedicauit. Idem Victorias aureas et pateras et coronas, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat et eas se accipere, non auferre dicebat, perquam stultum esse argumentando, a quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle sumere. Qui tametsi debita supplicia non exoluit, dedecore tamen filii mortuus poenas rependit, quas uiuus effugerat. Lento enim gradu ad uindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicii grauitate pensat.

4. In quam ne incideret Timasitheus, Liparitanorum princeps, consilio sibi pariter atque uniuersae patriae utili prouidit exemplo. Excepta namque in freto a ciuibus suis piraticam exercentibus magni ponderis aurea cratera, quam Romani Pythio Apollini decimarum nomine dicauerant, incitato ad eam partiendam populo, ut comperit, eam Delphos perferendam curauit.

---

2. grauem *ABCDE Vinc. Bell. sp. hist.* IIII, 73 *Ment.* || amiculum aureum esse *Torr.* || 3. epidauriae *A.* || 4. affirmauit *D.* || non conuenire *om. B.* || 6. substulit *B.* || 7. bonarum *pr. A.* beatorum *B.* || eas esse *om. Par.* || 10. accepisse *CE.* || 12. tum etsi *corr. D.* || 13. exsoluit non *B.* || poenas mortuas *E.* || 15. compensat *Torr. Vinc. Bell. sp. hist.* VII, 124; *doctr.* VI, 125. || 16. thimasitheus *A.* thima**theus *D.* || lipanitanorum *C.* || 17. pariter] aliter *ABCDE. Correxit Pighius e codd. nonnullis.* || 19. chratera *pr. A.* || cratera incitatoque ad eam partiendam populo, ut comperit a Romanis Pythio Apollini decimarum nomine dicatam, manibus uenundantium ereptam Deo Delphos perferendam curauit *Torr.* || quem *A.* || phitio *A.* || 21. delphis *A.* || portandam *pr. A.* || iurauit *B.*

---

omnium cod. Bernensis et Nepotiani epitome Gelonem, Paris cum reliquis libris mss. Hieronem exhibeant, pro certo affirmari poterit. Quae discrepantia aliter uix intellegitur, quam si credideris antiquo iam tempore Ciceronis codices aeque atque hodie uariasse et inde utramque scripturam in eum librum esse translatam, e quo reliqui omnes originem traxerunt. Recepimus igitur quod et historiae conuenit et aliquanto saltem maiorem habet probabilitatem.

bonorum deorum eas esse) Subdubito de uu. *eas esse* tamquam ex interpretatione genitiui casus *bonorum deorum* ortis, cum simul a Cicerone et a Paride aliena sint.

4. Cf. Liu. V, 28. Plut. Cam. 8. Diod. Sic. XIIII, 93 p. 713.

aurea cratera) Sequentia male transposita sunt in plerisque edd. Pighius praeterea ante *Delphos perferendam* inculcauerat uu. *manibus uenundantium ereptam deo* e cod. Pulmanni, quae etiamsi non leguntur nisi in paucis recentioribus pessimaeque notae libris, tamen aeque ac peruersus ille uerborum ordo hucusque manserant in edd., et denuo defensa sunt a Kappio.

PAR.

Milesia Ceres. Mileto ab Alexandro capta milites, qui templum spoliaturi inruperant, flamma obiecta priuauit oculis.

Persae, mille nauium numero Delum compulsi, templo Apollinis religiosas potius manus quam rapaces adhibuerunt.

Athenienses Protagoram philosophum pepulerunt, quia scribere ausus fuerat, primum ignorare se an di essent, deinde si sint, quales.

Iidem Socratem damnauerunt, quod nouam religionem introducere uidebatur.

Iidem Phidiam tulerunt quam

NEP.

Alexander magnus Miletum cepit. Cum milites etiam Cereris templum introissent, excaecati sunt, ne inspicerent secreta tantum feminis cognita. 5.

Persae mille nauibus appulere Delum, et cum diuitiae in praedas possent allicere uictores, omnibus spoliis temperatum est in dei honorem. 6.

Protagoras philosophus ab Atheniensibus pulsus est librique eius exusti, quia scripserat ignorare se an dii essent, ac si essent, quales essent posse sciri. 7.

Socrates in eadem urbe damnatus est, quod contra religiones nonnumquam disputaret.

Phidias ibidem eboris scalptor

PAR. 3. capto *D.* || 7. praensae *Par.* prensa *A.* prense *D.* || nu[mero — *cap.* III §. 2 est] sortis *A.* || 8. conpulsi] *add.* complexi *Par.* || 9. potius *om. D.* || 12. pytagoram *D.* || 14. primo *D.* || 16. quales] *add.* sint *D Torr.* || 20. quam diu] *add.* is *D Torr.*

NEP. 7. nauibus impleuere *Nep.* naues appulere *coni. Mai.* || 12. Pythagoras *Nep. Mai.* || 17. dampnatus *Nep.*

---

5. Lact. diu. inst. II, 8, p. 141 Dufresn.

Milesia Ceres) Ab his uerbis, quibus in cod. Bern. crucis signum appictum est, pertinens ad primum eius codicis folium, in plerisque libris manuscriptis et in editionibus Aldina antiquioribus statim transitur ad capitis quarti ultimum exemplum de Deiotaro rege, quod tamen in his primum est quinti capitis de ominibus. Quae nunc interiacent, finis huius capitis, deinde caput II de simulata religione, cap. III de superstitionibus, cap. IIII de auspicio, Valerio iam in archetypo deperdita, in recentioribus codd. (inter meos in solo Berolin. *D.*) et in editionibus post Aldum, cum quo e cod. quodam Vindobonensi XXIIII illa exempla communicauerat Cuspinianus, suppleta sunt e Paridensi epitoma, cuius hanc particulam exhibebat olim cod. Bernensis in fronte ab alia manu ascriptam cf. praef. p. 79. Hoc Valerii exemplar, non ipse Paridis codex, reliquis librariis subministrasse uidetur quibus explerent ingentem hanc lacunam. Equidem nunc aliud addidi supplementum, ab altero abbreuiatore Ianuario Nepotiano petitum, qui a uerbis quidem Valerii magis discessit, verum ipsas res copiosiore relatione amplexus est quam Paris.

6. Cf. Herod. VI, 97.

7. Cf. Cic. de nat. deor. I, 23, 63. Min. Felic. 8. Seru. ad Aen. VIII, 187.

Iidem Socratem) Cf. Xenoph. mem. I. 1. et al.

PAR.

diu marmore potius quam ebore Mineruam fieri debere dicebat, quo diutius nitorem mansurum, sed ut adiecit, et uilius, tacere iusserunt.

8. *Diomedon unus e decem ducibus, quibus Argennusae eadem pugna et uictoriam et damnationem pepererunt, cum ad immeritum supplicium duceretur, nihil aliud locutus est quam ut uota pro incolumitate exercitus ab ipso nuncupata soluerentur.*

NEP.

ait sumptu minore marmore incipere diis simulacra fieri, quod ipsi irati ex ebore Athenienses iusserunt.

Apud eosdem Diomedon unus de decem ducibus, cum post uictoriam ad supplicium pergeret, rogauit ut nuncupata uota pro exercitu soluerentur.

DE SIMVLATA RELIGIONE.

II. 1. *Numa Pompilius, ut populum Romanum sacris obligaret, uolebat uideri sibi cum dea Aegeria*

QVI RELIGIONEM SIMVLAVERVNT.

Numa Pompilius, cum efferatos assiduis bellis Romanos animaduerteret, docuit eos cultum deo-

PAR. 4. quod *D Par. Torr.* || nitor esset mansurus *Torr.* || 7. §. 8. *om. D.* || ex decem ducibus, qui Arginusae eadem pugna Atheniensibus uictoriam, sibi uero damnationem *Torr.* || 9. et uictoriam] et *om. D.* || 10. ad iam meritum *Par. quod correxi.* iam ad immeritum *Torr.* || 15. De religione simulata *Torr.*

quod diutius nit. mans.) Paridis scriptura, quacum consentit cod. Berol., *quod diutius nitorem mansurum*, uitiosa est. Neque enim causalis sententia, quae adnectitur per *quod*, accusatiuo cum infinitiuo efferri potest. Displicet tamen uulgatorum exemplorum emendatio *quod diutius nitor esset mansurus.* Scripserat Paris, ni omnia me fallunt, *quo* (sc. si marmore eam fecissent) *diutius nitorem mansurum.* Adhaesit littera *d* relatiuo e sequenti uoce *diutius.* Cf. Madu. gramm. §. 402, a.

8. *Argennusae)* Cum Paride in scribendo hoc nomine consentiunt Thuc. VIII, 101, Plin. h. n. V, 31, 39, Stephanus Byzantinus, qui ab Argenno promontorio insulam appellatam esse tradidit, et consentient haud duble plures, si de codicibus accuratius erit relatum. Neque tamen de uulgata forma *Arginusae* uel *Arginussae* dubitari posse uidetur, quam ipse libros secutus seruaui III, 8, ext. 3. Cf. Cic. de off. 1, 24, 84. Xenoph. Hell. I, 6, 27. Strabo. XIII, p. 617. Diod. Sic. XIII, 98. Plut. Lys. 7.

1. Cf. Liu. I, 19. Dion. Hal. II, 60. Plut. Num. 4. Flor. I, 2. Auct. de uir. ill. 3, alii.

PAR.

congressus esse nocturnos, eiusque monitu se, quae acceptissima deis immortalibus sacra forent, instituere.

Scipio Africanus non ante ad negotia priuata uel publica ibat quam in cella Iouis Capitolini moratus fuisset, et ideo Ioue genitus credebatur.

L. Sylla, quotiens proelium committere destinabat, paruum Apollinis signum Delphis sublatum in conspectu militum complexus, orabat uti promissa maturaret.

Q. Sertorius per asperos Lusitaniae colles ceruam albam trahebat, ab ea se quaenam aut agenda aut uitanda essent praedicans admoneri.

Minos Cretensium rex nono

NEP.

rum, atque idem, ut facilius mansuescerent, Aegeriam nympham in consuetudine se habere praeceptricem sibi confinxit, quo maior apud feroces esset auctoritas.

Scipio Africanus neque publica 2.
neque priuata prius umquam attigit quam in cella Iouis Capitolini diutissime moraretur ante quam uideretur a quoquam.

Sylla proeliaturus simulacrum 3.
Apollinis Delphis ablatum suppliciter orabat in conspectu militum ut promissa praestaret, uidebaturque mire illo fretus.

Syram mulierem Marius in castris habuit sacricolam, ex cuius se auctoritate asserebat omnia aggredi.

Sertorius in exercitu Hispano 4.
albam ceruam habuit, quam persuasit barbaris monitricem sibi esse.

Ext. 1.

PAR. 3. accepta diis *D Torr.* || 8. publica uel priuata *Torr.* priuata (*omissis* publica uel) *D.* || 9. sella *D.* || 10. esset *Torr.* || 23. quaenam agenda et uitanda *D.* || 26. nouo *D Par. Mai. add.* quoque *Torr.*

NEP. 16. illo] bello *Nep. Correxit Mai.*

---

2. Cf. Liu. XXVI, 19. A. Gellius VII, 1, 6. App. Hisp. 23. Auct. de uir. ill. 49.

3. Cf. Front. strat. I, 11, 11. Plut. Sull. 29.

Syram mulierem) Cf. Front. strat. I, 11, 12 et Plut. Mar. 17, qui Marthae ei nomen fuisse tradidit. Omisit hoc exemplum Iul. Paris, ideoque deest in Valerii edd. Neque tamen esse uidetur ex illis, quae Nepotianus in epistula ad Victorem a Valerio praetermissa conexurum se promiserat, cum Frontinus quae l. c. de saga illa refert procul dubio aeque ac reliqua exempla ibi enarrata e Valerio petierit. Cf. praef. p. 44. Nepotianus contra externa huius capitis exempla omisit.

4. Cf. Plin. h. n. VIII, 32, 50. Front. strat. I, 11, 13. Plut. Sert. 11. A. Gell. XV, 22. App. ciu. I, 110. Polyaen. VIII, 22.

Ext. 1. Cf. Plat. Min. p. 319. C.

nono anno) Mendum *nouo anno*, quod e Paridis codice in Valerii quoque

PAR.	*NEP.*
anno in quendam praealtum et uetusta religione consecratum specum secedere solebat, et in eo moratus tamquam ab Ioue, quo se ortum ferebat, traditas leges perrogabat.	
2. *Pisistratus in reciperanda tyrannide, quam amiserat, simulatione reducentis se in arcem Mineruae est usus, cum per ostentationem ignotae mulieris, quae Phye uocabatur, formatae ad habitum deae, Athenienses deciperet.*	
3. *Lycurgus consilio Apollinis grauissimae ciuitati Lacedaemoniorum leges compositas ferre se persuasit.*	
4. *Zaleucus sub nomine Mineruae apud Locrenses prudentissimus habitus est.*	

PAR. 2. quoddam *pr. D Torr.* || 3. specus *pr. D Torr.* || 5. a Ioue *Torr.* || 6. traditas] *add.* sibi *Torr.* || 7. prorogabat *D.* praerogabat *Torr.* || 8. recuperanda *Torr.* || 13. Fye *Par.* fro *D* Phya *Torr.* || 17. Lacaedemoniorum *Par. ante* ciuitati *Torr.*

libros transiit, sublatum est ab Aldo. Sed idem praeter necessitatem inseruit u. *quoque*, cum illo annorum spatio repetitam esse eandem consuetudinem intellegatur etiam in Minoe: *λέγει γάρ* (Homer. Od. τ, 179) *τὸν Μίνωα συγγίγνεσθαι ἐνάτῳ ἔτει τῷ Διὶ ἐν λόγοις* etc.

leges perrogabat) Nescio an solus Valerius perrogare legem dixerit pro eo, quod est perferre legem. Certe non reicienda est scriptura, quam similis locus VIII, 6, 4 defendit, ubi cod. Bern. et proximus ab eo Berolinensis *C* exhibent *legem aduersus intercessionem collegarum perrogauit*, cum interim aut nullam aut peruersam sententiam praebet quod Perizonius codicem Berolinensem *D* secutus proposuit, *prorogauit*, mire comparans Cic. pro. Mur. 23, 47 et quod inde ab Aldo placuerat grammaticis, *praerogabat*. Cf. Brisson. II de formul. et sollemn. pop. Rom. uerb. p. 152.

2. Cf. Herod. I, 60. Polyaen. strat. I, 21.

3. Cf. Herod. I, 65. Plut. Lycurg. 5. Iustin. III, 3. al.

PAR.

Bacchanalium sacrorum mos nouus institutus, cum ad perniciosam uaesaniam iret, sublatus est.

Lutatius Cerco, qui primum Punicum bellum confecit, a senatu prohibitus est sortis Fortunae Praenestinae adire. Auspiciis enim patriis, non alienigenis rem publicam administrari iudicabant oportere.

NEP.

DE SVPERSTITIONIBVS.

Bacchanalium mysteria fuere III. 1. *Romae. Sed cum temporibus nocturnis uiri ac feminae pariter essent furerentque multo colentium sanguine, peregrina sacra abolita sunt.*

Lutatium Cerconem, confectorem primi Punici belli, fama extitit uelle ad Praenestinae Fortunae sortes mittere † siue colligere. Hoc cognito senatus inhibuit extraria responsa consultorum disquiri. Iussum legatis est aedilibusque in haec missis, ut si consuluisset, ad supplicium Romam reduceretur. Denique adeo profuit factum ut pro incertis ei Romana auspicia fuerint. Nam ab altaribus patriis profectus Aegates opulentissimas insulas in conspectu Karthaginis populatus est.

PAR. 5. iretur *Torr.* || 9. Cereo *D Par. Mai. om. Torr.* || 11. sortes *Torr.* || 14. oportere iudicabant *Torr.*

NEP. 9. Lutatium] *hoc exemplum, cum Nep. post* §. 2 *de expulsis Iudaeis exhibuerit, nos transposuimus.* || Circonem *Nep. Mai.* || 21. Aegadas *Nep. Mai.*

---

1. *Bacchanalium sacr.)* Cf. Cic. de legg. II, 15, 37. Liu. XXXIX, 8—18.

Lutatius Cerco) Cerco, quod restitui pro codicis mendo *Cereo* ab A. Maio receptо, Lutatiorum quidem cognomen erat, (Eckhel. doctr. num. T. V, p. 240. Liu. XLII, 6.) num huius quoque C. Lutatii ualde dubito, qui certe cognominabatur Catulus et in fastis Capitol. est C. Lutatius C. F. C. N. Catulus. Fortasse Val. eum confudit cum Q. Lutatio C. F. C. N., consule insequentis anni, quo pax data est Karthaginiensibus, cui sane iidem fasti tribuunt cognomen CErconis. Cf. Grut. inscr. p. 292.

mittere † siue colligere) Desperaui de emendanda hac corruptela, quam tacite A. Mai. e cod. Vat. Nepotiani recepit. Abbreuiator, ut uidetur, significare uoluit cur Lutatius adierit sortes Praenestinas. Itaque scripserit fortasse *si deberet conligere* uel simile nescio quid. Ceterum de ipsa re aliunde nihil, quod sciam, constat.

PAR.	*NFP.*
2. *Cn. Cornelius Hispalus praetor peregrinus M. Popilio Laenate, L. Calpurnio consulibus edicto Chaldaeos citra decimum diem abire ex urbe atque Italia iussit, leuibus et ineptis ingeniis fallaci siderum interpretatione quaestuosam mendaciis suis caliginem inicientes.*	*Chaldaeos Cornelius Hispalus urbe expulit et intra decem dies Italia abire iussit, ne peregrinam scientiam uenditarent.*
Idem Iudaeos, qui Sabazi Iouis cultu Romanos inficere mores conati erant, repetere domos suas coegit.	*Iudaeos quoque, qui Romanis tradere sacra sua conati erant, idem Hispalus urbe exterminauit, arasque priuatas e publicis locis abiecit.*
3. *L. Aemilius Paulus consul, cum senatus Isidis et Serapis fana diruenda censuisset eaque nemo opificum adtingere auderet, posita praetexta securem arripuit templique eius foribus inflixit.*	

PAR. 2. C. Cornelius *A D Torr.* || 3. pompilio *A D Par.* || 4. Cn. Calpurnio *Torr.* || chaldeos *A.* || 5. citra] circa *A D Par.* intra *Torr.* || 10. nutrientes *D.* || 11. Iudaeos *om. A D.* || sabati *A.* Zabazi *corr. Par.* || 12. cultu] *add.* simulato *Torr.* || mores] *ante* inficere *A. om. D. ante* Romanos *Torr.* || 13. erant] sunt *Torr.* er[ant — — — *cap.* IIII, *ext.* 1 suffecturam urbem] *A.* || 20. securim *Torr. Cf. Liu.* VIII, 7, 20; IX, 16, 17 *codd. Paris. et Med. Prisc. VII,* 758.
NEP. 2 *et* 13. Hippalus *Nep. Mai.*

2. Cf. Serv. ad Aen. VIII, 187.

Cn. Cornelius) Eundem hunc esse puto atque illum Cn. Cornelium Hispalum, consulis anni 578 filium, de quo Val. VI, 3, 3 egit. Quapropter cum pari fere auctoritate firmentur Gai et Gnaei praenomina, Paridem secutus sum Gnaeum exhibentem. Cognomen simplici l scripsi cum Par. et cod. Bern. (h. l. et VI, 3, 3.) quamquam in inscriptione ap. Grut. p. 293 editur HISPALLVS. Deinde in Calpurnii praenomine erratum est. Consentiunt enim Valerii exempla cum Paridis cod. Vat. de Lucio, qui in fastis Gnaeus uocatur.

citra decimum diem) Apparet uitiose in cod. Vaticano Paridis et in Valeriano Bernensi *circa decimum diem* scribi. Neque enim ea decretorum ratio est ut aliquid circa certum diem fieri oportere statuant. Praescribendus erat dies, ante quem Chaldaei ex urbe atque Italia excederent. *Citra* legendum esse Carolus Lachmannus monuit.

3. *Isidis et Serapis)* Eorum aras penitus euersas esse a Pisone et Gabinio consulibus referunt Tertull. apolog. 6 et Arnob. II, p. 56 ed. Elm.

PAR.

DE AVSPICIO.

L. Tarquinius rex centuriis equitum, quas Romulus auspicato conscripserat, alias adicere cupiens, cum ab Atto Nauio augure prohiberetur, offensus interrogauit an id fieri posset, quod animo cogitaret. Eo, augurio capto, posse fieri dicente iussit nouacula cotem discindi. Qua Attus adlata, administrato incre-

NFP.

DE AVSPICIIS.

Vrbem Romam auspiciis conditam certum est. Itaque Remus prior sex uultures auspicatus; postea Romulus duodecim, potior Remo fuit, quod Remus prioribus auspiciis niteretur, Romulus pluribus. IIII.

L. Tarquinius rex cum centuriis a Romulo constitutis alias adicere disponeret, Attus Nauius augur dixit prius deos consuli oportere. Rex iussit sciscitari num quod in animo haberet fieri posset. Post consultationem posse respondit. 'Nouacula', inquit Tarquinius, 'cotem te scindere uolo'. Nil cunctatus augur scidit. Exin 1.

PAR. 2. De auspiciis *Torr. om. D.* || 13. Atto Nauio] Octauiano *D.* Attio Nauio *Torr.* || 15. an id — cogitaret] possetne fieri quod ipse mente conceperat *Torr.* || possit *Par. (?) Mai. quod correxi.* || 16. augurio capto *om. Torr.* || 19. Actus *D.* Attius *Torr.*

NEP. 12. Attius *Nep. Mai.* || 18. te *om. Nep. Mai.* || 19. concitatus *Nep. Mai. quod correxi.*

Vrbem Romam) Cf. Liu. I, 7. Dion. Hal. I, 86, 87. Plut. Rom. 9. Flor. I, 1. 6. Auct. de uir. ill. 1. alii. Deest hoc exemplum in Paridis epitoma et fieri sane potest ut Nepotianus id non ex Valerio Maximo petierit, sed ab alio scriptore desumptum adiecerit.

1. Cf. Liu. I, 36. Cic. de diu. I, 17, 32. Dion. Hal. III, 70, 71. Plin. XV, 18. Flor. I, 5, 2. Lact. diu. inst. II, 8. Fest. u. Nauia p. 169 Müll.

ab Atto) Optimi quique codices Attum Nauium, non Attium appellant. Accedant enim ad Paridis auctoritatem codd. Med. et Paris. Liu. I, 36; cod. Reg. Plin. Ciceronis cod. Vat. de rep. II, 20, 36, ubi transpositis litteris TATVS NAVIVS legitur, et in Atto Clauso codd. Med. Tac. ann. IIII, 9; XII, 25; cod. Vat. epitomae de praen. 6. Neque contra facit aliorum et deteriorum maxime librorum testimonium solito errore praenomina (Quintus, Sextus, Status, Tullus, Mettus) cum nominibus inde deriuatis permutantium. Quod Dionysius l. c. eum *Ἄρνον* dicit idque *συγγενικόν* nomen esse tradit, falsae uiri docti coniecturae tribuendum esse censeo, cui certe idem praenomen in Atto Clauso refragatur, quamuis non negauerim satis iam antiquam horum nominum confusionem esse. Cf. Osann ad Cic. de rep. l. c.

cotem te scindere uolo) Addidi in Nep. *te*, quod facile excidere poterat post finalem syllabam u. *cotẽ*. Neque enim ipse rex cotem scindere uoluit, sed scindi eam iussit ab augure.

PAR.

dibili facto, effectum suae professionis oculis regiis subiecit.

2. *Ti. Gracchus, cum ad res nouas moliendas pararetur, auspicia domi prima luce petiit, quae illi perquam tristia responderunt. Et ianua egressus ita pedem offendit ut digitus ei decuteretur. Tres deinde corui in eùm aduersum occinentes partem tegulae decussam ante ipsum propulerunt. Quibus omnibus contemptis a Scipione Nasica pontifice maximo decussus Capitolio, fragmento subsellii ictus procubuit.*

3. *P. Claudius bello Punico primo, cum proelium nauale committere uellet auspiciaque more maiorum petisset et pullarius non exire cauea pullos nuntiasset, abici eos*

NEP.

magna fides et auctoritas Romae augurum mansit. Nauio cum cote et nouacula constituta est statua.

Ti. Gracchus tribunatum adepturus, pullarium domi consuluit ab eoque ire in campum prohibitus est. Sed cum pertinaciter pergeret, sic illisit mox extra ianuam pedem ut eius excuteretur articulus. Deinde tres corui prodeunti ei cum uocibus aduersis inuolauerunt et compugnantes tegulam ante pedes eius deiecerunt. Cumque in Capitolio consuleret, similia auspicia habuit. Male igitur tribunatu gesto occisus est a Scipione Nasica. Primo ictus fragmento subsellii, postea claua, expirauit. Corpus eius cum his, qui pariter occisi erant, Lucretius aedilis plebi inhumatum in Tiberim abici iussit.

P. Claudius, praeceps animi, primo bello Punico pullarium consuluit. Qui cum dixisset non uesci pullos, quod malum omen est, 'Bibant,' inquit, et in mare proici

---

PAR. 2. perfectionis *Par.* || 3. regis *D Torr.* || subiecit] *sequitur inscriptio* De auspiciis *D.* || 6. moliendas *om. D Torr.* || 8. Et] nam *D Torr.* || 12. occurrentes *D.* || 16. uictus *Par. Mai.*

NEP. 5. Titus *Nep.* || 10. excideretur *Nep. Mai. quod correxi.*

---

2. Cf. Plut. Ti. Gracch. 17. Iul. Obseq. 86.

Corpus eius cum) Dubitari potest utrum ultimam huius exempli partem, quae deest in altero compendio, Nepotianus e Valerio excerpserit an alibi inuenerit. Ceterum cf. Liu. epit. lib. LVIII. Plut. Ti. Gracch. 20. Auct. de uir. ill. 64, qui narrat Lucretium inde Vespillonis nomen traxisse.

3. Cf. Cic. de nat. deor. II, 3, 7; id. de diu. I, 16, 29. II, 33, 71. Polyb. I, 52. Liu. epit. libr. XIX. Suet. Tib. 2. Censorin. d. d. n. 17. Flor. II, 2, 29. Eutrop. II, 26. Oros. IIII, 10, al.

PAR.

in mare iussit dicens, 'quia esse nolunt, bibant.'

L. Iunius, P. Claudii collega, neglectis auspiciis classem tempestate amisit damnationisque ignominiam uoluntaria morte praeuenit.

Cum Metellus pontifex maximus Tusculanum petens iret, corui duo in os eius aduersum ueluti iter impedientes aduolauerunt, uixque extuderunt ut domum rediret. Insequenti nocte aedis Vestae arsit. Quo incendio Metellus inter ipsos ignis raptum palladium incolume seruauit.

M. Ciceroni mors inminens auspicio praedicta est. Cum enim in uilla Caietana esset, coruus

NEP.

iussit. Mox classem apud Aegates insulas cum multo reip. damno et suo exitio amisit.

Metello pontifici maximo pro- 4.
ficiscenti in agrum Tusculanum corui duo euidenter obstiterunt. Sed neglecto augurio ire contendit. Inter se aues unguibus laniare coeperunt et rostris dare ictus. Mirans Metellus Romam rediit. Sequenti nocte ex incendio palladium rapuit.

M. Tullius Cicero cum in agro 5.
Caietano proscriptus lateret insectante Antonio, coruus uirgulam

PAR. 2. mari *D.* || esse] exire *D.* || 5. Et L. Iunius *Torr.* L. Bibius *D.* || 7. amisit] *add.* Quorum ille populi iudicio concidit *Torr.* || damnationisque] *add.* hic *Torr.* || 11. petens iret] peteret *D Torr.* || 14. extorserunt *D.* || in sequenti *Mai.* || 15. aedes *D Torr.* || 21. caletana *Par. Mai.*

NEP. 1. Aegadas *Nep. Mai.* || 20. saletano *Nep.* caletano *Mai.*

amisit damnationisque etc.) Pigh. cum in cod. Campensi omnium longe pessimo legeret *classem tempestate amisit populique iudicio damnatus hic ignominiam* etc. manifesta interpolatione, ascita e Cic. II de diu., mancam sententiam noua interpolatione restituit, quemadmodum in uaria scriptura ed. Torr. significaui, manseruntque eius conatus in recentioribus quoque exemplis, quamquam iam Vorst. animaduertit non conuenire haec uu. cum Val. VIII, 1, abs. 4, quod ibi Claudius subito coorti imbris beneficio damnationem effugisse diceretur.

4. Cf. Liu. epit. lib. XIX. Dion. Hal. II, 66. Ouid. fast. VI, 437. Plin. VII, 43. Oros. IIII, 11.

5. Cf. Plut. Cic. 47 et sqq. App. ciu. IIII, 19. Auct. de uir. ill. 81.

in uilla Caietana) Iam in eo Valerii exemplo, quo usus est Paris, scriptum fuisse de uilla Caletana inde colligo, quod idem mendum in Nepotiani quoque epitoma occurrit, ubi *in agro saletano* nunc quidem legitur pro *in agro Caletano*, quod Maius ad Cales oppidum retulisse uidetur, cuius tamen gentilicium est *Calenus*. At Tullium prope Caietam diem obiisse supremum praeter scriptores supra citatos Liuii quoque fragmentum libri CXX apud Senec. suasor. VII et ipse Val. V, 3, 4 testantur. Nam quod in codd. Plutarchi nunc extat εἰς Καπίτας et apud App. ἀμφὶ Καπύην, utroque loco Caietam restituendam esse iam dudum intellexerunt grammatici.

PAR.

in conspectu eius horologii ferrum loco motum excussit et protinus ad ipsum tetendit ac laciniam togae eo usque morsu tenuit, donec seruus milites ad eum occidendum uenisse nuntiaret.

6. *M. Brutus cum reliquias exercitus sui aduersus Caesarem et Antonium eduxisset, duae aquilae ex diuersis castris aduolauerunt et edita inter se pugna ea, quae a parte Bruti fuerat, male fugit mulcata.*

Ext. 1. *Cum rex Alexander urbem in Aegypto constituere uellet, architectus Dinocrates cum cretam non haberet polentaque futurae urbis liniamenta deduxisset, ingens auium multitudo proximo lacu emersa, polentam depasta est, quod sacerdotes Aegyptiorum interpretati sunt, conuenarum frequentiae alimentis suffecturam urbem.*

NFP.

ferream, qua distinguebantur horae, sic rescidit rostro ut ea excuteretur, togamque Tullii apprehendit et traxit. Sub momento ad eum percussores irruerunt.

M. Brutus, collega Cassii, de exitu belli ciuilis est ammonitus. Nam duae aquilae aduolantes supra eum campum, in quo pugnauit, ex diuersis castris conuenientes conflixerunt. Victrix profecta ad Caesarem est; fugit illa, quae ex Bruti aduenerat parte.

Deiotaro uero regi, omnia fere auspicato gerenti, salutaris

PAR. 4. lacunam *D.* || 6. ad occidendum eum milites *D Torr.* || 11. aduersis *D.* || aduolauerant *D.* || 14. mulcata fugit *Torr.* mulctata fuit *D.* || 17. construere *D.* || 18. Dimocrates *D Par. Correxit Pighius.* Dinochares *Plin. h. n.* V, 10. VII, 37. XXXIIII, 14. *cf. Vitruu.* II, 1. *Solin.* 32. || 21. primo *D Par.* || 24. aduenarum *D Torr.*

NEP. 9. est ciuilis *Nep. Mai.*

VAL. 26. Deiotaro] *praeponunt inscriptionem* De ominibus *A B C D E. haec et sequentia usque ad finem libri I inserui post uu.* uacuum esse consueuit (II, 6, 17) *Γ.* || auspicatu *A Γ et corr. E. ut cod. palimps. Cic. de rep.* II, 29. auspicata *B C et pr. E.* || gerentis *A.*

6. Cf. Plut. Brut. 48. App. ciu. IIII, 128.

Ext. 1. Cf. Plut. Alex. 26. Curt. IIII, 8, 6. Arrian. III, 2, 1. Amm. Marc. XXII, 16, 7. Strab. XVII, 6, p. 792 Cas.

2. Cf. Cic. de diu. I, 15, 26. II, 8, 20.

Deiotaro uero) Iam quae sequuntur ipsius Valerii uerba sunt, seruata in omnibus codicibus, qui tamen male proximi capitis inscriptionem *De ominibus* praeponunt. Apparet praeterea unum aut plura externa exempla hoc loco interiisse, quorum ne compendia quidem supersunt Paridis aut Nepotiani, neque

aquilae conspectus fuit, qua uisa abstinuit se ab eius tecti usu, quod nocte insequenti ruina solo aequatum est.

DE OMINIBVS.

Ominum etiam obseruatio aliquo contactu religioni innexa est, quoniam non fortuito motu sed diuina prouidentia constare creditur. V. 1.

Quae effecit ut urbe a Gallis disiecta, deliberantibus patribus conscriptis utrum Veios migrarent an sua moenia restituerent, forte eo tempore praesidio cohortibus redeuntibus, centurio in comitio exclamaret 'Signifer, statue signum, hic optime manebimus'. Ea enim uoce audita senatus accipere se omen respondit e uestigioque Veios transeundi consilium omisit. Quam paucis uerbis de domicilio futuri summi imperii confirmata est condicio! credo indignum diis existimantibus prosperrimis auspi-

---

1. conspectus aquilae *Γ*. || 2. insequenti nocte *EPar*. || 3. De ominibus *om. h. l. BCDEΓ et pr. A*. || 4. §. 1 *om. Γ*. || hominum *C*. || contractu *B et corr. A*. || religionis *ABCDE Torr*. || 5. quoniam] quae *D*. || stare *D*. || 7. gellis *pr. A*. || 8. utrum] uti *A*. || 9. e praesidio *corr. A Torr*. || 11. se accipere *Torr*. || 12. uestigio *D*. || 14. prosperis *Torr*.

---

statim hanc de auibus polentam depascentibus narrationem exceptam esse illa de salutari aquilae conspectu, sed praecessisse aliud non salutare aut aquilae aut alius auis auspicium, cui oppositum fuerit quod initio huius exempli scripserit Valerius, *Deiotaro uero regi — salutaris aquilae conspectus fuit.*

religioni) Obscuram et in Valerio insolentem locutionem, quae librorum scriptura *religionis* efficitur, qua recepta intellegas oportet ominum obseruationem propter aliquem religionis contactum huic operi hoc loco insertam esse, lenissima mutatione Guyetus emendauit, quem secuti sumus. Ceterum neglegenter inde a u. *quoniam* ita pergit, tamquam antea non de obseruatione ominum sed de ipso omine locutus sit.

Quae effecit) Cf. Liu. V, 55. Plut. Cam. 32.

praesidio cohortibus redeuntibus) Praepositionem *e*, quae post *tempore* facillime sane excidere potuit, uel inuitis libris cum prioribus editoribus supplere non dubitassem, nisi eodem modo Valerius reuertendi uerbum cum simplici ablatiuo coniunxisset VIII, 7, ext. 6, *qui cum diutina peregrinatione patriam repetisset.* Quam poetarum licentiam (Ouid. met. V, 585. id. fast. VI, 785), alienam a prosae orationis auctoribus ad hanc aetatem pertinentibus, in Valerio minus miram reddit ea consuetudo, qua ille apud uerba, quae motum cum discessu continent, locum, unde incipit motus, frequenter sexto casu effert, ubi Cicero et Caesar eorumque aequales plerumque praepositionibus *ab, ex, de* utuntur. Mitto composita cum his praepositionibus uu. abire, exire, decedere, excedere, descendere,

ciis Romanum nomen ortum Veientanae urbis appellatione mutari inclitaeque uictoriae decus modo abiectae urbis ruinis infundi.

2. Huius tam praeclari operis auctor Camillus, cum esset precatus ut, si cui deorum nimia felicitas populi Romani uideretur, eius inuidia suo aliquo incommodo satiaretur, subito lapsu decidit. Quod omen ad damnationem, qua postea oppressus est, pertinuisse uisum est. Merito autem de laude inter se uictoria et pia precatio amplissimi uiri certauerint. Aeque enim uirtutis est et bona patriae auxisse et mala in se transferre uoluisse.

3. Quid illud, quod L. Paulo consuli euenit, quam memorabile! Cum ei sorte euenisset ut bellum cum rege Perse gereret, et domum e curia regressus filiolam suam nomine Tertiam, quae tum erat admodum paruula, osculatus tristem animaduerteret,

---

3. Huius — auctor *om. Γ, qui etiam* §. 2 *transposuit post* §. 3. || actor *D.* || 4. populi Romani] *om. B.* patre *corr. C.* || 8. uiri amplissimi *B.* || certauerunt *(B) Torr.* || 9. transferri *Γ.* || 10. Quid — memorabile] Paulus *Γ, qui* §. 3 *transposuit post* §. 5. || illud] *add.* est *B.* || 11. ei] enim *D.* || forte *E.* || obuenisset *Par.* || Persa *A et corr. D et ante* rege *E. Vt nos etiam Par.* || 12. Terrenciam *E.* || 13. tunc *EΓ.* || obsculatus *C.*

---

delabi, extrahere, detrahere, demittere, apud quae iam Liuius saepissime omisit praepositiones; nemo tamen illius aetatis scriptor apud uerba, quae non continent praepositiones *ab, de, ex*, et in quibus remotior est discessus notio, simplicem ablatiuum loci, unde motus oritur, posuit. Ita uero insolenter ac dure Val. III, 4, 4, *Miro gradu Varro quoque ad consulatum macellaria patris taberna conscendit.* Item II, 4, 1, *proximus militaribus institutis ad urbana castra i. e. theatra gradus faciendus est.* Nec multo minus contra receptum morem V, 2, 9, *Pompeio — sella adsurrexit.* Nam eodem modo iam Sallustium locutum esse (apud. Non. IIII, 430), uerborum et locutionum nouatorem, non est cur miremur. Per se patet nihil ad nostram rem pertinere Curtii exemplum (IIII, 3, 7, *Arabia rediens)*, quod citauit Torren. Cf. Zumpt. ad. Curt. IX, 32, 14.

2. Cf. Liu. V, 21. Plut. Cam. 5. Dion. Hal. exc. XII, 20 et 23. Mai coll. II, p. 475.

3. Cf. Cic. de diu. I, 46, 103. Plut. Paul. 10. id. apopth. duc. Rom. Paul. 2. *cum rege Perse)* In flectendo Persei nomine ut ipse Valerius non sibi constitit, ita ne librarii quidem singulis locis inter se consentiunt. Nominatiuus casus semel occurrit V, 1, 8, *Perses* in omn. libr.; genitiuus semel VI, 2, 3, *Persei* in melioribus *ADΓ, Persae* in reliquis et in editionibus. Accusatiuus triplici terminatione uariatur in libris, *Persen, Persem, Persam.* At Valerius constanter primam posuisse uidetur, quam etiamnunc codd. proferunt II, 2, 1 et VIII, 11, 1. Lib. Bern. quidem I, 8, 1 habet *Persem*, sed proximi ab eo *BC Persen* conspirante Paride. Itaque cum de terminatione *en* dubitari fere nequeat, non est credibile Valerium eodem loco paulo ante *Persam* scripsisse, quamuis omnes fere libri id exhibeant. Rectum ibi quoque seruauit Paris. Ex eodem Paride V, 1, 8 restitui *Persen*, ubi cod. Bern. plene *Persem*, reliqui aut item plene *Persem* aut per notam *Persẽ* exhibent. Sextum denique casum per *e* efferunt omnes codd. II, 2, 1. II, 7 ext. 14. IIII, 4, 9. V, 1, 1. Item omnes IIII, 3, 8 praeter abbreu. Guelf. *Γ*, qui habet *Perseo.* Formam contra in *a* exeuntem tuentur omnes libri V, 1, 1. Hoc loco, de quo agitur, quam-

interrogauit quid ita eo uultu esset. Quae respondit Persam perisse. Decesserat autem catellus, quem puella in deliciis habuerat, nomine Persa. Arripuit igitur omen Paulus exque fortuito dicto quasi certam spem clarissimi triumphi animo praesumpsit.

4. At Caecilia Metelli, dum sororis filiae, adultae aetatis uirgini, more prisco nocte concubia nuptiale petit omen, ipsa fecit. Nam cum in sacello quodam eius rei gratia aliquamdiu persedisset nec aliqua [ulla] uox proposito congruens esset audita, fessa longa standi mora puella rogauit materteram ut sibi paulisper locum residendi adcommodaret. Cui illa, 'Ego uero', inquit, 'libenter tibi mea sede cedo'. Quod dictum ab indulgentia profectum, ad certi ominis processit euentum, quoniam Metellus non ita multo post mortua Caecilia uirginem, de qua loquor, in matrimonium duxit.

5. Gaio autem Mario obseruatio ominis procul dubio saluti

---

2. autem] enim *D.* || 3. habebat *Γ.* || et ex dicto fortuito *Γ.* || 4. spem certam *Torr.* || 6. §. 4. *om. Γ.* || 7. nuptialia *A B C D E Torr.* || 8. huius *D.* || aliquamdu supersedisset *E.* || 9. aliqua *om. Torr.* || ulla] *sine uncis Torr. om. B C E.* || 10. puella mora *B.* || 12. meam sedem *D et pr. A.* in mea sede *E. uid. ad.* IIII, 1, 7. || secedo *Par.* || 14. ita] *singulae litterae inductae lineolis corr. A. om. Par.* || 16. autem *om. Γ.*

---

quam cod. Bern. stat pro *Persa*, usitatiorem formam *Perse* propter Paridis et reliquorum bonorum consensum intactam reliqui.

Persam perisse) Notabili errore catellus ille in Nepotiani codice *Macedonis* uocatur.

4. Cf. Cic. de diu. I, 46, 104; II, 40, 83.

nuptiale petit) Edebatur hucusque e codd. *dum — nocte concubia nuptialia petit, omen ipsa fecit.* Nouimus nuptialia sacra, dona, carmina, nuptiales faces, ludos, cett. Quid per se sint nuptialia nullo adiecto substantiuo nescimus. Neque enim simplici illo adiectiuo nuptialia omina significari possunt. At egregie huic loco succurrit Iulius Paris, a quo seruatam antiquam scripturam recepimus.

aliqua [ulla] uox) Pronomen *aliquis* cum *ullus* coniungi posse, quemadmodum coniungitur cum *unus, alius, alter, alteruter*, ita ut plane abundet, non mihi persuadetur, meritoque iam librarii dubitarunt delerentne *aliqua* an *ulla*. Recte enim dicitur *nec ulla uox*, ita ut generaliter et absolute negetur. Poterat uero etiam dici *nec aliqua uox* sine magno negationis pondere, ea sententia, uocem, quae proposito quidem congrueret, non esse auditam. Cf. Madvig. art. §. 485. Praefero hoc, quippe in qua scriptura facile addi potuerit *ulla* ad interpretandam insolentiorem locutionem, cum interim uix credibile sit quemquam ad explicandum alterum illud *(nec ulla uox)* adiecisse *aliqua*. Valerius hoc pronomine in negando usus est II, 1, 5, *ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur;* II, 10, 1, *ne de aliqua re, quae in his relatae erant, uideretur dubitasse;* II, 6, 2, *ne hostibus fiduciae aliquid adferret;* III, 6, init., *ne aliqua inutili relatione implicer*; insolentius V, 10, ext. 3, *ne uiuere aliquem quidem posse, qui non sit moriturus.*

5. Cf. Plut. Mar. 38.

fuit, quo tempore hostis a senatu iudicatus in domum Fanniae Minturnis custodiae causa deductus est. Animaduertit enim asellum, cum ei pabulum obiceretur, neglecto eo ad aquam procurrentem. Quo spectaculo deorum prouidentia quod sequeretur oblatum ratus, alioquin etiam interpretandarum religionum peritissimus, a multitudine, quae ad opem illi ferendam confluxerat, inpetrauit ut ad mare perduceretur, ac protinus nauiculam conscendit, eaque in Africam peruectus arma Syllae uictricia effugit.

6. Pompeius uero Magnus in acie Pharsalica uictus a Caesare, fuga querens salutem, cursu in insulam Cyprum, ut aliquid in ea uirium contraheret, classem direxit, adpellensque ad oppidum Paphum conspexit in litore speciosum aedificium, gubernatoremque interrogauit quod ei nomen esset. Qui respondit *Κατωβασίλεια* uocari. Quae uox spem eius † quae quantulumcumque restabat conminuit. Neque id dissimulanter tulit. Auertit enim oculos ab illis tectis, ac dolorem, quem ex diro omine ceperat, gemitu patefecit.

7. Marci etiam Bruti dignus admisso parricidio euentus omine designatus est. Siquidem post illud nefarium opus natalem suum

---

1. a senatu hostis *E.* || in domum *om. C.* || 2. mincturius *D.* minturis *E.* || 3. neglecto eo *om. F.* || percurrentem *D.* || 5. aliqui *B.* || etiam *om. E.* || interpretandarum *B.* || 8. Sylle *A.* || uictricia sylle arma *Γ.* || effugit] *sequitur* §. 3. Paulus cum ei sorte *etc. Γ.* || 9. §. 6. *om. Γ.* || 11. eam *ABCD.* || 12. littore *A.* || 13. *ΚΑΤΩ* basilea *A.* katu basilea *B.* hacabasilea *D.* kacobasilea *E.* caubasilea *Nep.* *καπωβασιληα* *Par. deletum hoc nomen in C.* *καποβασιλία* *Torr.* || 14. spem eius, quantulacunque *Torr.* || 16. tectis] ceptis *B.* || conceperat *(E) Torr.* || 18. §. 7 *om. Γ.*

Κατωβασίλεια] De priore huius uocabuli parte cod. Valerii Bern. et Paridis Vaticanus inter se consentiunt, de paenultima tantum leuiter discrepantes, unde A. Maius, *Κατωβασιλία* fortasse a Valerio profectum ratus, de rege a solio detracto interpretatur. Sed tale nomen aedificio imponi uix potuit, scribendumque haud dubie *Κατωβασίλεια*, quod regiam depresso loco (in litore) sitam significauerit, intellexerit Pompeius de sede apud inferos sibi destinata. Nihili prorsus est, quod uulgata exempla hucusque occupauit et ipse Maius praetulit, *καποβασιλία*, nec multo melius, quod inde fecit Torrenius, *καποβασίλεια*.

† *quae quantulumcumque rest.)* Nescio quomodo factum sit ut ne Torrenius quidem uariam scripturam adnotaret, qui cum prioribus grammaticis edidit *spem eius, quantulacumque restabat,* cum tamen omnes libri in eodem mendo congruant, quod illo modo parum probabiliter sanatur, ne dicam de languida admodum uoce *conminuit* in hoc sententiae nexu, *spem eius, quae — restabat, conminuit,* cum potius *sustulit* uel simile aliquid scribendum fuisset. Suspicor Valerium composuisse *spem eius quantulamcumque conminuit*, librariumque ad explicandum illud *quantulamcumque* superscripsisse *quae restabat*, quae inter Valerii uerba recepta turbarunt reliqua. Confirmat coniecturam nostram Iul. Paris.

7. Cf. Plut. Brut. 24. App. ciu. IIII, 134. Macrob. Sat. III, 6.

celebrans, cum Graecum uersum expromere uellet, ad illud potissimum Homericum referendum animo tetendit,

Ἀλλά με Μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός,

qui deus Philippensi acie a Caesare et Antonio signo datus in eum tela conuertit.

Consentaneo uocis iactu C. Cassii aurem fortuna peruellit, quem, orantibus Rhodiis ne ab eo cunctis deorum simulacris spoliarentur, Solem a se relinqui respondere uoluit, ut rapacissimi uictoris insolentiam dicti tumore protraheret, abiectumque Macedonica pugna non effigiem Solis, quam tantummodo supplicibus cesserat, sed ipsum solem re uera relinquere cogeret. 8.

Adnotatu dignum illud quoque omen, sub quo Petilius consul in Liguria bellum gerens occiderit. Nam cum montem, cui Leto cognomen erat, oppugnaret interque adhortationem militum dixisset 'Hodie ego Letum utique capiam', inconsideratius proeliando fortuitum iactum uocis leto suo confirmauit. 9.

Adici nostris duo eiusdem generis alienigena exempla non absurde possunt. Samî Prienensibus auxilium aduersus Caras inplorantibus, adrogantia instincti, pro classe et exercitu sibullam Ext. 1.

1. exponere *Par.* || 3. *ΑΜΟΑ ΜΕΜΟΙΓΡΟΑΟΗ ΚΑΙ ΑΗΤΟΥCΕΚΤΑΝΕΝ ΟΥΙΟΤ A. Graecas litteras non intellectas Latinis imitantur BC. om. DE. cf. Iliad. π, 849.* || 4. qui deus] *λ.* eo enim die quo periit in castris caesaris militibus signum apollinis est datum. *add. margo A e Par.* || 6. §. 8. *transposuit post* §. 9. *Γ.* || consentanee *D.* || iactu *om. Γ.* || peruellitq. morantibus *pr. A.* peruellit que orantibus *B?CE.* peruellit qui orantibus *D.* || 9. dicti] uicti *B et pr. A.* || pertraheret *CE.* || 10. qua *B.* || 12. Adnotatu — sub quo *om. Γ.* || 13. occiderit. Nam *om. Γ.* || occidit *Torr.* || 14. Laeto *pr. A.* letum *corr. D.* || 15. inconsideratus *B.* inconsiderantius *DEΓ.* || 17. §. 1. *om. Γ.* || addici *E.* || generis] *ante* duo *D.* || 18. possint *D.* || Samii *corr. A.* || prianensibus *E.* || carras *ABCD.* Cares *Par. Cf. Verg. Aen.* VIII, 725. *Wagn.* || 19. symbulam *A. λ.* sibylla *margo A.* sibullam *pr. B. pr. C.* sibillam *E et corr. B.* fibillam *corr. C.* lembunculam *D.* cymbulam *Torr.*

8. Cf. Dio. Cass. XLVII, 33 p. 346, E. p. 514 Reim. Rhodios a Cassio nauibus et omni pecunia cum publica tum sacrorum donariorum spoliatos esse refert *πλὴν τοῦ ἄρματος τοῦ Ἡλίου.* Cf. etiam Oros. VI, 18.

9. Cf. Liu. XLI, 18.

occiderit) Coniunctiuum, sine idonea causa a Pighio reiectum, restitui iubentibus libris. Valerius neglegentius ita composuit, cum animo alia eiusdem sententiae forma obuersaretur, *adnotatu dignum sub quo omine Petilius consul occiderit.*

Ext. 1. *pro classe et exerc. sibullam*) Quod Periz. et Torren. suspicati erant, malorum quidem codicum ineptiis decepti, pro *cymbula*, quod Pigh. in textum intruserat, sibyllam reuocandam esse, id nunc boni inter meos libros confirmant. Tollit omnem dubitationem Iul. Paris. Quo magis miror eius editorem etiamnunc uitiosam editionum scripturam *cymbulam*, quam in praef. p. XXII iam damnauerat, longe praestantiorem praedicare, cum praesertim sequentia *(uera fatorum praedictione)* ne intellegi quidem possint, nisi de fatidica illa muliere cogitaueris. Praeterea inter alias Samia quoque sibylla notissima

eis derisus gratia miserunt. Quam illi uelut diuinitus datum praesidium interpretati, libenter receptam uera fatorum praedictione uictoriae ducem habuerunt.

2. Ne Apolloniatae quidem paenitentiam egerunt, quod, cum bello Illyrico pressi Epidamnios ut sibi opem ferrent orassent, atque illi flumen uicinum moenibus suis nomine Aeanta in adiutorium eorum sese mittere dixissent, 'Accipimus quod datur' responderunt, eique primum in acie locum perinde ac duci adsignauerunt. Ex insperato enim superatis hostibus, successum suum omini acceptum referentes, et tunc Aeanti ut deo immolauerunt et deinceps omnibus proeliis duce uti instituerunt.

DE PRODIGIIS.

VI. Prodigiorum quoque, quae aut secunda aut aduersa acciderunt, debita proposito nostro relatio est.

1. Ser. Tullio, etiam tum puerulo, dormienti circa caput flammam

1. uelud *A.* || 2. interpretari *C.* || praedicatione *E.* || 3. habierunt *C.* || 4. §. 2. *om. Γ.* || neque *B.* || apolliniatae *A.* || 5. epidauros *D.* || 6. eant. *(sic) A.* eant • *B.* eantis *D.* eantem *CE.* Aeantem *Torr.* || 8. adsignarē *B.* assignarunt *E.* || 10. omini] omen in *A.* in omen *D.* || eanti *A.* || deo] domino *B.* || 11. ducem *D et corr. A.* || uti *om. A.* || constituerunt *Torr.* || 12. De auguriis *E.* || 13. quae aut — acciderunt *om. Γ.* || 14. est *om. CΓ.* || 15. tulo *E.* || et *E.* || tunc *corr. D.*

est. Cf. Varro ap. Lact. I inst. diu. 6. Tac. VI ann. 12, ubi in cod. Med. priore loco item scribitur *sibulla*, ut in Kalend. Praenest. ap. Orell. inscr. p. 389 et in alia inscript. ap. eundem n. 2276. Corruptela orta est e scriptura *sybullam*, unde addita lineola fecerunt *sybulam* et deinde *cymbulam*, quod nescio quis nugator interpretatus per *lenunculum*, causa extitit innumerabilium errorum cum librariis tum enarratoribus. Par exemplum recenseri a Diodoro Siculo (exc. Vatic. p. 12. uett. scriptt. coll. T. II.) adnotauit A. Maius.

2. *nomine Aeanta)* Sic dedi e Paridis epitome, cum in melioribus Valerii libris ultima exciderit. Quod Epidamnii *Αἰανται* adiutorem sese mittere dixerunt, ambiguitatem in eo uersari, quod idem uicini fluminis et fortissimi apud Graecos uiri nomen fuerit, bene animaduertit Is. Vossius ad Pomp. Mel. II, 3.

duce uti instituerunt) uti, quod in solo cod. Bern. excidit, seruarunt omnes alterius familiae libri, neque in his ab interpolatore insertum esse uidetur. Breuius Par. sed mendose, *omine accepto Apolloniatae, deo ueluti duce, praesentius uicerunt.* Scribendum puto *deo ueluti duce praesenti usi, uicerunt.*

1. Cf. Liu. I, 39. Dion. Hal. IIII, 2. Seru. ad. Aen. II, 683. Auct. de uir. ill. 7.

emicuisse domestici oculi adnotauerunt. Quod prodigium Anci regis Marci uxor Tanaquil admirata, serua natum in modum filii educauit et ad regium fastigium euexit.

Aeque felicis euentus illa flamma, quae ex L. Marci, ducis 2.
duorum exercituum, quos interitus Publi et Gnaei Scipionum in Hispania debilitauerat, capite contionantis eluxit. Namque eius aspectu pauidi adhuc milites pristinam recuperare fortitudinem admoniti, octo et triginta milibus hostium caesis magnoque numero in potestatem redacto, bina castra Punicis opibus referta ceperunt.

Item cum bello acri et diutino Veientes a Romanis intra 3.
moenia conpulsi capi non possent, eaque mora non minus ob-

1. domestic (?) *aut* domestico *pr. A.* domesticorum *DΓ et corr. A.* || adnotarunt *Γ.* || ancii regis marci *A et pr. D.* anci regis Marti *pr. C.* ancii regis marcii *E, corr. C et pr. D.* Prisci Tarquinii regis *Torr.* || 2. serua] Seruium serua *Torr.* || 4. Aeque] quae *E.* || 5. gnei *A.* ignei *B.* || 6. hispaniam *ABC.* || eluxit (l *in rasura*) *A. λ.* efluxit *margo A.* fluxisset *Par.* || 8. treginta *E. (sic saepe).* || 11. §. 3. *om. Γ.* || Uehienses *D.* || 12. possint *A.* possunt *B.*

domestici oculi) Cod. archet. exhibuisse uidetur aut *domestico oculi* aut *domesticoculi*, ita ut incerta sit emendandi ratio. Poterat enim cum altera codicum familia *domesticorum* scribi, poterat cum altera *domestici*, quorum illud probabilitatem habet aliquanto maiorem, si litteras, hoc, quod praetulimus, si Valerii dicendi consuetudinem spectaueris. Cf. exempla quae congessi praef. p. 37, quibus adde I, 4, 1 (Par.), *oculis regiis.*

Anci regis Marci) Quousque processerit Valerii cum leuitas tum ignorantia insigni exemplo hic locus declarat. Etenim quod nos edidimus repugnantibus editoribus praeter Vorstium confirmatur non solum omnibus Valerianis codd. uerum etiam Vincent. Bellou. spec. hist. III. 118, Ment. Error autem, quo Tanaquil Anci Marcii, non Prisci Tarquinii uxor perhibetur, quomodo in Valerii uerba irrepere potuerit, nisi ab ipso auctore sit profectus, equidem omnino non perspicio; speroque in tanta multitudine exemplorum neglegentiam et socordiam scriptoris arguentium fore ut recte nunc aestimetur Pighiana ista temeritas, quae quid scribendum fuerit potius quam quid scripserit Valerius curauerit. Ne id quidem probabilem reddit editorum suspicionem, quod in Nepotiani epitoma secundum historiae fidem de Tarquinio Prisco legitur, siquidem ipsa abbreuiatoris uerba ostendunt Liuium inspectum ab eo causam extitisse emendandi Valerii. Itaque haereo tantum in ordine uerborum *Anci regis Marci*, qui sane insolens est, sed cum reputo quam raro in antiquioribus saltem libris transpositis uocabulis sit peccatum, manum abstineo. Et similiter fere §. 10, *eum collega suo dissidens Cinna*; I, 7, 4 *plebeis quidam ludis pater familias*; al.

serua natum) In recentioribus aliquot libris legebatur *seruum serua natum*, interpolatione petita e Liu. I, 47, ut uidetur. Edd. *Seruium* pro *seruum*. Equidem deleui.

2. Cf. Liu. XXV, 39.

pauidi adhuc) Liuius flammam Marcio contionanti fusam e capite cum magno pauore circumstantium militum uisam esse dicit; alium exercitus timorem et recuperatam illo aspectu pristinam uirtutem ignorat. Idem Claudio auctore triginta septem milia hostium caesa refert.

3. Cf. Liu. V, 15 et sqq. Plut. Cam. 3. Dion. Hal. exc. Vat. XII, 11 sqq. Cic. de diu. I, 44, 100.

sidentibus quam obsessis intolerabilis uideretur, exoptatae uictoriae iter miro prodigio di inmortales patefecerunt. Subito enim Albanus lacus, neque caelestibus auctus imbribus neque inundatione ullius amnis adiutus, solitum stagni modum excessit. Cuius rei explorandae gratia legati ad Delphicum oraculum missi rettulerunt praecipi sortibus ut aquam eius lacus emissam per agros diffunderent; sic enim Veios in potestatem populi Romani *. Quod priusquam legati renuntiarent, aruspex Veientium a milite nostro, quia domestici interpretes deerant, raptus et in castra perlatus futurum dixerat. Ergo senatus duplici praedictione monitus, eodem paene tempore et religioni paruit et hostium urbe potitus est.

4. Nec parum prosperi successus quod sequitur. L. Sylla consul sociali bello, cum in agro Nolano ante praetorium immolaret, subito ab ima parte arae prolapsam anguem prospexit. Qua uisa Postumi aruspicis hortatu continuo exercitum in expeditio-

---

1. exitum optatae *D.* || 2. dii *corr. A.* || 3. imbribus auctus *Torr.* || 6. lacus eius *Torr.* || 7. Romani] *add.* futuros *D et superscripto* fore *margo A. add.* reduci *B. add.* uenturos *CE Torr.* || 8. Quod *om. E.* || 9. captus *Par.* || 10. praedicatione *E. (sic saepius).* || 13. §. 4. *om. Γ.* || successus] *add.* est *Torr.* || 15. ima] una *CDE.*

---

inundatione ullius amnis) Vereor ne inepte causam negauerit auctor, quae numquam omnino incidere potuerit, cum nullus amnis in istum lacum ĩruat, *ἀρχὴν ἔχοντα ἐν ἑαυτῷ καὶ τελευτὴν, ὄρεσιν εὐγείοις περιεχόμενον*, ut dicit Plutarchus.

*populi Romani *.)* Librorum discrepantia, uerbi loco *reduci*, *futuros*, *uenturos*, alia exhibentium, per se iam suspectam redderet scripturam. Accedit quod uerbum omnino deest in cod. Bern. Agnoscemus igitur archetypi lacunam, quae quo modo explenda sit non satis liquet. Equidem Valerium *uenturos* posuisse suspicor, quod fortasse inserendum erit ante *Veios*.

4. Cf. Cic. de diu. I, 33, 72 et II, 30, 65. Plut. Syll. 9. Iul. Obseq. (Lycost.) 116.

L. Sylla consul) Cicero I de diu., quem hoc quoque loco exscripsit Val., simpliciter Syllae in agro Nolano immolanti id prodigium accidisse narrans, de consulatu eius tacet. Et tacuit merito, cum Syllam nondum consulem sed legatum ex praetura Samnites proelio uicisse et bina eorum castra cepisse constet. Cf. Liu. epit. libr. LXXV. Vell. II, 17, 3. App. I ciu. 50. Plin. h. n. III, 5. Drumann. gesch. Roms II, p. 433. Nam quod Plutarch. l. c. de iisdem prodigiis, ut uidetur, scribit, *ὁ δὲ μάντις Ποστούμιος* etc., ad consulem quidem Syllam retulit, sed non sociali bello aduersus Samnites proeliaturo, uerum ad Mithridaticum bellum profecto, cum mutato consilio contra ipsam urbem ducturus esset exercitum, accidisse perhibet. Plutarchus igitur alium fortasse fontem secutus eandem rem aliis temporibus tribuit. Valerius a fonte suo et utique a ueritate aberrauit. Pighius mendum potius librariorum quam scriptoris mendacium accepisse uidetur, cum pro *Sylla consul* tacite ederet *Sylla proconsul*.

nem eduxit ac fortissima Samnitium castra cepit. Quae uictoria futurae eius amplissimae potentiae gradus et fundamentum extitit.

Praecipuae admirationis etiam illa prodigia, quae C. Vo- 5. lumnio, Ser. Sulpicio consulibus in urbe nostra inter initia motusque bellorum acciderunt. Bos namque mugitu suo in sermonem humanum conuerso nouitate monstri audientium animos exterruit. Carnis quoque in modum nimbi dissipatae partes ceciderunt, quarum maiorem numerum praepetes diripuerunt aues, reliquum humi per aliquot dies neque odore taetro neque deformi aspectu mutatum iacuit.

Eiusdem generis monstra alio tumultu credita sunt, puerum infantem semenstrem in foro boario triumphum *clamasse;* alium cum elephantino capite natum; in Piceno lapidibus pluisse; in Gallia lupum uigili e uagina gladium abstulisse; in Sicilia scuta

1. Samnitum *(B) E Torr. et post* castra *D.* || 3. C. Volumnio] et uolumnio et *D.* P. Volumnio *Torr.* || 8. dirupuerunt *C.* || 9. honore tecto *pr. C.* || 10. immutatum *corr. D.* || 11. prebita *correcti AC.* || 12. semenstrum *pr. A.* semestrem *BCE Torr.* semestrum *DΓ.* || triumphum clamasse alium] triumphalium *B.* alium *Γ.* || clamasse] *om. AD et pr. C.* locutum *corr. C et ante* triumphum *E.* proclamasse *Torr.* || 13. nato *AB.* || lapides *DE et corr. C.* || pluuisse *B.* || 14. in Sardinia *(E) Nep. (?) Torr.* || dua scuta *Γ.*

5. Cf. Liu. III, 10. Dion. Hal. X, 2. Plin. II, 56.

C. Volumnio, Ser. Sulpicio) Fastis Capitolinis, Liuio, Dionysio, Diodoro Siculo (XI, 84 p. 467.) non Gaius sed Publius Volumnius est. Nil muto, quoniam ambigi potest librariine peccauerint an ipse Valerius, qui non semel confudit praenomina. Cf. praef. p. 33. Ceterum Lucium uocat Nepotianus, in hoc quidem mire consentiens cum Plinio. Gai praenomen in suo Valerii codice iam inuenerat Fulbertus Carnotensis episcopus (ep. 96).

Eiusdem generis) Cf. Liu. XXI, 62.

In foro boario) Teste Liuio non in boario sed in olitorio foro infans semenstris locutus est. Causam erroris Periz. detexit. Cf. praef. p. 28.

triumphum clamasse) Deerat hoc uerbum in archetypo codice. Inde tanta in recentioribus libris supplementorum discrepantia, *triumphum locutum, exclamasse, proclamasse, protulisse*, cett. At manifestum est Valerium cum Liuio scripsisse *triumphum clamasse,* quod et abbreuiator Nepotianus tuetur, apud quem legitur *infans sex mensium in boario foro triumphum clamauit quicuilque.*

in Sicilia) Cf. Liu. XXII, 1. Plut. Fab. Max. 2. Oros. IIII, 15. De scriptura *in Sicilia* non est cur dubitemus, cum excepto uno Guelferb. *E* non solum omnes nostri libri uerum etiam Fulbertus ep. 96. et Vinc. Bellou. spec. hist. VI, 40 (Ment.) eam comprobent, quamquam Liuius in Sardinia id accidisse narrat. Iidem testes summo consensu paulo post stant pro uu. *etiam metentibus*, ubi Pigh. e cod. Pulmanniano *(etiam apud anitium metentibus),* ut Valerii relatio conueniret Liuianae, pro *etiam* recepit *apud Antium*, conspirante cod. Voss. Torrenii, siquidem fides habenda est collationi. At hi omnes contra grauissimum illorum testimonium non euincent Valerium posuisse quod indicant. Videntur potius aut e Liuio, apud quem eadem nominis corruptela *(Anitium)* adnotata est, aut ex Orosio ipsius scriptoris peccatum, cuius causam exposui praef. p. 28, remouisse. Ne Nepotiano quidem, supra *in Sardinia*m, hic *apud Antium quoque* exhibenti, magna auctoritas tribui potest, quippe quem

duo sanguinem sudasse; etiam metentibus cruentas spicas in corbem decidisse; Caerites aquas sanguine mixtas fluxisse. Bello etiam Punico secundo constitit Cn. Domiti bouem dixisse 'Caue tibi Roma'.

6. Gaius autem Flaminius inauspicato consul creatus, cum apud lacum Trasymenum cum Hannibale conflicturus conuelli signa iussisset, lapso equo super caput eius humi prostratus est, nihilque eo prodigio inhibitus, signiferis negantibus signa moueri sua sede posse, malum, ni ea continuo effodissent, minatus est. Verum huius temeritatis utinam sua tantum, non etiam populi Romani maxima clade poenas pependisset! In ea namque acie XV milia Romanorum caesa, VI milia capta, XX milia fugata sunt. Consulis obtruncati corpus ad funerandum ab Hannibale quaesitum, qui quantum in ipso fuerat, Romanum sepelierat imperium.

7. Flaminî autem praecipitem audaciam C. Hostilius Mancinus uaesana perseuerantia subsequitur. Cui consuli in Hispaniam ituro haec prodigia acciderunt. Cum Lauinii sacrificium facere uellet, pulli cauea emissi in proximam siluam fugerunt, summaque diligentia quaesiti reperiri nequiuerunt; cum ab Herculis portu, quo pedibus peruenerat, nauem conscenderet, talis uox sine ullo auctore ad aures eius peruenit, 'Mancine, mane'! Qua territus cum itinere conuerso Genuam petisset et ibi scapham esset

1. etiam] et *E et corr. B.* apud Antium *Torr.* || 2. coruem *A.* || cellites *E.* || 3. etiam] in *E.* || domitio *C.* || 4. .*l.* caue tibi Romane *margo A e Par.* || 5. flammeus *B.* || 6. Thrasymenum *corr. A.* Thrasimenum *Par.* || confecturus *pr. A.* || 7. humi] *post* est *B.* || nihilq. in eo *A.* || 9. effodissent] *ante* ni *Γ.* || 10. Verum — pependisset *om. Γ.* || 11. namque] ergo *Γ.* || acie] *add.* consul obtruncatus *Γ.* || 12. sex capta *CE.* VII capita *Γ.* || uiginti fugata *CE.* decem milia fugata *Nep. Torr.* || 13. Consulis — (15.) imperium *om. Γ.* || 14. quaesitum] *add.* est *Torr.* || 16. Flamini — (18.) acciderunt] C. Hostilius Mancinus consul in Hispaniam iturus *Γ.* || aut *B.* || 20. cumque *Torr.* || 21. nauim *DΓ.* || 22. ullo *om. Γ.* || 23. genuam *in rasura A.* ienuam *corr. C.* ianuam *BDEΓ et pr. C. Vt nos Par.*

constat iuxta Valerium primarios quoque eius fontes et in primis Liuium adiisse multaque inde desumpsisse.

Bello etiam Punico) Cf. Liu. XXXV, 21. Secundo Punico bello priora acciderunt prodigia; quod de Domitii boue narratur, nouem annis post finitum illud bellum. Hoc quoque loco errasse auctorem primus uidit Periz.

6. Cf. Liu. XXII, 3 et sqq. Plut. Fab. Max. 2. Flor. II, 6, 14.

XX milia fugata) Liuius XXII, 7 decem tantum milia Romanorum fugata esse tradidit, quocum iterum consentit Nepot. Et sane leui mutatione idem numerus Valerio restitui posset. Sed in ea quam significauimus epitomatoris indole ac natura Valerium ita scripsisse ex isto consensu concludi non licet.

7. Cf. Liu. epit. lib. LV. Auct. de uir. ill. 59, a quo Aulus Hostius Mancinus uocatur, Iul. Obseq. prodig. 83.

ingressus, anguis eximiae magnitudinis uisus e conspectu abiit. Ergo prodigiorum numerum numero calamitatum aequauit, infelici pugna, turpi foedere, deditione funesta.

Minus miram in homine parum considerato temeritatem 8.
Ti. Gracchi, grauissimi ciuis, tristis exitus et prodigio denuntiatus nec euitatus consilio facit. Consul enim cum in Lucanis sacrificasset, angues duae ex occulto prolapsae repente hostiae, quam immolauerat, adeso iocinore in easdem se latebras retulerunt. Ob id deinde factum instaurato sacrificio idem prodigii euenit. Tertia quoque caesa uictima diligentiusque adseruatis extis neque adlapsus serpentium arceri neque fuga inpediri potuit. Quod quamuis aruspices ad salutem imperatoris pertinere dixissent, Gracchus tamen non cauit ne perfidi hospitis sui Flaui insidiis in eum locum deductus, in quo Poenorum dux Mago cum armata manu delituerat, inermis occideretur.

Et consulatus collegium et erroris societas et par genus 9.
mortis a Ti. Graccho ad Marcelli memoriam me trahit. Is captarum Syracusarum et Hannibalis ante Nolana moenia a se primum fugere coacti gloria inflammatus, cum summo studio niteretur ut Poenorum exercitum aut in Italia prosterneret aut

---

1. uisa *Par.* || e conspectu — numerum *in rasura A.* || 2. prodigiorum] *post* numerum *Par. et corr. A. Torr. incerta pr. A.* || calamitatium *Par.* || 4. §. 8. *om. F.* || 6. Proconsul *Torr.* || sacrificaret *Par.* || 7. duo *et* prolapsi *Torr.* || 8. iecinore *D et in rasura C, Torr.* iecore *E.* iocinere *Par. Cf.* I, 6, 9 iocinoris; *et* III, 7, *ext.* 6 iocineri. || latebras se *Torr.* || 10. diligentiusque] que *om. E.* || 11. serpentum *B C D E Torr.* || acceri *C.* alteri *D.* || nec fuga *E.* || 12. imperatoris salutem *E.* || 13. perfidia *D.* || 14. Mago] Magna *B, sed* na *in rasura.* || 15. occideret *B.* || 16. §. 9. *om. F.* || 17. me trahit. is enim captarum *in rasura A.* l'. dirutarum *margo A.* || 19. summo] omni *D.* || 20. prosterneret aut Italia *om. pr. B.*

---

8. Cf. Liu. XXV, 16.

Consul enim cum) Non in consulatu Ti. Sempronio Graccho accidit illud prodigium sed anno post alterum eius consulatum a. u. c. 542, Q. Fulvio Flacco III, App. Claudio coss., ut patet e Liu. XXV, 3, in quem annum Ti. Graccho et P. Sempronio Tuditano imperium prouinciaeque Lucani et Gallia prorogatae erant cum suis exercitibus. Itaque cum similiter a uero aberratum esset atque quarto huius cap. exemplo, Pigh. tacite reposuit *Proconsul enim*, repugnantibus codicibus, Paride, Nepotiano, et tacite secuti sunt ceteri editores.

angues duae — prolapsae) Reuocaui quod tuentur omnes codd. et Par., *duae — prolapsae*, cum antea inde ab Aldo ederetur *duo — prolapsi*. Femininо genere anguem pronuntiauit I, 6, 4, *prolapsam anguem*, et I, 8, ext. 19, *anguem petitam — uisam*. At mascule praecedenti exemplo, *anguis eximiae magnitudinis uisus*, quamquam ibi quoque Par. habet *uisa*, et I, 8, 2. *is anguis, quem — uisum*.

9. Cf. Polyb. X, 32. Liu. XXVII, 26. Plin. XI, 37, 73. Plut. Marc. 29.

Italia pelleret, sollemnique sacrificio uoluntates deorum exploraret, quae prima hostia ante foculum cecidit, eius iecur sine capite inuentum est, proxima caput iocinoris duplex habuit. Quibus inspectis aruspex tristi uultu, non placere sibi exta, quia prima trunca, secunda nimis laeta apparuissent, respondit. Ita monitus M. Marcellus ne quid temere conaretur, insequenti nocte speculandi gratia cum paucis egredi ausus. a multitudine hostium in Bruttiis circumuentus, aeque magnum dolorem ac detrimentum patriae interitu suo attulit.

10. Nam Octauius consul dirum omen quemadmodum timuit, ita uitare non potuit. E simulacro enim Apollinis per se abrupto capite et ita infixo humi ut auelli nequiret, armis cum collega suo dissidens Cinna, praesumpsit animo ea re significari exitium suum, in quem † metus augurium tristi fine uitae incidit, ac tum demum immobile dei caput terra refigi potuit.

11. Non sinit nos M. Crassus, inter grauissimas Romani imperii

---

2. occidit *E.* decidit *Torr.* || ei *E.* || 3. iocunoris *C.* iecinoris *D Torr.* || 4. aruspes *E. (sic semper.)* || non — (5.) nimis *in rasura A.* || 5. truncata *in rasura A.* || nimis *om. BE.* || apparuisse *D.* || 8. bruciis *E.* || 10. §. 10. *om. Γ.* || Iam *corr. A, Torr.* || 11. ex simulacro *corr. D, Torr.* || 12. humo *Par.* || 13. Cinna dissidens *E Torr.* || 14. exitum *E.* || quem] quod *Torr.* || metu * *C.* metu *corr. D Torr. incerta pr. D.* || augurii *B C D E Torr.* || 15. ac tamen *C.* attamen *D.*

---

in Bruttiis) Immo in Apulia inter Venusiam et Bantiam, ut testantur Liuius XXVII, 25 et Plut. l. c. Sed eundem errorem commisit Valerius V, 1, ext. 6.

10. *Nam Octauius)* Particulam *nam* saepissime apud Val. transitioni inseruire, ita ut fere euanescat causalis eius notio, probabunt haec exempla, II, 4, 7. II, 6, 16. III, 6, 5. IX, 9, 2. et quibus equidem primus eam restitui, III, 5, 4. VI, 9, ext, 4. VII, 3, 5. VIII, 7, ext. 14. VIII, 10, 3. VIII. 14, ext. 2. IX, 1, ext. 5. IX, 8, 2.

in quem † metus augurium) Quod hucusque edebatur, *exitium suum, in quod metu augurii — incidit,* profectum a Pighio, ne tolerabilem quidem efficit sententiam. Quid enim illud est, quod propter metum augurii perisse dicitur Octauius? Neque grammaticorum coniecturae rem expediunt, Vorstii et Torrenii, *exitum in quem metus augurii etc. (exitium* confirmatur Paridis epitome,) Perizonii, *in quem metum augurii tristi fine* (sc. in fine) *uitae incidit.* Kappius cum in ed. sua uct. repperisset quod nos in cod. Bern., *in quem metus augurium*, uu. *in quem* male retulit ad Octauium et ita enarrat, 'Octauio augurium, quod metuerat, incidit, uti tristis uitae finis illius docuit.' Sed idem dubitat de constituendis uerbis. Sententiam hanc fere posuerit Valerius, non inanem fuisse Octauii metum; comprobatam enim augurii ueritatem tristi eius morte. Itaque nescio an una littera mutata cum cod. Bernensi scribendum sit *in quem metum augurium — incidit*, i. e., dum in eo metu uersatur Octauius, tristi uitae fine id accidit, quod augurio significatum erat. Nam ipsum augurium pro re augurio praedicta positum in hoc quidem scriptore uix offenderit.

11. Cf. Plut. Crass. 23, et ex eo Pseudoappian. Parth. III, 40 ed. Schweigh.

iacturas numerandus, hoc loco de se silentium agere, plurimis et euidentissimis ante tantam ruinam monstrorum pulsatus ictibus. Ducturus erat a Carris aduersus Parthos exercitum. Pullum ei traditum est paludamentum, cum in proelium exeuntibus album aut purpureum dari soleat. Maesti et taciti milites ad principia conuenerunt, qui uetere instituto cum clamore alacri adcurrere debebant. Aquilarum altera uix conuelli a primipilo potuit, altera aegerrime extracta in contrariam ac ferebatur partem se ipsa conuertit. Magna haec prodigia; sed et illae clades aliquanto maiores, tot pulcherrimarum legionum interitus, tam multa signa hostilibus intercepta manibus, tantum Romanae militiae decus barbarorum obtritum equitatu, optimae indolis filii cruore paterni respersi oculi, corpus imperatoris inter promiscuas cadauerum strues auium ferarumque laniatibus obiectum. Vellem quidem placidius; sed quod relatum, uerum est. Sic deorum spreti monitus excandescunt, sic humana consilia castigantur, ubi se caelestibus praeferunt.

Gnaeum etiam Pompeium Iuppiter omnipotens abunde mo- 12.
nuerat ne cum C. Caesare ultimam belli fortunam experiri contenderet, egresso a Dyrrachio aduersa agmini eius fulmina iaciens, examinibus apium signa obscurando, subita tristitia im-

---

1. plurimis — ictibus *om Γ.* || 3. Charris *D Par. Nep.* || 5. soleret *Torr.* || 6. occurrere *E.* || 7. dicebant *Γ.* || altera aeg.] altera *om. pr. D.* || 8. ac *om. pr. D.* || ipsam *E.* || 9. et *om. E Γ.* || illae *om. Γ.* || 11. hostibus *pr. A et pr. C.* || 12. equitatu *a* in *A.* equitatum *B.* || 14. Vellem — (17.) praeferunt *om. Γ.* || 15. sed] sed'm (*i. e.* secundum) *B.* || quod] quodam *D.* || relatu *A B C D E. Correxit Torr.* || deorum praemonitus *B et corr. C.* deorum primonitus *pr. C.* dii spreti *E Torr. Cf. praef. p.* 37. || 21. exagminibus *D.* || apum *C D E Γ Par. Torr.* || signa] *add.* eius *D Γ.*

Flor. III, 11, 2. Seru. ad Verg. Aen. II, Dio Cass. XL, 18. p. 128 D. p. 236 Reim. Iul. Obseq. 124.

a Carris) Plutarchus et alii haec prodigia Crasso accidisse tradiderunt exercitum aduersus Parthos ducturo sed non Carris profecto, quam urbem turpi demum fuga, cum proelio iam uictus esset a Parthis, petierat.

et illae clades) Non sine probabili causa a librariis quibusdam deletum est *et*, quod sane male se habet. Expectaueris enim aut *sed et illae clades magnae* uel *satis magnae* aut *sed illae clades aliquanto maiores*. Neque tamen affirmauerim talem neglegentiam a Valerio plane esse alienam. Similis certe prauitas est I, 1, 19, *Nec minus efficax ultor — filius quoque eius.*

12. Cf. Lucan. Phars. VII, 152 sqq. Flor. IIII, 2, 45. App. b. ciu. II, 68, p. 771. Dio Cass. XLI, 61, p. 182 C. p. 300 Reim. Iul. Obseq. 125.

apium) Klotzius in lexico Ciceronis aetati hanc formam uindicauit, quam equidem recentioribus etiam temporibus usitatiorem altera bisyllaba fuisse persuasum habeo. Cf. Ouid. metam. XV, 383. Iuuen. XIII, 68. Sil. Ital. VIII, 637. Plin. XI, 3, 6. XI, 11, 27. Tac. ann. XII, 64. Drakenb. ad Sil. l. c. Reisig. vorlesung. üb. Lat. sprachw. ed. Haase p. 106.

plicatis militum animis, nocturnis totius exercitus terroribus, ab ipsis altaribus hostiarum fuga. Sed inuictae leges necessitudinis pectus alioquin procul amentia remotum prodigia ista iusta aestimatione perpendere passae non sunt. Itaque dum illa eleuat, auctoritatem amplissimam et opes priuato fastigio excelsiores omniaque ornamenta, quae ab ineunte adulescentia ad inuidiam usque contraxerat, spatio unius diei confregit. Quo constat in delubris deum sua sponte signa conuersa, militarem clamorem strepitumque armorum adeo magnum Antiochiae et Ptolemaide auditum ut in muros concurreretur, sonum tympanorum Pergami abditis delubri editum, palmam uiridem Trallibus in aede Victoriae sub Caesaris statua inter coagmenta lapidum iustae magnitudinis enatam. Quibus apparet caelestium numen et Caesaris gloriae fauisse et Pompei errorem inhibere uoluisse.

13. Tuas aras tuaque sanctissima templa, diue Iuli, ueneratus oro ut propitio ac fauenti numine tantorum casus uirorum sub tui exempli praesidio ac tutela delitescere patiaris. Te enim accepimus eo die, quo purpurea ueste uelatus aurea in sella consedisti, ne maximo studio senatus exquisitum et delatum honorem spreuisse uidereris, priusquam exoptatum ciuium oculis conspectum tui offerres, cultui religionis, in quam mox eras

---

2. necessitatis *Torr. et ante* leges *Γ.* || 3. pectus — remotum] uirum alias prudentem *Γ.* || alioqui *BCD Torr.* || ab amentia *E Torr.* || 4. illa] *om. Γ.* ille *ABCDE. Correxit Periz.* || 6. omniaque] omnia *Γ.* || 7. Quo] *om. Γ.* quod *AB DE et pr. C.* || 8. constat etiam in *Γ.* || sponte sua *Γ.* || 9. strepitumque] que *om. Γ.* || 10. ptolemaidae (ae *in rasura*) *A.* Ptolomaide *Par.* ptholomaide *B.* phtolomaide *C.* ptolomaydis *D.* tholomaide *E.* ptholomei *Γ.* || concurrerent *D.* concurretur *Γ.* || 11. abdictis *B.* || delubris *ABCDEΓ Torr.* || palmam uiridem] *post* Victoriae *Γ.* || tralis *Par.* || 12. aedem *ABCD.* || 13. appareret *pr. A.* || caelestum *A.* coeleste *DΓ.* || 14. gloriae Caesaris *E.* || 15. §. 13. *om. Γ.* || iulii *E.* || 18. accipimus (*B*)*C.* || ea die qua *E.* || cella *D.* || 20. optatum *D.* || 21. religionis] *om. pr. D. ante* cultui *corr. D.*

Quo constat in) Cf. Caes. b. ciu. III, 105. Plut. Caes. 47.

abditis delubri) Mendose in codd. *delubris.* Neque enim in pluribus templis simul sed in uno Bacchi fano teste Dione Cassio, neque in remotis abditisue aedibus, sed, ut refert C. Caesar, e quo haec desumpsit Val., *in occultis ac reconditis templi, quo praeter sacerdotes adire fas non est, quae Graeci adyta adpellant,* tympana sonuerunt. Itaque nullus dubito quin auctor scripserit *delubri,* quod proposuit Lipsius, probarunt interpretes, recipere ausi non sunt. Non aeque pro certo affirmauerim u. *abditis,* quod ferri sane potest, cum abdita delubri nihil differant ab occultis ac reconditis templi, Gudium, Torrenium, Kappium recte mutasse in *adytis,* quamquam haec quoque coniectura commendatur similitudine quadam ueri.

13. Cf. Cic. de diu. I, 52, 119. Vell. II, 57. Plin. XI, 37, 71. Suet. Caes. 77. App. ciu. II, 116. Dio. Cass. XLIIII, 18. Iul. Obseq. 127.

transiturus, uacasse mactatoque opimo boue cor in extis non repperisse, ac responsum tibi ab Spurinna aruspice pertinere id signum ad uitam et consilium tuum, quod utraque haec corde continerentur. Erupit deinde eorum parricidium, qui, dum te hominum numero subtrahere uolunt, deorum concilio adiecerunt.

Claudatur hoc exemplo talium ostentorum domestica relatio, Ext. 1. ne, si ulterius Romana adprehendero, e caelesti templo ad priuatas domos non consentaneos usus transtulisse uidear. Adtingam igitur externa, quae Latinis litteris inserta, ut auctoritatis minus habent, ita aliquid gratae uarietatis adferre possunt. In exercitu Xerxis, quem aduersus prouinciam Graeciam contraxerat, equae partu leporem editum constat. Quo genere monstri tanti apparatus significatus est euentus. Nam qui mare classibus, terram pedestri . . . et fugax animal pauido regressu regnum suum repetere est coactus.

---

2. ab] a *C D E Torr.* || Spurima *D.* Spurina *Torr.* || 3. uictam *E.* || hoc *E.* || 4. eorum *om. D.* || 5. adiacerunt *B.* || 6. Claudatur — (8.) uidear *om. Γ.* || ostentatorum *A.* || 7. de caelesti *E.* || templo] domo *in rasura B.* || 9. igitur] nunc *Γ.* || inserta litteris *(Γ) Torr.* || minus auctoritatis noscuntur habere *Γ.* || 10. possunt] *ante* aliquid *Γ.* || 11. contaxerat *A.* || 12. constat] *add.* eodem montem Athon uix tandem transgresso *Torr.* || Quo — (15.) coactus *om. Γ.* || 13. classibus] *add.* uenerat *corr. A.* || 14. pedestre *A. add.* exercitu *pr. C*, exercitu operuit *corr. C*, operuit exercitu *D E Torr.* || ut *D E et corr. C. Torr.* || egressu *B.*

Ext. 1. Cf. Herod. VII, 57.

leporem editum constat.) Post haec uerba Pighius inscite inseruerat quae in libris paulo post leguntur, *eodem montem Athon uix tandem transgresso*, e codicibus Campensi et Atrebatensi, quod constaret non diu postquam Hellespontum transiisset Xerxes prodigium leporis ex equa nati incidisse. Verum haec, quo loco in libris manuscriptis et in Paridis epitoma habentur, nec historiae ueritati refragantur, cum prius illud prodigium sine temporis nota recenseatur, et melius aliquanto sequentia, *priusquam Athenas deleret* etc. cum praecedentibus coniungunt. Intellexit Perizonius, probarunt Torrenius et Kappius, neque tamen in restituendo hoc opere quod recte fieri uiderant fecerunt.

*terram pedestri * * * et)* Lacunam hic archetypi fuisse praeter uerborum in optimis libris defectum declarat supplementorum in recentioribus et deterioribus discrepantia. Pighii enim cod. Campensis haec ita constituit, *qui mare classibus texerat, terram equitibus, ut fugax* etc., a quibus non multum discedunt Torrenii alter Vltraiect. et ed. Lipsiens. a. 1506. Alii interpolarunt *pedestri operuit exercitu*, alii *exercitu operuit*, alii *exercitu operuerat*, ut cod. Reginensis n. 766. Quod non displicet; nam si a particula *ut* aberratum fuerit in *et*, uelox librarii oculus facile a compendio praepositionis *ex* in *exercitu* ad simile compendium copulae *et* poterat transilire, ni potius aliud etiam leporis epitheton interiisse Valeriumque ita fere composuisse crediderit, *terram pedestri* exercitu operuerat, ut imbecillum *et fugax animal* et q. sqq.

Eodem montem Athon uix tandem transgresso, priusquam Athenas deleret Lacedaemonis inuadendae consilium agitanti admirabile inter caenam prodigium incidit. Infusum namque paterae eius uinum in sanguinem, nec semel sed iterum et tertio conuersum est. Qua de re consulti magi monuerunt ut se ab incepto proposito abstineret. Et si quod uestigium in uaecordi pectore sensus fuisset, . . . ante de Leonida † et a Caesare Spartanis abunde monitum.

2. Midae uero, cuius imperio Phrygia fuit subiecta, puero dormienti formicae in os grana tritici congesserunt. Parentibus deinde eius quorsus prodigium tenderet explorantibus augures

---

1. Eodem — (3.) incidit *om. Γ.* || Eodem — transgresso *om. h. l. Torr.* ‖ Eidem *corr. C.* || monte Atho *BCDE.* ‖ uix tandem] iuxta indem *A.* iuxta idem *BCDE.* || 2. lacaedemoniis *A, sed alterum* i *puncto notatum.* || 3. Infusum namque] Inter caenam infusum *Γ.* ‖ 6. a *E.* || proposito] *ante* incepto *E. om. Torr.* ‖ Et si — (8.) monitum *om. Γ.* || 7. fuissent *pr. A. add.* canere potuisset *E et margo C, Torr.* || a Caesare *om. E Torr.* || 8. monitus *CDE Torr.* ‖ 9. uero *om. Γ.* || 10. grana in os *Γ.* ‖ tritici *om. Γ.* ‖ 11. quorsum *E et corr. A, Torr.*

Eodem montem Athon uix tandem) Reuocaui cum codd. et Par. epit. quae, in uulgatis edd. hic omissa, intrusa erant post uu. *leporem editum constat.* Restat dubitatio num satis Latine ponantur ablatiui absoluti *eodem — transgresso,* quorum subiecta notio *(eodem)* alio casu in primaria sententia repetatur *(agitanti)*; et emendarem cum Perizonio et edd. uett. *eidem*, ni similia saltem castigatissimi scriptores interdum sibi permisissent. Cf. Madvig. gramm. §. 428. not. 5. Multo insolentius sane Val. II, 7, ext. 2 *Idque a duce praecipi non mirabantur* (Lacedaemonii) *maternarum blanditiarum memores, quae iis exituris ad proeliandum monebant ut* etc., ubi uide quae adnotauimus. Iam plurimorum librorum mendum *iuxta idem* Perizonius correxit *uirdum*, probabilius librarii recentiorum codd. *uix tandem* substituentes, ad quod proxime accedit scriptura libri Bern.

ab incepto proposito) proposito deletum a Pighio, abest a uulgatis edd., quamquam recte monuit Torren. inceptum propositum eodem modo dici posse atque II, 6, 8 inceptum consilium. Valerium ita scripsisse confirmat Nepotianus, qui haec uu. uertit *ab incepta intentione.*

*sensus fuisset, * * * ante de Leonida † et a Caesare)* Edebatur hucusque *Et si quod uestigium in uaecordi pectore sensus fuisset, canere potuisset, ante de Leonida et Spartanis abunde monitus.* At uu. *canere potuisset*, quamuis interpolationis speciem non prae se ferant, tamen docto cuidam emendatori tribuenda sunt, quoniam, licet taceant de defectu omnes editores, in nullo alicuius pretii libro comparent. Equidem quid potissimum supplendum sit nescio. Aeque incertus in sequentibus *a Caesare* haereo, quae profecto non sunt ab interpolatore. Nam quod olim mihi uidebatur latere sub hoc mendo alius Lacedaemonii ducis nomen, Valeriumque fortasse scripsisse *de Leonida et Eurybiade Spartanis*, non magis commendatur similitudine ueri quam Torrenii *a Leonida et a eee eius Spartanis.* In quibus cur praepositione *de* offensus sit uir doctus ualde miror, cum recte Xerxes eo prodigio de Leonida, i. e. de rebus ab illo imminentibus praemonitus esse dicatur.

2. Cf. Cic. de diu. I, 36, 78. II, 31, 66. Ael. u. h. XII, 45.

responderunt omnium illum mortalium futurum ditissimum. Nec uana praedictio extitit; nam Midas cunctorum paene regum opes abundantia pecuniae antecessit, infantiaeque incunabula utili deorum munere donata onustis auro atque argento gazis pensauit.

6 Formicis Midae iure meritoque apes Platonis praetulerim; 3. illae enim caducae ac fragilis, hae solidae et aeternae felicitatis indices extiterunt, dormientis in cunis paruuli labellis mel inserendo. Qua re audita prodigiorum interpretes singularem eloquii suauitatem ore eius emanaturam dixerunt. Ac mihi 10 quidem illae apes non montem Hymettium thymi flore redolentem, sed Musarum Heliconios colles omni genere doctrinae uirentis dearum instinctu depastae maximo ingenio dulcissima summae eloquentiae instillasse uidentur alimenta.

DE SOMNIIS.

15 Sed quoniam diuitias Midae disertumque Platonis somnum VII. adtigi, referam quam certis imaginibus multorum quies adumbrata sit.

Quem locum unde potius ordiar quam a diui Augusti sa- 1. cratissima memoria! Eius medico Artorio somnum capienti

1. diuitissimum *Par.* || 2. praedicatio *B C D et pr. A.* || extitit] fuit *E.* || 4. honustis *corr. A.* onutis *B.* || atque] et *D Γ.* || argenteis *Γ.* || gasis *D.* || 5. Form. Mid. apes Platonis iure praetulerunt *Γ.* || 6. ac] et *Γ.* || fragiles *pr. A.* || 9. eloqui *E.* || eius ore *Γ.* || manaturam *Par.* || Ac — (13.) alimenta *om. Γ.* || At *B E Torr.* || 10. hymetium *A.* hymecium *D.* himetium *E.* Hymettum *(B) C Torr.* || tymi *A.* || 11. peliconios *pr. A.* eliconios *corr. A.* per eliconios *D.* || 13. alimenta] *ante* summae *Torr.* || 15. disertique *C.* || somnium *Torr. et ante* Platonis *E.* || 18. Quem — (19.) Artorio] Artorio diui Augusti medico *Γ.* || exordiar *Kapp.* || dei *C.* || 19. Arcorio *D.*

3. Cf. Cic. de diu. ll. cc. Plin. h. n. XI, 17, 18. Ael. u. h. X, 21. XII, 45. *montem Hymettium)* Librorum scriptura *hymetium* manifesto declarat adiectiue *Hymettius* pronunciasse Valerium, qui frequentissime in significandis locis pro nominibus propriis adiectiua inde formata cum appellatione urbis, insulae, montis composuit. Sic *urbs Romana* legitur V, 2, ext. 4. V, 3, 2. VII, 3, ext. 8. VIII, 11, 2. *Numantina* II, 7, 1. *Veientana* I, 5, 1. *Campana* VII, 6, 2. *Lampsacena* VII, 3, ext. 4. *Thurina* I, 8, 6. *Aetnaeus mons* V, 4, ext. 5. Ita eidem mori Valerium obsecutum scripsisse suspicor I, 1, 10 *Caerete in oppidum* et II, 2, 3 *Arpinas municipium.*

1. Cf. Vell. II, 70. Plut. Brut. 41. Ant. 22. Flor. IIII, 7, 9. Suet. Aug. 13 et

nocte, quam dies insecutus est, quo in campis Philippiis Romani inter se exercitus concurrerunt, Mineruae species oborta praecepit ut illum graui morbo implicitum moneret ne propter aduersam ualitudinem proximo proelio non interesset. Quod cum Caesar audisset, lectica se in aciem deferri iussit; ubi dum supra uires corporis pro adipiscenda uictoria excubat, castra eius a Bruto capta sunt. Quid ergo aliud putamus quam diuino numine effectum ne destinatum iam immortalitati caput indignam caelesti spiritu fortunae uiolentiam sentiret!

2. Augustum uero praeter naturalem animi in omnibus rebus subtiliter perspiciendis uigorem etiam recens et domesticum exemplum ut Artori somnio obtemperaret admonuit. Audiuerat enim Diui Iuli patris sui uxorem Calpurniam nocte, quam is ultimam in terris egit, in quiete uidisse multis eum confectum uulneribus in suo sinu iacentem, somnique atrocitate uehementer exterritam rogare non destitisse ut proximo die curia se abstineret; at illum, ne muliebri somnio motus id fecisse existimaretur, senatum, in quo ei parricidarum manus adlatae sunt, haberi contendisse. Non est inter patrem et filium ullius rei conparationem fieri praesertim diuinitatis fastigio iunctos; sed iam alter operibus suis aditum sibi ad caelum instruxerat, alteri longus adhuc terrestrium uirtutum orbis restabat. Quapropter ab hoc tantummodo pendentem mutationem status cognosci, ab illo etiam differri dii immortales uoluerunt, ut aliud caelo decus daretur, aliud promitteretur.

---

1. est secutus *E*. || philipphis *A*. philippis *BCDEΓ*. Philippicis *Torr. Vid. ad* V, 1, 11. || 2. orbata *Γ*. || 7. Quid — (9.) sentiret *om. Γ*. || diuo *E*. || 8. munere *E Torr.* || 10. §. 2. *om. Γ*. || 12. artoris *A*. antonii *B*. || ammonuit *pr. A*. || 14. ultimam in terris *Torr.* || 16. proxima *(B) C Torr.* || a curia *Torr.* || 19. haberi] adire *E et in rasura C, Torr.* || 20. sed] scd'm *i. e.* secundum *B*. || 21. alter] altum *B*. || 23. impendentem *corr. A Torr.* || ab alio ab alio *E*. || 24. decus caelo *B*.

---

91. App. ciu. IIII, 110 p. 336. Dio Cass. XLVII, 41 p. 351 E. p. 520 Reim. Lact. diu. inst. II, 8 p. 142 Dufresn. Zonar. X, 19. Tertull. de anim. 46.

2. Cf. Vell. II, 57. Plut. Caes. 63. Suet. Caes. 81. App. ciu. II, 115 p. 248. Dio Cass. XLIIII, 17 p. 248 A. p. 391 Reim. Iul. Obseq. 127. Zonar. X, 11.

pendentem mutationem) Pendentem mutationem dici pro mutatione, quae impendeat atque immineat, similibus exemplis probare nequeo. Nam a Plinio XXIX h. n. 1, 8. pendentibus fatis anceps futurarum rerum euentus denotatur. Sed cum proprie res pendere dicantur, quae supra caput immineant atque instent tamquam propemodum casurae, nescio an Valerius eandem notionem ad res incorporeas transferre potuerit. Quare manum potius abstinendam duxi.

Illud etiam somnium et magnae admirationis et clari exitus, 3.
quod eadem nocte duo consules P. Decius Mus et *T.* Manlius Torquatus Latino bello, graui ac periculoso, non procul a Vesuui montis radicibus positis castris uiderunt. Vtrique enim quidam per quietis speciem praedixit ex altera acie imperatorem, ex altera exercitum diis manibus matrique Terrae deberi; utrius autem dux copias hostium superque eas sese ipsum deuouisset, uictricem abituram. Id luce proxima consulibus sacrificio uel expiaturis, si posset auerti, uel, si certum deorum etiam monitu uisum foret, executuris, hostiarum exta somnio congruerunt, conuenitque inter eos, cuius cornu prius laborare coepisset, ut is capite suo fata patriae lueret. Quae neutro reformidante Decium depoposcerunt.

Sequitur aeque ad publicam religionem pertinens somnium. 4.
Cum plebeis quidam ludis pater familias per circum Flaminium, priusquam pompa induceretur, seruum suum uerberibus mulcatum sub furca ad supplicium egisset, *T.* Latinio, homini ex plebe,

---

2. Mus *om. BCDEΓTorr.* || T. *om. BCDEΓ et pr. A, Par. Nep.* || manilius *ABCDEΓ.* mallius *Nep. Vt nos Par.* || 3. graui ac periculoso] ac periculosuo grani *A, sed* suo *in rasura.* ac periculoso graui *BC.* ac periculoso et graui *E.* ac periculo graui *DΓ.* et graui et periculoso *Torr.* || ab *E.* || Vesubii *D et in rasura A.* uesubi *BCΓ.* Eusebii *E.* || 5. quaedam *C.* || 7. hostium] *add.* aggrederetur *edd. ante Vorstium et Helfrechtus.* || 8. habituram *E et pr. D.* habiturum *corr. D.* || 9. uel si] et si *D.* || 10. exsecuturis (*A.*) || cognouerunt *Γ.* || 11. conuenitque] que *om. Γ.* || 12. patriae fata capite suo *Torr.* || formidante *Torr.* || 13. deposcerunt *Torr.* || 14. §. 4 *om. Γ.* || 15. ludis quidam *DE Torr.* || 16. pompa] croma *D.* || induceretur *D.* || suum *om. C.* || mulctatum *D.* || 17. T. Latinio] Latino *ABCDE.* Ti. Atinio *Torr.*

---

3. Cf. Liu. VIII, 6. Flor. I, 14. Auct. de uir. ill. 26. alii.

P. Decius Mus et T. Manlius) Codicis Bern. auctoritate fretus recepi Decii cognomen, quod in edd. post Vorstium et in codd. alterius familiae deest. Excidit post similem terminationem praecedentis uerbi, sed retinetur ab utroque abbreuiatore. In codice uero omnium antiquissimo omissum erat praenomen Manlii. Neque enim ueri simile est Valerium in Decii nomine posuisse praenomen, in Manlii omisisse, cuius nota T facillime poterat excidere post *et.*

bello graui ac periculoso) Verborum ordo iam in archetypo cod. ita inuersus erat, *bello ac periculoso graui.* Apparet, quia *ac* in bonis Valerii libris nunquam positum est ante uocalem aut consonantes C, G, K, praecedere debere *graui,* quod omissum in antiquo quodam libro et postea in margine aut inter lineas suppletum, falso loco receptum est.

4. Cf. Cic. de diu. I, 26, 55. Liu. II, 36. Dion. Hal. VII, 68. Plut. Coriol. 24. Macrob. Sat. I, 11. Lact. diu. inst. II, 8.

plebeis ludis) Liu. l. c. magnis ludis hoc factum esse narrat, quocum facit Cicero. Lactantium item de plebeiis ludis referentem Valerius in errorem induxit.

T. Latinio) Idem homo a Macrobio Annius uocatur, a Lactantio l. c. et II diu. inst. 17 Ti. Atinius, quod nomen nescio quo iure receperunt Liuii et

Iuppiter in quiete praecepit ut consulibus diceret sibi praesultorem ludis circensibus proximis non placuisse: quae res nisi adtenta ludorum instauratione expiata esset, secuturum non mediocre urbis periculum. Ille ueritus ne cum aliquo incommodo suo religione summum implicaret imperium, silentium egit, e uestigioque filius eius subita ui morbi correptus interiit. Ipse etiam per quietem ab eodem deo interrogatus an satis magnam poenam neglecti imperii sui pependisset, in proposito perseuerans, debilitate corporis solutus est, ac tum demum ex consilio amicorum lecticula ad tribunal consulum et inde ad senatum perlatus, ordine totius casus sui exposito, magna cum omnium admiratione recuperata membrorum firmitate pedibus domum rediit.

5. Ac ne illud quidem inuoluendum silentio. Inimicorum conspiratione urbe pulsus M. Cicero, cum in uilla quadam campi Atinatis deuersaretur, is animo in somnum profuso per loca deserta et inuias regiones uaganti sibi C. Marium, consulatus ornatum insignibus, putauit obuium factum, interrogantem eum quid ita tam tristi uultu incerto itinere ferretur. Audito deinde casu, quo conflictabatur, conprehendisse dexteram suam ac se proximo lictori in monumentum ipsius ducendum tradidisse, quod diceret ibi esse ei laetiorem status spem repositam. Nec aliter euenit; nam in aede Iouis Mariana senatus consultum de reditu eius est factum.

---

1. consuli *CDE*. || 4. modice *E*. || 6. eius *om. pr. D.* || corruptus *pr. A.* corptus *E*. || 9. cum *D*. || 10. lectica *BCEPar. Torr.* || 14. §. 5. *om. Γ*. || At *E*. || 16. Altinatis *Nep.* || deuersaret *ABCE*. diuersaretur *D*. || is *om. D*. || somnium *B*. || loca] *add.* diuersa *D*. || 18. factum] *add.* et *Torr.* || 19. tam *om. D*. || 20. ac] a *C*. || 21. deducendum *Torr.* || 22. ei *om. B*. || 23. eaedem *pr. A.* aedem *corr. A.* || senatus consultum] sicut *B*. || 24. est eius *ABC*.

Valerii editores. Nam Liuii, Valerii, Dionysii, Plutarchi codicibus optio tantum nobis datur inter T. Latinium et T. Latinum. Equidem hanc formam praefero, confirmatam Paridis cod. Vaticano, Liuii praestantissimo cod. Mediceo (Parisiensis *Latino*, sed in margine *Lacinio*), aliquot Dionysii libris. Accedit quod alii quoque Latinii noti sunt e Taciti ann. II, 66. IIII, 68. VI, 4, nullus quod sciam Latinus praeter Aboriginum regem. Praenomen Titi in nostris codd. propter praecedens *t* omissum suppleui e Paridis epitoma.

5. Cf. Cic. de diu. I, 28, 59.

in aede Iouis Mariana) Fallitur Valerius, quod aedem Iouis putat quae erat Honoris et Virtutis. Neque enim solum Marcellum coniunctis his duobus numinibus templum aedificasse (I, 1, 8.) uerum etiam C. Marium (Vitruu. III, 2, 1 et praef. lib. VII), et in illis Marianis monumentis senatus consultum de reditu Ciceronis esse factum luce clarius contra Piranesium et Sachsium (Stadt

Gaio autem Graccho inminentis casus atrocitas palam atque 6.
aperte per quietem denuntiata est. Somno enim pressus Ti. Gracchi fratris effigiem uidit, dicentis sibi nulla ratione eum uitare posse ne eo fato [non] periret, quo ipse occidisset. Id ex Graccho prius quam tribunatum, in quo fraternum exitum habuit, iniret multi audierunt. Caelius etiam, certus Romanae historiae auctor, sermonem de ea re ad suas aures illo adhuc uiuo peruenisse scribit.

Vincit huiusce somni dirum aspectum quod insequitur. Apud 7.
Actium M. Antonii fractis opibus Cassius Parmensis, qui partes eius secutus fuerat, Athenas confugit. Vbi concubia nocte cum sollicitudinibus et curis mente sopita in lectulo iaceret, existimauit ad se uenire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barba et capillo inmisso, interrogatumque quisnam esset respondisse *κακὸν δαίμονα*. Perterritus deinde taetro uisu et nomine horrendo seruos inclamauit sciscitatusque est ecquem

---

1. Gaio — (2.) pressus] C. gracchus somno pressus *Γ*. || 4. ne] ut *Torr.* || non periret] periret *in rasura A.* non *sine uncis Torr.* || ipse] *add.* propulsus e capitolio *margo A Torr.* || 5. prius] post *Γ*. || 6. inirent *pr. A.* || audiuerunt *C Torr.* || 9. Vincit — insequitur *om. Γ*. || huiusce] huius et *B*. || somnii *corr. A.* || sequitur *Torr.* || 14. demisso *(E) Torr.* || quinam *E*. || 15. respondisse] *ultima litt. in rasura A.* respondisset *B*. || *ΚΑΚΩΝΔΕΜΟΝΑ A et similiter B ac pr. C.* kakumae nonia *D*. katonias anonia *E*. caco demona *Γ*. *καχοδαίμονα corr. C. Torr. Vt nos Par.* respondit se esse Orcum *Nep.* || taetro] tracto *D*. tanto *Γ*. tam tetro *Torr.* || 16. homine *corr. A.* || ecquem *Γ*. et quem *B C et pr. A.* si quem *D E Torr. Cf.* I, 8, *ext.* 10.

Rom I, p. 449.) demonstrauit Drumann. gesch. Rom's II, p. 293 e Cic. pr. Sest. 54, 116 et 56, 120. Cf. etiam pro Planc. 32, 78.

6. Cf. Cic. de diu. I, 26, 56. Plut. C. Gracch. 1.

ne eo fato [non] periret) Male hucusque in editionibus legebatur *ut eo fato non periret*, cum codd. exhibeant tantum non omnes *ne eo fato non per.*, quod etiam in cod. Bern. fuisse colligo ex litura ibi inuenta. Duplicem negationem *ne — non* idem h. l. ualere ac si auctor affirmatiue pronuntiasset *ut eo fato periret* praepostere grammatici quidam contenderunt, cum ne ea quidem particula post uitandi uerbum posita reperiatur. Quare equidem alteram negationem, quae a compendio quoque Paridensi abest, delendam ratus secusi. Paridis uerba haec sunt, *nullo modo posse eum uitare ne eo fato periret, quo ipse propulsus* e *Capitolio occidisset;* unde emendator libri Danielini petiit quae in margine eius codicis ascripta et inde translata in recentiores aliquot libros Pighius receperat, *propulsus e Capitolio*, nos tamquam abbreuiatoris additamentum non superuacuum solum sed etiam incongruum eiecimus.

tribunatum) Errasse Valerium, quod C. Gracchum in tribunatu fraternum exitum habuisse scripserit, Vorstius adnotauit.

Cassio Parmensi) Ad Cassium Parmensem quam uere hoc uisum retulerit Val. nescio. Reliqui certe scriptores, Plut. Brut. 36 et Caes. 69, App. ciu. IIII, 134. p. 344. Flor. IIII, 7, 8, idem prorsus de M. Bruto, Caesaris percussore, narrant, ut fere crediderim alterum cum altero memoriae lapsu a Valerio esse confusum.

talis habitus aut intrantem cubiculum aut exeuntem uidissent. Quibus adfirmantibus neminem illuc accessisse, iterum se quieti et somno dedit, atque eadem animo eius obuersata species est. Itaque fugato somno lumen introferri iussit puerosque a se discedere uetuit. Inter hanc noctem et supplicium capitis, quo eum Caesar adfecit, paululum admodum temporis intercessit.

8. Propioribus tamen, ut ita dicam, lineis Aterii Rufi equitis Romani somnium certo euentu admonitum est. Qui, cum gladiatorium munus Syracusis ederetur, inter quietem retiari se manu confodi uidit, idque postero die in spectaculo consessoribus narrauit. Incidit deinde ut proximo ab equite loco retiarius cum murmillone introduceretur. Cuius cum faciem uidisset, idem dixit ab illo retiario trucidari putasse, protinusque inde discedere uoluit. Illi sermone suo metu eius discusso causam exitii misero attulerunt. Retiarius enim in eum locum compulso murmillone et abiecto, dum iacentem ferire conatur, traiectum gladio Aterium interemit.

---

1. uidessent *A.* || 2. se] *post* somno *Torr.* || 3. aduersata *E.* || est species *Torr.* || 4. ita *C.* || 6. paruulum *ABCDE.* parum *Par.* || 7. Propioribus — (8.) Qui] Eques romanus *Γ.* || Proprioribus *AC et corr. D.* || atherii *E.* haturii *in rasura A e Par.* || 8. somnum *D.* || aduentu *AC.* || gladiatorum *CEPar. Cf. Tac. ann.* III, 31. || 10. spectaculum *A.* || 11. proximo ut *B.* || 12. murmillone *A.* multitudine *B.* mirmillone *CDΓTorr.* murmulione *E.* myrmillone *Par. Graece Μυρμίλλων in Boeckh. C. I. n.* 3992. || 13. illo] *add.* se *E et corr. A. Torr.* || retiario] *add.* se *BC et corr. D.* || trucidari] *add.* se *Γ.* || 15. retulerunt *DΓ.* || 16. murmullone *C.* mirmillone *BDΓ.* murmulione *E.* || 17. haturium *in rasura A.* anterium *D.* antherium *Γ.* atherium *E.*

---

ab illo retiario trucidari putasse) Incerta sedes pronominis *se*, quod in codd. Bern. et Berol. *D.* omissum, alii alio loco suppleuerunt, notionem infinitiuis subiectam iam ab archetypo codice abfuisse manifesto declarat. Quam facillime ante primam syllabam u. *retiario* excidere potuisse non sum nescius, sed et ipse Valerius, si qua est fides librorum mss., in ea sententiarum forma, quam accusatiuum cum infinitiuo uocare solemus, saepius subiectum per pronomen reflexiuum aut per demonstratiuum significandum omisit. Nemini mirum uidebitur non appositum *se* apud infinitiuos futuri temporis, ubi simul u. *esse* silere solent rerum scriptores (Madvig. gramm. §. 401. id. emend. Tull. p. 111. Hand. ad Wopkens. lectt. Tull. §. 13.), quamquam ibi quoque editores plerumque e coniectura aut e deterioribus libris id inculcauerant. Cf. V, 4, 3, *tribunum iurare coegit a patris eius accusatione recessurum* — VI, 4, 1, *denuntiauit, si quis sociorum sententiam dicere ausus esset, continuo eum interempturum.* VIII, 10, 3, *praeparatum sibi uenenum — probaturum adfirmans.* Demonstratiuum apud eundem infinitiuum futuri temporis subintellegendum est IIII, 1, 10, *si quis eum accusare uellet usurum testimonio suo.* Cicero, e quo haec totidem fere uerbis transtulit Valerius, scripsit pro Cluent. 48, 134 *usurum esse eum suo testimonio.* VII, 2, ext. 1, *respondit, utrum eorum fecisset, acturum paenitentiam.* I, 7, ext. 7, *clarissimum — futurum cognouit.* I, 8, ext 8, *inuenturum equum*, cett. Ambiguitas utrum ad Thrasippum an ad Pisistratum refe-

Hannibalis quoque ut detestandum Romano sanguini, ita Ext. 1.
certae praedictionis somnium, cuius non uigiliae tantum sed etiam ipsa quies hostilis imperio nostro fuit. Hausit enim proposito et uotis suis conuenientem imaginem, existimauitque missum sibi ab Ioue mortali specie excelsiorem iuuenem inuadendae Italiae ducem. Cuius monitu primo uestigia nullam in partem * secutus oculis, mox humani ingenii prona uoluntate uetita scrutandi pone respiciens, animaduertit immensae magnitudinis serpentem, concitato impetu omne, quidquid obuium fuerat, proterentem, postque eam magno cum caeli fragore erumpentes nimbos lucemque caliginosis inuolutam tenebris. Adtonitus deinde quidnam esset monstri et quid portenderet interrogauit. Hic dux, 'Italiae uides', inquit, 'nastitatem; proinde sile et cetera tacitis permitte fatis'.

Quam bene Macedoniae rex Alexander per quietem uisa 2.
imagine praemonitus erat ut uitae suae custos esset diligentior, si eum cauendi etiam periculi consilio fortuna instruere uoluisset. Namque Cassandri pestiferam sibi dexteram somnio prius co-

---

1. Hannibalis — (4.) existimauitque] Hannibal quoque existimauit *Γ*. || 2. praedicationis *BCDE et corr. A, Torr.* || somnum *D.* || uigilia *corr. C.* || tantum *om. pr. D.* || 3. etiam] et *corr. D.* || 4. extimauitque *A.* estimauitque *BCD.* || 5. a Ioue *Par.* || inuadundae *Par.* || 7. partem] *add.* motis *Torr.* || secutus] *ultima erasa C.* secutis *BΓ et pr. A.* || 8. scruptandi *E.* || paene *pr. A.* pene *B.* || 9. quicquid *A.* quod *Γ.* || 10. eum *D.* || coeli *(A).* || 11. nymbos *A.* || 12. quidnam id esset *Par.* || 13. inquid uides *E.* || 14. tacitis] cautis *B.* tacitus *coni. Peris., sed ut nos etiam Par.* || committe *Γ.* || 15. Quam — (18.) Namque] Alexander macedoniae rex *Γ.* || 18. pestiferam sibi Cassandri *Γ.* || dextram *ΓPar.*

---

rendum sit uerbum, omisso subiecto oritur V, 1, ext. 2, *dataque fide in eodem gradu amicitiae mansurum.* Saepenumero uero etiam apud infinitiuos perfecti actiui subauditur pronomen reflexiuum. Sic IIII, 1, ext. 7, *hoc fortunam iactus emisse dicente.* VIII, 4, 1, *admisisse id facinus constantissime adseuerauit.* IX, 5, ext. 1, *adfirmantem prospexisse, quonam modo paucis diebus Romae caenaret.* Porro apud infinitiuum praesentis VII, 3, 3, *remittere Scipio illam expeditionem — edixit,* et quod omnium insolentissimum est, apud perfectum passiui VI, 2, 8, *Vidi Cn. Carbonem — obtestantem te —, cum in summo esset imperio, a te equite Romano trucidatum.* Cf. Gronou. ad Liu. XL, 42, 2. Seneca epp. ad Lucil. 1, 4. ibid. 3, fin. Tac. ann. XI, 3, cett.

Ext. 1. Cf. Liu. XXI, 22. Cic. de diu. I, 24, 49. Sil. Italic. III, 170. Polyb. III, 48.

*in partem * secutus)* Lacunam cod. archetypi primus expleuerat Pigh. substituto e coniectura *motis,* probabilius aliquanto Vorst. *deflexis* e Liuio, quem hic sequitur Val. cuiusque uerba sunt, *neque usquam a se deflecteret oculos.* Sic Val. V, 10, 1 *neque ullum a publica religione deflexit.* Sed nihil certi. Idem Liu. demonstrat recte paulo post legi *cetera tacitis permitte fatis,* cum ipse habeat *sineretque fata in occulto esse.* Perizonius mauult *tacitus.*

gnouit quam exitu sensit. Existimauit enim ab illo se interfici, cum eum numquam uidisset. Interposito deinde tempore postquam in conspectum uenit, nocturni metus patefacta imagine, ut Antipatri filium esse cognouit, adiecto uersu Graeco, qui fidem somniorum eleuat, praeparati iam aduersus caput suum ueneficii, quo occidisse Cassandri manu creditur, suspicionem animo retudit.

3. Longe indulgentius dii in poeta Simonide, cuius salutarem inter quietem admonitionem consilii firmitate roborarunt. Is enim cum ad litus nauem appulisset inhumatumque corpus iacens sepulturae mandasset, admonitus ab eo ne proximo die nauigaret, in terra remansit. Qui inde soluerant fluctibus et procellis in conspectu eius obruti sunt. Ipse laetatus est quod uitam suam somnio quam naui credere maluisset. Memoriam autem beneficii elegantissimo carmine aeternitati consecrauit, melius illi et diuturnius in animis hominum sepulcrum constituens quam in desertis et ignotis harenis struxerat.

4. Efficax et illa quietis imago, quae Croesi regis animum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit. Nam e duobus filiis et ingenii agilitate et corporis dotibus praestantiorem

3. ueniret *pr. B.* uenisset *Torr. Vid. ad* V, 7, *ext.* 2. || 4. antipritri *E.* || 7. retulit *ABCDEΓ et pr. C.* repulit *corr. C, Torr.* || 8. Longe — (9.) Is enim] Simonides poeta *Γ.* || 9. roborauerunt *Torr.* || 14. memor *ABCDEΓ Torr.* || 16. saepulcrum *A.* || 18. Efficax — (19.) Nam] Croesus rex *Γ.* || 20. ingenti *ABCDEΓ Torr. Correxit I. F. Gronou.*

2. *animo retudit.)* Archetypi mendum satis quidem probabiliter in edd. et recentioribus quibusdam codicibus sublatum erat, prodentibus *animo repulit;* facilliore tamen mutatione eundem sensum efficimus, si scribamus *retudit,* cum librarii constanter fere in uerbis compositis confuderint formas *tulit* et *tudit.* Cf. III, 2, 11. III, 2, ext. 5. III, 4, 4. III, 7, 1. V, 2, 10. cod. Med. Cic. epp. VIII, 6, 1. al.

3. Cf. Cic. de diu. I, 27, 56. II, 66, 135.

Memoriam autem) Cum a Gryphio et Rob. Stephano editum esset *Memor autem beneficii elegantissimo cum carmine aeternitati consecrauit*, Torrenius pronomen *cum* expunxit, idque facile subaudiri opinatur. Quod fieri posse omnino nego. Neque enim in praecedentibus habet quo referatur neque e sequenti pronomine *illi* repeti potest. Exempla autem, quae congessit Torrenius et laudatus ab eo Gron. ad Liu. XL, 27, ab hoc loco alienissima sunt. Restat unum, ut subintellegamus pronomen pertinens ad beneficium, quod ipsum tamen admodum insolenter ac dure fieret, cum interim librorum scripturam *memor* in *memoriam* mutandam esse probabiliter coniecerit Gudius, quem secuti sumus.

harenis) De aspiratione in hac uoce cf. Varro ap. Seru. Aen. I, 172. Prob. Verg. Georg. I, 70. Charis. I, p. 80 P. Vel. Long. p. 2238 P. Wagner. Orthogr. Verg. p. 441. Orelli inscr. 13. 885, quos citauit Klotzius in lexico.

4. Cf. Herod. I, 34, sqq. (Diod. Sic. exc. de uirt. et uit. p. 553.)

imperiique successioni destinatum Atyn existimauit ferro sibi ereptum. Itaque quidquid ad euitandam denuntiatae cladis acerbitatem pertinebat nulla ex parte patria cura cessauit auertere. Solitus erat iuuenis ad bella gerenda mitti; domi retentus est. Habebat armamentarium omnis generis telorum copia refertum; id quoque amoueri iussit. Gladio cinctis comitibus utebatur; uetiti sunt propius accedere. Necessitas tamen aditum luctui dedit. Cum enim ingentis magnitudinis aper Olympi montis culta crebra cum agrestium strage uastaret, inusitatoque malo regium imploratum esset auxilium, filius a patre extorsit ut ad eum opprimendum mitteretur, eo quidem facilius, quod non dentis sed ferri saeuitia in metu reponebatur. Verum dum acri studio interficiendi suem omnes sunt intenti, pertinax casus imminentis uiolentiae lanceam petendae ferae gratia missam in eum detorsit, et quidem eam potissimum dextram nefariae caedis crimine uoluit aspergi, cui tutela filii a patre mandata erat, quamque Croesus imprudentis homicidii sanguine uiolatam, hospitalis ueritus deos, supplicem sacrificio expiauerat.

Ne Cyrus quidem superior inuictae fatorum necessitatis paruulum argumentum est. Cuius ortus ad imperium totius Asiae spectantis maternus auus Astyages duo praenuntios somnii frustra discutere temptauit, Mandanen filiam suam, quod in quiete uiderat urinam eius omnes Asiaticas gentes inundasse, non 5.

1. Atym *ABCDEΓTorr. Correxi e Par.* || estimauit *Γ.* || ferro] per somnum *Γ.* || 2. quicquid (*A.*) || euitandum *AE.* || 3. patris *D.* || 4. detentus *E.* || 12. duritia *pr. B.* || 14. emissam *corr. A.* || 15. dexteram *(B)CD(E)ΓTorr.* || 17. quam *eraso* que *EΓ.* || impudentis *DE et pr. ABC.* || hospitales *DEΓTorr.* || 18. expiauit *corr. C.* || 19. Ne — (21.) spectantis] Cyri superioris *Γ.* || Nec *corr. DTorr. Vid. ad* II, 1, 4. || 21. astiades *E.* || duo — (22.) frustra] duo somnia nepotis ortum ad imperium tocius asyae significantia frustra *Γ.* || duos *BCD E et corr. A Torr. Cf.* VIII, 13, 2. || 22. mandanem *E et corr. C.* || quod — (23.) inundasse *om. Γ.* || in quietem *pr. A.* inter quietem *corr. A.* || 23. urina *ABE et pr. C, Torr.*

5. Cf. Herod. I, 107, sqq. Iustin I, 4.

urinam eius — inundasse) Perperam Kappius ablatiuum *urina* defendit. 'Viderat,' inquit, 'in quiete Cambyses (non urinam, sed) Mandanen inundasse urina Asiaticas gentes'. Rectius qui librorum scripturam genuinam putet dixerit auctorem saepe singularem dictionem adfectantem intransitiuam inundandi notionem posuisse; docet enim Priscianus VIII, 26 hoc uerbum modo absolutam modo actiuam habere significationem, quamquam in Vergilii XI Aen. 382 tuetur accusatiuum, *nec inundant sanguine fossas*, ubi omnes codices cum Med. procul dubio recte exhibent *fossae*, quod et ipse Priscianus in quibusdam codd. repperit. Magis ambigua eadem fere uerba sunt X Aen. 24, ubi Medic. quidem habet *et inundant sanguine fossae*, Seruius uero cum

Medorum excellentissimo, ne in eius familiam regni decus transferretur, sed Persarum modicae fortunae uiro conlocando, natumque Cyrum exponi iubendo, quia similiter quietis temporibus existimauerat genitali parte Mandanes natam uitem eo usque creuisse, donec cunctas dominationis suae partes inumbraret. Frustratus est enim se ipse nepotis felicitatem, caelestium iudicio destinatam, humanis consiliis inpedire conando.

6. Intra priuatum autem habitum Dionysio Syracusano adhuc se continente, Himerae quaedam non obscuri generis femina inter quietem opinione sua caelum conscendit, atque ibidem deorum omnium lustratis sedibus animaduertit praeualentem uirum flaui coloris, lentiginosi oris, ferreis catenis uinctum, Iouis solio pedibusque subiectum, interrogatoque iuuene, quo considerandi caeli duce fuerat usa, quisnam esset, audiit illum Siciliae atque Italiae dirum esse fatum, solutumque uinculis multis urbibus exitio futurum: quod somnium postero die sermone uulgauit. Postquam deinde Dionysium inimica Syracusarum libertati capitibusque insontium infesta fortuna caelesti custodia liberatum uelut fulmen aliquod otio ac tranquillitati iniecit, Himeraeorum moenia inter effusam ad officium et spectaculum eius turbam intrantem ut aspexit, hunc esse, quem in quiete uiderat, uociferata est. Id cognitum tyranno curam tollendae mulieris dedit.

7. Tutioris somni mater eiusdem Dionysi. Quae cum eum conceptum utero haberet, parere uisa est Satyriscum, consultoque

---

1. ne — transferretur *om. E.* || 2. collocauit *Γ.* || 3. iubendo — (4.) natam] iussit quod quietis temporibus primo uiderat urina eius omnes asiaticas gentes inundasse deinde a genitali parte eius natam *Γ.* || 4. enatam *Torr.* || 6. Frustratus est enim] Sed frustratus est *Γ Torr.* || 8. §. 6. *om. Γ.* || Inter *A.* || 9. himera *DE Par. et corr. AC. Vinc. Bell. spec. hist. IIII, 72 Mentel. incerta pr. C.* Himerea *coniecit Pigh. Vid. ad III, 8, ext.* 4. || 13. interrogato *pr. B.* || 14. audiuit *DE.* || 17. capitibusque] que *om. B.* || 19. himera eorum *A.* himerea eum *B.* himera eum *CDE.* || 20. effusa *A.* || et] *add.* ad *Torr.* || 23. §. 7. *om. Γ.* || eiusdem] eius idem *pr. A.* eius i. *BE. incerta pr. C.* || eo *A.* || 24. utero conceptum *D.* || uisa est parere *E.*

---

aliis libris *fossas* legit, adiecitque interpretationem *implent et inundare faciunt.* Sed cum praeterea nullum intransituae notionis exemplum nouerim, in u. *urina* accusatiui notam excidisse crediderim scribendumque esse *urinam*, quod Vorst. iam e codd. Brandenb. eumque secuti Helfrechtus et Hasius receperant. Parum uerisimiliter Torrenius coniecit *urina — inundatas.*

6. Cf. Timaeus ap. schol. in Aesch. de fals. leg. in Reiskii orat. Graec. III, p. 751 et ap. Muret. uarr. lectt. XIIII, 15. Heraclid. Pont. ap. Tertull. de anim. 46 p. 346 Rigalt. Phot. lex. p. 102, 20. Meineke anal. Alex. p. 355.

7. Cf. Cic. de diu. I, 20, 39.

prodigiorum interprete clarissimum ac potentissimum Grai sanguinis futurum certo cum euentu cognouit.

At Karthaginiensium dux Hamilcar, cum obsideret Syra- 8.
cusas, inter somnium exaudisse uocem credidit nuntiantem fu-
turum ut proximo die in ea urbe caenaret. Laetus igitur perinde ac diuinitus promissa uictoria exercitum pugnae conparabat; in quo inter Siculos et Poenos orta dissensione, castris eius Syracusani subita inruptione oppressis ipsum intra moenia sua uinctum pertraxerunt. Ita magis spe quam somnio deceptus, caenauit Syracusis captiuus, non, ut animo praesumpserat, uictor.

Alcibiades quoque miserabilem exitum suum haud fallaci 9.
nocturna imagine speculatus est. Quo enim pallio amicae suae dormiens opertum se uiderat, interfectus et insepultus iacens contectus est.

Proximum somnium etsi paulo est longius, propter nimiam 10.
tamen euidentiam ne omittatur impetrat. Duo familiares Arcades iter una facientes Megaram uenerunt, quorum alter ad hospitem

---

3. dux] *ante* Karthag. *Γ.* || amilcar *pr. A.* || Siracusas *A.* || 4. somnum *ACD.* || exaudiuisse *E.* || 7. et] ac *D.* || 8. inter *pr. D.* || 9. uictum *E.* || Itaque *(E) Torr.* || somno *corr. D, pr. Γ.* || 10. non — uictor *om. Γ.* || 11. miserabilem — (12.) speculatus est *om. Γ.* || 12. imagine] uisione *D.* || enim *om. Γ.* || 13. uiderat] *add.* eodem *Par. et corr. A.* eo *Torr.* || 15. Proximum — (16.) impetrat *om. Γ.* || tamen nimiam *E.* || 16. familiares *om. Γ.* || archades *BDEΓ.* archedes *C.* || 17. uno *pr. A.* || faciente *pr. C.* || megarum *pr. A.* Megara *Par.* || se ad hospitem *BΓPar.*

---

8. Cf. Cic. de diu. I, 24, 50.

inter somnium) *Inter somnum*, peculiare mendum codd. Bern. et Berolinn., non archetypi testimonium, ut uidetur. Praetulit Vorst., quod *somnium* tautologiam quandam haberet. Recte uero *somnium* defendit Torr. Potuisse enim aliam quandam speciem ipsius animo fuisse obuersatam, quam nihil ad rem pertinentem non narrauerit. Valerium de somnio cogitasse cernimus e sequentibus. Sed quod pluris est, Iul. Paris *per somnium* exhibens cum reliquis Valerii codd. consentit.

9. Cf. Cic. de diu. II, 69, 143. Plut. Alcib. 39.

opertum se uiderat, interfectus etc.) Pronomen demonstratiuum *eo*, quod inuitis libris intrusum erat ante *interfectus*, expunximus, cum facile etiam obliquis casibus subaudiatur ante aut post relatiuum eodem casu positum (Cf. Cic. de nat. deor. II, 48, 123. id. Phil. I, 4, 10. Liu. IIII, 3, 5.) Quin insolentius interdum genitiuus, datiuus, ablatiuus eius pronominis reticentur, ubi alio casu relatiuum effertur, quod inde pendet. Sic ap. Sall. Cat. 58, 17, *Semper in proelio maximum est periculum, qui maxime timent.* Cf. Liu. XXIII, 15, 4. XXIIII, 38, 7. Cic. de rep. II, 29, 51. Heinr. ad Iuu. I, 161. Ex hoc genere sunt quae nos meliores libros mss. secuti restituimus II, 10, 1, *ne de aliqua re, quae in his relatae erant, uideretur dubitasse*, et VII, 3, 5, *si quid superiore iudicio actum quem postea defensurus esset nociturum foret*, ubi Paris et recentiores *ei* ante *quem* interpolasse existimandi sunt, quod in archetypo codice non extabat.

10. Cf. Cic. de diu. I, 27, 57. Chrysipp. ap. Suid. u. *τιμωροῦντος*.

se contulit, alter in tabernam meritoriam deuertit. Is qui in hospitio erat uidit in somnis comitem suum orantem ut sibi coponis insidiis circumuento subueniret; posse enim celeri eius adcursu se inminenti periculo subtrahi. Quo uiso excitatus prosiluit tabernamque, in qua is deuersabatur, petere conatus est. Pestifero deinde fato eius humanissimum propositum tamquam superuacuum damnauit et lectum ac somnum repetit. Tunc idem ei saucius oblatus obsecrauit ut, quoniam uitae suae auxilium ferre neglexisset, neci saltem ultionem non negaret; corpus enim suum a copone trucidatum tum maxime plaustro ferri ad portam stercore coopertum. Tam constantibus familiaris precibus conpulsus protinus ad portam cucurrit et plaustrum, quod

---

1. diuertit *DEΓ*. || Is] *add.* autem *Γ*. || 2. somniis *E*. || 3. cauponis *BCDEΓ et corr. A Torr. Vt nos Par. et pr. A. Cf. Cic. pro Cluent.* 59. *Orell. inscr.* 4169. || 4. uisu *Par.* || 5. diuersabatur *ACDEΓTorr.* diuersatur *B*. || 6. facto *E*. || 7. damnauit] *add.* idque uisum pro nihilo habendum esse ducens *Γ e Cic. de div. I*, 27, 57. || et *om. Γ*. || repetiit *Γ et corr. A*. || 8. ei idem *Γ*. || quoniam] qui *pr. E Torr.* || auxilium uitae suae *Torr.* || 9. saltem] tamen *E*. || denegaret *E*. || 10. caupone *ABCDEΓTorr. Vt nos Par.* || cum *BDPar.* || maximo *D*. || ad portam ferri *Torr.* || 11. cooperto *D*. copertum *E*. adopertum *Par.* || 12. portum *E*.

---

deuersabatur) Deteriores libros mss. constanter permiscere formas *deuerti* et *diuerti, deuersari* et *diuersari, deuerticulum* et *diuerticulum* notum est. Sed optimi quique cum Valerii tum aliorum scriptorum codices tantum non semper praepositionem *de*, quae et primariae deflectendi notioni maxime conuenit, tuentur. Ita paulo ante legitur *deuertit*; *deuersaretur* I, 7, 5; *deuerticulum* IIII, 3, 2. VIII, 1, damn. 5. IX, 1, 3. Quare non dubitaui formam nunc omnium consensu probatam, quam saepius e codicum auctoritate reuocaui, h. l. et VIII, 8, 2 uel inuitis libris restituere.

Tunc idem ei) Etiamsi uerum est particulam *tunc*, proprie unum aliquod temporis momentum significantem, ab antiquioribus scriptoribus non esse adhibitam in simplici progressu et transitu orationis, in quo *tum* locum habet, constat tamen recentioris aeui auctores inde ab Augusto sine notabili discrimine *tunc* posuisse pro *tum* in transitu ad alias res, quod negat umquam factum esse Madvig. ad Cic. de fin. I, 8, 28. p. 60. Ita Valerii quoque codicibus particula *tunc* in hac significatione saepius confirmatur, praesertim cum non uno hoc loco cum his conspiret Paridense compendium. Cf. II, 8, 2. III, 1, 2. IIII, 3, 4. VI, 4, 1. VII, 3, ext. 4. cett. Accedunt multi recentiorum poetarum loci, Phaedri, Annaei Lucani, Valerii Flacci, in quibus uocalis littera particulam *tunc* excipiens omnem de scribendi ratione eximit dubitationem. Atque etiam in enumerando particulis, quae sunt *cum* et *tunc*, coniunctis Iuuenalem sat. IX, 118 usum esse docuit Lachmannus ad Lucret. I, 130 p. 25, qui hunc uersum egregie sic restituit, *Viuendum recte est cum propter plurima tunc et Idcirco*. Cf. Orell. ad Tac. ann. XII, 36.

in quiete demonstratum erat, conprehendit, coponemque ad capitale supplicium perduxit.

DE MIRACVLIS.

Multa etiam interdiu et uigilantibus acciderunt perinde ac tenebrarum somniique nube inuoluta. Quae, quia unde manauerint aut qua ratione constiterint dinoscere arduum est, merito miracula uocentur. VIII.

Quorum e magno aceruo in primis illud occurrit. Cum apud lacum Regillum A. Postumius dictator et Tusculanorum dux Mamilius Octauius magnis uiribus inter se concurrerent, ac neutra acies aliquamdiu pedem referret, Castor ac Pollux, Romanarum partium propugnatores uisi, hostiles copias penitus fuderunt. 1.

Item bello Macedonico P. Vatinius, Reatinae praefecturae uir, noctu urbem petens existimauit duos iuuenes excellentis formae, albis equis residentes, obuios sibi factos nuntiare die, qui praeterierat, Persen regem a Paulo captum. Quod cum senatui indicasset, tamquam maiestatis eius et amplitudinis uano sermone contemptor in carcerem coniectus, postquam Pauli litteris illo die Persen captum apparuit, et custodia liberatus et insuper agro ac uacatione donatus est. — Castorem uero et Pollucem etiam illo tempore pro imperio populi Romani excubuisse cogni-

1. cauponemque *A B C D E Γ Torr. Vt nos Par.* || 2. supplicium] *add.* usque *Γ.* 3. DE VISIS *Par.* || 4. interdum *pr. C.* || perinde — (5.) inuoluta *om. Γ.* || 8. Quorum — (13.) fuderunt *om. Γ.* || 9. A] Paulus *C E.* || postumus *E.* Posthumus *Nep.* || 10. manilius *B D Par. et corr. C.* || 11. et polus *E.* || 14. Item *om. Γ.* || autinius *E.* ualerius *D.* Vacienus *Nep.* || 15. noete *D.* || 16. fortunae *B.* || insidentes *D.* || 17. praeterierit *Par.* || persam *A B D E F. Vt nos C Par. Nep. Vid. ad I, 5, 3.* || 20. persem *A.* persam *D E Γ.* || 21. et uacatione *(B) Torr.* || uero *om. Γ.* || 22. pro] quo *B.*

1. Cf. Cic. de nat. deor. II, 2, 6. III, 5, 11. Dion. Hal. VI, 13. Plut. Coriol. 3. Front. strat. I, 11, 8. Flor. I, 11, 4.

Item bello Macedonico) Cf. Cic. de nat. deor. II. cc. Plut. Paul. 24. Plin. h. n. VII, 22. Lact. inst. diu. II, 8 p. 140 Dufresn.

Castorem uero et Pollucem) Cf. Plut. Paul. 25. Flor. II, 12, 15. Lact. inst. diu. II, 8, p. 140 Dufresn. Symmach. epp. I, 89.

tum est, quo ad lacum Iuturnae suum equorumque sudorem abluentes uisi sunt, iunctaque fonti aedes eorum nullius hominum manu reserata patuit.

2. Sed ut ceterorum quoque deorum propensum huic urbi numen exequamur, triennio continuo uexata pestilentia ciuitas nostra, cum finem tanti et tam diutini mali neque diuina misericordia neque humano auxilio inponi uideret, cura sacerdotum inspectis Sibyllinis libris animaduertit non aliter pristinam recuperari salubritatem posse quam si ab Epidauro Aesculapius esset accersitus. Itaque eo legatis missis unicam fatalis remedii opem auctoritate sua, quae iam in terris erat amplissima, impetraturam se credidit. Neque eam opinio decepit. Pari namque studio petitum ac promissum est praesidium, e uestigioque Epidauri Romanorum legatos in templum Aesculapii, quod ab eorum urbe $\overline{V}$ passuum distat, perductos ut quidquid inde salubre patriae laturos se existimassent pro suo iure sumerent benignissime inuitauerunt. Quorum tam promptam indulgentiam numen ipsius dei subsecutum uerba mortalium caelesti obsequio conprobauit. Siquidem is anguis, quem Epidauri raro, sed numquam sine magno ipsorum bono uisum in modum Aesculapii uenerati fuerunt, per urbis celeberrimas partes mitibus oculis et leni tractu labi coepit, triduoque inter religiosam omnium admirationem conspectus, haud dubiam prae se adpetitae clarioris sedis alacritatem ferens, ad triremem Romanam perrexit, pauentibusque inusitato spectaculo nautis eo conscendit, ubi Q. Ogulni legati tabernaculum erat, inque multiplicem orbem per summam quietem est conuolutus. Tum legati perinde atque exoptatae rei conpotes, expleta gratiarum actione cultuque anguis a peritis excepto laeti inde soluerunt, ac prosperam emensi nauigationem

1. ad] apud *BCDE*. || minturnae *E*. || 2. abluentis *ABCD*. abluisse *E*. abluere *Torr*. || iunctaque] que *om*. *Γ*. || 3. reserata manu *B*. || 4. §. 2. *om*. *Γ*. || 6. tanto *D*. || diutino *D*. diuturni *CE Torr*. || malo *D*. || 8. Sybillinis *pr*. *A*. || recuperari pristinam *E*. || 9. aescolapius *pr*. *A*. || 10. arcessitus *Torr*. || 13. Epidauri] *ultima in rasura D*. epidauro *A*. || 14. aescolapii *pr*. *A*. || 15. $\overline{V}$ *(sic) A*. V *C*. V^m. *D*. quinque milibus *(BE) Torr*. || quicquid *A*. || 17. promtam *A*. || 20. aescolapii *pr*. *A*. || 25. consedit *E*. || ubi q. tiogulini *A*. ubique tiogulini *B*. ubi quinti ogulini *E et pr*. *C*. ubi quinti ugolini *corr*. *C*. ubi quintii burgoni *D*. Quinti Burgoni *Nep*. || 27. obuolutus *E*. || perinde] per uim *B*. || exobtatae *A*. || 28. completa *C*. || 29. accepto *Torr*. || amensi *pr*. *A*. emens *B*.

2. Cf. Liu. epit. libr. XI. Ouid. metam. XV, 622 sqq. Plut. quaest. Rom. 94. Lact. inst. diu. II, 8 p. 141 Dufresn.

postquam Antium appulerunt, anguis, qui ubique in nauigio remanserat, prolapsus in uestibulo aedis Aesculapii murto frequentibus ramis diffusae superimminentem excelsae altitudinis palmam circumdedit, perque tres dies, positis quibus uesci solebat, non sine magno metu legatorum ne inde in triremem reuerti nollet Antiensis templi hospitio usus, urbi se nostrae aduehendum restituit, atque in ripam Tiberis egressis legatis, in insulam, ubi templum dicatum est, tranauit, aduentuque suo tempestatem, cui remedio quaesitus erat, dispulit.

Nec minus uoluntarius in urbem nostram Iunonis transitus. 3. Captis a Furio Camillo Veis milites iussu imperatoris simulacrum Iunonis Monetae, quod ibi praecipua religione cultum erat, in urbem translaturi sede sua mouere conabantur. Quorum ab uno per iocum interrogata dea an Romam migrare uellet, uelle se respondit. Hac uoce audita lusus in admirationem uersus est, iamque non simulacrum sed ipsam caelo Iunonem petitam portare se credentes laeti in ea parte montis Auentini, in qua nunc templum eius cernimus, collocauerunt.

Fortunae etiam muliebris simulacrum, quod est Latina uia 4.

---

1. annum *B.* || 2. lapsus *A.* || aescolapii *pr. A.* || mirto *corr. A.* myrto *aut* mirto *BCDE Torr.* || 3. supereminentem *Torr.* || magnitudinis *Torr.* || 6. uellet *B.* || hospitio templi *E.* || 8. templum ubi *B.* || transnauit *CE Torr.* transnatauit *in rasura D.* || 10. Nec — transitus *om. Γ.* || transitus iun. in urb. nostr. *C.* Iun. in urb. nostr. trans. *E Torr.* || 12. religione praecipua *E.* || 13. tralaturi *Torr.* || 14. per iocum *om. E.* || 15. Hac — (18.) collocauerunt *om. Γ.* || ludus *D.* || 19. §. 4. *om. Γ.* || muliebre *ABDE et pr. C. Sic etiam codd. Lactant. II,* 8. || uia Latina *Par. Nep. Torr.*

---

3. Cf. Liu. V, 22. Dion. Hal. exc. Vat. libr. XIII, 3. Mai. coll. II, p. 478. Plut. Cam. 6. Lact. inst. diu. II, 8, p. 140 Dufresn.

simulacrum Iunonis Monetae) Quamquam Valerius in monte Auentino confirmat se uidisse templum Iunonis Monetae a Furio Camillo eo translatae, sine dubio Liuio fides habenda est, qui expugnatis Veiis non Monetam sed Reginam Iunonem uoluntariam in urbem transitum uoce sua declarasse templumque eius in monte Auentino a M. Camillo dedicatum esse scripsit. Quibuscum consentiunt quae leguntur in excerptis Vat. Dion. Hal. l. c. (Alia enim est Iunonis Reginae cella in Capitolio, quae commemoratur in inscriptione anni 218 p. Chr. n. ap. Marini. atti e mon. de' frat. Aru. p. CLXIII et Orell. inscr. 947.). Iunonis autem Monetae templum constat multo post a L. Furio Camillo dictatore uotum et in arce aedificatum esse, quo loco fuerat area aedium M. Manlii. Cf. Liu. VII, 28. Plut. Cam. 36. Ouid. VI fast. 183. Cic. de diu. I, 45, 101. Iam quid putemus de Valerii diligentia, qui huius relationis prorsus oblitus ipse Iunonis Monetae aedem in Capitolio uidisse se testatur VI, 3, 1? Confudit Iunonis cognomina et templa, alterum a patre, alterum a filio dedicatum. Et traxit secum in eundem errorem Lactantium, qui quidem, ut Valerius Liuium, ita ipse Valerium saepenumero expilauit.

4. Cf. Dion. Hal. VIII, 56. Plut. Coriol. 37. id. de fort. Rom. 5. Lact. inst. diu. II, 8, p. 140 Dufresn. August. de ciu. dei IIII, 19.

ad quartum miliarium, eo tempore cum aede sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio urbis maternae preces repulerunt, non semel sed bis locutum constitit [prius] his uerbis, 'Rite me matronae dedistis riteque dedicastis'.

5. Valerio autem Publicola consule, qui post exactos reges bellum cum Veientibus et Etruscis gessit, illis Tarquinio pristinum imperium restituere, Romanis nuper partam libertatem retinere cupientibus, Etruscis et Tarquinio in cornu dextro proelio superioribus tantus terror subito incessit ut non solum uictores ipsi profugerent sed etiam pauoris sui consortes secum Veientes traherent. Cuius rei pro argumento miraculum adicitur, ingens repente uox e proxima silua Arsia, quae ore Siluani in hunc paene modum missa traditur, 'Vno plus Etrusci cadent; Romanus exercitus uictor abibit'. Miram dicti fidem digesta numero cadauera exhibuere.

6. Quid Martis auxilium, quo uictoriam Romanorum adiuuit, nonne memoria celebrandum est? Cum Bruttii atque Lucani

---

1. militiarum *B.* miliare *corr. D. incerta pr. D.* || 2. Curiolanum *ABC.* || repulerunt *corr. A.* || 3. prius] *sine uncis Torr.* || 4. dedistis] uidistis *ABCDE Torr.* u. rite me matronae dedistis riteque dicastis *margo A e Par.* dedistis riteque dicarunt *Nep.* || riteque] rite et *D.* || dedicatis *AB.* || 5. publicolae *ADΓ et pr. C.* || consule] *ultima in rasura D. reliqui per compendium.* || 6. ueihentibus *A.* || tarquinios *BE.* tarquiniis *corr. C.* tarquino *D.* || in pristinum *E.* || 8. tarquino *D.* || 10. sed] scd'm *i. e.* secundum *B.* || etiam pauoris sui *om. Γ.* || 11. Cui *Torr.* || 12. e] est *B.* || 13. pene *A et ante* in hunc *D.* || emissa *E.* || cadunt *B.* cadet *Par.* || 14. fidem dicti *DΓ.* || 16. Quid — celebrandum est *om. Γ.* || Quod *B.*

[*prius*] *his uerbis* etc.) Illud *prius* locum habere non potest, cum nec sequantur quae postea dixerit Fortuna et in eo consentiant reliqui scriptores, bis eam eadem prorsus uerba locutam esse. (Dionys., *Ὅσιόν πόλεως νόμῳ γυναῖκες γαμετὰι δεδώκατέ με. — ἔπειτα αὖθις — τὸ αὐτὸ ξόανον ἱρύξατο τὴν αὐτὴν λίξιν*, et Plut., *Θεοφιλεῖ με θεσμῷ γυναῖκες δεδώκατε. Ταύτην καὶ δὶς γενέσθαι τὴν φωνήν.*) Itaque male in recentioribus quibusdam libris ante *riteque* intrusum est *deinde*. Frustra autem Lipsius quid pro *prius* substitueret quaesiuit; nam quod proposuit, *priuis his uerbis*, nemini facile placebit. Mihi quidem persuasum est Valerium simpliciter scripsisse *locutum constitit his uerbis, 'Rite'* etc., quae nunc fere leguntur in Nepotiani compendio, librariumque quendam, inductum uu. *non semel sed bis locutum*, putasse id simulacrum primum quidem uocasse 'Rite me matronae uidistis', et deinde 'Rite me dedicastis', affixum uero *que* in *riteque* positum esse pro illo *deinde*, quod miror Kappio quoque in mentem uenisse. Similem ob causam *prius* interpolatum esse uidetur VI, 3, 6. Sed ne sic quidem recte se habet codicum scriptura; caret enim sensu *uidistis*, quod quomodo intellexerint grammatici uelim scire. Aldus pro eo *nouistis* ediderat, Gudius male coniecerat *uicistis*. Nos utroque abbreuiatore adiuti notissimam dandi dedicandique formulam restituimus. Cf. Orell. inscr. 2489, 2490, cett.

5. Cf. Liu. II, 7. Dion. Hal. V, 16. Plut. Publ. 9. Zonar. VII, 12.

6. Cf. Amm. Marc. XXIIII, 4, 24.

odio incitatissimo maximisque uiribus Thurinae urbis peterent exitium ac praecipuo studio incolomitatem C. Fabricius Luscinus consul protegeret resque ancipiti euentu conlatis unum in locum utriusque partis copiis gereretur, non audentibus Romanis proelium ingredi, eximiae magnitudinis iuuenis primum eos hortari ad capessendam fortitudinem coepit; deinde, ubi tardiores animaduertit, arreptis scalis per mediam hostium aciem ad contraria castra euasit et admotis uallum conscendit. Inde uoce ingenti clamitans factum uictoriae gradum et nostros ad aliena castra capienda et Lucanos Bruttiosque ad sua defendenda illuc traxit, ubi conferti dubio certamine terebantur. Sed idem inpulsu armorum suorum prostratos hostes iugulandos capiendosque Romanis tradidit. Viginti enim milia caesa, quinque cum Statio Statilio, duce utriusque gentis, et tribus atque uiginti militaribus signis capta sunt. Postero die cum consul inter honorandos quorum strenua opera fuerat usus uallarem coronam ei se seruare dixisset, a quo castra erant oppessa, nec inueniretur qui id praemium peteret, cognitum pariter atque creditum est Martem patrem tunc populo suo adfuisse. Inter cetera huiusce rei manifesta indicia galea quoque duabus distincta pinnis, qua caeleste caput tectum fuerat, argumentum praebuit. Itaque Fabricii edicto supplicatio Marti est habita, et a laureatis militibus magna cum animorum laetitia oblati auxilii testimonium ei est redditum.

Referam nunc quod suo saeculo cognitum manauit ad posteros, penetrales deos Aeneam Troia aduectos Lauini conlo- 7.

---

2. exitum *pr. A.* excidium *Par. et corr. A.* || ac] a *B.* || studio] *add.* eius *E.* || incolumitatem *corr. A. add.* eius *(B) Torr. add.* Thurinen *D.* || C. *om. pr. D.* || Luscinius *ACDΓ.* lacinius *B.* lucinius *E. Vt nos. Par.* || 3. ancipitis *A.* || euentus *corr. A.* || 6. ubi] *add.* eos *D.* || traditores *Γ.* || 7. aduertit *E.* || medium *E.* || 10. brutosque *Γ.* || 11. conferri *B.* conserti *DΓ Torr.* || terrebantur *AE.* || 13. quinque] *ante* milia *E. add.* millia *Torr.* || 14. Tato Tellio *Nep.* || 16. ei coronam *D.* || 17. seruasse *E.* || erant *om. C.* || 18. id *om. BCE.* || 20. huiuscemodi rei *E.* || 21. pennis *E.* || praebuit] fuit *E.* || 22. Itaque — (24.) redditum *om. Γ.* || 24. est ei *E.* || 25. Referam — (26.) conlocasse] Eneas penetrales deos troia aduectos lauini collocarat *Γ. sed haec et sqq. posita in fine huius §. post uu.* (p. 164, 9.) non refugisse. || 26. Penates *Nep. Torr.* || deoraeneam *pr. A.* deorsaeneam *corr. A.* deorsaeneam *B.*

---

7. Cf. Dion. Hal. I, 67. Auct. de orig. gent. Rom. 17.

penetrales deos) Penates deos a poetis etiam penetrales dictos esse tradidit Cic. II de nat. deor. 27, 68. Cf. quos locos citauit Forcellinius, Senec. Oed. 265. Phoen. 340. Editores igitur male inuitis libris *penates* substituerunt.

casse; inde ab Ascanio filio eius Albam, quam ipse condiderat, translatos pristinum sacrarium repetisse, et quia id humana manu factum existimari poterat, relatos Albam uoluntatem suam altero transitu significasse. Nec me praeterit de motu et uoce deorum inmortalium humanis oculis auribusque percepto quam in ancipiti opinione aestimatio uersetur. Sed quia non noua dicuntur sed tradita repetuntur, fidem auctores uindicent; nostrum sit inclitis litterarum monumentis consecrata perinde ac uana non refugisse.

8. Facta mentione urbis, e qua primordia ciuitas nostra traxit, diuus Iulius, fausta proles eius, se nobis offert. Quem C. Cassius, numquam sine praefatione publici parricidii nominandus, cum acie Philippensi ardentissimo animo perstaret, uidit humano habitu augustiorem, purpureo paludamento amictum, minaci uultu et concitato equo in se impetum facientem. Quo aspectu perterritus tergum hosti dedit uoce illa prius emissa, 'Quid enim amplius agas, si occidisse parum est'! Non occideras tu quidem, Cassi, Caesarem, neque enim ulla extingui diuinitas potest, sed mortali adhuc corpore utentem uiolando meruisti ut tam infestum haberes deum.

9. Iam quod L. Lentulus litus praenauigans, in quo Cn. Pompei Magni, perfidia Ptolemaei regis interempti, corpus concisae scaphae lignis conburebatur, ignarus casus eius, cum ipsi For-

---

2. translati *Γ*. tralatos *Torr.* || repetere *Γ*. || id] ab *Γ*. || 3. relati *Γ*. || 4. significauere *Γ*. || Nec me] Ne me tamen *Γ*. *haec et sqq. in initio huius* §. *posita sunt.* || 5. auribusque *om. pr. C.* || 6. in *om. DΓ*. || 7. uendicent *DE; (sic fere semper.)* || 8. inclytis *corr. A.* indictis *E.* inditis *Γ*. || monimentis *Γ*. || consecrata * *A.* consecratã *corr. A.* || uanam *AB.* uaria *corr. C.* || 9. retulisse *C.* || 10. §. 8. *om. Γ*. || Factam mentionem *AB et pr. C.* facta mensione *D.* || 11. C. 8. Cassius *BE. Lucium Cassium uocat Nep.* || 12. praestatione *C.* || 14. paludam. purp. *E.* || 17. enim *om. D.* || aga * *A.* agã *corr. A.* agam *Par.* || 18. quidem] quid enim *B. post* Cassi *E.* || extingui ulla *ETorr. add.* ui *Torr.* || 21. §. 9. *om. Γ*. || C. Pompeii *D.* || 22. ptolomei *ABCD.* ptholomei *E.* || concisae *B.* conscissae *Torr.*

Quidni Valerium saepius poetica affectantem ita scripsisse putemus, praesertim cum et Tacitus II ann. 10 eodem modo dixerit *penetralis Germaniae deos?*

8. *Quid enim amplius agas)* Vtrumque pari fere auctoritate confirmatum aeque conuenit sententiae, et librorum *agas* et Paridis *agam*, cum utroque modo se ipsum alloqui potuerit Cassius. Atqui Valerium *agam* scripsisse, librarios insolentiorem paulo alteram personam pro eo induxisse uix crediderim. Contrarium facilius potuit fieri. Paulo post Torrenius male e codd. Remens. tribus et Vossiano contra bonorum consensum receperat *exstingui ulla ui diuinitas potest.* Reuocaui priorum edd. lectionem.

9. Cf. Plut. Pomp. 80. Paulo post ipse L. Lentulus Crus interfectus est a Ptolemaeo Cf. Caes. b. ciu. III, 104. Oros. VI, 15.

tunae erubescendum rogum uidisset, conmilitonibus dixit 'Qui scimus an hac flamma Cn. Pompeius cremetur'? diuinitus missae uocis miraculum est.

Atque hoc quidem hominis et casu, illud tantum non ore 10.
ipsius Apollinis editum, quo Appii interitum ueridica Pythicae uaticinationis fides praecucurrit. Is bello ciuili, quo se Cn. Pompeius a Caesaris concordia pestifero sibi nec rei publicae utili consilio abruperat, euentum grauissimi motus explorare cupiens, uiribus imperii, namque Achaiae praeerat, antistitem Delphicae cortinae in intimam sacri specus partem descendere coegit, unde ut certae consulentibus sortes petuntur, ita nimius diuini spiritus haustus reddentibus pestifer existit. Igitur inpulsu capti numinis instincta uirgo horrendo sono uocis Appio inter obscuras uerborum ambages fata cecinit. 'Nihil' enim inquit, 'ad te hoc, Romane, bellum: Euboeae Coela optinebis'. At is ratus consiliis se Apollinis moneri ne illi discrimini interesset, in eam regionem secessit, quae inter Rhamnunta, nobilem Attici soli partem, Carystumque, Chalcidico freto uicinam, interiacens Coelae Euboeae nomen optinet, ubi ante Pharsalicum certamen morbo consumptus, praedictum a deo locum sepultura possedit.

Possunt et illa miraculorum loco *, quod deusto sacrario 11.

1. Quid *CDE Nep. Torr. Vt nos ABPar.* || 2. an in hac *E.* || C. Pompeius *D.* || 4. Atque — (6.) Is *om. Γ.* || homini sed *ABC.* hominis sed *DE. Correxit Vorst.* || tantum non] tantum *corr. CD.* tamen *E.* || 5. edictum *E.* || interitu *pr. A.* interitus *corr. A.* || phyticae *A.* phitie *E.* || 6. nacionis *E.* || praecurrit *E Torr. Vid. ad III.* 1. 1. || 7. publico *C.* || utili *om. Γ.* || 8. abruperat] *add.* apius *Γ.* || 11. ut] et *C.* || 12. reddentibus] petentibus *in rasura A.* || existit] *in rasura A.* I' exit *margo A.* extitit *BCD.* || concepti *(Γ) Torr.* || 14. enim inquit] I N quit *in rasura A.* || 15. Romanum *D.* || euboe accoelam *AB.* euboee celam *CDΓ.* euboee cellam *E. Vt nos Par.* || 17. rhamnuntha *A.* chamnita *D.* tamunta *E.* || atici *A.* antici *B.* || 18. Carystum quae *BD et pr. AC.* || calcidico *A.* a calcidico *BCDE.* || coelae euboae *A.* coele euoboe *B.* cele euboe *CD.* celle euboee *E.* || 20. consumtus *(A.)* || 21. loco] *add.* accipi *DΓ. add.* poni *E et margo C, Torr.* || deusto] *praeposuit inscriptionem* De miraculis *Par.* || Saliorum sacrario *E.*

10. Cf. Lucan. Phars. V, 122. Oros. VI, 15. Historiam huius Appii Claudii Pulchri cos. a. 54 composuit Drumann. II, p. 135 et sqq.

11. *miraculorum loco *)* Verbum, quod iam in archetypo omissum in melioribus libris desideratur, uarie in recentioribus et deterioribus suppletur. Habent enim meorum alii *poni*, alii *accipi*, Torrenianorum alii *haberi*, alii *referri*, ed. Mog. *mirari*. Fortasse primarii eius cod. folium h. l. corrosum aut lacerum erat, ideoque in auersa pagina exciderant uu. *admirabilis fuit* (Ext. §. 5.), quae e Paridis epitoma petita restitui. Aliam corruptelam in ipsis his uerbis latere non crediderim Torrenio, qui artificiose magis quam probabiliter coniecit *Poscunt et illa miraculorum locum.*

deusto sacrario Saliorum) Cf. Cic. de diu. I, 17, 30. Dion. Hal. exc. Vat. XIIII, 5, Mai. coll. II, p. 488. Plut. Cam. 33, Id. Rom. 22.

Saliorum nihil in eo praeter lituum Romuli integrum repertum est; quod Seruî Tullî statua, *cum aedis Fortunae conflagrasset, inuiolata mansit; quod Q. Claudiae statua* in uestibulo templi Matris deum posita bis ea aede incendio consumpta, prius P. Nasica Scipione et L. Bestia, item M. Seruilio L. Lamia consulibus in sua basi flammis intacta stetit.

12. Aliquid admirationis ciuitati nostrae Acilii etiam Auiolae rogus adtulit, qui et a medicis et a domesticis mortuus creditus, cum aliquandiu humi iacuisset, elatus, postquam corpus eius ignis corripuit, uiuere se proclamauit, auxiliumque paedagogi sui, nam is solus ibi remanserat, inuocauit. Sed iam flammis circumdatus fato subtrahi non potuit.

Lucio quoque Lamiae, praetorio uiro, aeque uocem fuisse super rogum constitit.

Ext. 1. Quae minus admirabilia Pheretis Pamphyli casus facit,

---

2. cum — (3.) Claudiae statua *om. A B C Γ; sed suppleta sunt in marg. A et C e Par.* || aedes *D E et margo C Torr. Cf. Drak. ad Liu. IIII, 25, 3. Zumpt. ad Verr. IIII, 55, 122. p. 778.* || flagrasset *E et margo C.* deflagrasset *Torr.* || 3. permansit *E et margo C Torr.* || Q.] C. *margo C. om. E.* || Claudii *D.* || 4. deum] *ante* Matris *Par.* deorum *corr. C.* || aede *om. Γ.* || consumpta P. nasica scipio N e e t. l. *in rasura A.* || prius *om. C.* || prius — (5.) consulibus *om. Γ.* || Nasica] *add.* primo *B E.* || 5. idem *B.* iterum *E et corr. C.* || m. ser * * * *A.* m. seruili *B.* || et L. Lamia *D E Torr.* || 6. uasi *B.* || 7. Aliquid — (8.) qui et] Acilius Auiola *Γ.* || Atilii *C E et corr. D.* || 9. postquam] *add.* et *E.* || ignis corpus eius *Torr.* || 10. auxiliumque — (11.) inuocauit *om. B.* || 11. is *om. E.* || solum *D.* || iam] *add.* in *B.* || 13. Lucio — (14.) constitit *om. Γ.* || lamiae quoque *E.* || 15. Quod minus admirabile *Γ.* || pheretris *A D Γ.* pheretis *B C E.* Eris *Torr. Pheretem eum uocat Nep., Phereta Par.*

---

cum aedis Fortunae) Maior eiusdem archetypi cod. lacuna, orta, quod librarius oculorum lapsu a priore *statua* ad eandem uocem paulo post sequentem transierat, omnes nostros meliores occupauit libros, sed a censore cod. Bernensis adhibito Paridis compendio in margine expleta est. Neque uero plura excidisse credo, quamuis multo copiosius Nepotianus de Quinta Claudia retulerit, *quae inhaerentem uado Tiberis nauem uitta dumtaxat* (mouit). *Nam cum rea haberetur incesti, ligauit proram zonula et ait, 'si uirgo sum, sequere'; moxque nauis mota, ingressaque Romam est cum simulacro matris deum, quod a Pessinunte motum naui aduehebatur.* Cf. Liu. XXIX, 14. Ouid. IIII fast. 305. Suet. Tib. 2. Auct. de uir. ill. 46, Maff. Mus. Veron. 252, 4 cett. De statua eius uim ignium bis elapsa a. u. c. 643 et 856 cf. Tac. IIII ann. 64.

12. Cf. Plin. VII, 52. Lips. ad Tac. ann. III, 41.

Ext. 1. Cf. Plato de rep. X. p. 614. B. Macrob. somn. Scip. I, 1.

Pheretis Pamphili) Mire Pheretis nomen, quo usi sunt Admeti pater, Pheraeorum rex (Ouid. a. am. III, 19.) et Iasonis filius ex Medea, a matre interfectus ap. Pausan. Corinth. 3, omnes qui extant Valerii codices cum integri tum abbreuiati huic homini tribuunt, qui a Platone, e quo haec desumpsit Val., et a Macrobio *Er* uocatur. Discrepuit igitur ab his auctoribus iam codex omnium, quorum scripturam indagare licet, antiquissimus. A quo, cum

quem Plato scribit inter eos, qui in acie ceciderant, decem diebus iacuisse, biduoque post quam inde sublatus esset, inpositum rogo reuixisse ac mira quaedam tempore mortis uisa narrasse.

Et quoniam ad externa transgressi sumus, quidam Athenis uir eruditissimus, cum ictum lapidis capite excepisset, cetera omnia tenacissima memoria retinens, litterarum tantummodo, quibus praecipue inseruierat, oblitus est. Dirum malignumque uulnus in animo percussi quasi de industria scrutatis sensibus in eum potissimum, quo maxime laetabatur, [et] acerbitate nocendi erupit, singularem doctrinam hominis pleno inuidiae funere efferendo. Cui si talibus studiis perfrui fas non erat, utilius aliquanto fuit ad illa aditum non impetrasse quam iam percepta eorum dulcedine caruisse. 2.

Miserabilior tamen sequentis casus narratio. Nausimenis enim Atheniensis uxor, cum filî ac filiae suae stupro interuenisset, inopinati monstri perculsa conspectu, et in praesens tempus ad indignandum et in posterum ad loquendum obmutuit. Illi nefarium concubitum uoluntaria morte pensarunt. Hoc modo fortuna saeuiens uocem ademit, illo propitia donauit. 3.

---

2. post inde sublatus cum esset *D.* || esset] *ante* sublatus *Γ.* est *EPar.* || rogo impositus *D.* || 4. quidam — (14.) narratio *om. Γ.* || Atheniensis *EPar.* || 9. potissime *E et corr. C. incerta pr. C. add.* locum *corr. A, Torr. Deleuit Kapp.* || et] *om. (B) corr. A, Torr.* ex *E.* || 12. ad] ab *B et pr. A.* || 15. enim *om. Γ.* || 16. percussa *CEPar.* || 18. Hoc — (19.) donauit *om. Γ.* || 19. saeuiens] *add.* huic *DE et margo C, Torr.* || uocem] *add.* iis (hiis his) uitam *DE Torr.* || adimit *D.* || illi *Torr.* || donat *ABCDE Torr.*

---

causa tantae et tam antiquae corruptelae inuestigari nequeat, discedere ueritus, nescio an ita scripserit Valerius aut memoria aut alio casu deceptus. Vincentium quoque Bellouacensem aliud nomen apud Macrobium, aliud in Valerii exemplo inuenisse inde colligo, quod, cum in citando Macrobii loco hunc hominem *Erum* appellasset, ita pergit (spec. hist. IIII, 77 ed. Mentel.), *Valerius tamen ait, Plato scribit, Pamphilum decem diebus inter eos* etc.

2. Plin. VII, 24.

[*et*] *acerbitate)* Copula *et*, archetypi codicis testimonio commendata, non magis locum habet quam recentiorum librariorum temptamenta, modo *ex* modo *etiam* scribentium, recteque eam ab emendatore libri Danielini deletam esse censeo, quamuis quaenam interpolandi causa fuerit, nondum inuenerim. Seclusi uocem suspectam.

3. *fortuna saeuiens)* Deprauarunt editores, recentiorum librariorum commentis decepti, bonorum librorum scripturam, propriam Valerio locutionem repraesentantem, qua is antithesi per *hic* et *ille* usus, quam sane in conectendis exemplis plus iusto frequentauit (cf. praef. p. 42.), fortunam saeuientem uocem hoc modo ademisse alicui, illo (sc. quem statim expositurus sit,) propitiam donasse dixit. Grammatici igitur haec ita constituerant, *Hoc modo fortuna saeuiens huic uocem, iis uitam ademit, illi propitia donat.* In quibus, ut taceam de reliquis, quam foede interrumpatur sententia illo *iis uitam*, re-

4. Echecles Samius athleta mutus, cum ei uictoriae, quam adeptus erat, titulus et praemium eriperetur, indignatione accensus uocalis euasit.

5. Gorgiae quoque Epirotae, fortis et clari uiri, origo *admirabilis fuit,* quod in funere matris suae utero elapsus inopinato uagitu suo lectum ferentes consistere coegit, nouumque spectaculum patriae praebuit, tantum non ex ipso genitricis rogo lucem et cunas adsecutus. Eodem enim momento temporis altera iam fato functa *pe*perit, alter ante elatus quam natus est.

6. Diuinae fortunae uulnus Pheraeo Iasoni ** exitii eius cupidus intulit. Nam cum inter insidias gladio eum percussisset,

---

1. Echecles] *Sic Par. Nep. et in rasura A.* Atchecles *B.* ecles *C, sed* les *in rasura.* egles *D.* Echedes *E.* Aegles *Γ Torr.* || atheleta *E.* || 4. admirabilis fuit *om. ABCDEΓ Torr.* || 5. quod] qui *E et corr. C, Par. Torr.* || 6. uagito *pr. A.* || ferentis *corr. A, Par.* || nouumque] que *om. pr. D.* || 7. non tantum *ABCDE.* non tamen *Γ.* || 9. perit *AB et pr. C.* parit *EΓ Torr.* || 10. Diuinae — (11.) Nam] Phereum Iasonem *Γ.* || phedreo *ABCE.* phedreus *D.* Phereo *Par.* || Iasoni] iaseno *D. add.* quidam *E Torr.* || cupidus exitii eius *E.*

---

ferendo ad incestorum liberorum uoluntariam mortem, quis est quin sentiat? Nos meliorum codd. scripturam reuocauimus, in eo tamen mutatam, quod cum propter sententiam tum propter praecedens *ademit* perfectum tempus *donauit* posuimus pro praesenti, eo quidem facilius quo saepius alterum cum altero in uerbis primae coniugationis a librariis confusum esse animaduerti.

4. Cf. A. Gellius V, 9, qui tamen eum ante certamen, cum sortitionem mala fide fieri uidisset, uocalem factum esse scribit.

Echecles Samius) Restituimus pristinam nominis formam ab antiquis abbreuiatoribus Paride et Nepotiano seruatam. Neque aliter Gellium scripsisse putamus, apud quem, cum optimi codd. Vatic., Regius, Rottendorfianus, quos contulit Hertzius, exhibeant *ex λαοις, ex ααογς, 7 laoyc,* nunc e deterioribus editur *Aegles,* sed sine dubio genitiuo casu legendum est *'Εχεκλέους.*

5. *origo admirabilis fuit, quod)* Libros mss., in quibus omnibus desunt uu. *admirabilis fuit,* lacuna potius quam mendo infectos esse miror non uidisse uiros doctos, quorum solum Vorstium sententia certe necessaria non fugerat, *mira* pro *uiri* scribendum esse suspicantem. Quae lacuna nunc quidem facile expletur Paridensi compendio, *Gorgiae fortis atque nobilis origo admirabilis fuit, qui* etc., quibus quin auctor Valerii uerba retinuerit dubitari uix potest. Obiter commemoro Kappii sententiam, qua deleto *que* in *nouumque* corrigendum opinatur *Gorgiae origo — nouum spectaculum patriae praebuit,* ne ferri quidem posse, cum in hoc nexu pendeat nominatiuus *adsecutus.* At dubito cum Kappio de particula *quod,* quam a librariis pro relatiuo non conueniente praecedenti *origo* substitutam esse non ita abhorret a similitudine ueri, praesertim cum relatiuum tueatur Par. Sed quoniam fieri potest ut ipse Valerius causalem illum sententiarum nexum adhibuerit, intactum hoc reliquimus.

tantum non) Ita recte uu. *non tantum* transposuit Colerus; frequentasse enim Valerium has particulas notaui in praef. p. 41. Sed quod ita in cod. Danielis scriptum esse narrat, id certe mentitur. Paulo post archetypi scriptura *perit* probabilius cum codd. Berol. in *peperit,* quam cum reliquis et uulgatis editionibus in *parit* mutatur. Litterae *pe* bis positae semel exciderant.

6. Cf. Cic. de nat. deor. III, 28, 70. Plin. h. n. VII, 50, 51. Plut. de capienda ex inim. utilit. 6, qui id Prometheo Thessalo accidisse refert.

*Iasoni ** exitii)* Desideratur notio subiecta uerbis *exitii eius cupidus;*

uomicam, quae a nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit ut hominem pestifero malo liberaret.

Aeque dis inmortalibus acceptus Simonides, cuius salus ab 7. inminenti † officio defensa, ruinae quoque subtracta est. Caenanti enim apud Scopam Crannone, quod est in Thessalia oppidum, nuntiatum est duos iuuenes ad ianuam uenisse, magnopere rogantes ut ad eos continuo prodiret. Ad quos egressus neminem repperit ibi. Ceterum eo momento temporis triclinium, in quo Scopas epulabatur, conlapsum et ipsum et omnes conuiuas oppressit. Quid hac felicitate locupletius, quam nec mare nec terra saeuiens extinguere ualuit!

Non inuitus huic subnecto Daphniten, ne quis ignoret quantum 8. interfuerit cecinisse deorum laudes et numen obtrectasse. Hic

1. potuit *D.* poterat *Par.* || 3. Aeque — (5.) enim] Simonidi cenanti *Γ.* || 4. officio] exicio officio *B.* exitio *CDE Torr.* || 5. seropham *E.* || Crannone — oppidum] in oppido thessaliae *Γ.* || et crannona *A.* in crannona *BCD.* in cranona *E.* crannonae *Par.* in Cranone *Torr.* || opidum in texalia *E.* || 6. magno opere E. || 9. serophas *E.* || epulabantur *pr. A.* || 10. Quid — (11.) ualuit *om. Γ.* || 12. Non — (13.) Hic] Daphanites *Γ.* || huic *om. E.* || daphaniten *AC.* daphanitem *B et corr. D.* daphantem *pr. D.* daphanicem *E.* Daphidam *Torr.*

nec male in recentioribus libris et in uulgatis exemplis suppletum est *quidam.* Equidem Paridensi compendio adducor ut credam Valerium scripsisse *Pheraeo Iasoni ex inimicis quidam exitii eius cupidus intulit*, uel *exitii eius cupidus inimicus quidam intulit*, librarios uero a praepositione *ex* aut *in* ad eandem in alio uocabulo aberrantes interposita omisisse.

7. Cf. Cic. de or. II, 86, 352. Phaedr. fab. IIII, 24. Quint. XI, 2, 11.

ab inminenti † officio) Plerique codd. et edd. *ab inminenti exitio* habent. At quaenam haec est oppositio in Simonide deorum ope non solum ab imminenti exitio uerum et iam a tecti ruina defenso, tamquam ruina non et ipsa minitata esset exitium? Itaque Lipsius legendum esse censuit *exitio defensa ruinaeque subtracta est.* Vereor ut recte; nam Valerium praeter collapsi triclinii periculum etiam de naufragio somnii monitu cuitato cogitasse, de quo retulerat supra c. 7, ext. 3, declarant uerba in fine huius §. *quam nec mare nec terra saeuiens extinguere ualuit.* Neque uero etiam in simplici exitii commemoratione per se illud intellegitur, quod a mari imminebat, cum primarium momentum, in quo posita est oppositio, tacere non licuerit. Atqui exitii uocabulum ne erat quidem in archetypo, sed quod nos cum mendi nota edidimus, *officio.* Sub quo quid lateret cum enucleare nequiuissem, relinquenda erat ambiguitas. Nam quod unice aptum mihi uidebatur, *naufragio*, a litterarum similitudine nimium abhorret.

Crannone) Reuocaui haec uerba ad notam dicendi normam deleta praepositione *in* ante urbis nomen, neque Paridensi compendio confirmata neque Bernensi codice, qui pro ea exhibet copulam *et*, interpositam ut coniungerentur accusatiui *Scopam* et *Crannona.* In ipso nomine optimos quosque cum Valerii tum aliorum scriptorum codices secutus duplicaui litteram n.

8. Cf. Cic. de fato 3, 5. Strab. XIIII, 39. p. 647 Cas., qui montem, in quo cruciatus sit grammaticus Daphitas *Θώραξ* appellat. Suid. et Hesych. u. *Δαφίδας.*

Daphniten) Ciceroni et Straboni sophista ille Daphitas, Suidae Daphidas uocatur. Valerius utrum aliud nomen posuerit an uetere mendo h. l. sit in-

cum eius studii esset, cuius professores sophistae uocantur, ineptae et mordacis opinationis, Apollinem Delphis inridendi causa consuluit an equum inuenire posset, cum omnino nullum habuisset. Cuius ex oraculo reddita uox est, inuenturum equum, sed ut eo proturbatus periret. Inde cum iocabundus quasi delusa sacrarum sortium fide reuerteretur, incidit in regem Attalum, saepenumero a se contumeliosis dictis absentem lacessitum, eiusque iussu saxo, cui nomen erat Equi, praecipitatus, ad deos usque cauillandos dementis animi iusta supplicia pependit.

9. Eodem oraculo Macedonum rex Philippus admonitus ut a quadrigae uiolentia salutem suam custodiret, toto regno disiungi currus iussit, eumque locum, qui in Boeotia Quadriga uocatur, semper uitauit. Nec tamen denuntiatum periculi genus effugit. Nam Pausanias in capulo gladii, quo eum occidit, quadrigram habuit caelatam.

10. Quae tam pertinax necessitas in patre filio Alexandro consimilis apparuit. Siquidem Calanus Indus sua sponte se ardenti rogo superiecturus, interpellatus ab eo ecquid aut mandaret aut dicere uellet, 'Breui te', inquit, 'uidebo'. Nec id sine causa, quia uoluntarium eius e uita excessum rapida mors Alexandri subsecuta est.

11. Regios interitus magnitudine miraculi remigis casus aequat. Quem in hexere Tyriorum sentinam haurientem cum e naui

---

2. opinionis *B.* || Delphys *A.* || 3. aequum *A.* || 4. inuenturum] *add.* eum *Par. Vid. ad l.* 7, 8. || aequum *A.* || 5. ut *om. pr. D.* || perturbatus *(B) D E Torr. Vt nos etiam Par.* || sacrorum delusa *E.* || 9. animae *A D Γ.* || iussa *Γ.* || 10. Philippus] *add.* est *D.* || 11. currus disiungi *E.* || 12. qui in] quam *C.* qui *pr. D.* || boetia *A B Γ.* || quadrigis celebratur *Vinc. Bell. sp. hist. V.* 19. || uocauit *C.* || 14. pausamias *E.* || 15. celatam *A.* || 16. §. 10. *om. Γ.* || et filio *(B) D Torr.* || 17. callanus *A B D E Par.* || se *om. A.* || 18. superiacturus *pr. A, Torr. Vt nos etiam Par.* || et quid *B C E et pr. A.* quid *D et corr. A. Cf. I,* 7, 7. || mandare *A, sed* re *in rasura.* || 19. inquit te *D.* || 20. rabida *B C E et pr. A.* || 22. Regium interitum *Γ.* || 23. in dhexere *A B C Γ.* in dexhere litore *E.* in litore *Torr.*

---

fectus non liquet. Nam codicum scriptura *Daphaniten* nihil aliud est quam quod incorruptum seruauit Iul. Paris, quodque antiquissimo firmatum testimonio utique recipiendum erat.

dementis animi) Haec emendatio, facta in alterius, familiae altera parte, omnino necessaria erat. Est enim animi dementis cauillari deos, non animae, quam archetypi cod. scripturam ortam puto ex omissa (ante *iusta)* et falso suppleta littera finali u. *animi.*

9. Cf. Cic. de fat. 3, 5. Ael. u. h. III, 45, qui tamen Philippum in Boeotia in aede Trophonii illud responsum accepisse scribit.

10. Cf. Cic. de diu. I, 23, 47. Diod. Sic. XVII, 107. p. 244. Plut. Alex. 69. Strabo XV, 68 p. 717. Arrian VII, 18, 6. alii.

fluctus abiecisset, altero latere repercussum contrarius fluctus in nauem retulit. Itaque miseri simul ac felicis complorationi permixta fuit gratulatio.

Quid illa, nonne ludibria naturae in corporibus humanis 12. fuisse credenda sunt? tolerabilia quidem, quia saeuitia caruerunt, ceterum et ipsa miraculis adnumeranda. Nam et Prusiae, regis Bithyniae, filius eodem nomine quo pater pro superiore ordine dentium unum os aequaliter extentum habuit, nec ad speciem deforme neque ad usum ulla ex parte incommodum.

Mithridatis uero regis filia Drypetina, Laodice regina nata, 13. duplici ordine dentium deformi admodum, comes fugae patris a Pompeio deuicti fuit.

Ne illius quidem paruae admirationis oculi, quem constat 14. tam certa acie luminum usum esse ut a Lilybaeo portu Karthaginiensium egredientes classes intueretur.

Oculis eius admirabilius Aristomenis Messenî cor, quod 15. Athenienses ob eximiam calliditatem exectum pilis refertum inuenerunt, cum eum aliquotiens captum et astutia elapsum cepissent.

---

1. fluctus contrarius *(T) Torr.* || 2. nauim *BC.* naui *E.* || 4. Quid — (6.) Nam et *om. Γ.* || delubria *AB.* || 6. prausiae *A.* prusias *CDE.* || 7. Bithyniae] bythiae *pr. A.* bythiniae *corr. A.* prusiaeni *B.* prusiae *CDE.* || superiori *Torr.* || 8. extensum *Par.* || 9. neque] nec *Γ.* || 10. mitridatis *A.* || uero *om. Γ.* || drypetinae *A.* dirpetine *B.* Dripetine *CDΓ Torr.* dripetrue *E.* Tricipitina *Nep.* || laodiceae *AΓ.* laodiciae *D Nep.* laudice *E.* || 11. duplice *D.* || deformis *Γ.* || 13. §. 14. *om. Γ.* || quidem illius *B.* || 14. certa] acuta *D. om. E.* || aly lybaeo *A.* || Kartaginiensium *A.* || 16. Oculis — admirabilius *om. Γ.* || meseni *ABCDE.* || cor — (17.) exectum] ob eximiam callid. execti Athenienses cor *Γ.* || 18. eum *om. E.* || aliquoties *pr. A.* || catum et astutiae lapsum *A.*

---

12. Cf. Liu. ep. libr. L. Plin. VII, 16, 5. Solin. I, p. 70 ed. Bip. Quapropter appellatus est Monodus, similiterque habuit Pyrrhus, rex Epirotarum, teste Paul. diac. u. Monodus p. 148 Müller. et Ianuario Nepotiano, qui multa aliena h. l. addidit miracula de Pyrrho.

Drypetina Laodice) Egregie cum codicis Bernensis scriptura consentire librum Vatic. Ammiani Marc. XVI, 7, 10, omnium longe optimum, mecum communicauit Horkelius meus. Horum igitur testimonium in ipso nomine secutus non tamen negauerim fieri potuisse ut Valerius Graeca terminatione *Drypetine* scripserit.

Cf. Plin. VII, 21. Solin. I, 99 ed. Bip. Nepotianus a Lilybaeo egredientes naues Clypea, Africae ciuitate, Strabonem quendam speculantem numerasse refert, et eadem fere Varrone auctore Plinius l. c. tradidit.

15. Cf. Plin. XI, 37.

quod Athenienses) Foedo memoriae lapsu Valerium Athenienses cum Lacedaemoniis confudisse, nam cum his pugnasse, ab his captum esse Aristomenem, adnotarunt grammatici inde a Colero.

aliquotiens) Quaenam fuerit Valerii scribendi consuetudo in his uocabulis diiudicari uix poterit. Commemorandum tamen primam Bernensis libri manum constanter fere *toties* et *quoties* exarasse, sed emendatorem *s* litteram addi-

16. Et poeta Antipater Sidonius omnibus annis uno tantummodo die, quo genitus erat, febri inplicabatur, cumque ad ultimam aetatem peruenisset, natali suo certo illo circuitu morbi consumptus est.

17. Hoc loco apte referuntur Polystratus et Hippoclides philosophi, eodem die nati, eiusdem praeceptoris Epicuri sectam secuti, patrimonii etiam possidendi alendaeque scholae communione coniuncti eodemque momento temporis ultima senectute extincti. Tantam *et tam* aequalem fortunae pariter atque amicitiae societatem quis non ipsius caelestis Concordiae sinu genitam, nutritam et finitam putet?

18. Quapropter haec potissimum aut in liberis potentissimorum

---

1. Et *om. Γ*. At *Torr.* || Antip. Sid. poeta *Γ*. || Sidonis *pr. A.* || tantum die *Γ*. || 2. aetatem ultimam *E.* || 4. consumtus *(A.)* || 5. referantur *(B) Torr.* || hyppoclides *AΓ et corr. B.* hyppolides *pr. B.* || 7. communione *om. E.* || 9. Tantam et tam] tantam *BCDE et pr. A.* tam *Γ et corr. A, Torr.* || 10. sinu] *post* genitam *B.* sinit *D.* || 11. et] atque *CE Torr.* || 12. Quapropter — (p. 173, 15.) possidere uoluerit *om. Γ.* || hoc *BCE et corr. D, Torr. add.* quoque *E.* || potissimum] *add.* fuerit *(E) Torr.* || potissimi regis *ABCD.*

---

disse, quae etiam in aliis eiusdem generis formis remansit. In reliquis codd. et in Paridis compendio Vaticano haec uerba semper in *iens* desinunt. Cf. Osann. ad Cic. de rep. p. 266.

16. Cf. Cic. de fato 3, 5. Plin. VII, 51.

Tantam et tam) Ita probabilius uitiosam archetypi scripturam *tantam aequalem* emendauit Torrenius quam fecerat corrector libri Danielini Bernensis, quem tamen omnes editores cum ipso Torrenio sequuntur. Cf. I, 8, 1, *tanti et tam diutini.* VIII, 14, ext. 3, *tantae et tam late patentis.* V, 6, 8, *quanto et quam aequali.* III, 8, ext. 3, *tot et tam bene meritos.* V, 2, ext. 4, *tot tamque uariis rebus.*

18. *Quapropter hoc potissimum)* Initium huius exempli quemadmodum huc usque edebatur, *Quapropter hoc potissimum fuerit: aut in liberis* et q. sqq., et omnino sensu carebat et a tradita scriptura nimis abhorruit. Primum enim illud *fuerit* pauci tantum et mali libri agnoscunt, estque sane nihili, deinde cod. Bern. cum aliquot Torrenianis exhibet *haec potissimum.* Quod unice uerum esse melius quam exposuit perspexisse uidetur Kappius. Sententiarum nexus hic est: Non admiratione persequi debemus quapropter haec potissimum omnis bonae malaeque materiae artifex, natura, ne ipsa quidem rationem reddiderit operum suorum aut in liberis regum aut in rege etc., non magis quam cur ita capreas Cretenses etc. dilexerit, aut quapropter aram Iunonis immobili cinere donauerit, uel potissimum quapropter aquas quasdam proprietatem uini possidere uoluerit. Sed longius extenta pendente sententia, primariam cum anacoluthia quadam annectit, praecedentia omnia uno pronomine *ista* comprehendens. 'Ista omnia', ait, 'non admiratione sed memoria tantum prosequenda sunt, cum sciamus ab ea (natura) plurimum uindicari licentiae'.

potentissimorum regum) Codd. singularem numerum tuentur. Sed debet esse pluralis, ut significentur Prusias et Mithridates reges (§§. 12 et 13.). Quem recte restituerunt recentiores librarii. In sequentibus enim rege clarissimo denotatur Aristomenes (§. 15), uate ingenii florentis Antipater Sidonius

regum aut in rege clarissimo aut in uate ingenii florentis aut in uiris eruditissimis aut in homine sortis ignotae ne ipsa quidem, omnis bonae malaeque materiae fecunda artifex, rationem rerum natura reddiderit; non magis quam qui ita siluestres capreas Cretae genitas tantopere dilexerit, quas sagittis confixas ad salutare auxilium herbae dictamni tantum non suis manibus deducit, efficitque ut concepta ea continuo et tela et uim ueneni uulneribus respuant; aut in Cephalenia insula, cum omnia ubique pecora haustu aquae cotidie recreentur, capras maiore ex parte anni ore aperto ex alto uentos recipientes sitim suam sedare instituerit; aut quapropter Crotonae in templo Iunonis Laciniae aram ad omnes uentos inmobili cinere donauerit; potissimumue quare alteram in Macedonia, alteram in Caleno agro aquam proprietatem uini, qua homines inebrientur, possidere uoluerit: non admiratione ista sed memoria prosequi debemus, cum sciamus recte ab ea plurimum licentiae uindicari, penes quam infinitus cuncta gignendi labor consistit.

4. reddiderat *pr. A.* || quid ita *Torr.* quod ita *D.* || 5. confixat *pr. A.* || 6. dictani *pr. A.* dictanni *B.* diptanni *D.* ditami *E.* diptamum *Nep.* || 8. caephalania *A.* cephalania *BD.* ceffalonia *E.* Cephalia *Nep.* || 9. autu *pr. A.* usu *B.* || capras] ea pars *ABC.* in ea pecudes *DE Torr.* || 10. alto] *add.* cotidie *D.* || 12. lacune *C.* || donauerit cin. immob. ad omn. uent. *E.* || ad omnes auras ad omnes uentos *D.* || inmobile *pr. A.* || 13. potissimumue] uel *E.* potissimum uel *BC D Torr.* || quarum *B.* || macedoniam *A.* || 14. aquam] *prima et ultima littera in litura A.* || proprietate *A.* || inebriantur *D.* || 16. ab ea] *ante* recte *E.* a natura *F.* || plurima *F.* || uendicari *CE.* || 17. consistit] *add.* quorum ne ipsa quidem omnis bonae malaeque materiae fecunda artifex rationem reddiderit *F.*

(§. 16), uiris eruditissimis Polystratus et Hippoclides (§. 17), homine sortis ignotae uir ille insigni oculorum acie praeditus (§. 14.).

siluestres capreas) Cf. Cic. de nat. deor. II, 50, 126. Verg. Aen. XII, 414. Seru. ad h. l. et ad IIII Aen. 73. Arist. hist. anim. IX, 6. Plut. de sol lert. anim. 20, p. 974. Ael. u. h. I, 10. De ceruis idem tradidit Plin. VIII, 27 et XXV, 8.

aut in Cephalenia) Cf. Ael. hist. anim. III, 32.

capras maiore ex parte) Egregie Torrenius archetypi scripturam *recreentur ea pars maiore ex parte* ita emendauit ut pro *ea pars* restitueret *capras* adhibito Aeliani l. c., *αἶγες μὲν ἄρα Κεφαλλήνιδες οὐ πίνουσι μηνῶν ἕξ*, cum uulgo male ex interpolatis libris ederetur *recreentur in ea pecudes maiore ex parte.* Neque enim omnibus pecudibus sed capris tantum peculiare hoc erat. Eo tamen peccauit uir doctus, quod retinenda censuit uu. *in ea* post *recreentur*, quae ut non habentur in melioribus libris, ita multo melius absunt. Equidem non dubitaui hanc emendationem recipere, confirmatam nunc Ianuarii epitome, in qua legitur *Caprae in Cephalenia non semper aquas potant, sed per maiorem anni partem aperto ore sunt cadentesque aquas excipiunt.* Taceo de Kappio, qui retenta uulgata scriptura ad u. *pecudes* adnotauit 'Subaudi *eae*, nempe *capreae*', quod miror accepisse Hasium.

Crotonae in templo) Cf. Liu. XXIIII, 3. Plin. II, 107, 111.

alteram in Macedonia) Cogitauit Val. de Lyncesti flumine. Cf. Ouid. XV metam. 329. Plin. h. n. II, 103, 106.

19. Quae quia supra usitatam rationem excedentia attigimus, serpentis quoque a T. Liuio curiose pariter ac facunde relatae fiat mentio. Is enim ait in Africa apud Bagradam flumen tantae magnitudinis *anguem* fuisse ut Atilii Reguli exercitum usu amnis prohiberet, multisque militibus ingenti ore correptis, conplu- ribus caudae uoluminibus elisis, cum telorum iactu perforari nequiret, ad ultimum ballistarum tormentis undique petitam, silicum crebris et ponderosis uerberibus procubuisse, omnibusque et cohortibus et legionibus ipsa Karthagine uisam terribiliorem; atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis corporisque iacentis pestifero adflatu uicina regione polluta Romana inde summouisse castra. [Dicit] beluae corium centum et uiginti pedum in urbem missum.

1. §. 19. *om. Γ.* || 2. libio *A.* || fecunde *A.* || relata *ABCDE Torr.* || 3. bagrada *ABCD.* || 4. anguem] *om. AB et pr. CD.* amguem *E.* || acilii *AB.* || annis *B.* || 5. cum pluribus *E.* || 6. perforare *pr. B.* || 9. Kartaginem *pr. A.* Kartagine *corr. A.* || uisa terribiliore *corr. A.* || 12. Dicit] *om. E. add.* etiam *Torr.* || uigenti *A.* || pedum] *add.* longum *margo A, Torr.* || urbe *E.*

19. Cf. Liu. epit. libr. XVIII. Tubero ap. Gellium VI, 3. Plin. VIII, 14. Seneca epp. 82. Sil. Ital. VI, 140.

relatae fiat mentio) Absolutus casus *relata* ferri non potest. Neque enim mentionem serpentis curiose ac facunde retulerat T. Liuius, sed retulerat de serpente uel, ut loquitur Val., ipsam serpentem. Recepi igitur recentiorum librorum emendationem, probatam a Perizonio simili prorsus exemplo IX, 15, 1, *Nam ut Equitium Firmo Piceno monstrum ueniens, relatum iam in huiusce libri superiore parte, praeteream.* Addo V, 9, init., *ut — asperam seueritatem mitiores relati patrum mores — temperent,* ubi cum hucusque ederetur *relatu,* Periz. iam e coniectura scribi iussit quod equidem optimorum librorum auctoritatem secutus restitui; VIII, 1, amb. 1, *ut eos quoque referamus;* et huius cap. ext. §. 17.

tantae magnitudinis anguem) Desideratur in melioribus libris aut anguis aut serpentis uocabulum. Quorum quia alterum modo praecesserat, non dubito quin alterum h. l. posuerit Val., quod receptum ex interpolatis codd. reliqui. Fortasse uero post *flumen* aut ante *apud* exciderit.

[*Dicit*] *beluae corium)* Dicendi uerbum, siue ad prius siue ad sequens enuntiatum trahitur, non modo otiosum est, uerum etiam incommode interrumpit continuum Liuianae relationis nexum. Senserunt librarii, quorum alii delerunt u. *dicit,* alii perperam insuper addiderunt *etiam;* senserunt priores editores et Kapp., qui tamen uu. *dicit etiam* defendi posse arbitratur, si suppleamus *alio loco* uel *paulo post.* Equidem uocem ualde mihi suspectam uncis inclusi.

VALERI MAXIMI

FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM

LIBER SECVNDVS.

Diues et praepotens naturae regnum scrutatus iniciam stilum I.
qua nostrae urbis qua ceterarum gentium priscis ac memorabilibus institutis. Opus est enim cognosci huiusce uitae, quam sub optimo principe felicem agimus, quaenam fuerint elementa, ut eorum quoque respectus aliquid praesentibus moribus prosit.

2. FACTORVM DICTORVMQVE *Torr.* || 3. LIBER PRIMVS EXPL. INCIPIT SECD FELICIT. *A.* || 4. Diues] *Praeponunt inscriptionem* De institutis antiquis *E*, De matrimoniorum ritu et necessitudinum officiis *Torr. De Γ dixi in var. script. praef. lib. I p.* 106. || regimen *D.* || 5. qua nostrae] tam nostrae *E et corr. C, Torr.* a nostrae *in rasura D.* || qua ceterarum] ceterarum *pr. C.* ** a ceterarum *D.* quam ceterarum *E et corr. C. Torr.* || 6. enim est *B.* || 7. felice *A.* || 8. praesentibus aliquid *Torr.*

Diues et praepotens) In prioribus huius libri capitibus discernendis editores sine ulla causa relictis codicum uestigiis cohaerentia diremerunt, dirempta peruersis titulis instruxerunt, cum in libris mss. capitum dispositio simplex rerumque, quae tractantur, naturae aptissima sit. Cohaerent enim omnia, quae de institutis antiquis cum Romanorum tum exterarum gentium narrantur usque ad. c. 6, 17, ubi demum alterum incipere debebat caput de disciplina militari.

qua nostrae urbis qua ceterarum) Dicendi genus minus tritum sed a Valerio saepius adhibitum deteriorum maxime codicum librarii et h. l. uarie corruperunt et IIII, 7, 7, ubi reuocaui antiquam scripturam *qua libentius qua etiam religiosius.* Longius etiam aberrarunt IIII, 4, 6, ubi docui scribendum esse *qua gloria qua clades maxima.* Recte autem iam priores grammatici VI, 9, 14 seruarunt *qua corporis qua animi robore.*

DE INSTITVTIS ANTIQVIS.

1. Apud antiquos non solum publice sed etiam priuatim nihil gerebatur nisi auspicio prius sumpto. Quo ex more nuptiis etiam nunc auspices interponuntur, qui, quamuis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine ueteris consuetudinis uestigia usurpant.

2. Feminae cum uiris cubantibus sedentes caenitabant. Quae consuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit. Nam Iouis epulo ipse in lectulum, Iuno et Minerua in sellas ad caenam inuitabantur. Quod genus seueritatis aetas nostra diligentius in Capitolio quam in suis domibus conseruat, uidelicet quia magis ad rem pertinet dearum quam mulierum disciplinam contineri.

3. Quae uno contentae matrimonio fuerant corona pudicitiae honorabantur. Existimabant enim eum praecipue matronae sincera fide incorruptum esse animum, qui depositae uirginitatis

1. *Inscriptionem h. l. om. E Torr.* || 2. §. 1. *om. Γ.* || 3. ex *om. Par.* || 5. ipsorum *B.* || 6. usurpantur *ABCE.* || 7. §. 2. *om. Γ.* || coenitabant *(A). Vt nos Par.* || 9. cellas *C.* || coenam *(A.)* || 10. inuitantur *Torr.* || 11. seruat *Torr.* || 12. disciplina *ABDE et pr. C. Torr.* || 14. Quae] Apud antiquos mulieres quae *Γ.* || 16. qui] *add.* post *E Torr.* || deposito *Γ.*

1. Cf. Cic. de diu. I, 16, 28. Seru. ad Aen. I, 346.

2. Cf. Seru. ad Aen. VII, 176, qui omnino maiores olim sedentes epulatos esse refert.

inuitabantur) Imperfectum tempus, quod non solum omnes libri confirmant sed etiam Iul. Paris, cum praesenti tacite mutauit Pighius propter sequentia, ut opinor, *Quod genus seueritatis aetas nostra — conseruat.* Poterat uero imperfecto uti Valerius, si de tempore cogitauit, quo haec hominum consuetudo ad deorum cultum transferebatur. Et fortasse etiam retento quidem more deorum in caena cubantium, sedentium dearum Valerii aetate inuitatio illa in lectulum et in sellas abolita iam erat.

disciplinam contineri) Sic dedi e coniectura Lipsii omnino necessaria, cum a reliquis haec ita distinguerentur, *magis ad rem pertinet dearum, quam* (ad rem) *mulierum, disciplina contineri,* in quibus pendent ultima uerba, cum neque ad id, quod Vorstius uoluit, *genus seueritatis* referri possint neque recte subintellegatur, quod putabat Perizonius, *eas.* Absolute autem nullo adiecto genitiuo *ad rem pertinere* dicitur pro eo, quod est referre, interesse, utile esse (infra II, 9, init. Seneca ep. ad Lucil. 20. (bis). Cic. epp. XIII, 13. Petron. 100.), cum interim nemo facile rem deorum uel dearum posuerit pro rebus diuinis. Pertinent igitur genitiui illi ad *disciplinam*, quam contineri dicimus, si intacta seruatur et retinetur. Cf. Val. II, 7, ext. 2. VII, 2, 1. VIII, 7, 1. Liu. XXXIIII, 9, 4. Flor. III, 12, 2. cett.

3. *depositae uirg. cub.* [*in publicum*] *egredi)* Grammaticorum alii ad enucleandam sententiam coniecturis se permiserunt parum ueri similibus, ut Pighius *(cubile pudicum egredi),* Klokkius *(deposita uirginitate cubile unicum),* alii re-

cubile [in publicum] egredi nesciret, multorum matrimoniorum experientiam quasi legitimae cuiusdam intemperantiae signum esse credentes.

Repudium inter uxorem et uirum a condita urbe usque ad 4. quingentesimum annum nullum intercessit. Primus autem Sp. Caruilius uxorem sterilitatis cáusa dimisit. Qui, quamquam tolerabili ratione motus uidebatur, reprehensione tamen non ca-

1. cubili *DΓ.* || in publicum] *sine uncis Torr.* || regredi *corr. C.* || 2. cuidam *Γ.* || 4. ad centesimum et quinquagesimum annum *ABCDEΓPar.* per annos $\overline{N}$ c. l. *Nep. teste Blumio.* ad uicesimum et quingentesimum annum *Torr.* || 5. Primus — (6.) dimisit *om. B.* || autem *om. Γ.* || 6. carbilius *ACDΓ.* curbilius *E.* caruilius *Nep.* || uxorem] *add.* suam *D.* || 7. tolerabili] *post* uidebatur *E.*

tenta praepositione *post*, quam e malis codd. ante *depositae* intruserat Aldus, praepostere de luctu interpretantur, qui uiduas per decem mensos prohibuerit quo minus in publicum egrederentur. In qua explicatione praeter inauditam locutionem *post cubile depositae uirginitatis* pro eo, quod dicendum erat *post mariti mortem*, alienissimam esse luctus commemorationem facile intellegitur, cum Valerius necessario hanc posuisse debeat sententiam, eam praecipue matronam sincerae fidei habitam esse, quae depositae semel uirginitatis cubile egredi et cum alio mutare noluerit, i. e. quae post primum matrimonium alterum non inierit. Itaque, ni omnia me fefellerunt, deprehendi interpolationem satis apertam. Librarius enim antiqui cuiusdam codicis, uu. *depositae uirginitatis cubile egredi* uulgari sensu dicta arbitratus pro *prodire e domo*, explicationis gratia addidisse uidetur *in publicum*, et ipse fortasse de luctu cogitans nec magis eo lapsus quam uiri docti, quorum interpretationem supra redargui. Seclusi spuria uerba, quibus remotis omnia optime procedunt.

4. Cf. Dion. Hal. II, 25. Plut. quaest. Rom. 14. id. compar. Thes. c. Rom. 6. comp. Lycurg. c. Num. 3. A. Gell. IIII, 3. XVII, 21, 44.

ad quingentesimum annum) Spur. Caruilium Rugam diuortium cum uxore fecisse olympiade 137 M. Pomponio, C. Papirio coss., qui consules pertinent ad annum 523 Varronianae aerae, Dionysius l. c. tradidit, quocum de numero annorum a. u. c. DXXIII, Seruii Sulpicii librum de dotibus secutus, consentit A. Gell. IIII, noct. A. 3, 2, diuersa tantum consulum nomina ponens M. Atilii et P. Valerii. Idem Gellius XVII, 21, 44 eandem rem a. u. 519 accidisse e chronicis refert. Cf. Ritschl parerg. Plaut. I. p. 68—70.

Iam uero non solum integri Valerii codices sed etiam abbreuiatores omnes summo consensu CL annorum numerum tuentur, adeo ut ipse auctor longe a ueritate discessisse uideri deberet, ni manifesta esset antiquissimi iam mendi causa, quam detexi praef. p. 91. Scripserat haud dubie breui et minus accurata annorum significatione, quem ad modum Gell. IIII, 3, 1, *usque ad d annum*, pro quibus editores licenter admodum substituerant *usque ad uicesimum et quingentesimum annum*. Ceterum Caruilianum non omnino primum Romae fuisse diuortium, sed deceptos esse ueteres auctores male intellecto eius rumoris fonte, cum id ipsum summo consensu affirmarent, iam conuenit inter ICtos (Cf. Berner. de diuortiis apud Roman. Berolin. 1842. p. 38 et seqq. Göttling. gesch. d. Röm. staatsverf. p. 98. et quos citauit Rein. Röm. privatrecht. p. 208 not.) Quonam respectu primum fuerit illud diuortium res controuersa est ac plena dissensionis. Fortasse Sp. Caruilius primus arbitrarium quidem sed legitimum diuortium fecit, cum uxorem innocentem dimitteret, probabilem causam praetendens (iuris iurandi illius religionem, uxorem se habiturum liberorum procreandorum causa. Gell. IIII, 3.) et obseruata forma aut usu aut legibus praescripta (de amicorum sententia, Gell. XVII, 21, 44.), adeo ut legitime fecisse uideretur et effugeret censoriam animaduersionem, etiamsi

ruit, quia ne cupiditatem quidem liberorum coniugali fidei praeponi debuisse arbitrabantur.

5. Sed quo matronale decus uerecundiae munimento tutius esset, in ius uocanti matronam corpus eius adtingere non permiserunt, ut inuiolata manus alienae tactu stola relinqueretur.

Vini usus olim Romanis feminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a Libero patre intemperantiae gradus ad inconcessam uenerem esse consueuit. Ceterum ut non tristis earum et horrida pudicitia sed et honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus namque maritis et auro abundanti et multa purpura usae sunt, quo for-

1. nec *ABCDEΓTorr.* || quidem] *post* liberorum *E. om. Γ.* || 3. Sed — (5.) relinqueretur *om. Γ.* || totius *pr. A.* || 4. uocanti *C.* || 5. stolae *AB(?)DE et pr. C.* || relinquerentur *D.* || 7. qui *pr. B.* || 9. sed et] sed *DΓTorr.* sed etiam *E.* || 10. comitatus *corr. C.* comitata *D.* || namque *om. Torr.* || 11. et quo *Torr.*

reprehensione non careret. Quod si ita est, apparet cur hoc diuortium primum causam praebuerit ut instituerentur rei uxoriae actiones et cautiones (Gell. IIII, 3.). Valerii errorem, communem cum reliquis antiquitatis scriptoribus, si facile excusaueris, grauiorem tamen hic scriptor ideo culpam tulit, quod hoc ipso libro c. 9. §. 2 aliud diuortium L. Annii commemorauit, septuaginta circiter annis Caruilianum aetate praecedens. Quae discrepare inter se temporibus utriusque repudii non comparatis effugit Valerium.

ne cupiditatem quidem) Omnes libri mss. *nec cupiditatem quidem*, quod correxi. Ita enim neque dici potuisse neque umquam dictum esse luce clarius demonstrauit Madvig. exc. III. ad Cic. de fin. p. 822 et seqq. Cuius ingeniosissimae disputationi, cum iniuria ab Orellio dubitationem excitatam uiderim, confirmationem addo e Valerii libris petitam. Legebatur huc usque in editionibus I, 7, ext. 5 *nec Cyrus quidem*, V, 10, ext. 3 *nec Anaxagoras quidem*, ibid. paulo post *nec uiuere quidem*, IX, 15, 3 *nec diui quidem*, quibus locis omnes nostri codd. recte exhibent *ne — quidem.* Tum VIII, 2, 2 *nec quod relaturus quidem sum*, V, 1, 1 *nec Aegyptus quidem*, III, 2, ext. 6 *nec Theramenis quidem*, VI, 2, 2 *nec ego quidem*, in quibus cum peruersa uulgata scriptura conspirat unius alteriusue deterioris libri testimonium. Meliorum auctoritas pro *nec* stat excepto hoc loco, ubi tamen spurium *c* e sequenti uocabulo *cupiditatem* adhaesit, III, 2, 1, *nec telis quidem*, ubi *c* ortum puto aut e sequenti *t*, aut quia bis praecessit particula *nec (nec pondere — nec ullo uerticis)*, VIII, 14, ext. 2 *nec uno quidem.* Sed hic Paris recte exhibet *ne uno quidem.* Nam V, 6, ext. 4 solus fere *A* pr. man. habet *nec patriae quidem*, reliqui omnes et ipse corr. *A ne — quidem.*

5. *Vini usus)* Cf. Dion. Hal. II. 25. Plin. h. n. XIIII, 13. Plut. quaest. Rom. 6. A. Gell. X, 23. Seru. ad Aen. I, 734. Ael. u. h. II, 38. Cic. IIII de rep. ap. Non. u. *temulenta* p. 5, alii.

sed et honesto) Non negauerim concinniorem sermonem restituisse editores deletis primum *et* ante *honesto*, tum *namque* ante *maritis*, inserta denique copula ante *quo formam*, cum Valerius, quam sententiam parenthesi inseruit *(indulgentibus — usae sunt)*, eam ex aequo ponere debuisset enunciati primariae parti *capillos cinere rutilarunt*, quia auri purpuraeque usus in primis efficiebat ne tristis et horrida mulierum pudicitia esset. Videtur autem auctor, cum id maxime animo obuersaretur, feminas, quo uenustior et hilarior earum appareret habitus, capillos cinere rutilasse, cumque in eo exponendo honestam uirorum comitatem commemorasset, ut huius potissimum documentum

mam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt. Nulli enim tunc subsessorum alienorum matrimoniorum oculi metuebantur, sed pariter et uidere sancte et aspici mutuo pudore custodiebantur.

Quotiens uero inter uirum et uxorem aliquid iurgi inter- 6.
cesserat, in sacellum deae Viriplacae, quod est in Palatio, ueniebant, et ibi inuicem locuti quae uoluerant, contentione animorum deposita concordes reuertebantur. Dea nomen hoc a placandis uiris fertur adsecuta, ueneranda quidem et nescio an praecipuis et exquisitis sacrificiis colenda, utpote cotidianae ac domesticae pacis custos, in pari iugo caritatis ipsa sui appellatione uirorum maiestati debitum a feminis reddens honorem.

Huiusmodi inter coniuges uerecundia. Quid, inter ceteras 7.
necessitudines nonne apparet consentanea? Nam ut minimo indicio maximam uim eius significem, aliquandiu nec pater cum filio pubere nec socer cum genero lauabatur. Manifestum igitur est tantum religionis sanguini et adfinitati quantum ipsis dis inmortalibus tributum, quia inter ista tam sancta uincula non magis quam in aliquo sacrato loco nudare se nefas esse credebatur.

---

2. successorum *corr. C.* subcessorum *in rasura E.* subsessores *Γ.* || 3. pariter uideri *E.* || 4. custodiebatur *Γ.* || 5. §. 6. *om. Γ.* || Quoties *pr. A.* || 8. nomen hoc] *post* uiris *E.* || 10. sed exquisitis *ABCDE.* || ac domesticae *om. E.* || 11. in] in quo *BDE et pr. C.* inque *corr. C.* || pare *C.* || 12. ac feminis *ABCDE. Correxit I. Vossius.* || 13. Huiusmodi—(15.) significem *om. Γ.* Huiusmodi *om. B.* || uerecundia] *add.* fuit *corr. C.* || 15. iudicio *BCE.* || 16. Manifestum — (19.) credebatur *om. Γ.* || 17. est *om. B.* || 19. crederetur *E.*

---

adderet, parenthesi cum causali particula usus esse neque animaduertisse quam neglegens fieret oratio, si retinuisset formam eius ab initio propositam. Poterat hoc accidere auctori celerius scribenti. Librarios eam peruersam rationem tot adhibitis artificiis pro simplicissima et apertissima, qualis est quam editores tribuerunt Valerio, effecisse non mihi persuadetur. Similiter illud *et* ante *honesto*, quod melius sane abesset, defenditur male expressa hac auctoris cogitatione, inter tot tristia et horrida honestae quoque comitati locum fuisse.

6. Cf. Plut. quaest. Rom.

Quotiens) Valerium *quotiens* et similia cum littera *s* scripsisse suspicor propter consensum Paridis et reliquorum Valerii codicum. Libri Danielini Bernensis prima manus constanter fere breuiore forma usa est, sed emendator uno quoque loco omissam litteram suppleuit. Cf. Osann ad Cic. de rep. III, 10, 17. p. 266.

in pari) Sic solus liber Bern. In altera codicum familia legitur *in quo pari*, quod Perizonius emendandum censuit *inque pari*. Fortasse illud *quo* interpolatum est a librario, qui haec cum sequentibus *huiusmodi inter coniuges uerecundia* coniungenda putaret.

7. Cic. de off. I, 36, 129 sua aetate etiam tum obseruatum esse illud uerecundiae genus testatur. Cf. Plut. Cat. mai. 20.

8. Conuiuium etiam sollemne maiores instituerunt idque caristia appellauerunt, cui praeter cognatos et adfines nemo interponebatur, ut, si qua inter necessarias personas querella esset orta, apud sacra mensae et inter hilaritatem animorum et fautoribus concordiae adhibitis tolleretur.

9. Senectuti iuuenta ita cumulatum et circumspectum honorem reddebat, tamquam maiores natu adulescentium communes patres essent. Quo circa iuuenes senatus die utique aliquem ex patribus conscriptis aut propinquum aut paternum amicum ad curiam deducebant, adfixique ualuis expectabant, donec reducendi etiam officio fungerentur. Qua quidem uoluntaria statione et corpora et animos ad publica officia inpigre sustinenda roborabant, breuique processurarum in lucem uirtutum suarum uerecunda laboris meditatione ipsi doctores erant. Inuitati ad caenam diligenter quaerebant quinam ei conuiuio essent interfuturi, ne senioris aduentum discubitu praecurrerent, sublataque mensa priores consurgere et abire patiebantur. Ex quibus apparet caenae quoque tempore quam parco et quam modesto sermone his praesentibus soliti sint uti.

1. id quod *E.* || caristiam *D E.* Charistia *Nep. Torr. Vt nos etiam Par.* || 3. quaerella *pr. A.* || 4. inter *om. D.* || et fautoribus] fautoribus *D Torr.* et factoribus *C E.* || 6. iuuentas *A B et pr. C.* iuuentus *D E Γ et corr. C, Torr.* || et circumspectum *om. Γ.* || 7. communes adulescentium *Γ.* || 10. baluis *B.* || redeundi *C.* || 11. Qua — (14.) erant *om. Γ.* || 12. animas *B.* || ad] a *pr. A.* || 13. processu rarum *pr. A.* processu earum *B.* processu futurarum *in rasura C.* processu rerum *E.* processu morarum *corr. A, in rasura D, Torr.* || luce *corr. A.* || 14. doctiores *A B C D E Torr.* al' doctores *margo D.* || 15. cenam *A.* || quisnam *pr. A.* || interuẽcturi *Γ.* || 17. mensa * * priores *C.* || priores] *add.* et *corr. D.* || 18. cenae *A.*

8. Ouid. fast. II, 617 et sqq.

9. Ouid. fast. V, 57 et sqq. A. Gell. II, 15.

Senectuti iuuenta) Deae Iuuentatis nomine, quod erat in archetypo, ad insigniendam iuuenilem aetatem uel multitudinem iuuenum poetae tantum utuntur. In soluta oratione cum locum non habeat, substitui uocabulum apud argenteae quam uocant aetatis scriptores et in primis apud Valerium frequentissimum (II, 10, 4. V, 8, 4. VI, 1, init. VI, 2, 8.), quod tuetur Paridis epitome.

processurarum in lucem) Verba non magis librariorum erroribus quam interpretum nugis mutilata Lipsius egregia diuinatione, Torrenius incorrupto iudicio restituerunt. Nam quod Lipsius pro uulgata scriptura *processu morarum* legendum suspicabatur, *processurarum* confirmatur codice Bern., quem Colerus quidem et ipsum *processu morarum* exhibere mentitur, neglecto antiquae et paulo recentioris manuum discrimine. Reliqua Lipsius parum recte sic constituerat, *uirtutum suarum uerecunda et laboriosa meditatione ipsi doctiores erant,* in quibus, per se non adeo ueri similibus, equidem neque pronomen *ipsi* intellego neque omnino quod iuuenes illi uirtutum suarum futurarum meditatione doctiores fuisse dicuntur. Sed haec una litterula deleta facillime sanari uidit Torrenius, si cum recentioribus aliquot librariis, Aldo, R. Stephano scribamus *doctores*, quod uellem recepisset. Sententia est, adulescentes uir-

Maiores natu in conuiuiis ad tibias egregia superiorum 10.
opera carmine conprehensa pangebant, quo ad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderent. Quid hoc splendidius, quid etiam utilius certamine! Pubertas canis suum decus reddebat, defuncta [uiri] cursu aetas ingredientes actuosam uitam fauoris nutrimentis prosequebatur. Quas Athenas, quam scholam, quae alienigena studia huic domesticae disciplinae praetulerim! Indo oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricii, Marcelli, Fabii, ac ne singula imperii nostri lumina simul percurrendo sim longior, inde, inquam, caeli clarissima pars diui fulserunt Caesares.

Adeo autem magna caritate patriae tenebantur ut arcana II. 1.
consilia patrum conscriptorum multis saeculis nemo senator enuntiauerit. Q. Fabius Maximus tantummodo, et is ipse per inprudentiam, de tertio Punico bello indicendo quod secreto in curia erat actum P. Crasso rus petens domum reuertenti in itinere narrauit, memor eum triennio ante quaestorem factum, ignarus nondum a censoribus in ordinem senatorium adlectum, quo uno modo etiam iis, qui iam honores gesserant, aditus in

---

1. §. 10. *om. Γ.* || superorum *D et pr. A.* || 2. ea imitanda] *in rasura A.* || 3. iuuentutem] *in rasura A.* uirtutem *BCD.* iuuenum uirtutem *E.* || 4. decus] honorem *Torr.* || reddebant *pr. A.* || 5. defunta *pr. A.* || uirium *corr. A, in rasura D, Torr.* || 7. Inde] nostri *D.* || 9. nostri imperii *E.* || 11. Adeo] *praemisit inscriptionem noui capitis*, De magistratuum atque ordinum officiis et institutis, *Torr.* || 12. senator *om. Γ.* || 13. A fabius *C.* || 14. secro *pr. A.* || 15. paulo crasso *E.* || rus *om. B.* || 17. ignarusque *Par. et corr. AD, Torr.* || senatorum *BCE.* || 18. quo — (p. 182, l.) dabatur *om. Γ.* || is *pr. A.* his *BCDE et corr. A, Torr.* || gesserat *A.*

---

tutum suarum, quae mox in lucem erant processurae, ipsi doctores sibimet extiterunt uerecunda illa exercitatione in sustinendis impigre publicis officiis. Cf. II, 6, 12. *Sine ullis doctorum praeceptis.*

10. Cf. Cic. Tusc. I, 2, 3; IIII, 2, 3. id. Brut. 19, 75. Hor. carm. IIII, 15, 25, sqq. Varro ap. Non. p. 76 Merc. Wachsmuth, aelt. gesch. d. röm. st. p. 20 sqq.

iuuentutem) Archetypi codicis mendum *uirtutem* censor libri Bern. emendauit e Paridensi compendio. Iuuentutis commemorationem omnino necessariam confirmat etiam Nepotianus.

defuncta [uiri] cursu) Non sufficerunt quae hucusque prolatae sunt uirorum doctorum coniecturae, *uiridi cursu* Lipsii, *uirili cursu* Torrenii, et multo etiam minus quod a librariis iam temptatum, occupauit editiones fere omnes, *uirium cursu.* Mihi persuasum est Valerium scripsisse *defuncta cursu aetas*, quod antiqui cuiusdam codicis librarius inter lineas aut in margine interpretatus per *uiri.* (debebat autem *senes* scribere.) causa extitit interpolationis. Quaenam sit aetas cursu defuncta facile intellegitur ex iis, quae statim opponuntur, *ingredientes actuosam uitam.*

II, 1. *quo uno modo)* Errasse Valerium, quod hanc condicionem ad omnes aeque magistratus retulisset, cum curules semper etiam ante quam a censoribus in senatum legerentur sententiae dicendae ius habuissent (A. Gell. III,

curiam dabatur. Sed quamuis honestus error Fabii esset, uehementer tamen a consulibus obiurgatus est. Numquam enim taciturnitatem, optimum ac tutissimum administrandarum rerum uinculum, labefactari uolebant.

Ergo, cum Asiae rex Eumenes, amantissimus nostrae urbis, bellum a Perse aduersus populum Romanum conparari senatui nuntiasset, non ante sciri potuit quid aut ille locutus esset aut patres respondissent quam captum Persen cognitum est. Fidum erat et altum rei publicae pectus curia silentique salubritate munitum et uallatum undique, cuius limen intrantes abiecta priuata caritate publicam induebant. Itaque non dicam unum sed neminem audisse crederes quod tam multorum auribus fuerat commissum.

2. Magistratus uero prisci quantopere suam populique Romani maiestatem retinentes se gesserint hinc cognosci potest, quod inter cetera obtinendae grauitatis indicia illud quoque magna cum perseuerantia custodiebant, ne Graecis umquam nisi Latine responsa darent. Quin etiam ipsos linguae uolubilitate, qua plurimum ualent, excussa per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantum nostra sed etiam in Graecia et Asia, quo scilicet Latinae uocis honos per omnes gentes uenerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinae, sed nulla non in re pallium togae subici debere arbitrabantur, indignum esse existimantes inlecebris et suauitati litterarum imperii pondus et auctoritatem donari.

3. Quapropter non es damnandus rustici rigoris crimine, C.

1. curia *ACD.* || 5. amantissimus — urbis *om. Γ.* || 6. populum Romanum] p. *pr. C.* || 7. quid aut] *in rasura A.* || 8. persem *E.* || 9. et altum erat *E.* || cur *a C.* cura *in rasura D.* || silentiique *corr. A.* || munitum et *om. Γ.* || 13. Magistratus — (15.) quoque] Illud quoque magistratus *Γ.* || 16. latina *D.* || 17. etiam] *in rasura A.* || ipsos] *in rasura A.* ipsa *CDEΓ et pr. B, Torr.* || linguae] *in rasura A.* || 18. ualebant *Γ.* || non] nec *Γ.* || 19. urbem tantum nostram *pr. A.* || etiam *om. E.* || 20. honor *Γ.* || 21. Nec — (24.) donari *om. Γ.* || non *om. D.* || 23. estimantes *E.* || suauitate *pr. A.* || 24. domari *D.* || 25. Quapropter — (*p.* 183, 6.) patefecit *om. Γ.* || es *om. pr. C.*

18, 5) copiosissima et doctissima disputatione euincere conatus est et probabile certe reddidit Hofmann, der Röm. senat zur zeit d. republ. p. 39 et sqq.

Ergo, cum Asiae) Cf. Liu. XLII, 14.

2. (Cf. Cic. Verr. IIII, 66, 147.)

ipsos linguae uolubilitate) Ipsa linguae uolubilitate. quod protulerunt archetypus codex et omnes editiones, quid sibi uelit, cum non habeat cui opponatur aut quo referatur ipsa linguae uolubilitas, equidem non intellego. Valerium accusatiuo casu pronomen posuisse docet Paridis epitome, quam secutus sum cum emendatore libri Bernensis.

3. Cf. Sall. Iug. 63; 85, 32. Plut. Mar. 2.

Mari, quia gemina lauru coronatam senectutem tuam, Numidicis et Germanicis inlustrem trophaeis, uictor deuictae gentis facundia politiorem fieri noluisti, credo, ne alienigena ingenii exercitatione patrii ritus serus transfuga existeres. Quis ergo huic consuetudini, qua nunc Graecis actionibus aures curiae exurdantur, ianuam patefecit? Vt opinor Molo rhetor, qui studia M. Ciceronis acuit. Eum namque ante omnes exterarum gentium in senatu sine interprete auditum constat. Quem honorem non inmerito cepit, quoniam summam uim Romanae eloquentiae adiuerat. Conspicuae felicitatis Arpinas *municipium*, siue litterarum gloriosissimum contemptorem siue abundantissimum fontem intueri uelis.

Maxima autem diligentia maiores hunc morem retinuerunt, 4.

---

1. qui *Torr.* || gemino *E.* || lauro *E et corr. BC. Torr. incerta pr. B.* laurea *D.* || 2. tropheis *pr. A.* tropeis *corr. A.* || 3. alienigeni *corr. C.* || 4. ritus] *add.* et linguae *D.* || seruus *ABCDETorr.* || et transfuga *D.* || existeret *ABC et pr. D.* || 5. exundantur *D.* || 6. Molon *Par.* Molonem *Γ.* || rethorem *Γ.* || 7. Eum namque *om. Γ.* || ante omnes] *post* gentium *E.* omnes ante *C.* || in senatu — (8.) constat] sine interprete senatus audiuit *Γ.* || 8. Quem — (12.) uelis *om. Γ.* || 9. adiuuarat *ABD et pr. C. Vid. ad VIII*, 2, 3. || 10. Arpinum *C* (*sed* num *in rasura*). *Torr.* || unicum *ABCDETorr.* || 11. comporem *in rasura A.* || 13. Maxima — retinuerunt] Maxima etiam diligentia curabant *Γ.*

---

lauru) Cf. Seru. ad Aen. X, 689. Charis. I, 110. Reisig. vorles. üb. Lat. spr. ed. Haase p. 123.

serus transfuga) Ridicule sane Kappius retenta librorum scriptura *seruus transfuga* interpretatus est, 'Credo, ne (tu uictor) patrii ritus seruus, (qui diligentissimae mores maiorum obseruare in hac re uoluisti) exercitatione alienigena ingenii (discendo linguam peregrinam) transfuga existeres'; opponi enim a Valerio uictorem et seruum (custodem). Miror uirum doctum non animaduertisse in hoc uerborum ordine ex sua interpretatione Marium propterea quod peregrinam linguam didicerit patrii ritus custodem dici. Et haec omnia post Lipsii egregiam coniecturam *serus transfuga*, probatam Colero et Vorstio nec spretam certe Torrenio, Helfrechto, Hasio. Respondent uu. *serus transfuga* praecedentibus *senectutem tuam — politiorem fieri noluisti*. 'Sprouisti', ait, 'post duplicem uictoriam senex deuictae gentis linguam discere, ne sero ueluti transfugio patrium ritum desereres'.

Molo rhetor) Cf. Cic. Brut. 90, 312. Quint. XII, 6, 7.

Arpinas municipium) Codd. *Arpinas unicum*. In quibus *unicum* locum non habere, siue referas ad Marii Ciceronisque patriam siue ad litteram contemptorem Marium, siue legas *Arpinum* siue *Arpinas*, nam omnia haec temptarunt interpretes, recte perspexit Perizonius. Neque enim Arpinum unicum conspicuae felicitatis esse in hoc nexu referri poterat, ne dicam de eo, quod adiectiui formam *Arpinas*, quam tuentur codices, nemo facile librariorum interpolatione ortam putauerit, neque recte Marius unicus gloriosissimus litterarum contemptor dicitur. Itaque non male Perizonius coniecit scribendum esse *Arpinum municipium* sed multo probabilius Torrenius *Arpinas municipium* ex more Valerii, de quo dixi ad I, 6, ext. 3. Eodem modo Cicero composuit *municipium Tarquiniense* pro A. Caec. 4, 10 et *municipium Lucense* XIII epp. 13. Exciderant in archetypo codice quattuor litterae, quas suppleui.

ne quis se inter consulem et proximum lictorem, quamuis officii causa una progrederetur, interponeret. Filio dumtaxat et ei puero ante patrem consulem ambulandi ius erat. Qui mos adeo pertinaciter retentus est ut Q. Fabius Maximus quinquies consul, uir et iam pridem summae auctoritatis et tunc ultimae senectutis, a filio consule inuitatus ut inter se et lictorem procederet, ne hostium Samnitium turba, ad quorum conloquium descendebant, elideretur, facere id noluerit.

Idem a senatu legatus ad filium consulem Suessam missus, postquam animaduertit eum ad officium suum extra moenia oppidi processisse, indignatus quod ex XI lictoribus nemo se equo descendere iussisset, plenus irae sedere perseuerauit. ***Quod cum filius sensisset, proximo lictori ut sibi appareret imperauit.*** Cuius uoci continuo Fabius obsecutus, 'Non ego', inquit, 'fili, summum imperium tuum contempsi, sed experiri uolui an scires consulem agere. Nec ignoro quid patriae uenerationi debeatur, uerum publica instituta priuata pietate potiora iudico'.

5. Relatis Q. Fabi laudibus offerunt se mirificae constantiae

---

3. Qui — (4.) est ut] unde etiam *Γ*. || 4. est retentus *E*. || 5. et iam] etiam *ABCDEΓ Torr. Correxit Periz.* || 6. consule] *add.* tunc *E*. || litorem incederet *E*. || 7. samnitum *E et corr. C*. || 8. id facere *Torr.* || noluit *BΓ*. || 9. ab senatu *Par.* || consul *pr. B, pr. C, pr. D.* || Suessam] *add.* Pometiam *Par.* || 10. moenia oppidi] oppidum *Γ*. || 11. quod] quoq. *(sic) pr. A.* quoque quod *BCE et corr. D.* || duodecim lictoribus *D.* lictoribus XI *Torr.* || 12. ira *D.* || Quod — (13.) imperauit] *om. ABCD, sed supplentur in marg. horum codd.* Quo filius cognito ut descenderet familiariter admonuit *Γ*. || 13. filius] fieri *E*. || 14. Fabius continuo *Torr.* || filii *E*. || 15. tuum *om. D.* || 16. cons. *(sic) A.* consul *B et pr. CDE.*

---

4. *Idem a senatu)* Cf. Liu. XXIIII, 44. Claudius Quadrigarius ap. A. Gell. II, 2. Plut. Fab. 24. Quae in praecedentibus narrata erant certum est referri debere ad Q. Fabium Maximum Rullianum, quem quintum consulem ultima iam senectute filio Q. Fabio Gurgiti aduersus Samnites bellum gerenti legatum iuisse testantur Liu. epit. libr. XI. Oros. III, 22 et ipse Val. V, 7, 1. Quo magis miror eidem Fabio sequentia adsignari, quae Liuius, Claudius Quadrigarius ap. Gell., Plutarchus (ll. ll.) Q. Fabio Maximo Verrucoso Cunctatori tribuerunt. Errasse Valerium utrumque factum uni Fabio ascribentem Sigonius iam adnotauerat ad fast. a. 461, pluribus exposuit Periz. anim. hist. p. 85, refutato simul Pighii ridiculo more, quo omnium, quae ipse commisit Valerius, culpam contulerit in librarios reiectisque eius coniecturis *Idem praestitit ille Fabius, qui a senatu* et §. 5. *relatis Fabiorum laudibus.*

Quod cum filius) Quae cursiua quam uocant scriptura distinxi exciderant iam in archetypo codice propter similem terminationem uu. *perseuerauit* et *imperauit*, sed in margine libri Bernensis e Paridensi compendio suppleta transierunt in plerosque recentiores codices, diuersa manu ascripta. Notabiliter damnum archetypo illatum ex ingenio reparauit abbreuiator Guelferbyt.

5. Cf. Liu. epit. libr. XII. Dion. Hal. exc. Vat. XVII, 7. Flor. I, 18. Dio Cass. fragm. Vrs. 145 p. 60. ed. Reim, alii.

uiri, qui legati a senatu Tarentum ad res *re*petendas missi, cum grauissimas ibi iniurias accepissent, unus etiam urina respersus esset, in theatrum, ut est consuetudo Graeciae, introducti, legationem quibus acceperant uerbis peregerunt. De his, quae passi erant, questi non sunt, ne quid ultra ac mandatum esset loquerentur, in*sit*usque pectoribus eorum antiqui moris respectus dolore, qui ex contumelia grauissimus sentitur, conuelli non potuit. Finem profecto fruendarum opum, quibus ad inuidiam diu abundaueras, Tarentina ciuitas, quaesisti. Nam dum horridae uirtutis in seipsum conexum stabilimentum nitore fortunae praesentis inflata fastidiose aestimas, in praeualidum imperii nostri mucronem caeca et amens inruisti.

Sed ut a luxu perditis moribus ad seuerissima maiorum 6.
instituta transgrediar, antea senatus adsiduam stationem eo loci peragebat, qui hodieque senaculum appellatur. Nec expectabat ut edicto contraheretur, sed inde citatus protinus in curiam ueniebat, ambiguae laudis ciuem existimans, qui debitis rei publicae officiis non sua sponte sed iussus fungeretur, quia quidquid imperio cogitur exigenti magis quam praestanti acceptum refertur.

Illud quoque memoria repetendum est, quod tribunis plebis 7.
intrare curiam non licebat, ante ualuas autem positis subselliis decreta patrum attentissima cura examinabant, ut, si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent. Itaque ueteribus senatus consultis T littera subscribi solebat, eaque nota significabatur

---

1. petendas *ABDEΓ et pr. C.* || 5. quaesti *pr. A.* || ac] quam *D.* || eloquerentur *Par. et corr. A.* || 6. insitusque — (12.) inruisti *om. Γ.* || intusque *ABCE.* iustus e *D. Correxit Pigh. e codd. Camp. et Gemblac.* || 8. inuidiam] *add.* usque *margo A.* || 10. connexum *(A).* conuexum *BE.* || 13. Sed — (14.) transgrediar *om. Γ.* || 14. senatus antea *Γ.* || loco *D.* || 15. peragebant *A.* || hodieque] hodie *DE et corr. C.* || senatulum *E.* || 16. attraheretur *in rasura B.* || 18. fungeretur] *in rasura A.* || quicquid *corr. A.* || 21. Illud — tribunis] Tribunis etiam *Γ.* || tribunis plebis] t. r. p. l. *A.* tri. ple. *in rasura C.* tribunis plebeis *D.* || 24. senatus consultis T] s. c. c. *in rasura A.* S. C. *Γ. om. pr. D.* || 25. significabantur *C.*

---

ad res repetendas) Praepositio *re* propter praecedens *res* in archetypo excidisse uidetur. Sollemnis in legationibus formula, qua res repeti dicuntur, satis nota est. Cf. Varro de ling. Lat. IIII, 15. Cic. de off. I, 11, 36; id. pro Sest. 26, 57. Plin. h. n. XXII, 2, 3. In Liu. I, 32, 5 ex optimo cod. Florent. idem mendum enotatum est.

6. *senaculum)* Cf. Varro de ling. Lat. IIII, 32.

7. Cf. Zonar. VII, 15. Hofmann. d. Röm. senat z. zeit d. rep. p. 109 sqq.

senatus consultis T littera) Eorum, quae in cod. Petri Danielis leguntur, *ueteribus s. c. c. littera* tres notae *s. c. c.*, recentiore manu scriptae, arcessitae

illa tribunos quoque censuisse. Qui quamuis pro commodis plebis excubabant inque imperiis compescendis occupati erant, instrui tamen ea argenteis uasis et anulis aureis publice praebitis patiebantur, quo talium rerum usu auctoritas magistratuum esset ornatior.

8. Quorum quemadmodum maiestas amplificabatur, ita abstinentia artissime constringebatur. Immolatarum enim ab his hostiarum exta ad quaestores aerarii delata ueniebant, sacrificiisque populi Romani cum deorum immortalium cultus tum etiam hominum continentia inerat, inperatoribus nostris quam sanctas manus habere deberent apud ista altaria discentibus, continentiaeque tantum tribuebatur ut multorum aes alienum, quia prouincias sincere administrauerant, a senatu persolutum sit. Nam quorum opera publicam auctoritatem splendorem suum procul obtinuisse uiderant, eorum dignitatem domi conlabi indignum sibique deforme esse arbitrabantur.

9. Equestris uero ordinis iuuentus omnibus annis bis urbem

---

1. Qui — (5.) ornatior *om. Γ.* || 2. capescendis *(litt.* ca *in rasura) A.* || Instrui *(litt.* I *in rasura) A.* frui *D.* || 3. aureis anulis *B.* || 4. quod *ABCDE.* || 5. honoratior *Periz. ex cod. Copes.* || 6. Quorum — (11.) discentibus *om. Γ.* || 7. constringebantur *Par.* || 8. aerarios *Par.* || 9. populi Romani] patrum *E.* || cum] tum *BCDETorr.* || tam *pr. C.* || 11. dessendentibus *E.* || 12. continentiaeque] Continentiae *Γ.* Continentiae uero *Torr. Vt nos iam Kapp.* || tantum] *add.* apud ueteres *Γ.* || multis *D.* || 13. sincere prouincias *E.* || 14. publica auctoritate *DΓ et pr. A.* publica * auctoritatem *C.* || 15. domi *om. Γ.* || 17. §. 9. *om. Γ.*

---

sunt e Paridis epitome, cum antea in eo libro *s. c. t.* fuisse necessario colligatur e reliquorum codd. consensu. Miror A. Maium in praef. p. XXII illud *C*, quod significet CENSVISSE ita tribunos, praeferre litterae *T*, quae sit, TRIBVNOS quoque ita censuisse. Quis enim non uidet id ipsum potissimum fuisse denotandum? Ceterum equidem nec in Paridensi compendio auctoris sed librariorum agnosco errorem, quo uel in antiquissimis codicibus uix alius frequentior est.

8. *cum deorum)* In uulgatis Valerii exemplis satis frequenter hucusque apparebant particulae *tum — tum* in ea uerborum aut sententiarum disiunctione, quae saepius per *et — et* instituitur. Sed si accuratius codices mss. examinaueris, meliores constanter priore loco *cum* exhibere inueneris, ita ut Valerianorum codicum testimoniis insigniter confirmentur Stürenburgii (ad Cic. pr. Arch. 31. p. 164) et Maduigii (ad Cic. de fin. I, 10, 34 p. 75, gramm. §. 454 not. 3) disputationes, quibus *cum — tum* docuerunt respondere nostro *sowohl — als auch, tum — tum* idem ualere atque *modo — modo*. Reuocani igitur iubentibus aut omnibus meis aut melioribus libris *cum — tum* hoc loco, item IIII, 8, ext. 2. *(cum urbanis — tum etiam rusticis)*. V, 1, 10. V, 9, 1. IX, 1, 8. IX, 11, init. IX, 15, init. Cf. praeterea V, 1, 1. V, 2, 10. V, 3, 3. V, 8, 3. V, 9, 1. cett. Vno tantum loco, IIII, 8, ext. 2, omnes codices in eodem notionum nexu *tum Acragantina ciuitas tum etiam uicinae regiones* exhibent, quae ad reliquorum uulgarem normam reuocare non dubitaui.

spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrabat. Lupercalium enim mos a Romulo et Remo inchoatus est tunc, cum laetitia exultantes, quod his auus Numitor, rex Albanorum, eo loco, ubi educati erant, urbem condere permiserat sub monte Palatino, [hortatu Faustuli educatoris sui,] quem Euander Arcas consecrauerat, facto sacrificio caesisque capris epularum hilaritate ac uino largiore prouecti, diuisa pastorali turba, cincti obuios

1. celebrabat] *add.* die Lupercalium et equitum probatione *Torr. et in margg. ACDE.* || 3. Albanorum] *ante* rex *E.* alborum norum *B.* || 5. hortatu — sui] *sine uncis Torr.* || horatu faustoli *E.* || argis *ABCDE.* Argiuus *Torr.* || 6. facto] *add.* enim *E.* || 7. obuios] *post* iocantes *Torr.* ouinis *DE et in rasura A.* o*ui**s *C.*

celebrabat) Quae hanc uocem sequebantur in prioribus editionibus, *die Lupercalium et equitum probatione*, cum praecedentibus compendium formant, quo Paris in epitoma perquam breuiter reddidit totum hoc exemplum usque ad uu. *transuehi instituit*, atque ex illa epitoma ab emendatore libri Bern. in margine ascripta, paulatim propagata sunt in recentiores libros, in quibus tamen item margines plerumque occuparunt. Non immerito igitur Torrenio iam remouenda uidebantur. Equidem Paridis uerba e Valerianorum serie omnino eieci.

Lupercalium enim mos) Cf. Varro de ling. Lat. VI, 13, 34. id. de uit. pop. Rom. ap. Non. p. 115, 20. Liu. I, 5. Dion. Hal. I, 80, sqq. Ouid. fast. II, 267, sqq. Plut. Rom. 21. id. quaest. Rom. 68. Seru. ad Aen. VIII, 343 et 663. Paul. diac. u. Februarius p. 85 Müller. Auctor de orig. gent. Rom. 22.

[hortatu — sui]) Verba uncis inclusa, ut nunc quidem leguntur, quamuis omnibus confirmentur codicibus, Valerii esse non possunt. Praeterquam enim quod intolerabili prorsus modo interrumpunt nexum inter montis Palatini nomen et relatiuum ab eo pendens, quod in hoc uerborum ordine referendum est ad Faustulum, si grammaticam admiseris rationem, necessario ita intelleguntur, tamquam Faustulus Numitoris fuerit educator, einsque monitu rex nepotibus condendae urbis ueniam concesserit. Quam ob rem I. F. Gronouius (IIII obseruu. 18) Faustulum potius instituendi sacrificii suasorem fuisse ordinemque uerborum ita inuertendum esse coniecit, *sub monte Palatino, quem Euander — consecrauerat, hortatu Faustuli educatoris sui facto sacrificio.* Sed cum reputaueris neque alium quemquam ueterum scriptorum in referenda sacrorum illorum institutione Faustulum commemorasse neque eius mentionem ullius momenti esse ad eam rem, de qua agatur, demonstrandam, Lupercalia sub magnis auctoribus celebrari, non temeraria uidetur Torrenii suspicio haec uerba, quae ne Nepotianus quidem agnouit, glossatoris cuiusdam interpolationi tribuentis. Cui equidem accedo. Ceterum Valerius ab Aelio Tuberone (apud Dion. Hal.), Liuio, aliis in eo discrepat, quod illi Lupercalia iam ab Euandro fuisse instituta eosque ludos celebrantem Remum captum et regi Amulio traditum esse retulerunt. Cum Valerio contra fecisse uidetur Butas elegiarum scriptor apud Plut. l. c.

Euander Arcas) In edd. hucusque legebatur *Euander Argiuus*, quod neque librorum neque historiae auctoritate munitum est; nam Argiuus non erat Euander, nisi Argiuos omnes Graecos dici existimaueris, quod poetarum quidem est, non eorum qui historiam componunt. Recte haud dubie Gronouius archetypi uitium *ARGIS* emendauit scribendo *Arcas*. Ex Arcadia uenisse Euandrum notissimum est.

cincti † obuios pellibus immolat. — petierunt) Hanc bonorum librorum scripturam esse ostendunt codd. Vindob. et Berolin. *C*, e quorum consensu colligimus etiam in cod. Bernensi olim ita exaratum fuisse. Emendatoris Bernensis coniecturae *ouinis* et *gestierunt* quam peruersae sint eo apparet, quod

pellibus immolatarum hostiarum, iocantes petiuerunt. Cuius hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur. Trabeatos uero equites idibus Iuliis Q. Fabius transuehi instituit. Idem censor cum P. Decio seditionis finiendae gratia, quam comitia in humillimi cuiusque potestatem redacta accenderant, omnem forensem turbam in quattuor tantummodo tribus descripsit, easque urbanas appellauit. Quo tam salubri facto uir alioquin bellicis operibus excellens Maximus cognominatus est.

III. Laudanda etiam populi uerecundia est, qui impigre se laboribus et periculis militiae offerendo dabat operam ne inperatoribus capite censos sacramento rogare esset necesse, quorum nimia inopia suspecta erat, ideoque his publica arma non com-
1. mittebant. Sed hanc diutina usurpatione formatam consuetudinem C. Marius capite censum legendo militem abrupit, ciuis alioqui magnificus sed nouitatis suae conscientia uetustati non sane propitius, memorque, si militaris ignauia humilitatem spernere perseueraret, se a maligno uirtutum interprete uelut capite

1. pedibus *pr. B.* || hostiaru *A.* || iocantes *in rasura A.* || petiuerunt] gestierunt *in rasura A.* inctiuerunt (?) *D.* || 2. repetetur *C.* || 3. iul, *(sic) A.* iul' *B.* iulli *CDE.* || 4. dedicionis *pr. D.* || quia *ABCDE. Vt nos Par.* || 5. accendebant *Par.* || 7. alioqui in *A.* alioqui *(B) Torr.* || 8. operibus] rebus *E.* || 9. Laudanda] *inscriptionem praemittit* De militaribus institutis *Torr. Totum hoc cap. III om. F.* || impingere *E.* || 12. committebat *D.* committebantur *Torr.* || 13. firmatam *corr. A, Torr.* || 15. alioquin *BE.* || 17. perseuerarent *pr. A.*

non ouium sed caprarum pellibus indutos fuisse Lupercos diserte ipse testatur Valerius, et quod Nepotianus eandem rem iisdem fere uerbis refert, *Tum largiore uino usi indutique caprarum pellibus, quas immolauerant, iocantes cum pastoribus in obuios irruerunt.* Iam si probum est illud *obuios* falso tamen loco nunc cómparet nec male in editionibus transpositum est post *iocantes.* Sed fortasse etiam, ut Torrenius suspicabatur, sola uu. *cinoti* et *obuios* sedem permutare debent. Res ualde incerta est.

Trabeatos uero equites) Cf. Liu. IX, 46, 15. Dion. Hal. VI, 13. Plin. n. h. XV, 4, 5. Auct. de uir. ill. 32.

Idem censor) Cf. Liu. IX, 46, 14.

1. Cf. Sall. Iug. 86. Plut. Mar. 9. A. Gell. XVI, 10, 14. Flor. III, 1, 12.

formatam consuetudinem) Eodem modo Cic. I acad. 5, 20 composuit *consuetudinem, quam partim exercitationis assiduitate, partim ratione formabant.* Quapropter h. l. librorum scripturam reuocaui, cum antea ederetur *firmatam.*

militaris ignauia) Sententia, quam Torrenius melius perspexisse uidetur quam exposuit, procul dubio haec est, metuisse Marium ne ignaui milites, qui propter istam ignauiam inuiderent excellentibus imperatoris uirtutibus, obtrectandi causa ipsi obicerent humilitatem, si omnino homines in spernenda humilis sortis militia perseuerarent. In quibus exprimendis cum negligentius enunciati a condicione pendentis subiectum *(militaris ignauia)* ad ipsam condicionem transferret, illud subiectum quidem includentem sed generaliter potius efferendam, minus concinnam effecit orationem. Quam inconcinnitatem parum ueri similiter Lipsius librariis imputauit, a quibus *militaris ignauia* pro *militaria signa* interpolatum esse coniecit.

censum imperatorem conpellari posse. Itaque fastidiosum delectus genus in exercitibus Romanis oblitterandum duxit, ne talis notae contagio ad ipsius quoque gloriae subgillationem penetraret.

Armorum tractandorum meditatio a P. Rutilio consule, Cn. 2.
Mallî collega, militibus est tradita. Is enim nullius ante se imperatoris exemplum secutus ex ludo C. Aurelî Scauri doctoribus gladiatorum arcessitis uitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationem legibus ingenerauit, uirtutemque arti et rursus artem uirtuti miscuit, ut illa impetu huius fortior, haec illius scientia cautior fieret.

Velitum usus eo bello primum repertus est, quo Capuam 3.
Fuluius Flaccus inperator obsedit. Nam cum equitatui Campanorum crebris excursionibus equites nostri, quia numero pauciores erant, resistere non possent, Q. Nauius centurio e peditibus lectos expediti corporis breuibus et incuruis septenis ar-

1. dilectus *B.* || 2. tali *D.* || 5. medicatio *D.* || Cn.] c *corr. D.* || 6. malii *D et pr. C.* may *corr. C.* manlio *corr. A; Par.* || 7. Cn. Aurelii *Torr.* || 8. accersitis *DE.* || iactus *Par.* || 9. legionibus *praetulit Vorst.* || 12. uellitium *pr. A.* uelocium *B.* uelit a um *C.* uelicium *D.* || 14. excursationibus *ABCDE Torr.* || 15. naeuius *BCDE Torr.* || 16. septenos *D et pr. A.*

2. *C. Aurelî)* Ita omnes codd. et edd. ante Pighium, apud quem operarum errore irrepsisse uidetur *Cn. Aurelius*, cum in annal. ad a. 648 et ipse Pighius ex hoc loco citauerit Gaium Aurelium, hominem aliunde, quod equidem sciam, non notum. Mansit tamen Gnaci praenomen in omnibus post Pighium exemplis.

3. Cf. Liu. XXVI, 4. Front. strat. IIII, 7, 29.

excursionibus) Libri mss. et edd. omnes *excursationibus*, quod nego umquam Latine dictum esse. Ab antiquiorum temporum scriptoribus certe non magis adhibitum est quam excursandi uerbum, a quo deriuanda esset excursatio. Nam apud Liuium quoque XXXVII, 18, 4, ubi plerique codd. *excursatione* habere dicuntur, optimum omnium Bambergense exemplar *excursione* praebet, quocum eadem forma multis aliis locis consentit. Cf. XXXVII, 14, 3. ibid. 18, 9. XXX, 8, 4. ibid. 11, 6. XXXII, 10, 9. Confirmat emendationem nostram Iul. Paris h. quoque l. exhibens *excursionibus*.

Q. Nauius) Ita ille centurio non solum in codice Bern. appellatur uerum etiam in codd. Liuianis et in Paridensi compendio. At paulo post et ipse liber Danielinus *auctori eius naeuio* exhibet, usitatius Romanis nomen, quod causam praebuisse uidetur cur reliquorum codd. librarii priore quoque loco diphthongum restituerent, quam, siquidem fides habenda est exemplis, Frontinus quoque posuit. Vtique quod nos edidimus meliorum certiorumque testium nititur auctoritate.

breuibus et incuruis) Lipsius mendosum putabat u. *incuruis*, quoniam incuruis hastis nullus usus, cumque pro eo in uetere cod. inueniret *inturmis*, coniecit scribendum esse *infirmis*, ut significaretur hastile tenue, τῷ μὲν πάχει, ut ait Polyb. VI, 22, δακτυλιαῖον. Ne ego quidem dubito quin non incuruae sed rectissimae fuerint hastilia. Scripturam uero codicum meorum, cum eandem tradiderit Paris, nihilo minus sinceram puto interpretorque de ferro, quod uncis et hamis in sese retortis instructum, incuruum quodam modo dici potuisse ipse

matos hastis, paruo tegumine munitos, ueloci saltu iungere se equitantibus et rursus celeri motu delabi instituit, quo facilius equestri proelio subiecti pedites uiros pariter atque equos hostium telis incesserent, eaque nouitas pugnae unicum Campanae perfidiae debilitauit auxilium, ideoque auctori eius Nauio honos a duce est habitus.

IIII. 1. Proximus militaribus institutis ad urbana castra, id est theatra, gradus faciendus est, quoniam haec quoque saepenumero animosas acies instruxerunt, excogitataque cultus deorum et hominum delectationis causa non sine aliquo pacis rubore uoluptatem et religionem ciuili sanguine scenicorum portentorum gratia macularunt.

2. Quae inchoata quidem sunt a Messala et Cassio censoribus. Ceterum auctore P. Scipione Nasica omnem apparatum operis eorum subiectum hastae uenire placuit. Atque etiam senatus consulto cautum est ne quis in urbe propiusue passus mille subsellia posuisse sedensue ludos spectare uellet, ut scilicet re-

1. tegimine *BCD et corr. A.* tegmine *E Par. Torr.* || 2. dilabi *ABCDE. Vt nos Par.* || 5. maeuio *ABCDETorr.* || a duce] adhuc *ABCE et ante* honos *DTorr.* || 7. §. 1. *om. Γ.* || 13. Quae — (16.) cautum est] Cautum est etiam s. c. *Γ.* || 15. etiam] *add.* eodem *E.* || 16. propius *(omisso* ue*) BCPar.* propius seu *in rasura D.* || passos *A.* || 17. sedensne *D.* || uelle *B.*

Lipsius concessit. Minus accurate sane hanc curui notionem ad totam hastam transtulit. Expressit autem Liuii uerba *praefixa ferro, quale hastis uelitaribus inest.*

paruo tegumine) Velitum parmas his uerbis denotari, quae, quo expeditiores essent leuis armaturae milites, multo minores erant quam legionariorum scuta, perspicuum erat Romanis lectoribus, praesertim cum tegminis uocabulum non semel eo significatu et in primis a poetis adhibitum sit. Cf. Lucret. III, 649. Val. Flacc. VI, 53 et 349, al. Itaque non necessaria erat Lipsii emendatio *parmae tegmine;* uulgata scriptura Paridensi quoque compendio stabilitur. Ceterum quod e codice Bern. edidimus *tegumine,* non habeo nunc aliud exemplum retentae in casibus obliquis litterae *u.* Atque etiam Tacitus, qui I hist. 79 scripsit *tegimen,* illud *i* in his casibus reiecit, ut animaduertit Waltherus. Neque tamen ideo sollicitanda mihi uidebatur praestantissimi illius libri auctoritas.

honos a duce) Libri omnes et edd. *honos adhuc est habitus.* Sed quinam fuerit honos Valerii aetate Nauio habitus aut cur honos ei usque ad illa tempora habitus esse, non etiam tum haberi dicatur nescio. Sine dubio rectum perspexerunt Lipsius et Perizonius, pro *adhuc* scribendum esse *a duce,* iisque uerbis Valerium reddidisse Liuii sententiam, *auctorem — Q. Nauium ferunt, honorique id ei apud imperatorem fuisse.*

IIII, 2. Cf. Liu. epit. libr. XLVIII. Vell. I, 15, 3. Tac. ann. XIIII, 20. App. ciu. I, 28. Oros. IIII, 21. August. de ciu. dei I, 31. Tertull. de spect. 10. Ritschl Parerg. I, pp. XVIII et 214.

ut scilicet remissioni et q. sqq.) Haec uerba, quem ad modum nunc leguntur in libris mss. manca sunt. Sententiam quidem bene restituit Perizonius scribendo *remissione* uel *in remissione.* Sed Paridense huius exempli compen-

missioni animorum * standi uirilitas propria Romanae gentis nota esset.

Per quingentos autem et quinquaginta octo annos senatus 3.
populo mixtus spectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem Atilius Serranus et L. Scribonius aediles ludos matri deum facientes, posterioris Africani sententiam secuti, discretis senatus et populi locis soluerunt, eaque res auertit uulgi animum et fauorem Scipionis magnopere quassauit.

Nunc causam instituendorum ludorum ab origine sua repe- 4.
tam. C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone consulibus intoleranda uis ortae pestilentiae ciuitatem nostram a bellicis operibus reuocatam domestici atque intestini mali cura adfixerat, iamque plus in exquisito et nouo cultu religionis quam in ullo humano consilio positum opis uidebatur. Itaque placandi caelestis nu-

1. animorum] *add.* iuncta *corr. A. Torr.* || 3. §. 3. *om. Γ.* || et *om. corr. A.* || octo] et octo *CDE et pr. A et post* annos *B.* DLVIIII annos *Par.* || 5. seramus *E.* || 6. posterioris] superioris *Torr.* || 9. Nunc — repetam] Ludorum autem instituendorum causa haec fuit *Γ. Sed haec et seqq. usque ad* (p. 192, 11.) histrionis inditum est *transposita sunt post uu.* (*p.* 192, 15.) tacitus peregit. || 10. C. Sulpicio] sulpitio *pr. A.* C. sulpitio *corr. A.* || betico *ABCDEΓTorr. Vt nos Par.* || C. Licinio] licinio *pr. A.* l. licinio *corr. A. Par.* c. lucinio *E.* || scolone *CE.* || 11. bellicosis *ABCDETorr.* || 13. in ullo] nullo *C.* || 14. operis *D.*

dium ostendit defectu potius unius uocabuli hunc locum corruptum esse, quod assumpta illa epitoma non male suppleuit emendator libri Bernensis. Verba enim compendii sunt, *ut scilicet remissioni animorum standi uirilitas coniungeretur.*

3. Cf. Liu. XXXIIII, 54. Auct. de har. resp. 12, 24. Ascon. in Cornel. p. 69 Orell.

posterioris Africani) Immo superioris, ut praeter temporum rationem testantur Liuius, auctor de har. resp., Ascon. in Cornel. ll. cc. et ipse Valerius IIII, 5, 1, ubi collegam huius Africani Ti. Longum, cons. a. u. c. 560, commemorat. De scripturae autem ueritate, cum item *posterioris* exhibeat Paridis epitome, dubitari iam non licebit. Quapropter melius intactum reliquissent editores ipsius auctoris errorem. Est enim haec Valeriana illa in permiscendis eiusdem nominis hominibus leuitas, quam castigaui in praef. p. 30. Praeterea in eo quoque Valerius a Liuio discrepat, quod hic non Megalensibus sed Romanis ludis primum loca senatoria a populo secreta esse narrat, Valerium Antiatem secutus, ut liquet ex Asconii l. c. Sed cum Valerio Maximo facere uidetur auct. de har. resp.

4. Cf. Liu. VII, 2. Plut. quaest. Rom. 107. Oros. III, 4.

C. Sulpicio Petico) Ita olim ediderat Pigh., quam scripturam confirmant lapides Capitolini (Grut. inscr. p. 209.), optimi Liuianorum codicum (VII, 2, 1 et 18, 2.), Paridis cod. Vat. Male igitur Colerus reuocauit librorum *Betico*, quod ortum est ex mala pronunciatione.

a bellicis operibus) Codd. *bellicosis*, quod adiectivum cum referatur tantum ad animum pronum ad bella gerenda bellicaque virtute excellentem, hoc loco cum operibus non videtur posse coniungi. Et sane alibi Valerius opera bellica dixit, II, 2, 9 *bellicis operibus excellens*, IX, 3, 2 *bellicis operibus adsuetus*, et res bellicas II, 7, 6. III, 6, 4. Probo igitur cum Pighio emendationem codicis Cauchiani, i. e. Guelferb. mei abbreuiati.

minis gratia conpositis carminibus uacuas aures praebuit, ad id tempus circensi spectaculo contenta, quod primus Romulus raptis uirginibus Sabinis Consualium nomine celebrauit. Verum, ut est mos hominum paruula initia pertinaci studio prosequendi, uenerabilibus erga deos uerbis iuuentus rudi atque inconposito motu corporum iocabunda gestus adiecit, eaque res ludium ex Etruria arcessendi causam dedit. Cuius decora pernicitas uetusto ex more Curetum Lydorumque, a quibus Tusci originem traxerunt, nouitate grata Romanorum oculos permulsit, et quia ludius apud eos hister appellabatur, scenico nomen histrionis inditum est. Paulatim deinde ludicra ars ad saturarum modos perrepsit, a quibus primus omnium poeta Liuius ad fabularum argumenta spectantium animos transtulit, isque sui operis actor, cum saepius a populo reuocatus uocem obtudisset, adhibito pueri ac tibicinis concentu gesticulationem tacitus peregit. Atellani autem ab Oscis acciti sunt. Quod genus delectationis Italica seueritate temperatum ideoque uacuum nota est. Nam neque tribu mouetur nec a militaribus stipendiis repellitur.

5. Et quia ceteri ludi ipsis appellationibus unde trahantur apparet, non absurdum uidetur saecularibus initium suum, cuius generis minus trita notitia est, reddere. Cum ingenti pestilentia

1. praebuit aures *E.* || ad] usque ad *Γ.* || 2. id *om. B.* || quod — (3.) celebrauit *om. Γ.* || 3. consulium *B.* || 4. consequendi *E.* || 6. gestus iocabunda *B.* || 7. Etruscia *E.* || arcersendi *A.* accersendi *BDE.* || dedit] praebuit *Torr.* || pertinacitas *ADΓ.* || 8. cumretum *pr. A.* || trusci *E.* Hetrusci *Torr.* || 9. grata nouitate *Γ.* || 10. hister] histrio *ABCDEΓTorr.* || schenico *A.* || 11. strionis *A.* || indictum *DE.* || Paulatim — (12.) a quibus *om. Γ.* || satirarum *CDE et corr. B.* satyrarum *Torr.* || 12. perrexit *E.* || 13. spectantium] *add.* oculos et *margo D.* || usque *D.* || 14. auctor *CEΓ.* || optudisset *corr. A.* obtundisset *B.* || 15. ac] et *Torr.* || tibicines *pr. A.* tubicinis *E.* || 16. Atellani — (18.) repellitur *om. Γ.* || Attellani *(A.)* || ab *om. D.* || 18. a tribu *E.* || nec] neque *Torr.* || 20. §. 5. *om. Γ.* || 22. trita] certa *D.* || notitia] *ante* minus *B.*

hister appellabatur) Certissimam sequi non dubitaui Pighii coniecturam, pro librorum *histrio* scribendum esse *hister*, quod meliores codd. Liuii, quem Valerius excerpsit, seruarunt, cum neque uerum sit ludiones apud Etruscos uocatos esse histriones, neque ferri possit inepta locutio, quae efficitur, si utroque loco histrionis nomen retineas; anne potius in hac sententia Valerio scribendum fuisset *scenico idem nomen inditum est?* Cf. praeterea Plut. l. c., qui principem Etruscorum ludionum Histrum appellatum et inde omnes histrionum nomen traxisse refert. Occupauit nostros libros eadem corruptela, quae aliquot Liuianos VII, 2, 6, cum librarii notum et usitatum Latinum uocabulum non intellecto alieno substituerent.

5. Cf. Fest. u. saeculares p. 329. Paul. diac. p. 350 ed. Müller. Zosim. II, 1—3.

urbs agrique uastarentur, Valesius, uir locuples rusticae uitae, duobus filiis et filia ad desperationem usque medicorum laborantibus aquam calidam iis a foco petens, genibus nixus lares familiares ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent orauit. Orta deinde uox est, habiturum eos saluos, si continuo flumine Tiberi deuectos Tarentum portasset ibique ex Ditis patris et Proserpinae ara petita aqua recreasset. Eo praedicto magnopere confusus, quod et longa et periculosa nauigatio imperabatur, spe tamen dubia praesentem metum uincente, puer os ad ripam Tiberis protinus detulit, habitabat enim in uilla sua propter uicum Sabinae regionis Eretum, ac lintre Ostiam petens nocte concubia ad Martium campum appulit, sitientibusque aegris succurrere cupiens, igne in nauigio non suppetente ex gubernatore cognoscit haud procul apparere fumum, et ab eo iussus egredi Tarentum, id nomen ei loco est, cupide adrepto calice aquam flumine haustam eo, unde fumus erat obortus, iam laetior pertulit, diuinitus dati remedii quasi uestigia quaedam in propinquo nactum se existimans, inque solo magis fumante quam ullas ignis habente reliquias, dum tenacius omen adprehendit, contractis leuibus et quae fors obtulerat nutrimen-

1. uitae] uitaeque plebleae *D.* || 2. filiam *A.* || 3. is *pr. A.* eis *corr. A. Par.* || inixus *corr. D.* || 4. familiares] deos *D.* || 6. Tiberis *D.* || portassent *pr. A.* deportasset *Torr.* || 7. aqua] calda *Torr.* || 8. quod] quia *E.* || 9. spem tamen dubiam praesente metu *BC et pr. DE.* || 11. prope *DE, corr. C, in rasura B.* || uicinum *D.* || fretum *ABCDE.* || ac *om. pr. D.* || luntre *pr. A.* lintra *D.* || hostiam *E.* || 14. cognouit *Par.* || 15. Terentum *Torr.* || nomen] *post* loco *Torr.* || loco est ei *B.* || adrepta *A.* abrepto *B.* || 19. omne *E.* || 20. sors *BD et corr. C.*

Eretum) Ita Pighius e cod. Atrebatensi mendosam librorum scripturam *fretum* correxit. Sed ante eum iam Aldus, Gryphii, alii ediderant *Heretum.* Meminerunt Ereti Liu. III, 26, 2 et XXVI, 11, 10, quibus locis codices eadem qua nostri uitiati sunt corruptela, III, 29, 7. XXVI, 23, 5. Verg. Aen. VII, 711. Seru. ad. h. l. Dion. Hal. III, 32 et XI, 3. Itiner. Anton. p. 306. Situm erat teste Strabone V, 3, 2. p. 350 in uia Salaria, ubi Nomentana incidebat, non procul a Tiberi flumine.

egredi Tarentum) Edebatur uulgo inuitis libris *Terentum.* Sed recte Merkel ad Ou. fast. p. CXLVI animaduertit ipsam rem enarratam flagitare ut idem h. l. oppidi nomen ponatur atque antea, i. e. Tarentum, quod omnium codicum et Paridis summo consensu firmari tunc quidem scire non poterat uir doctus, eamque formam iuxta alteram *(Terentum)* fuisse in usu cum ex hoc Valerii loco, tum ex aliis scriptoribus luculenter demonstrauit G. Becker antiq. Rom. I, p. 628, quamuis de codd. mss. saepius parum accurate retulit. Certo scriptura *Tarentum* constat ap. Liu. epit. lib. XLIX, Zosim. l. c. (*τῷ κατὰ τὴν ἄκραν Ἰαπυγίαν ὁμώνυμον Τάραντι.*), Censor. de d. n. 17, 8, p. 45. Iahn., Ou. fast. I, 501, ubi in melioribus libris recentiore demum manu factum est *Terentum* Mart. epigrr. I, 69; IIII, 1, 8; X, 63, 3. Idem nomen latet ap. Stat. silu. IIII, 1, 38 in mendo librorum *in ara parentis.*

tis pertinaci spiritu flammam euomuit, calefactamque aquam pueris bibendam dedit. Qua potata salutari quiete sopiti, diutina ui morbi repente sunt liberati, patrique indicauerunt uidisse se in somnis a nescio quo deorum spongea corpora sua pertergeri et praecipi ut ad Ditis patris et Proserpinae aram, a qua potio ipsis fuerat adlata, furuae hostiae immolarentur lectisterniaque *ac* ludi nocturni fierent. Is, quod eo loci nullam aram uiderat, desiderari credens ut a se constitueretur, aram empturus in urbem perrexit, relictis qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent. Hi domini imperium exequentes, cum ad XX pedum altitudinem humo egesta peruenissent, animaduerterunt aram Diti patri Proserpinaeque inscriptam. Hoc postquam Valesius nuntiante seruo accepit, omisso emendae arae proposito hostias nigras, quae antiquitus furuae dicebantur, Tarenti immolauit, ludosque et lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculo liberati erant, fecit.

Cuius exemplum Valerius Publicola, qui primus consul fuit, studio succurrendi ciuibus secutus apud eandem aram publice nuncupatis uotis caesisque atris bubus, Diti maribus, feminis Proserpinae, lectisternioque ac ludis trinoctio factis aram terra, ut ante fuerat, obruit.

6. Religionem ludorum crescentibus opibus secuta lautitia est.

---

2. dedit] praebuit *D.* || pota *corr. A, Par.* || 4. somniis *E.* || a] *om. D.* *post* nescio *Torr.* || quos *corr. D.* || spongia *DE Torr. Cf. VIII*, 11, *ext.* 7. || sua corpora *Torr.* || pertergi *E et corr. CD, Torr.* || 5. fuerat potio ipsis *CE Torr.* || 6. fuluae *C.* furnae *D.* purae *Par.* || sellisternia *Par.* || 7. ac] *om. ABC.* et *E. Vt nos Par.* || 8. construeretur *Torr.* || 9. constituendorum *om. E.* || gratia *om. D.* || 12. proserpinae quem *pr. A.* || haec *E.* || 13. obmisso *E.* || 14. antiquis *E.* || fuluae *C.* furnae *D.* || 15. Terenti *Torr.* || 17. Poplicola *Par.? Torr.* || 19. bobus *D et corr. C.* || 22. §. 6. *om. Γ.* || secuta] *in rasura A.* || laetitia *BDE, pr. C, in rasura A. Cf. II*, 6, 1.

---

flammam euomuit) Dicuntur interdum translata significatione euomi res, quae ab ipso uerbi subiecto exeunt atque emittuntur, ut ignes Vesuuio, ira, acerbitas, oratio ore alicuius; flammas, quae ex ignis nutrimentis flando excitantur, pertinaci spiritu ab aliquo euomitas esse, id ne Valerium quidem, nimium sane in hoc translationum genere sibi indulgentem, dicere ausum esse crediderim. Itaque in promptu erat transpositis litteris, quem ad modum fecerat Pighius, emendare *emouit*. At merito iam Torrenius dubitauit anne hoc quoque uerbum magis loco mouere et expellere quam producere et excitare significaret. Equidem exempla, quae illam comprobarent notionem, inueni nulla. Placuit igitur in primis quod idem Torrenius leni admodum mutatione effecit, *euocauit*; adeo certum ut reciperem non est uisum. Quare malui intactam retinere librorum scripturam.

Cuius exemplum) Cf. Plut. Publ. 21. Cens. de die nat. 17, 10. Zosim. II, 4.

Eius instinctu Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam primus spectantium consessum uelorum umbraculis texit. Cn. Pompeius ante omnes aquae per semitas decursu aestiuum minuit feruorem. Claudius Pulcher scenam uarietate colorum adumbrauit, uacuis ante pictura tabulis extentam. Quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Q. Catulus praetexuit, uersatilem fecerunt Luculli, argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornauit. Translatum, antea poenicis indutum tunicis, M. Scaurus exquisito genere uestis cultum induxit.

Nam gladiatorium munus primum Romae datum in foro 7. boario App. Claudio, Q. Fuluio consulibus. Dederunt Marcus et Decimus filii Bruti Perae funebri memoria patris cineres honorando. Athletarum certamen a M. Scauri tractum est munificentia.

---

1. Q. *om. B.* || 2. consensum *B.* || 4. Claudius] cl *ABD.* cla. *C.* C. *E Torr.* Q. Claudius *Nep.* || 5. picturam *A.* || extentis *(sed litt. tis in rasura) A.* || 6. preteius *A.* precreius *B.* || 7. lucuni *A.* lucum *B.* locum *C. (sed* o *in rasura) E.* lucani *D.* || 8. antea] *in rasura D.* aurea *C.* || phenichis *B.* penicis *C.* fenicis *D.* phenîceis *E.* poeniceis *Torr. Cf. Lachmann. ad Lucr. p.* 123. || 10. §. 7. *om. Γ.* || gladiatorum *Par.* || datum] *add.* est *CD et corr. A.* || 11. claudioq. fuluio *(sic) A.* claudioque fuluio *BE.* claudio * fuluio *C.* Claudio M. Fuluio *Torr.* || 12. Decimus] drusus *E.* || filii *om. Torr.* || Perae *om. BCDE Par. Nep. Torr.*

---

6. *Q. Catulus)* Cf. Plin. h. n. XIX, 1, 6.

Claudius Pulcher) Cf. Plin. h. n. XXXV, 4. Quod nos edidimus erat iam in exemplis ante Pighium, qui pro eo substituit *C. Pulcher.* Suspicor autem, quoniam ceteris uiris h. l. commemoratis praenomina addidit Valerius, excidisse ante *Claudius* Gaii praenominis notam *C.* Cf. Cic. de off. II, 16, 57. id. Verr. IIII, 3, 6 et 59, 133. Plin. h. n. VIII, 7, 7.

Luculli) Lucullorum nomen mendo librorum *lucuni* subesse perspexerunt Sigonius et Pighius. Intelleguntur autem Lucius et Marcus Luculli, aediles a. u. c. 675, quos quamuis nemo praeterea ueterum nouae huius lautitiae auctores prodiderit, magnificentissima tamen aedilicia munera dedisse constat. Cf. Plin. h. n. VIII, 7, 7 et Cic. de off. II, 16, 57, ubi de splendidissimis aedilitatibus locutus eorum nomen cum C. Claudio, P. Lentulo, Cn. Pompeio, M. Scauro componit, quos omnes relatione hic aeque amplectitur Valerius. Neque contradixit C. Plinius, cum XXXVI h. n. 15 C. Curionem primum non scenam sed omnino theatra duo uersatilia aedificasse referret.

7. Cf. Liu. epit. libr. XVI.

App. Claudio, Q. Fuluio) In fastis alter consul M. Fuluius Flaccus est, nec aliter apud A. Gellium XVII, 21, 40. Sed codices nostri, Paridis et Nepotiani compendia summo consensu ei Quinti praenomen tribuunt, ita ut non facile discernas utrum ipse Valerius an antiquissimi iam codicis librarius erraverit. Cf. praef. p. 33. Eutropio quoque II, 18 Q. Fuluius Flaccus appellatur.

Marcus et Decimus filii Bruti Perae) Addidi suadente Gronouio (ad Liu. XXIII, 14, 2) ex auctoritate unius libri Bernensis cognomen Perae, omissum in reliquis codicibus et editionibus, idemque eodem auctore reuocaui VII, 6, 1, ubi liber Daniel. *M. Iuni opera* pro *M. Iunio Pera* exhibet. Confirmatur autem hoc Iuniae gentis cognomen lapidibus Capitolinis, in quibus a. CDXXCVII (488.) consul nominatur D. IVNIVS D. F. D. N. PERA (Grut. c. inscr. p. 297.)

V. 1. Statuam auratam nec in urbe nec in ulla parte Italiae quisquam prius aspexit quam a M'. Acilio Glabrione equestris patri poneretur in aede Pietatis. Eam autem aedem P. Cornelio Lentulo, M. Baebio Tamphilo consulibus ipse dedicauerat, compos uoti factus rege Antiocho apud Thermopylas superato.

2. Ius ciuile per multa saecula inter sacra caerimoniasque deorum inmortalium abditum solisque pontificibus notum Cn.

---

1. §. 1. *om. Γ.* || Statuam] *praemittit inscriptionem* De frugalitate et innocentia *Torr.* || nec in urbe *om. pr. D.* || 2. m. acilio *AB et pr. C. Torr.* m. cilio *corr. C.* m. atilio *DE.* Manlio Acilio *Par. Marcus Acilius est etiam in Nep.* || glabriore *C.* || equestris] *add.* or. (*sic*) *D.* equestri *E.* || 3. in aedem *BCD.* || 4. Lentulo] *add.* et *Torr.* || pamphilo *ABCDE. Vid. ad I,* 1, 12. || §. 2. *om. Γ.*

Num. Fabii Pictoris collega, duobus annis ante App. Claudii et M. Fuluii Flacci consulatum, et a. D (501.) censor D. IVNIVS D. F. D. N. PERA cum L. Postumio Megello. Quae si consideres, dubitari uix poteris quin alter filiorum a Valerio commemoratorum, quibus Drumannus (gesch. Roms IIII, p. 4) parum recte Scaeuae cognomen fuisse coniecit, ille D. Iunius Pera, consul a. 488, censor a. 501 fuerit. Alter fortasse pater erat eius M. Iunii Bruti Perae, quem Liuius XXIII, 14, 2 et lapides Capitolini (ap. Grut. p. 292) declarant consulem fuisse a. 524, censorem a. 529, dictatorem a. 538. Quod si uerum est, horum patrem D. Iunium Brutum Peram, in cuius honorem primum gladiatorium munus Romae datum est, aliunde non notum, neque censura neque consulatu functum esse statuamus oportet. Iam cum in omnibus codicibus scriberetur *Marcus et Decimus filii Bruti*, editores, quod ita ueteres nomina citare non essent soliti, uocem *filii* delerunt. Quam utroque Valerii compendio confirmatam equidem reuocaui, neque causam ullam interpolationis neque cur filiorum denotationem addere non licuerit auctori perspiciens. Fieri tamen potest ut Valerius *Marcus et Decimus, Decimi filii, Bruti Perae* scripserit et in antiquissimo illo codice, e quo omnes integri et abbreuiati libri originem traxerunt, patris praenomen post eandem filii appellationem exciderit. Ceterum Liuianae epitomae auctor, Marci Bruti nomen reticens, solum D. Iunium Brutum munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidisse primum refert. Magis etiam de primo athletarum certamine Liuius et Valerius inter se dissentiunt, quod Liuium XXXIX, 22 ad M. Fuluium Nobiliorem referre adnotauit Perizonius.

V, 1. Cf. Liu. XL, 34. Amm. Marc. XIIII, 6, 8.

M'. Acilio) Acilio Glabrioni praenomen Manii, non Marci fuisse, quem ad modum omnes codd. et edd. habent, constat e Liuii l. c. et e fastis Capitolinis (Grut. inscr. p. 293.). Sed genuinae scripturae uestigia quaedam seruauit Paridis cod. Vat. Ceterum eam aedem uouerat ipse pater M'. Acilius Glabrio, qui regem Antiochum apud Thermopylas deuicit, dedicauerat filius patrisque statua exornauerat. Valerius Liuii relatione deceptus, *(Eam aedem dedicauit M'. Acilius Glabrio duumuir statuamque auratam, quae prima omnium in Italia statua aurata est, patris Glabrionis posuit. Is,* sc. pater consul, *erat, qui ipse eam aedem uouerat, quo die cum rege Antiocho ad Thermopylas depugnasset,)* cum uu. *is erat qui ipse* ad filium Glabrionem referret, inscite omnem historiam confudit.

P. Cornelio Lentulo) Hunc P. Cornelium consulem commemorauit Val. I, 1, 12 omisso cognomine, quod hic esse debebat *Cethego*, non *Lentulo*, ut praeter fastos consulares (Grut. c. inscr. p. 293.) docent Corn. Nep. Hann. 13, 1. Plin. h. n. XIII, 13, 27. Error ipsius Valerii, non librariorum est, ortus, ut opinor, Liuii exemplis XL, 18, 1, ubi idem falsum cognomen circumfertur.

2. Cf. L. Piso III ann. ap. A. Gell. VI, 9. Liu. IX, 46. Cic. ad Att. VI, 1, 8. Plin. h. n. XXXIII, 1. Macrob. Sat. I, 15.

Flauius, libertino patre genitus et scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus aedilis curulis, uulgauit, ac fastos paene toto foro exposuit. Qui cum ad uisendum aegrum collegam suum ueniret neque a nobilibus, quorum frequentia cubiculum erat completum, sedendi loco reciperetur, sellam curulem adferri iussit, et in ea honoris pariter atque contemptus sui uindex consedit.

Veneficii quaestio, et moribus et legibus Romanis ignota, 3.
complurium matronarum patefacto scelere orta est. Quae cum uiros suos clandestinis insidiis ueneno perimerent, unius ancillae indicio protractae, pars capitali iudicio damnatae centum et septuaginta numerum expleuerunt.

Tibicinum quoque collegium solet in foro uulgi oculos in 4.
se conuertere, cum inter publicas priuatasque serias actiones personis tecto capite uariaque ueste uelatum concentus edit. Inde tracta licentia. Quondam uetiti in aede Iouis, quod prisco more factitauerant, uesci, Tibur irati se contulerunt. Quorum ministerio senatus deserta sacra non aequo animo ferens, per legatos a Tiburtibus petit ut eos gratia sua Romanis templis restituerent. Quos illi in proposito perseuerantes interposita festae epulationis simulatione mero somnoque sopitos plaustris in urbem deuehendos curauerunt. Quibus et honos pristinus

---

11. iudicio *CΓ*. || pertractae *E*. || pars] ac *D*. || damnata *E et corr. A*. || 12. et *om*. (*Γ*) *Torr*. || expleuerant *E*. || 13. §. 4. *om*. *Γ*. || 14. ferias *BCDE et pr. A, Torr. Vt nos Par. et corr. A*. || 15. uelatis *BCDE et pr. A. Torr*. || ededit *pr. A*. edidit *BDE, corr. A. pr. C*. || 16. quidam *D*. || aedem *D*. || 17. tiburti *D*. || 18. gerens *E*. || 19. tiburtinis *D*. || petiit *BCDE Torr*. || 22. urbe *AB*. || honor *CPar*.

---

3. Cf. Liu. VIII, 18. Oros. IIII, 10, qui mulieres CCCLXX interfectas esse tradidit, August. de ciu. dei. III, 17.

4. Cf. Liu. IX, 30. Ouid. fast. VI, 651 et sqq. Plut. quaest. Rom. 55. Censor. de die nat. 12. Fest. u. minusculae p. 149 Müller. Varro de ling. Lat. VI, §. 199.

serias actiones) Quod in codicibus mss. et in editionibus uitiose legebatur, *ferias actiones*, emendauit Gudius, dubito num e coniectura, cum ipse perperam interpretaretur illud *serias actiones*. Sensus est, ut recte exposuit Torrenius, dum publice et priuatim res seriae aguntur, illi huiusce lusus ac ioci licentia utuntur. Confirmat quod edidimus Paridensis epitome, e qua eandem emendationem accepit corrector libri Bern.

uelatum) Codd. inepte *uelatis*, quod editorum nemini placuit, nemo correxit. Viderant tamen praeter emendatorem libri Bernensis Gudius et Perizonius scribendum esse *uariaque ueste uelatum*, quod probauit etiam Torrenius. Denotantur autem 'stolae longae' uel *ἐσθῆτες ἀνθιναὶ καὶ γυναικεῖαι*, quibus indutos tibicines Quinquatribus minoribus per urbem uagari solitos esse referunt Ouidius et Plutarchus.

restitutus et huiusce lusus ius est datum. Personarum usus pudorem circumuentae temulentiae causam habet.

5. Fuit etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo humanitatis simul et continentiae certissima index. Nam maximis uiris prandere et caenare in propatulo uerecundiae non erat. Nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subicere erubescerent. Erant adeo continentiae attenti ut frequentior apud eos pultis usus quam panis esset, ideoque in sacrificiis mola quae uocatur ex farre et sale constat. Exta farre sparguntur et pullis, quibus auspicia petuntur, puls obicitur. Primitus enim ex libamentis uictus sui deos eo efficacius quo simplicius placabant.

6. Et ceteros quidem ad benefaciendum uenerabantur; febrem autem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc unum in Palatio, alterum in area Marianorum monumentorum, tertium in summa parte uici longi extat, in eaque remedia, quae corporibus aegrorum adnexa fuerant, deferebantur. Haec ad humanae mentis aestus leniendos cum aliqua usus ratione excogitata. Ceterum salubritatem suam industriae certissimo ac fidelissimo munimento tuebantur, bonaeque ualitudinis eorum quasi quaedam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis et aliena nimiae uini abundantiae et ab inmoderato ueneris usu auersa.

VI. 1. Idem sensit proxima maiorum nostrorum grauitati Spartana ciuitas, quae seuerissimis Lycurgi legibus obtemperans aliquamdiu

---

1. ludi *D.* || ius] is *B, pr. C, corr. Par.* hiis *E.* || datus *BE, pr. C, corr. Par.* || 3. §. 5. *om. Γ.* || 5. cenare *A.* || 7. Erant] *add.* autem *E.* || continenter *ABCD.* || frequenter *pr. A.* || 9. uocabatur *ABCDE Torr.* || 10. puls] plus *BE.* || 11. ex] et *A.* || 12. placebant *E.* || 13. §. 6. *om. Γ.* || certos *D.* || beneficiendum *pr. A.* || 16. testium *B.* || 17. aduexa *B.* || 19. ac fidelissimo] *post* munimento *C.* || 20. monumento *AD et pr. BC.* monimento *E et pr. B.* || 24. Idem] *praemittit inscriptionem* De externis institutis *Torr.* || Idem sensit *om. Γ.* || 25. quae *om. Γ.* || serenissimis *D.*

---

5. *Erant adeo*) Cf. Varro de ling. Lat. V, §. 179. Plin. h. n. XVIII, 8. Iuu. sat. XIIII, 171. Fest. u. mola p. 141 Müller.

mola quae uocatur) Codd. male *uocabatur*; neque enim mola obsoleuerat Valerii aetate neque alio nomine appellabatur atque antiquis illis temporibus. Praesens tempus restituendum esse uiderunt Guyetus et Lipsius. Kappio, quamuis minus placeret *quae uocabatur*, mutandum tamen non uisum est quem ad modum Torrenio, quod sciret 'Valerium saepe etiam alieno loco aliquid adicere, quod nemo desideraret'.

6. Cf. Cic. de nat. deor. III, 25, 63. de legg. II, 11, 28. Plin. h. n. II, 7, 5. Ael. u. h. XII, 11. Lact. I, 20, 17 p. 87 Dufresn. alii.

ciuium suorum oculos a contemplanda Asia retraxit, ne inlecebris eius capti ad delicatius uitae genus prolaberentur. Audierant enim, inde lautitiam et immodicos sumptus et omnia non necessariae uoluptatis genera fluxisse, primosque Ionas unguenti coronarumque in conuiuio dandarum et secundae mensae ponendae consuetudinem haud parua luxuriae inritamenta repperisse. Ac minime mirum est quod homines labore ac patientia gaudentes tenacissimos patriae neruos externarum deliciarum contagione solui et hebetari noluerunt, cum aliquanto faciliorem uirtutis ad luxuriam quam luxuriae ad uirtutem transitum uiderent. Quod eos non frustra timuisse dux ipsorum Pausanias patefecit, qui maximis operibus editis, ut primum se Asiae moribus permisit, fortitudinem suam effeminato eius cultu mollire non erubuit.

Eiusdem ciuitatis exercitus non ante ad dimicandum descendere solebant quam tibiae concentu et anapaesti pedis modulo cohortationis calorem animo traxissent, uegeto et crebro ictus sono strenue hostem inuadere admoniti. Idem ad dissimulandum et occultandum uulnerum suorum cruorem punicis in proelio tunicis utebantur, non, ne ipsis aspectus eorum terrorem, sed ne hostibus fiduciae aliquid adferret. 2.

---

2. Audierant — (9.) noluerunt *om. F.* || audiuerant *E.* || 3. inde] *post* lautitiam *Torr.* || lautitiam *A B C D. Cf. II,* 4, 6. || sumptos *pr. A.* || 4. primoque *in rasura D.* || Ionos *corr. D.* || 7. minime *om. D.* || 8. neruos *om. pr. A.* || 9. facilior *Γ.* || 10. luxoriam *et* luxoriae *pr. A.* || uideretur *F.* || 11. ipsorum] eorum *E Γ.* || 16. solebat *A B C D E Γ.* || pedes *pr. A.* || 18. moniti *D.* || Idem] iidem *B C D. Cf. Osann. ad Cic. de rep. p.* 450. || simulandum *E.* || 19. puniceis *Par. et corr. A D. Cf. II.* 4. 6. || 20. non] *add.* ideo *Γ.* || earum *A B.* eius *Torr.* || terrorem] *add.* incuteret *Γ.*

VI, 1. *dux ipsorum Pausanias*) Cf. Thucyd. I, 130. Nep. Paus. 3. alii.

2. Cf. Cic. Tusc. II, 16, 37. Plut. Lycurg. 21. id. inst. Lac. 16. Pausan. III, 17, 5. Polyaen. X, 11. — A. Gell. I, 11 e Thucyd. V, 70 Lacedaemonios alia de causa tibiarum modulis usos esse refert, scilicet ne permulcti sonis mitioribus immodice ferocirent.

solebant) Ne singulariter positum accipiam *eiusdem ciuitatis exercitus*, quo facto retineri potuisset codicum scriptura *solebat*, non tam impedit pluralis numerus, qui sequitur *(traxissent — admoniti)*, cum appellationes multitudinem hominum comprehendentes et singulariter positae cum plurali coniungantur (uid. ad VIII, 11, 2. Cort. ad Sall. Iug. 18, 3. Drak. ad Liu. XXVIII, 1, 5.), quam quod Valerius singulariter non dixit nisi unum et certum aliquem exercitum, generali autem notione multitudinis numerum adhibuit. (Cf. II, 3, 2 *in exercitibus Romanis.* II, 7, ext. 2 *Spartanae acies.*) Quapropter *solebat* mendum esse credo librarii de singulari positione u. *exercitus* errantis.

Idem ad dissimulandum) Xenoph. de rep. Lac. 11, 3. Schol. ad Aristoph. Acharn. 310. Vol. IV, P. 2. p. 361 Dind. Ael. u. h. VI, 6. Isid. XIX, 22.

3. Egregios uirtutis bellicae spiritus Lacedaemoniorum prudentissimi pacis moribus Athenienses subsequuntur. Apud quos inertia e latebris suis languore marcens in forum perinde ac delictum aliquod protrahitur, fitque ut *non* facinorosae, ita erubescendae rea culpae.

4. Eiusdem urbis et sanctissimum consilium Areios pagus quid quisque Atheniensium ageret aut quonam quaestu sustentaretur diligentissime inquirere solebat, ut homines honestatem, uitae rationem memores reddendam esse, sequerentur.

5. Eadem bonos ciues corona decorandi prima consuetudinem introduxit duobus oleae conexis ramulis clarum Periclis cingendo

---

1. Egregios — (2.) Apud quos] Apud Athenienses *Γ*. || prudentissimis *pr. A*. || 3. e *om. Γ*. || latebris suis] *post* marcens *Γ*. || langore *BE*. || mercens *D*. || 4. non *om. ABCDEΓTorr*. || 6. et *om. EΓTorr*. || arrio pagus *corr. A*. ariospagus *corr. C*. ariopagus *DEΓ*. Areopagus *Torr*. || 9. uitae rationem reddendam esse memores honestatem *Γ*. || 10. primo *ABDEΓTorr*. post *C*. || 11. peridis *E*. *Sic saepius*.

---

3. Cf. Plut. Sol. 22. Diog. Laert. I, 7. Menag. ad h. l. Stob. serm. 42. Pollux VIII, 6.

ut non facinorosae ita erubescendae) Inserui Perizonii egregiam coniecturam secutus ante *facinorosae* negationem, licet dubitauerit Torrenius, oblocuti sint Kappius et Hasius, omnino necessariam, cum inertia, quae nec bonis nec malis inhians operibus languore marceat, neque ipsa facinorosa, sit neque, etiamsi ab Atheniensibus perinde atque delictum aliquod punicbatur, facinorosae culpae esse dici possit. Praeterea si ex aequo ponerentur *facinorosae et erubescendae*, nimium quantum langueret alterum adiectiuum. Anne per se intellegitur facinorosam culpam erubescendam quoque esse? Quem languorem quidem callide tegunt qui defenderunt ineptam librorum scripturam, interpretantes inertiam non solum erubescendae uerum etiam facinorosae culpae ream agi. Sed haec sententia illis particulis nequaquam efficitur. Aptissime uero Perizonii coniectura inertia etsi non facinorosae, attamen erubescendae culpae argui dicitur. Ita ipsis his particulis Valerius utitur, idem fere significantibus atque *etiamsi non* — *tamen*, II, 8, 2. IIII, 4, 2. IIII, 4, 11. VII, 5, init. VIII, 11, ext. 3.

4. Cf. Her. II, 177. Isocrat. Areopag. 14. Diod. I, 77. Plut. Sol. 22.

et sanctissimum consilium) Restitui *et* pro *etiam* positum iubentibus libris, cuius omittendi nescio quae idonea causa fuerit prioribus grammaticis. Retulerat supra in foro apud Athenienses de inertia tamquam de delicto iudicatum esse. Iam pergit Arium pagum quoque quid quisque Atheniensium ageret inquirere solitum esse.

Areios pagus) Sic prima manu scriptum erat in *ABC*. Graeca haec forma usus est etiam Cic. ad Att. I, 14, 5. Valerium autem semper diuisim scripsisse hanc uocem et utramque eius partem flexisse optimorum codicum testimonium manifesto declarat. Nam accusatiuum V, 3, ext. 3. *Arium pagum* ponunt, quem ad modum Cic. de diu. I, 25, 54, cui nescio an non recte hunc usum abrogauerit Wopkens lectt. Tull. p. 250. (p. 238 ed. Hand.), quem agnouerat iam Dauisius. Gignendi casus VIII, 1, amb. 2 in codice Bernensi nunc quidem legitur *areo pagi*, sed littera *o* recentiore manu in litura scripta. Proximus autem ab eo cod. Berolinensis *(C)* habet *arei*, quod ipsum olim in Bernensi fuisse inde colligitur. Similiter Tac. II ann. 55 Areum id iudicium uocauit. Cf. Varro ap. Augustin. XVIII de ciu. dei 10.

5. *prima.)* Librorum *primo* locum non habere scribendumque esse pro eo *prima* docuit Haasius ad Reisigii vorl. üb. Lat. sprachw. p. 181; Apud ueteres

caput; probabile institutum, si rem siue personam intueri uelis. Nam et uirtutis uberrimum alimentum est honos et Pericles dignus a quo talis muneris dandi potestas potissimum initium caperet.

3 Age, quid illud institutum Athenarum, quam memorabile, 6. quod conuictus a patrono libertus ingratus iure libertatis exuitur. 'Supersedeo te', inquit, 'habere ciuem, tanti muneris impium aestimatorem, nec adduci possum ut credam urbi utilem quem domui scelestum cerno. Abi igitur et esto seruus, quoniam liber esse nescisti'.

Inde Massilienses quoque ad hoc tempus usurpant disci- 7. plinae grauitatem, prisci moris obseruantia, caritate populi Romani praecipue conspicui. Qui tres in eodem manumissiones rescindere permittunt, si ter ab eo deceptum dominum cognouerunt. Quarto errori subueniendum non putant, quia sua iam culpa iniuriam accepit, qui ei se totiens obiecit.

---

1. probabile — (4.) caperet *om. Γ.* || si] siue *corr. A. Torr.* || 2. pericIis *B.* || 3. potestatis *D et litt.* tis *in rasura A.* posteritas *Torr.* || 5. Age — (6.) conuictus] conuictus ibi *Γ.* || 7. inquit te *D.* || 9. scelestem *pr. A.* || 10. nesciuisti *B.* || 11. Inde — (13.) Qui] Massilienses *Γ.* || 12. prisci morib; (*sic*) *pr. A.* priscis moribus *BCDE.* || obseruatam *D.* || 14. rescindi *Torr.* || si] sed *C.* || eo] eodem *ABCDE ΓTorr.* || dominum deceptum *Γ.* || cognouerint *Torr.* || 15. terrori *Γ.* || 16. toties *pr. A.*

---

enim auctores *primo* idem significat quod *initio*, *principio*, atque adeo plerumque in exponenda actione adhibetur, quam alia actio excipit, tempore posterior. In enarrando facto, in quo edendo praecesserit aliquis alios, *primo* ab inferioris demum aeui scriptoribus positum est, ut a Lactant. VI de opif. dei, 5.

si rem siue personam) Raram hanc dilemmatis formam iubentibus libris restituere non dubitaui, comprobatam a Maduigio ad Cic. de fin. I, 6, 20 p. 44 paucis Plauti et Terentii exemplis, quibus addi possunt Liu. XXII, 10, 6, *si nocte siue luce, si seruus siue liber faxit*, et Val. Flacc. I Arg. 836, *Rara et sponte patet, si quando — ductor — seu uenit uittis castaque in ueste sacerdos.* Eo ipso Ciceronis loco uel in integris duabus condicionibus, quibus sua cuique apodosis subiungitur, hae particulae adhibitae sunt, quem tamen locum unicum huius dicendi generis exemplum esse animaduertit Maduigius.

potestas) Sic omnes fere codd. Quod cur cum *posteritas* ab editoribus permutatum sit non intellego. Nam ex quo Pericli corona decreta erat, orta est legibusque sancita populo Atheniensium potestas idem munus aliis quoque bonis ciuibus tribuendi, cum interim, siquidem accurate loquendum credideris, posteritas certe cum Pericle coronam dare incepisse ne potuerit quidem dici.

6. Cf. Aristot. Polit. III, 8. Harpocrat. u. *ἀποστασίου δίκη.*

7. *ter ab eo deceptum)* Libri mss. et editiones summo consensu *ab eodem*, male repetita eiusdem personae significatione, quae iam erat in praecedentibus *tres in eodem manumissiones.* Quod si posuerit Valerius, neque pulchre scripsisse neque quam debuit acute cogitasse dicendus erit. Quo tamen crimine eum liberandum censeo, cum illa syllaba, qua deleta nos simplex et proprium demonstratiuum pronomen reuocauimus et a Paridis cod. Vaticano abest et in

Eadem ciuitas seueritatis custos acerrima est, nullum aditum in scenam mimis dando, quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus, ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat. Omnibus autem, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiae quaerunt, clausas portas habet, et mendacem et fucosam superstitionem submouendam esse existimans. Ceterum a condita urbe gladius est ibi, quo noxii iugulantur, rubigine quidem exesus et uix sufficiens ministerio, sed index in minimis quoque rebus omnia antiquae consuetudinis momenta seruanda.

Duae etiam ante portas eorum arcae iacent, altera qua liberorum, altera qua seruorum corpora ad sepulturae locum plaustro deuehuntur sine lamentatione, sine planctu. Luctus funeris die domestico sacrificio ad*hibi*toque necessariorum conuiuio finitur. Etenim quid attinet aut humano dolori indulgeri

2. schenam imis *pr. A.* scena mimis *Γ et corr. A.* scenam minis *corr. C.* || 3. stuprosos *Par.* || 4. imitan *Γ.* || autem *om. E.* || 5. portas *om. D.* || 6. fuscosam *BC.* || 7. existimat *Γ.* || 8. robigine *ΓPar.* || 9. iudex *D.* || 10. monumenta *Vinc. Bell. sp. h. III*, 111. *Par. Torr.* || seruantium *Par. et litt.* tium *in rasura A.* || 13. sineque plantu *E.* || 14. dies *ABCDEΓ.* || adhibito *in rasura A.* aditoque *BCDΓ.* additoque *E.* adiectoquo *Torr.* || necessariorum] *in rasura A.* || 15. etenim quid attinet] *in rasura A.* || induli *Γ.*

archetypo reliquorum libro facile ex initio sequentis uocis *deceptum* oriri potuerit.

antiquae consuetudinis momenta) Cum par sit utriusque scripturae auctoritas, Valerii integris codicibus *momenta*, Paridensi compendio *monumenta* tradentibus, quaeritur utrum aptius sit ad sententiam. Nam *momenta* cur ferri nequeat, id sane non perspicio. Explicandum est de omnibus antiquae consuetudinis partibus, ut 1, 1, 8, ubi Romani paruula quoque religionis momenta scrupulosa cura examinasse dicuntur. (Cf. Cic. pr. Mur. I, 2, 3, *Catoni diligentissime perpendenti momenta officiorum omnium.)* Idque praeferendum putaui, quamuis contra faciant Lipsius et Perizonius, cum non tam interfuerit monumenta antiquae consuetudinis seruari, quod fieri quoque poterat non adhibito earum rerum ministerio atque etiam ipso omisso iam uetere illo more, quam seruari ipsas antiquas consuetudines minimasque earum particulas. Huiusmodi consuetudo apud Massilienses erat ut noxii gladio iugularentur, eius autem consuetudinis exiguum momentum, ut eodem illo gladio iugularentur, quo a condita urbe factum erat.

sine planctu. Luctus funeris die) Retenta librorum scriptura *dies* plenius hucusque distinguebatur post u. *deuehuntur.* At oratio sic constituta omni sensu caret, nisi *luctus* aut cum Torrenio genitiuo casu positum pendere a *planctu*, aut cum Perizonio, quod nullus ibi erat luctus, omnino delendum statuas. Quorum tamen neutrum placet. Neque enim omnino nullus eorum luctus est, qui non lamentantur ac plangunt, neque ad rem pertinebat describi quem ad modum finierint Massilienses funeris diem, sed qualis fuerit eorum luctus dici oportebat. Coniunctis igitur cum praecedenti enunciato uu. *sine lamentatione, sine planctu* probat Lipsius quod in cod. Cauchiano Pighius repperit, ni de codice mentitus est, *Luctus funeris die — finitur*, cui accesserunt Vorstius, Kappius, Haasius, confirmatque sententiam inde effectam Nepotianus abbreuiator *(Funera idem*

aut diuino numini inuidiam fieri, quod inmortalitatem suam nobiscum partiri noluerit?

Venenum cicuta temperatum in ea ciuitate publice custoditur, quod datur ei, qui causas sescentis, id enim senatus eius nomen est, exhibuit, propter quas mors sit illi expetenda, cognitione uirili beniuolentia temperata, quae neque egredi uita temere patitur et sapienter excedere cupienti celerem fati uiam praebet, ut uel aduersa uel prospera nimis usus fortuna, utraque enim finiendi spiritus, illa, ne perseueret, haec, ne destituat, rationem praebuerit, conprobato exitu terminetur.

Quam consuetudinem Massiliensium non in Gallia ortam 8. sed ex Graecia translatam inde existimo, quod illam etiam in insula Cea seruari animaduerti, quo tempore Asiam cum Sex. Pompeio petens Iulidem oppidum intraui. Forte enim euenit ut

3. Venenum — (§. 8. fin.) dimisit] *transponuntur post uu.* §. 9. ipsis quoque tuta sint *Γ*. || 4. causas — (5.) exhibuit] causas senatui reddidit *Γ*. || scentis *AD*. u. sescentis *margo A*. * * scentis *C*. senescentis *B*. sexcentis *in rasura E. Torr. Vt nos Par. Cf. VIII*, 13, *ext*. 7. *IX*, 1, 6. *Osann. ad Cic. de rep, p*. 119. || 5. exibuit *A*. || expectenda *E*. || 6. nec *Torr*. || uitam *pr. D*. || 8. ut — (10.) terminetur *om. Γ*. || usi * (*add. in marg*. 3. casus est) *A*. usi *B et corr. E*. usis *pr. E*. || 12. e Graecia *Torr*. || aestimo *ABCDΓ*. extimo *E*. || 13. Cea] ce *A*. coe *D*. *uacuum spatium nominis loco Γ*. || 14. iulide *ABC*. in lide *D*. uillide *E*. in lidle *Γ*. Iulida *Torr*. || intrauit *pr. A*.

sine lacrimis prosequebantur, et sacro die suos quisque efferebat epulis celebratis.). Recte autem Kappius animaduertit opponi Massiliensium simplicissimum in efferendis lugendisque defunctis ritum Romanorum sepulturae cum magno apparatu, praeficarum naeniis et lamentationibus, diuturno lugendi officio. Paulo post archetypi codicis uitium *aditoque* emendauit repetitis e Paridensi compendio tribus quae exciderant litteris.

usus fortuna) Archetypus codex *usis* exhibuisse uidetur, ita ut uerbum *terminetur* careret notione subiecta. Nam ad uitam aut spiritum e praecedentibus repetendum referri uix poterit, neque coeunt diuersi numeri *cupienti* et *usis*. Recte igitur Perizonius reliquis editoribus recentiorum librariorum coniecturam *usus* comprobauit ascriptis exemplis, in quibus *finiri* positum est pro *mori*. III, 2, ext. 6. IX, 12, ext. 4. Quidni igitur eodem significatu *terminari* dixerit Valerius?

8. *inde existimo)* Aestimandi uerbum, licet omnium codicum consensu commendetur, alienissimum est ab hoc loco, cum Valerius non de pretio aut modo rei alicuius coniecturam faciat, sed de simplici facto, quod certam ob causam accidisse putatur, opinionem proponat, quo significatu nullus neque huius neque praecedentium saeculorum scriptor aestimandi uerbo usus est. Neque etiam fore spero ut obiciantur mihi exempla, qualia sunt Sall. Cat. 8, 2. Curt. IIII, 19, 16, ubi Zumpt parum accurate exposita causa recte *aestimare* edidit, quae satis quidem apertum de modo aut gradu continent iudicium. Quapropter h. l. uel inuitis libris uulgatam scripturam retinendam esse duxi.

in insula Cea) Cf. Strab. X, 5, 6. p. 486 Cas. Ael. u. h. III, 37. De Sexto autem Pompeio eiusque itinere Asiatico cf. praef. p. 4.

Iulidem oppidum) Latinam terminationem librorum mss. uestigia secutus reuocaui, quam in nominibus in *is* exeuntibus, quae Graece oxytona sunt,

tunc summae dignitatis ibi femina sed ultimae iam senectutis, reddita ratione ciuibus cur excedere uita deberet, ueneno consumere se destinaret mortemque suam Pompei praesentia clariorem fieri magni aestimaret. Nec preces eius uir ille, ut omnibus uirtutibus ita humanitatis quoque laudibus instructissimus, aspernari sustinuit. Venit itaque ad eam facundissimoque sermone, qui ore eius quasi e beato quodam eloquentiae fonte manabat, ab incepto consilio diu nequicquam reuocare conatus, ad ultimum propositum exsequi passus est. Quae nonagesimum annum transgressa cum summa et animi et corporis sinceritate lectulo, quantum dinoscere erat, cotidiana consuetudine cultius strato recubans et innixa cubito, 'Tibi quidem', inquit, 'Sex. Pompei, dii magis quos relinquo quam quos peto gratias referant, quod nec hortator uitae meae nec mortis spectator esse fastidisti. Ceterum ipsa hilarem fortunae uultum semper experta, ne auiditate lucis tristem intueri cogar, reliquias spiritus mei prospero fine, duas filias et † uno nepotum gregem superstitem relictura, permuto'. Cohortata deinde ad concordiam suos, distributo eis patrimonio et cultu suo sacrisque domesticis maiori filiae traditis poculum, in quo uenenum temperatum erat, constanti dextera arripuit. Tum defusis Mercurio delibamentis et inuocato numine eius, ut se placido itinere in meliorem sedis infernae deduceret partem, cupido haustu mortiferam traxit potionem, ac sermone significans quasnam subinde partes corporis sui rigor occuparet, cum iam uisceribus eum et cordi imminere esset elocuta, filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium aduocauit. Nostros autem, tametsi nouo spectaculo obstupefacti erant, suffusos tamen lacrimis dimisit.

1. ibi] *om. E. ante* dignitatis *DΓ.* || 3. destinarit *ATorr.* || 4. magis *E.* || aestimarit *corr. A, Torr.* || peces *A.* || uir ille] uirile *pr. A.* || 5. laude *in rasura A.* || 6. adspernari *(A)* || facundissimo *(om.* que*) E.* || 7. qui] *add.* ex *Γ.* || e *om. D.* || 8. nequi *a* quam *A.* || 11. cognoscere *Γ.* || cotidiani *pr. A.* || 14. quod] quia *Torr.* || 17. unum *DEΓ et corr. C.* septem *Torr.* || nepotem *DΓ.* || 18. permitto *E.* || 21. dextra *Torr.* || tunc *Γ.* || 22. infernae sedis *Γ.* || 25. eum] eius *corr. D.* || 26. officium oculorum *E.*

tantum non semper adhibuerunt prosae orationis auctores. Dixerunt igitur Chalcidem, Locridem, Phocidem, Ptolemaidem, cum poetae constanter fere Graecum exitum in *ida* praetulerint.

† *uno nepotum)* Videtur in hoc mendo nondum probabiliter sanato nepotum numerus latere. Itaque credibile est prima eius littera *quinque* numerum denotari; altera syllaba *no* utrum *II* an *III* an *IIII* significet non facile dinosci potest, praesertim cum uterque epitomator hoc exemplum silentio praeterierit.

Sed ut ad Massiliensium ciuitatem, unde in hoc deuerticulum 9.
excessi, reuertar, intrare oppidum eorum nulli cum telo licet, praestoque est qui id custodiae gratia acceptum exituro reddat, ut hospitia sua, quemadmodum aduenientibus humana sunt, ita ipsis quoque tuta sint.

Horum moenia egressis uetus ille mos Gallorum occurrit, 10.
quo memoria proditum est, pecunias mutuas, quae his apud inferos redderentur datas, quia persuasum habuerint animos hominum immortales esse. Dicerem stultos, nisi idem bracati sensissent, quod palliatus Pythagoras credidit.

Auara et feneratoria Gallorum philosophia, alacris et fortis 11.
Cimbrorum et Celtiberorum, qui in acie gaudio exultabant tamquam gloriose et feliciter uita excessuri, lamentabantur in morbo quasi turpiter et miserabiliter perituri. Celtiberi etiam nefas esse ducebant proelio superesse, cum is occidisset, pro cuius salute spiritum deuouerant. Laudanda utrorumque populorum animi praesentia, quod et patriae incolomitatem fortiter tueri et fidem amicitiae constanter praestandam arbitrabantur.

Thraciae uero illa natio merito sibi sapientiae laudem uin- 12.
dicauerit, quae natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate

1. Sed — (2.) reuertar *om. Γ.* || ad *om. B et pr. A.* || diuerticulum *CE.* || 3. qui id] quid *pr. A.* || 6. Horum] Massiliensium *Γ.* || moenia] memoria *E.* || egresso *a A.* egressus *pr. C.* egresso *DΓ Torr.* || Gallorum] Getorum uel Gallorum *Γ.* || 7. quos *ABDΓ et corr. C. Torr.* || 8. datos *corr. A.* dare *Γ et corr. C.* dare solitos *Torr.* || habuerit *Γ.* habuerunt *D Torr.* || 10. palleatus *B et pr. A.* paleatus *corr. E. om. pr. E.* || phytagoras *A.* || 11. Auara — (12.) Celtiberorum qui] Cimbri et celtiberi *Γ.* || 15. dicebant *D. incerta pr. C.* || 16. Laudanda — (18.) arbitrabantur *om. Γ.* || 17. praestantia *Torr.* || incolumitatem *corr. A. Cf. uar. script. L* 1, *ext.* 1. || 19. Thraciae — (20.) quae] Thraciae natio *Γ.* || 20. ilaritate *pr. A.*

10. *egressis)* Cod. archet. et sine dubio olim etiam Bern. *egressos.* Quod alterius familiae diuersa codicum genera diuersa ratione sententiae accommodarunt; probabilius aliquanto, ut mihi quidem uidetur, illi, qui casu mutato multitudinis numerum reliquerunt.

quo memoria — datas) Aldus cum abbreuiatore Guelferb. *quos memoria proditum est — dare* posuerat. Quae a Pighio aucta uerbo *solitos* retinuerunt hucusque editiones. Nos et facillimam et certissimam recepimus codicis Guelferb. *E* et aliorum quorundam emendationem *quo*, (sc. more), probatam iam Gronouio ad Pomp. Melam III, 2, ubi eiusdem moris mentio fit.

11. Cf. Cic. Tusc. II, 27, 65.

Celtiberi etiam) Cf. Plut. Sert. 14. Idem de Germanis refert Tac. Germ. 13, de soldurüs apud Gallos Caes. b. G. III, 22.

animi praesentia) Sic codd. b. l. et III, 2, 9. III, 7, 5. VI, 2, ext. 1. VI, 8, 3. Cf. Caes. b. G. V, 43. Cic. pro Mil. 23, 62. Plin. h. n. VIII, 25, 38. Sed nullo sententiae discrimine III, 7, 7 Valerius *animi praestantiam* dixit.

12. Cf. Herod. V, 4. Pomp. Mel. II, 2, 3. Solin. 10, 2.

celebrat. Sine ullis doctorum praeceptis uerum condicionis nostrae habitum peruidit. Remoueatur itaque naturalis omnium animalium dulcedo uitae, quae multa et facere et pati turpiter cogit, si iam ortu eius aliquanto felicior ac beatior finis reperietur.

13. Quo circa recte Lycii, cum iis luctus incidit, muliebrem uestem induunt, ut deformitate cultus commoti maturius stultum proicere maerorem uelint.

14. Verum quid ego fortissimos hoc in genere prudentiae uiros laudem? Respiciantur Indorum feminae, quae, cum more patrio conplures eidem nuptae esse soleant, mortuo marito in certamen iudiciumque ueniunt quam ex his maxime dilexerit. Victrix gaudio exultans deductaque a necessariis laetum praeferentibus uultum coniugis se flammis superiacit et cum eo tamquam felicissima crematur. Superatae cum tristitia *et* maerore in uita remanent. Protrahe in medium Cimbricam audaciam, adice Celtibericam fidem, iunge animosam Thraciae [potentiam] sapi-

1. Sine — (4.) reperietur *om. Γ.* || nostrae conditionis *E.* || 2. praeuidit *D.* || 3. et facere] facere *B.* || 4. iam ortu] ea mortua *ABCDE Torr.* || 6. Quo circa recte *om. Γ.* || his *AB.* hiis *CDE.* eis *Par. om. Γ.* || 7. commoti] admoniti *Γ.* || 9. Verum — (10.) Respiciantur *om. Γ.* || 10. quae *om. Γ.* || 11. plures *E.* || 12. eis *Par.* iis *Torr.* || 14. superiacit] *littera paenultima in rasura A.* || 15. tristitiae *CDEΓ.* || et maerore] *in rasura A.* maerore *BCDEΓ.* || 16. Protrahe — (*p.* 207, 4.) conscendit *om. Γ.* || 17. potentiam *om. Torr.* || sapientiam *om. B.*

si iam ortu eius) Librorum scripturam *si ea mortua eius* defendere conati sunt Ascensius et Vorstius interpretando remouendam esse omnem uitae dulcedinem, cum ea remota et extincta *(mortua)* finis uitae aliquanto felicior sit. Quae sententia, ut mittam uu. *ea mortua* insolenter admodum usurpata de re, quam ne uiuere quidem quisquam facile dixerit, et passiuam uerbi notionem, cum actiuam desideres *(ea perempta)*, qua ratione cohaereret cum praecedentibus et cum Thraciae illa natione laudata, quod natales hominum cum fletu et lacrimis, exequias cum hilaritate celebrasset, frustra quaesiui. Quid dicendum fuerit nemo non uidet; remouendam esse naturalem omnium animalium uitae dulcedinem i. e. cupiditatem, siquidem, quod Getarum natio, ueram humanae uitae condicionem perspiciens, eo more declarauerit, felicior ac beatior uitae finis sit quam eius initium. Quam sententiam ingeniosa Perizonii diuinatio restituit, scribentis *si iam ortu eius.* Similiter in cod. Bern. a. u. *conspirationem ortam* in *conspiratione mortem* aberratum est VII, 2, ext. 15. Omnino uu. *ea mortua* expunxerat Pighius. Kappio neque Perizonii coniectura, probata Torrenio, neque Ascensii explicatio placuit, quam reliqui adoptarunt.

13. Cf. Plut. consol. ad Apollon. 22.

14. Cf. Cic. Tusc. V, 27, 78. Propert. III, 9, 15. Diod. Sic. XIX, 34 p. 343. Strab. XV, p. 1024 B. Plut. an uitios. ad infel. suff. 4 p. 499 C. Ael. u. h. VII, 18. Solin. 10, 3. Seru. ad Aen. V, 367. alii. De Thraecum feminis idem referunt Herod. V, 5. Pomp. Mel. II, 2, 4.

Thraciae [potentiam] sapientiam) Vocabulum manifesto spurium, quod seclusi, in antiqui cuiusdam libri margine pro uaria lectione ascriptum, inde in cod. archetypo inter Valerii uerba receptum esse uidetur. In recentioribus

entiam, adnecte Lyciorum in luctibus abiciendis callide quaesitam rationem, Indico tamen rogo nihil eorum praeferes, quem uxoris pietas in modum genialis tori propinquae mortis secura conscendit.

15. Cui gloriae Punicarum feminarum, ut ex comparatione turpius appareat, dedecus subnectam. Siccae enim fanum est Veneris, in quod se matronae conferebant, atque inde procedentes ad quaestum, dotis corporis iniuria contrahebant, honesta nimirum tam inhonesto uinculo coniugia iuncturae.

---

1. Lyciorum] *in rasura A. add.* et *D.* || 3. uxorũ *(ultima litt. in rasura) A.* uxorum (?) *B.* || genitalis *B et pr. E.* || 5. Cuius *C D E et corr. A.* Huic *Γ.* || collatione *Γ.* || 6. dedecus subnectam] *post* feminarum *Γ.* || Siccae] Cirtae *Par. et in rasura A.* Apud Circenses *Nep.* || 7. quo *pr. C.* || 8. ad] * * *A. om. B C D E Par.* || dotes *Γ Torr.* u. dotem *margo A.* dotem *Par. Nep.* || 9. iuncturae coningia *E.*

---

exemplis modo hoc, modo sequens uocabulum omissum, modo alterum cum altero copula quadam coniunctum est. Intellegi eam Thraecum sapientiam, qua sine ullis doctorum praeceptis ueram humanae uitae condicionem peruidisse paulo ante praedicantur, adnotauit Torrenius.

15. Cf. Iust. XVIII, 5, qui illi consuetudini obsequentes Cyprias uirgines ab Elissa raptas et in Africam translatas esse narrat. Ael. u. h. IIII, 1 et Herod. I, 93 Lydorum hunc morem fuisse tradunt.

Siccae enim fanum) Edidi quod omnium librorum fide nititur, *Siccae*, quodque ab initio etiam in Bernensi codice fuisse reliquorum consensus testatur, cum recentior manus e Paridis epitoma Cirtae nomen asciuerit, quod nomen Nepotianus quoque in suo Valerii exemplo inuenit. Cf. praef. p. 90. Sed recte ad Siccam, non ad Cirtam, eum uirginum morem referri Veneris cultus, qui floruit in ea urbe celeberrimus, unde et ipsa Veneriae appellationem traxit, et huius deae templum Siccense hic illic commemoratum luculenter declarant. Cf. quos laudat Forcellinius, Solin. 27 init., inscr. ap. Grut. 1015, 2. De Cirta, quae hodie est Constantine, nihil tale constat, quamuis antiquis temporibus notior fuisse uideatur quam Sicca.

procedentes ad quaestum, dotis) Comparata scriptura codicum Bernensis et Guelferbytani *Γ*, quibuscum consentiunt Torrenii Vltraiect. 2 et ed. princeps Moguntina, liquet archetypum librum olim exhibuisse *ad quaestum dotis*. Quod Kappius, *dotis* antiqua accusandi casus forma (saepissime sane ab hoc auctore adhibita) pro *dotes* positum, a uerbo *contrahebant* pendere iudicans, retinendum esse censuit. Recte, ni fallor, etiamsi Valerius IIII, 4, 11 genitiuo plurali *dotum* dixerit, non, ut dig. XXIII, 3 *dotium*. Nam sic etiam *principis* scribitur accusatiuus pluralis in codice Bernensi III, 2, ext. 1. Cf. Lachmann. ad Lucret. I, 744 p. 51. Librarii autem u. *dotis* praecedenti uocabulo gignendi casu adiunctum putarunt. Iam cum desideraretur obiectum uerbi *contrahebant*, alterius familiae (X) altera pars (x″), cui h. l. accessit Berol. *D*, deleta, quod prae ceteris obuium erat, praepositione *ad*, coniunxerunt *quaestum dotis contrahebant*. Quae praepositio, certo consilio in his libris omissa, cum alia de causa exciderit etiam in Vaticano Paridensis compendii codice *(atque inde procedentes quaestum dotem iniuria corporis contrahebant)*, praecauendum uidetur ne quis propter idem mendum utrobique repertum affinitatem putet inter hanc epitomam et illorum codicum Valerianorum familiam, qui est fortuitus diuersorum generum consensus.

16. Nam Persarum admodum probabile institutum fuit quod liberos suos non prius aspiciebant quam septimum annum implessent, quo paruulorum amissionem aequiore animo sustinerent.

17. Ne Numidiae quidem reges uituperandi, qui more gentis suae nulli mortalium osculum ferebant. Quidquid enim in excelso fastigio positum est, humili et trita consuetudine, quo sit uenerabilius, uacuum esse conuenit.

DE DISCIPLINA MILITARI.

VII. Venio nunc ad praecipuum decus et ad stabilimentum Romani imperii, salutari perseuerantia ad hoc tempus sincerum et incolome seruatum, militaris disciplinae tenacissimum uinculum, in cuius sinu ac tutela serenus tranquillusque beatae pacis status adquiescit.

1. P. Cornelius Scipio, cui deleta Karthago auitum cognomen dedit, consul in Hispaniam missus, ut insolentissimos Numantinae urbis spiritus superiorum ducum culpa nutritos contunderet, eodem momento temporis, quo castra intrauit, edixit ut omnia ex his, quae uoluptatis causa conparata erant, auferrentur ac summouerentur. Nam constat tum maximum inde institorum et lixarum numerum cum duobus milibus scortorum abisse. Hac

1. Nam — quod] Persae *Γ*. || Iam *(prima litt. in rasura) A. Cf. praef. p.* 42. || 2. quam] *om. pr. A.* || implessent] *ante* annum *Torr.* conplessent *Par.* || 4. Ne — qui] Numide reges *Γ*. || numidae *BDEPar.* || 5. mortali *ΓTorr.* || quicquid *corr. A.* || 6. positom *pr. A.* || 7. conuenit] *hic inseruntur transposita quae supra exhibui inde a libri I cap.* 5. Deiotaro uero *usque ad fin. lib. I in Γ.* || 8. *Incipit h. l. lib. II in Γ.* || militari disciplina *E.* || 9. et ad] et *EΓ.* || inperii Romani *E.* || 10. sincere *D.* || 11. incolume *corr. A. Cf. uar. script. I,* 1, *ext.* 1. || 16. superborum *pr. Γ.* || 17. temporis momento *Torr.* || 18. ex is *pr. A. om. E. Vt nos Par.* || conperta *Γ.* || 19. inde *om. E.* || institutorum *pr. A.* || 20. lisarum *E.*

16. Herod. I, 136 non ante quintum, Strabo XV, p. 1066 B non ante quartum annum liberos a patre acceptos esse scribit.

VII, 1. Cf. Liu. epit. libr. LVII. Front. strat. IIII, 1, 1. Plut. apophth. duc. Rom. (Scip. min. 16.). App. Iber. 85, p. 207. Flor. II, 18, 9. Polyaen. strat. VIII, 16, 2.

turpi atque erubescenda sentina uacuefactus exercitus noster, qui paulo ante metu mortis deformi se foederis ictu maculauerat, erecta et recreata uirtute acrem illam et animosam Numantiam incendiis exustam ruinisque prostratam solo aequauit. Itaque neglectae disciplinae militaris indicium Mancini miserabilis deditio, seruatae merces speciosissimus Scipionis triumphus extitit.

Eius sectam Metellus secutus, cum exercitum in Africa Iugurthino bello nimia Sp. Albini indulgentia corruptum consul accepisset, omnibus imperii neruis ad reuocandam pristinae disciplinam militiae conisus est. Nec singulas partes adprehendit, sed totam continuo in suum statum redegit. Protinus namque lixas e castris submouit cibumque coctum uenalem proponi uetuit. In agmine neminem militum ministerio seruorum iumentorumque, ut arma sua et alimenta ipsi ferrent, uti passus est. Castrorum subinde locum mutauit. Eadem, tamquam Iugurtha semper adesset, uallo fossaque aptissime cinxit. Quid ergo restituta continentia, quid repetita industria profecit? Crebras scilicet uictorias et multa trophaea peperit ex eo hoste, cuius tergum sub ambitioso imperatore Romano militi uidere non contigerat. 2.

Bene etiam illi disciplinae militari adfuerunt, qui necessitudinum perruptis uinculis ultionem uindictamque laesae cum ignominia domuum suarum exigere non dubitauerunt. Nam P. Rupilius consul *eo bello, quod in Sicilia cum fugitiuis gessit, Q.* 3.

---

1. noster exercitus *Torr.* || 3. erecta uirtute recreataque *Torr.* || 5. manicini *pr. A.* || 8. iugurtino *A.* || bellio *D.* || 10. militiae disciplinam *Γ.* || cõnixus *E.* || ne *E.* || 11. suum] *post* statum *Torr.* suo *E.* || 14. et alimenta] *post* ferrent *Γ.* || 15. tamquam] ac *E.* || 18. tropaea *corr. A.* || 21. Bene — (23.) Nam *om. Γ.* || 23. Nam — consul *in marg. A.* || P. Rupilius] c. cotta *in rasura E.* p. rutilius *BCDΓ(?) et margo A.* || 24. eo bello — (*p.* 210, 3.) C. Cotta *om. BCEΓ et pr. AD.*

---

2. Cf. Sall. Iug. 44 et 45. Front. strat. IIII, 1, 2. Polyaen. VIII, 16. Eutrop. IIII, 27.

3. *P. Rupilius)* P. Rupilium eum consulem appellatum fuisse, qui in Sicilia contra fugitiuos bellum gessit, constat e fastis Capitolinis. Cf. Grut. inscr. p. 294. Erat collega P. Popillii Laenatis a. u. c. 622. Sed librarii non solum in Valerii (IIII, 7, 1. VI, 9, 8. IX, 12, ext. 1.), uerum etiam in Paridis, Ciceronis, Liuii, aliorum codicibus constanter fere notius Rutilii nomen minus trito substituerunt. Nam in Nepotiani epitome, quae recte Rupilium nunc tradit, editorem tacite codicis mendum sustulisse suspicor. Iam bonorum librorum et procul dubio etiam Bernensis ante quam ab emendatore interpolaretur scriptura erat haec, *Nam p. rutilius cons. p. aurelium filium pecuniolam sanguine sibi iunctum.* Exciderat igitur in archetypo, quod ex utroque Valerii compendio planum fit, huius exempli exitus proximique initium neglegentia uelocis librarii,

Fabium generum suum, quia neglegentia Tauromenitanam arcem amiserat, prouincia iussit decedere.

4. [*Nam*] *C. Cotta* P. Aurelium [filium] Pecuniolam sanguine sibi iunctum, quem obsidioni Liparitanae ad auspicia repetenda Messanam transiturus praefecerat, uirgis caesum militiae munere inter pedites fungi coegit, quod eius culpa agger incensus *et* paene castra erant capta.

5. Quintus etiam Fuluius Flaccus censor Fuluium fratrem consortem legionem, in qua tribunus militum erat, iniussu consulis domum

---

1. Taurominitanam *Torr.* || 3. Nam — Pecuniolam] *in rasura A.* || filium *om. E et corr. AD. Torr. incerta pr. AD.* || pecuriolam *D. om. Γ.* || sanguine sibi iunctum *om. Γ.* || 5. munera *pr. C.* muneri *corr. C.* || 6. et *om. BCDE et pr. A.* || 7. erant] fuerant *Torr. et post* capta *Γ.* || 8. Fuluium] fuluius *B.* || cohortem legionis *ABCDEΓTorr.*

---

simillibus figuris *cons.* et *cotta* decepti, ita ut ab altera statim ad alteram transiret. Omissa autem e Paridis epitome emendator libri Bernensis, erasis aliquot e genuinis Valerii uerbis, partim in margine, partim in rasura suppleuit, nihil mutans nisi quod *nam* addidit ante *C. Cotta.* Inde lacunae supplementum in recentiores codices transiit, modo item in marginibus ascriptum modo inter ipsa Valerii uerba insertum. Primarium uero auctorem olim copiosius paulo haec exposuisse colligimus ex altero huius exempli compendio in Nepotiani epitome eiusque uerbis *Q. Fabium generum conuiciis publice lacessitum prouincia expulit.*

4. Cf. Front. strat. IIII, 1, 31.

[*Nam*] *C. Cotta*) Qua auctoritate nitatur illud *nam* apparet ex iis, quae modo de lacunae supplemento admonuimus. Alienum enim a Paride, cui omnia haec debentur, quae cursiua distinximus scriptura, insertum est ex ingenio a censore libri Danielini. Valerius quo modo hoc exemplum inceperit indagari iam nequit. *Nam* certe propter praecedentia (*Nam P. Rupilius*) locum non habet.

P. Aurelium [*filium*] *Pecuniolam*) Vocem, quam uncis inclusi, priores editores omiserant, quod eam a melioribus libris abesse putabant. Quae tamen, etiamsi non comparet nunc in libris Bernensi, Berolinensi *D*, Guelferbytano *E*, cum lateat in his aut sub litura aut sub rasura, sine dubio erat olim in codice archetypo. Ortam autem suspicamur esse ex marginali interpretatione uerborum *sanguine sibi iunctum*, falsa quidem, sed in quam facile induci quis potuit praecedentibus *necessitudinum perruptis uinculis* et *ignominia domuum suarum.* Simpliciter P. Aurelium Pecuniolam cum appellant Paris et qui Valerium tantum non in singulis uerbis secutus est, Frontinus l. c.

et paene castra) Copulam *et*, quae casu quodam exciderat in cod. archetypo recte e Paridensi compendio inseruerat emendator libri Bernensis, cum causa sit nulla cur Valerium *ἀσυνδέτως* hasce sententiae partes composuerit. Vid. comment. nostrum ad VIII, 8, 2.

5. Cf. Liu. XL, 41. XLI, 27. Vell. I, 10, 6. Front. IIII, 1, 32.

fratrem consortem, legionem) Egregiam recepi Perizonii coniecturam, qua correxit codicum mendum *cohortem legionis.* Neque enim unam cohortem sed totam illam legionem, in qua tribunus militum erat, dimiserat Liuio (XL, 41) et Frontino testibus, eratque Fuluius tribunus Fuluii censoris frater non solum germanus sed etiam consors, ut referunt Liuius XLI, 27 e Valerio Antiate et Velleius l. c. Confirmatur nunc Perizonii coniectura, de qua nemo umquam prudens dubitauit, Paridis auctoritate, qui antiquam Valerii scripturam seruauit. Quae idem Paris ad uu. *dimittere exsum* addidit, *suis tamen mensibus*, petita sunt e Liu. XL, 41.

dimittere ausum senatu mouit. Non digna exempla † tam breuiter, nisi maioribus urgerer, referrentur. Quid enim tam difficile factu quam copulatae societati generis et imaginum deformem in patriam reditum indicere, aut communioni nominis ac familiae ueteris propinquitatis serie cohaerenti uirgarum contumeliosa uerbera adhibere, aut censorium supercilium aduersus fraternam caritatem destringere? Dentur haec singula quamuis claris ciuitatibus, abunde tamen gloria disciplinae militaris instructae uidebuntur.

6. At nostra urbs, quae omni genere mirificorum exemplorum totum terrarum orbem repleuit, imperatorum proprio sanguine manantes secures [habet], ne turbato militiae ordine uindicta deesset, ex castris publice speciosas, priuatim lugubres duplici uultu recepit, incerta gratulandi prius an adloquendi officio fungeretur. Igitur ego quoque haesitante animo uos bellicarum rerum seuerissimi custodes, Postumi Tuberte et Manli Torquate,

---

1. ausum] *add.* suis tamen mensibus *Par.* || Non — (9.) uidebuntur *om. Γ.* || Non] tam *in rasura D.* || exempla] *add.* quae *Torr.* || 3. factu] *in rasura C.* factum *pr. A.* fatu *E.* || deformam *pr. A.* || 7. distringere *A et corr. E. Vid. ad II, 9, 6.* || 8. instructa *corr. A.* || 10. At — (15.) quoque *om. Γ.* || quem *pr. C.* || 11. orbem terrarum *Torr.* || 12. manentes *(prius e puncto notatum et supra scriptum a) pr. A.* madentes *corr. A. Cf. VI, 8, 3.* || securus *pr. A.* || habet *om. (E) Torr.* || 13. e castris *Torr.* || 14. prius gratulandi *E.* || adloquendi] dolendi *(litt. dol in rasura) C.* lugendi *D.* || 16. Tuberte] *(Γ).* tiburte *ABCDE.* || mali *pr. A.* malli *EΓ.*

Non digna exempla † tam breuiter) Non solum grammatica ratio flagitat ut negationem cum adiectiuo *digna* neque, ut alii uoluerunt, cum uerbo *referrentur* coniungamus, uerum etiam sententiarum nexus, cum sequentia (*Quid enim* etc.) causam contineant, non cur omnino digna exempla non breuiter exponenda sint, sed cur haec potissimum exempla non digna uideantur quae obiter tantum attingantur. Sententiae igitur, et cum ea prioribus enarratoribus inde a Pighio, suffecerunt recentiorum aliquot codicum librarii, qui inserto relatiuo scripserunt *Non digna exempla quae tam breuiter — referrentur.* Sed grammaticae artis leges prohibent quo minus huius sententiae uerbum imperfecto tempore efferatur. Reliquorum conatus, Aldi (*Tam digna exempla tam breuiter — non referrentur*), Perizonii *(Tam digna exempla tam breuiter — referrentur?)*, aliorum, aut nullam probabilitatem habent aut magis etiam sententiae aduersantur. Equidem orationis, quam uitiosam esse nemo adhuc negauit, emendationem nondum inueni. Vereor autem ne maiore uulnere laboret quam plerumque uisum sit, omissis aliquot uerbis, incipientibus per *tam*; quibus suppletis haec fere fuerit sententia, non digna exempla tam angusto orationis ambitu; neque tam breuiter, nisi maioribus urgerer, referrentur.

6. *manantes securus [habet])* Incommoda interpolatio, in prioribus Valerii exemplis iam dudum e uerborum ordine remota, a me uncis inclusa, unde orta sit non difficile est intellegere. Inseruit illam uocem antiquo cuidam codici librarius, qui, ut solent isti homines, proxima tantum curans finitum uerbum, quod paulo remotius est ab initio periodi, desiderabat.

Manli Torquate) Obiter commemoro Manlii nomen in codice Bernensi per priora quinque uolumina et sexti initio uitiose scribi aut *Mallius* (III, 2, 6.)

memoria ac relatione conplector, quia animaduerto fore ut pondere laudis, quam meruistis, obrutus magis inbecillitatem ingenii mei detegam quam uestram uirtutem, sicut par est, repraesentem. Tu namque, Postumi dictator, A. Postumium, quem ad generis penetraliumque sacrorum successionem propagandam genueras, cuius infantiae blandimenta sinu atque osculis foueras, quem puerum litteris, quem iuuenem armis instruxeras, sanctum, fortem, amantem tui pariter ac patriae, quia non tuo iussu sed sua sponte praesidio progressus hostis fuderat, uictorem securi feriri iussisti, et ad hoc peragendum imperium paternae uocis ministerio sufficere ualuisti. Nam oculos tuos certum scio, clarissima in luce tenebris offusos, ingens animi opus intueri nequiuisse. Tu item, [Postumi] Torquate, Latino bello consul filium, quod prouocatus a Geminio Maecio, duce Tusculanorum, ad dimicandum te ignaro descenderat, gloriosam uictoriam et speciosa spolia referentem abripi a lictore et in modum hostiae mactari iussisti, satius esse iudicans patrem forti filio quam patriam militari disciplina carere.

1. qui *AD.* || 2. inbecillitate *A.* || ingenii mei] *ante* inbecillitatem *B.* || 4. m. postumium *D.* || 6. infiantiae *Γ.* || 9. suo *D.* || hostes *BCDEΓTorr.* || securi *om. E.* || 10. hoc *om. D.* || 11. uoluisti *D.* || Nam — (13.) nequiuisse *om. Γ.* || 12. in *om. D.* || opus animi *D.* || 13. Tu item] *in rasura A.* tu idem *B.* || Postumi] manli *D et in rasura AC, Torr.* malli *E.* || 14. prouocatum *A.* || Gemino *codd. Med. et Paris. Liu. VIII.* 7. || Maecio] *sic APar. codd. Med. et Paris Liu. l. c. Reliqui* Mecio *aut* Metio *cum Torr.* || 15. ignoro *Γ.* || 16. arripi *BC.* aripi *E.* || ab *C.* || 17. sanctius *E.* || sorte (?) *pr. D.*

quod recentiores quidam grammatici satis mire in Romanis scriptoribus Romani nominis tamquam Graecam formam defenderunt, aut *Manilius* (I, 7, 3. V, 4, 3. V, 8, 3. VI, 1, ext. 2.); in sequentibus recte Manlium exhiberi (VI, 3, 1. VI, 4. 1. VI, 6, 3. VI, 9, 1. IX, 3, 4.). Paridense compendium ueram scripturam tantum non semper seruauit.

Tu namque, Postumi) Cf. Liu. IIII, 29. A. Gell. XVII, 21, 17.

Tu item, [Postumi] Torquate) Accuratius paulo examinanti uarietatem scripturae a me enotatam dubium non erit quin archetypus liber olim exhibuerit *Tu item Postumi Torquate*, quod tamen a Valerio, qui supra uerum consulis nomen posuerat, esse nequit. Vnde sequitur ut aut mendum scripturae *(Postumi* pro *Manli)*, parum profecto credibile, aut interpolationem subesse statuamus librarii cuiusdam non attentissimi, quippe qui e commemoratione duorum hominum paulo ante praemissa mire alterius nomen gentilicium h. l. alteri tribuerit. Quorum nominum confusionem si sustulit corrector libri Danielini, nam huic uiro debetur quod in recentioribus quibusdam codicibus legitur, *Manli Torquate*, diligentiam eius in recensendo Valerio agnoscamus oportet; alium ei Valerii codicem ms. eumque integriorem ita emendandi auctorem fuisse negamus. Nam quod nos de interpolatione necessario conclusimus egregie Valerii compendiis confirmatur editis ab Ang. Maio, quorum utrumque solo cognomine Torquatum consulem appellat. De ipsa re enarrata cf. praeter alios Liu. VIII, 7. Front. strat. IIII, 1, 40. A. Gell. IX, 13, 20. Flor. I, 14. Oros. III, 9.

Age, quanto spiritu putamus usum L. Quintium Cincinnatum 7.
dictatorem eo tempore, quo deuictis Aequiculis et sub iugum missis L. Minucium consulatum deponere coegit, quod castra eius idem hostes obsederant? Indignum enim maximo imperio credidit quem non sua uirtus sed fossa uallumque tutum praestiterat, cuique uerecundiae non fuerat arma Romana metu trepida clausis portis contineri. Ergo imperiosissimi XII fasces, penes quos senatus et equestris ordinis et uniuersae plebis summum decus erat, quorumque nutu Latium ac totius Italiae uires regebantur, contusi atque fracti dictatoriae se animaduersioni substrauerunt. Ac ne inulta foret laesa gloria militaris, consul delicti omnis uindex punitus est. His, ut ita dicam, piaculis, Mars, imperii nostri pater, ubi aliqua ex parte a tuis auspiciis degeneratum erat, numen tuum propitiabatur, adfinium et cognatorum et fratrum nota, filiorum strage, ignominiosa consulum eiuratione.

Eiusdem ordinis quod sequitur. Papirius dictator, cum 8.
aduersus imperium eius Q. Fabius Rullianus magister equitum exercitum in aciem eduxisset, quamquam fusis Samnitibus in castra redierat, tamen neque uirtute eius neque successu neque nobilitate motus uirgas expediri eumque nudari iussit. O spectaculum admirabile! Et Rullianus et magister equitum et uictor scissa ueste spoliatoque corpore lictorum se uerberibus lacerandum praebuit, ut in acie exceptorum uulnerum nodosis ictibus cruore renouato uictoriarum, quas modo speciosissimas erat adeptus, titulos respergeret. Precibus deinde suis exercitus occasionem Fabio

1. §. 7. *om. Γ.* || Quintum *pr. D.* || 2. acquicurulis *A.* u. aequis *margo A.* Aequis *Par. Torr.* || sub] *om. C et pr. B.* in *corr. B.* || 3. L. *om. E.* || minicium *pr. A.* numitium *E.* || 5. quem] quod *E.* || tutum *om. E.* || 6. cuique] cui *E.* || 11. laeta *ABDE et pr. C.* || 12. dedicti *D.* || piaculi *pr. A.* || 13. o mars *E.* || 15. nata *AB.* nece *D.* || filiorumque *corr. A.* || 17. Eiusdem — sequitur *om. Γ.* || ordinis] *add.* est *Torr.* || 18. aduersum *E.* || rutilanus *ABCDEF et corr. Par.* u. rullianus *margo A.* || 22. rutilianus *ABDEΓ.* rutilianus *C.* || 23. se *om. Torr.* || lacerandus *Torr.* || 24. praebuit *om. Torr.* || 25. adeptus erat *Torr.* || 26. sui *BCDE.*

7. Cf. Liu. III, 29. Dion. Hal. X, 25.

8. Cf. Liu. VIII, 29 et sqq. Front. strat. IIII, 1, 39. Dio. Cass. exc. Vat. Mai. coll. II, p. 160, alii.

Q. Fabius Rullianus) Et aliorum scriptorum et Valerii codices h. l., III, 2, 9. V, 7, 1 solito errore Rutilianum e Rulliano fecerunt. Hoc enim cognomine usum esse Q. Fabium non solum fasti Capitolini (Grut. inscr. p. 291) demonstrant uerum etiam cod. Paridis Vaticanus h. l. et V, 7, 1, cuius antiqua scriptura est *Rullianus*. Aliis tamen et ipsi Liuio (XXIIII, 9, 8, XXX, 26, 8.) appellatur Rullus. Cf. interpr. ad Liu. VIII, 29, 9.

confugiendi in urbem dedit, ubi frustra senatus auxilium inplorauit. Nihilo minus enim Papirius in exigenda poena perseuerauit. Itaque coactus est pater eius post dictaturam tertiumque consulatum rem ad populum deuocare auxiliumque tribunorum plebi supplex pro filio petere. Neque hac re seueritas Papiri refrenari potuit. Ceterum, cum ab uniuersis ciuibus et ipsis tribunis plebi rogaretur, testatus est se poenam illam non Fabio sed populo et tribuniciae concedere potestati.

9. Lucius quoque Calpurnius Piso consul. cum in Sicilia bellum aduersus fugitiuos gereret et *C.* Titius, equitum praefectus, [fugitiuorum] multitudine hostium circumuentus arma iis tradidisset. his praefectum ignominiae generibus adfecit. Iussit eum toga laciniis abscisis amictum discinctaque tunica indutum nudis pedibus a mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiae adesse. Interdixit etiam ei conuictum hominum usumque balnearum, turmasque equitum, quibus praefuerat, ademptis

1. inpetrauit *E.* || 2. Nihilo — perseuerauit *om. pr. B.* || 4. auxiliumque] que *om. E et pr. D.* || 5. plebis *aut* pl. *CDEΓ Torr.* || 7. plebei *Γ.* plebis *aut* pl. *CDE Torr.* || est *om. Γ.* || non poenam illam se *Torr.* || 8. populo] *add.* Romano *(Γ) Torr.* || tribun- *(sic) A.* tribune *B.* tribunorum *CDEΓ.* || 9. bellum *om. pr. B.* || 10. aduersus] apud *Γ.* || et C. Titius] et titius *ABCDE.* titium *Γ.* || equitum praefectus] praefectum equitum quod *Γ.* || fugitiuorum] *om. Par. punctis notatum corr. A. sine uncis Torr.* || 11. hostium *om. Γ.* || circumuentus] *add.* se *corr. A.* || arma iis] armatis *A.* arma his *(uel* hiis) *BCD.* hostibus arma *Γ.* || 12. his] is *B.* || praefectum *om. Γ.* || adfici *A.* affici *BCDEΓ. Correxit Pigh.* || cum *A.* || 13. abscissis *CE Torr.* || decinctaque *ABCDEΓ. Vt nos Par.* || 15. adesset *CΓ et pr. AB.* aduxit *D.* || 16. balneorum *CD.* balnerum *Γ.* || adeptis *BΓ.*

tribuniciae concedere potestati) Vulgatam hanc scripturam retinendam esse censui, quamuis plerique codd. tradant *tribunorum.* Nam cum dubium sit libri Bernensis testimonium *(tribun - concedere potestati)*, proximus ab eo cod. Vindobonensis *B (tribune)* indicare uidetur Valerium Liuii uerba reddidisse, apud quem (VIII, 35) Papirius ita loquitur, 'donatur populo Romano, donatur tribuniciae potestati.'

9. Cf. Front. strat. IIII, 1, 26.

et C. Titius) Praenominis notam, alienam ab omnibus codicibus, primus suppleuit Pighius e Frontino, ut equidem opinor, a quo item Gaius Titius uocatur. A Valerio eam positam esse demonstrat Paridense compendium. Interiit igitur in cod. archetypo illud *c* inter duas litteras eiusdem fere figurae (τ).

[fugitiuorum] multitudine hostium) Inepte prorsus in codd. mss. fugitiuorum significatio in denotandis hostibus repetitur, cum modo commemoratum sit bellum aduersus fugitiuos gestum. Quapropter *fugitiuorum*, quod ad interpretandam u. *hostium* ascriptum esse persuasum habeo, secłusi, non nihil adiutus Paridis auctoritate, qui eodem uocabulo omisso simpliciter posuit *multitudine hostium circumuentus*, unde factum est ut emendator libri Danielini illud *fugitiuorum* punctis suppositis deleret. Laudo Pighium ante me his uerbis offensum; non probo expungentem secundum cod. Susianum (Cauchianum debebat dicere) alterum genitiuum, *hostium*, tamquam 'e ludimagistri dictatis assutum', cum is ipse sit aptissimus.

equis in funditorum alas transcripsit. Magnum profecto dedecus patriae pari sontium dedecore uindicatum est, quoniam quidem id egit Piso, ut qui cupiditate uitae adducti cruce dignissimis fugitiuis trophaea de se statuere concesserant libertatique suae seruili manu flagitiosum inponi iugum non erubuerant, amarum lucis usum experirentur mortemque, quam effeminate timuerant, uiriliter optarent.

Nec minus Pisone acriter Q. Metellus. Qui, cum apud Contrebiam res gereretur, conlocatas a se in quadam statione quinque cohortes atque ex ea uiribus hostium depulsas repetere

2. patriae] pariae *pr. A.* pari ẽ *corr. A. add.* magno *margo C et Torr.* || pari sontium] pisonium *C et pr. A.* pisonum *B, pr E, corr. A.* pisonis *D et corr. E, Torr.* horum *Γ.* || decore *D et corr. E, Torr.* || est *om. A.* || 3. id] hoc *D.* || uitae — dignissimis *om. Γ.* || dignissima *ACE et corr. D. incerta pr. BD.* || 4. libertatique — (5.) erubuerant *om. Γ.* || 6. effeminate *om. pr. D.* || timuerunt *ACDE.* || 8. Nec — acriter *om. Γ.* || Q. Metellus] *in rasura A.* q. messius *B CDE.* Q. etiam Messius *Γ.* || Qui *om. Γ.* || 9. trebiam *ABCDEΓ.* || conlocata *pr. A.* || 10. depulsis *BC et pr. A.*

Magnum profecto) Edebatur huc usque inde a Pighio *Magnum profecto dedecus patriae magno Pisonis decore uindicatum est.* Licuisset auctori Pisonem honorifice propter egregie restitutam disciplinam militarem decus patriae appellare; ipsum illud factum absolute decus nec potuit dicere nec dixit. Longe enim alia uerba Valerium posuisse consentiens bonorum librorum testimonium comprobat, quod in archetypo codice olim sic scriptum fuisse declarat, *Magnum profecto dedecus patriae pisonium dedecore uindicatum est*, e quibus reliquorum discrepantia facile explicatur. Nec magis quam de tradita scriptura ambigendum de sententia, quam his uerbis exposuerat Valerius. Dixit haud dubie magnum illud dedecus, quod patria perpessa esset C. Titii praefecti et equitum illorum ignauia, uindicatum esse simili eorum dedecore, ignominiosis scilicet peccantium poenis. Quam sententiam liquet recte iam percepisse abbreuiatorem Guelferbytanum, cum omisso Pisonis uel Pisonum nomine scriberet *horum dedecore*. Equidem leni mutatione e *pisonium* effeci *pi sontium* i. e. *pari sontium*. Similiter VI, 3, 8 seueri Publiciae et Liciniae ueneficarum propinqui mature 'sontium uindices' extitisse dicuntur. Cf. Tac. IIII ann. 71, *has atque alias sontium poenas*. Fateor quidem me nescire utrum compendium illud *(p = par)*, quod mendi causam praebuisse significaui, inferioribus temporibus sane usitatissimum, nono iam saeculo in codicibus mss. adhibitum sit, quod syllabae *per* et *par* frequenter uel in antiquissimis libris confusae probabile reddunt. Sin minus, excidisse in archetypo tres litteras statuendum, quibus suppletis genuinam scripturam restitui.

10. Cf. Vell. II, 5. Front. strat. IIII, 1, 23. Auct. de uir. ill. 61.

Q. Metellus) Archetypi libri corruptela, *q. messius*, unde orta sit diuinare nequeo. Constat autem Q. Metellum Macedonicum hoc seueritatis genere apud Contrebiam, Hispaniae oppidum, labentem legionariorum fortitudinem correxisse. Veram scripturam seruauit Iul. Paris, e quo emendatus est liber Bernensis, ut etiam paulo post, ubi pro Contrebia in omnibus codd. positâm uidemus Trebiam, confusis notissimi fluminis et oppidi nominibus., in libro Bernensi praepositionis *con*, recentiore manu praefixae et denuo erasae uestigia tantum quaedam manserunt. Idem uitium VII, 4, 5 quoque codices et nostros Valerii omnes et Paridensis compendii Vaticanum inuasit, ubi de eadem Contrebiae oppugnatione agitur.

eandem stationem e uestigio iussit, non quod speraret ab his amissum locum recuperari posse, sed ut praeteritae culpam pugnae insequentis certaminis manifesto periculo puniret. Edixit etiam ut, si quis ex his fugiens castra petisset, pro hoste interficeretur. Qua seueritate conpressi milites, et corporibus fatigatis et animis desperatione uitae inplicatis, loci tamen iniquitatem multitudinemque hostium superarunt. Humanae igitur inbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas.

11. In eadem prouincia Q. Fabius Maximus ferocissimae gentis animos contundere et debilitare cupiens mansuetissimum ingenium suum ad tempus deposita clementia saeuiore uti seueritate coegit. Omnium enim, qui ex praesidiis Romanorum ad hostes *transfugerant* captique erant, manus abscidit, ut trunca prae se brachia gestantes metum defectionis reliquis inicerent. Rebelles itaque manus a corporibus suis distractae inque cruentato solo sparsae ceteris ne idem committere auderent documento fuerunt.

12. Nihil mitius superiore Africano. Is tamen ad firmandam disciplinam militarem aliquid ab alienissima sibi crudelitate amaritudinis mutuandum existimauit. Siquidem deuicta Karthagine, cum omnes, qui ex nostris exercitibus ad Poenos transierant, in suam potestatem redegisset, grauius in Romanos quam in Latinos transfugas animaduertit. Hos enim tamquam patriae fugitiuos crucibus adfixit, illos tamquam perfidos socios securi percussit. Non prosequar hoc factum ulterius, et quia Scipionis est et quia Romano sanguini, quamuis merito perpesso, seruile supplicium insultare non adtinet, cum praesertim trans-

---

1. iussit e uestigio *E.* || ab iis *D Torr.* || 2. praeterita *Γ.* || 3. sequentis *Γ et pr. D.* || puniret] periret *B.* || Et dixit *pr. A.* || 7. multitudinemque] que *om. Γ.* || 9. §. 11. *om. Γ.* || eademque *corr. D.* || prouincia q. fabius] *in rasura A.* || 11. saeuiore] seueriore *ABCDE.* || 12. Romanis *Torr.* || hostem *Par.* || transfugerant] fugerant *BCDE et pr. A. Vt nos etiam Par.* || 13. captique erant *om. pr. D.* || truncata *D.* || 14. gerentes *Par.* || defectionis metum *Torr.* || 15. destrictae *corr. A.* districtae *BD, pr. A et altero* i *in rasura C.* disiectae *E.* || 17. §. 12. *om. Γ.* || ad firmandam] affirmandam *B.* || 19. aestimauit *D.* || 21. redigisset *C.* || 23. illos] *add.* autem *corr. D.* || 26. seruire *corr. C.* || ad ea transire *BD.*

---

11. Cf. Front. strat. IIII, 1, 42.

saeuiore uti seueritate) Nimis profecto inepta illa, quam omnes libri tuentur, seuerior seueritas ne Valerio quidem, quem eiusmodi lusibus et festiuitatibus ualde gauisum esse scimus, recte imputari posse uidebatur, cum interim facile neglegens aliquis librarius in hoc mendum incidere potuerit. Quod nos edidimus uideo iam extare in ed. Veneta a. 1478.

12. Cf. Liu. XXX, 43.

ire ad ea liceat, quae sine domestico uulnere gesta narrari possunt.

Nam posterior Africanus euerso Punico imperio exterarum 13.
gentium transfugas in edendis populo spectaculis feris bestiis obiecit, et L. Paulus Perse rege superato eiusdem generis et cul- 14.
pae homines elephantis proterendos substrauit, utilissimo quidem exemplo, si tamen acta excellentissimorum uirorum humiliter aestimare sine insolentiae reprehensione permittitur. Aspero enim et absciso castigationis genere militaris disciplina indiget, quia uires armis constant. Quae ubi a recto tenore desciuerint, oppressura sunt, nisi opprimantur.

Sed tempus est eorum quoque mentionem fieri, quae iam 15.
non a singulis uerum ab uniuerso senatu pro militari more obtinendo defendendoque administrata sunt. L. Marcius tribunus militum, cum reliquias duorum exercituum Publii et Gnaei Scipionum, quos arma Punica in Hispania absumpserant, dispersas mira uirtute collegisset earumque suffragiis dux esset creatus, senatui de rebus actis a se scribens in hunc modum orsus est, 'L. Marcius pro praetore'. Cuius honoris usurpatione uti eum patribus conscriptis non placuit, quia duces a populo non a militibus creari solerent. Quo tempore tam angusto, tam graui propter inmane rei publicae damnum etiam tribunus militum adulandus erat, quoniam quidem ad statum totius ciuitatis corrigendum unus suffecerat. Sed nulla clades, nullum meritum ualentius militari disciplina fuit.

Succurrebat enim illis quam animosa seueritate Tarentino

---

3. §. 13. *om. Γ.* || 5. obiecerit *(litt.* cerit *in rasura, B.* || §. 14. *om. Γ.* || 6. obterendos *Par.* || 8. Aspero] *in rasura C.* || 10. a recto] arrepto *E.* || descipuerint *E.* desciuerunt *Torr.* || 12. Sed — (25.) disciplina fuit *om. Γ.* || 14. administranda *AB et pr. C.* || m. marcius *E.* || 16. hispaniam *AB, pr. C, corr. D.* || assumpserant *CE.* || dispersa *A et pr. C.* || 18. usus *Par.* || 19. L. Marcius] marcius tribunus *E.* || propraetor *D.* || 21. angusto] iniusto *A.* inusto *BCD.* mesto *E.* || quam graui *corr. C.* tamque graui *Torr.* || 22. tribunis *pr. A.* || 26. Succurrebat — (*p.* 218, 1.) In quo] Bello tarentino *Γ.* || terentino *C.*

---

13. Cf. Liu. epit. libr. LI.

15. Cf. Liu. XXVI, 2.

tam angusto, tam graui) Quod uulgatae editiones proferunt, *tam angusto*, etiamsi mera coniectura est, cum proxime ad archetypi mendosam scripturam *tam iniusto* aut *tam inusto* accederet, retinendum duxi. Non item copulam, quam eadem exempla alteri *tam* adiunxerant; nam in oratione celerius decurrente atque concitata saepius asyndeto usus est Valerius. Cf. ad VIII, 8, 2.

Succurrebat enim) Cf. Front. strat. IIII. 1, 18.

bello maiores eorum usi fuissent. In quo quassatis et adtritis rei publicae uiribus, cum magnum captiuorum ciuium suorum numerum a Pyrro rege ultro missum recepissent, decreuerunt ut ex iis qui equo meruerant peditum numero militarent, qui pedites fuerant in funditorum auxilia transcriberentur, neue quis eorum intra castra tenderet, neue locum extra adsignatum uallo aut fossa cingeret, neue tentorium ex pellibus haberet. Recursum autem his ad pristinum militiae ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset. Quibus suppliciis conpressi ex deformibus Pyrri munusculis acerrimi hostes extiterunt.

Parem iram senatus aduersus illos destrinxit, qui apud Cannas rem publicam deseruerant. Nam cum eos grauitate decreti ultra mortuorum condicionem relegasset, acceptis a M. Marcello litteris, ut eorum sibi opera ad expugnationem Syracusarum uti liceret, rescripsit indignos esse qui in castra reciperentur. Ceterum se ei permittere ut faceret quod expedire rei publicae iudicasset, dum ne quis ex his munere uacaret aut dono militiae donaretur aut in Italiam, donec hostes in ea essent, accederet. Sic eneruis animos odisse uirtus solet.

Age, quam grauiter senatus tulit quod Q. Petilium consulem fortissime aduersus Ligures pugnantem occidere milites passi essent? Legioni neque stipendium anni procedere neque aera dari uoluit, quia pro salute imperatoris hostium se telis non obtulerant, idque decretum amplissimi ordinis speciosum et aeternum Petilî monumentum extitit, sub quo in acie morte, in curia ultione clari cineres eius adquiescunt.

---

2. cum] *add.* maiores nostri *Γ*. || 3. docuerunt *Γ*. || 4. his *BPar.* hiis *CDE.* eis *Γ*. || 5. fuerant] *add.* in fuerant *Γ*. || in *om. pr. D.* || nequis *BE.* || 6. inter *C.* || 7. cingerit *B.* || 8. iis *Torr.* || 11. Parem — (19.) solet] *haec transponuntur post uu. huius* §. (*p.* 219, 4.) capi non potuisse *Γ*. || senatus] *om. Γ. post* illos *Torr.* || illos] eos *Γ*. || distrinxit *DΓ et corr. ABE.* u. destrinxit *margo A. Vt nos etiam Par. Vid. ad II,* 9, 6. || 14. marcellio *E.* || syracusanorum *ABCDEΓ.* u. syracusarum *margo A. Vt nos etiam Par.* || 15. rescripsit] *in rasura A.* transcribit *DΓ.* || qui] ut *D.* || 17. ex eis *Torr.* || ut dono *pr. A.* || 18. italia *ABCD.* || 19. enéruos *corr. A.* enerues *CDEΓ et corr. B, Torr. incerta pr. B.* || 20. * $\overline{q}$. petilium *A.* $\overline{p}$. $\overline{q}$. petilium *BCE.* p. quincium petilium *D.* p. quintum petilium *Γ. Vt nos Par.* || 22. Legioni] *add.* que *E. add.* enim *(Γ) Torr.* || 23. telis se *Torr.* || optulerunt *B.* obtulerunt *CE.* || 24. idque] illudque *D. add.* ad *E.* || 26. acquiescit *pr. B.* quiescit *corr. B.*

Parem iram) Cf. Liu. XXV, 5 et sqq. Front. strat. IIII, 1, 44. Plut. Marcell. 13.

Age, quam grauiter) Cf. Front. strat. IIII. 1, 46.

Consimili animo, cum ei Hannibal VI milium Romanorum, quae capta in castris habebat, redimendorum potestatem fecisset, condicionem spreuit, memor tantam multitudinem armatorum iuuenum, si honeste mori uoluisset, turpiter capi non potuisse. Quorum nescio utrum maius dedecus fuerit quod patria spei an quod hostis metus nihil in his reposuerit, haec pro se, ille ne aduersus se dimicarent parui ducendo.

Sed cum aliquotiens senatus pro militari disciplina seuere excubuerit, nescio an tum praecipue, cum milites, qui Regium iniusto bello occupauerant mortuoque duce Iubellio M. Caesium scribam eius sua sponte imperatorem delegerant, carcere inclusit, ac M. Fuluio Flacco tribuno plebi denuntiante ne in ciues Romanos aduersus morem maiorum animaduerteret, nihilominus propositum executus est. Ceterum quo minore cum inuidia id peragereretur, quinquagenos per singulos dies uirgis caesos securi percuti iussit, eorumque corpora sepulturae mandari mortemque lugeri uetuit.

Leniter hoc patres conscripti, si Karthaginiensium senatus Ext. 1. in militiae negotiis procurandis uiolentiam intueri uelimus, a quo

---

1. VI^{um} *A.* VI * * *B.* VI$^{m.}$ *CD.* sex milia *E.* VIII *Γ.* || 3. conditionem *(A.)* || 4. uoluissent *Torr.* || 5. Quorum — (17.) lugeri uetuit *om. Γ.* || decus *corr. C.* || fuit *E.* || 7. dimicaret *ABCD.* || ducendo] *in rasura D.* pendendo *Torr.* || 8. aliquoties *pr. A.* || 9. Regium] *sic APar. Cf. Morisan. inscr. pp.* 266, 339. *Orell. inscr. n.* 3308. *cod. Med. Tac. ann. I,* 53, *alii.* regulum *BE.* || 10. bubillio *D et pr. A.* bubellio *BC.* budelio *E.* uibellio *corr. A. Vt nos Par. Cf. III,* 2. *ext.* 1. || censum *B.* || 11. delegarent *E.* || 12. m. furio *ABCEPar.* subinde fuluio *D.* || plebis *aut* pl. *BCDEPar. Torr.* || 13. maiorem *B.* || 18. Leniter — (19.) a quo] Senatus autem Carthaginiensium *Γ.* || leuiter *DE.* || haec *E.*

Consimili animo) Cf. Liu. XXII, 58 et sqq., apud quem c. 60 T. Manlius in senatu de septem captiuorum millibus loquitur, c. 59 M. Iunius, legatorum princeps, minus, ut uidetur, accurate non minorem octo millibus eorum numerum dicit. Fieri igitur potest ut Valerius quoque VII, non VI milia posuerit, quod tamen, cum Paris hanc narrationem praeterierit, discerni nequit. Cf. etiam A. Gell. VII, 18.

Sed cum aliquotiens) Cf. Liu. epit. libr. XV. Polyb. I, 7. Dion. Hal. exc. Vat. 67. Mai. coll. II, p. 525. Front. strat. IIII, 1, 38. App. exc. ap. Vales. p. 553. Samnit. 9, alii.

M. Fuluio Flacco) Vetus iam mendum non solum archetypum codicem foedauit sed etiam eum Valerii librum, quo usus Paris epitomam suam concinnauit, cum uterque exhibuerit *Furio* pro *Fuluio.* Flacci enim non erant inter Furios sed inter Fuluios. Emendauit hanc corruptelam Pighius, nescio utrum e coniectura an, quod idem ualet, e recentioribus libris.

quinquagenos) Dion. Hal. l. c. tricenos singulis diebus, in uniuersum quattuor millia quingentos milites securi percussos esse refert. Polybius e tota legione trecentos tantum in Romanorum potestatem uenisse narrat.

Ext. 1. Cf. auct. de uir. ill. 38.

duces bella prauo consilio gerentes, etiam si prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen suffigebantur, quod bene gesserant deorum inmortalium adiutorio, quod male commiserant ipsorum culpae imputantes.

2. Clearchus uero, Lacedaemoniorum dux, egregio dicto disciplinam militiae continebat, identidem exercitus sui auribus inculcando a militibus imperatorem potius quam hostem metui debere. Quo aperte denuntiabat futurum ut spiritum poenae inpenderent, quem pugnae acceptum ferre dubitassent. Idque a duce praecipi non mirabantur maternarum blanditiarum memores, quae iis exituris ad proeliandum monebant ut aut uiui cum armis in conspectum earum uenirent aut mortui in armis referrentur. Hoc intra domesticos parietes accepto signo Spartanae acies dimicabant. Sed aliena prospexisse tantummodo satis est, cum propriis multoque uberioribus et felicioribus exemplis gloriari liceat.

2. affigebantur *corr. E.* || 3. adiutorium *ABC.* || 4. imputando *Γ.* || 5. Clearcus *BCEΓ et pr. A. Vt nos etiam Par.* || Lacedemonium *pr. A.* Lacedemoniorum *corr. A.* lacedemonum *BC.* || 10. quae] quibus *Γ.* || is exituris *A.* eis exituris *BCD.* eos exituros *E.* exituri *Γ.* exituros eos *Torr.* || 11. monebantur *DΓ.* || 12. eorum *E.* || inermes *D.* || Hoc — (15.) liceat *om. Γ.*

2. Cf. Front. strat. IIII, 1, 17.

pugnae acceptum ferre dubitassent) Io. Fr. Gronouius in epistula ad Vorst. data suspicatur scribendum esse *expensum ferre*, procul dubio quia desiderabat impendendi et erogandi notionem, eodemque errore inductus summus Perizonius coniecit *quem fugae acceptum ferre non dubitassent.* Praeter necessitatem: sententia enim haec est, poenae eos impensuros uitam, quam e proelio tamquam pugnae donum referre noluissent. Acceptam autem aliquam rem ferre eodem sensu aliquis dicitur, quo nos iemandem etwas verdanken. Cf. Val. I, 5, ext. 2. V, 7, ext. 1. VIII, 2, 3. Cic. Phil. II, 5, 12 et 22, 55. id. ad Att. XI, 1, 2. de nat. deor. III, 36, 86. Senec. ep. 78, 2. Itaque Frontinus haec Valerii uerba sic reddidit, *significans eos, qui in proelio dubiam mortem timuissent, certum, si deseruissent, manere supplicium.*

quae iis exituris — monebant) Ablatiui absoluti, quos omnium bonorum librorum consensu restitui, non uno nomine insolentissimi sunt ac durissimi. Primum enim, cum persona iis subiecta obiecti locum in primaria sententia teneat, participium accusatiuo casu positum desideres. Deinde in his ablatiuis, quos absolutos dicere solemus, antiquiores certe scriptores futuri temporis participia euitarunt. Alterius *ἀνομαλίας*, ablatiuorum consequentiae pro participio uerbo finito subiciendo positorum, etiamsi rara, notissima tamen grammaticis sunt exempla (cf. Haase ad Reisig. vorl. üb. Lat. sprachw. n. 590. Krüger. gramm. §. 500, not. 7. Madvig. §. 428, not. 5.), e quibus unum illud commemoro non dissimile huic loco, Caes. b. G. VII, 4, *Vercingetorix — conuocatis suis clientibus facile incendit.* Nam Valerius utrum in hoc genere I, 6, ext. 1 composuerit *Eodem montem Athon uix tandem transgresso — Lacedaemonis inuadendae consilium agitanti admirabile inter caenam prodigium incidit*, quod sane codices omnes confirmant, ualde dubium est. Futuri autem temporis in his participiis exempla congessit Zumptius gramm. §. 643, quibus addo ipsius Valerii I, 7, 3. IX, 3, ext. 3. Itaque probabile saltem est Valerium ita scripsisse, quem ad modum nos edidimus, et multo quidem proba-

Disciplina militaris acriter retenta principatum Italiae Romano VIII.
imperio peperit, multarum urbium, magnorum regum, ualidissimarum gentium regimen largita est, fauces Pontici sinus patefecit, Alpium Taurique montis conuulsa claustra tradidit, ortumque e paruula Romuli casa totius terrarum orbis fecit columen. Ex cuius sinu quoniam omnes triumphi manarunt, sequitur ut de triumphandi iure dicere incipiam.

DE IVRE TRIVMPHANDI.

Ob leuia proelia quidam imperatores triumphos sibi decerni 1.
desiderabant. Quibus ut occurreretur, lege cautum est ne quis triumpharet, nisi qui quinque milia hostium una acie cecidisset. Non enim numero sed gloria triumphorum excelsius urbis nostrae futurum decus maiores existimabant. Ceterum ne tam praeclara lex cupiditate laureae oblitteraretur, legis alterius adiutorio fulta est, quam L. Marcius et M. Cato tribuni plebei tulerunt. Poenam enim imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in proelio aut amissorum ciuium falsum numerum litteris senatui ausi essent referre, iubetque eos, cum primum urbem intrassent, apud quaestores urbanos iurare de utroque numero uere ab his senatui esse scriptum.

Post has leges iudicii illius tempestiua mentio introducetur, 2.
in quo de iure triumphandi inter clarissimas personas et actum et excussum est. C. Lutatius consul [Catulus] et Q. Valerius

1. Disciplina] *praemittit inscriptionem* De iure triumphandi *Torr.* || 2. peperit] *add.* et *E Torr., quod expunxit Kapp.* || 3. ponti *Γ.* || 5. fecit orbis *Γ.* || 6. Ex — (7.) incipiam *om. Γ.* || 8. triumphati *C.* triumphi *D.* || 9. §. 1. *om. Γ.* || 11. hostium] *add.* in *E.* || occidisset *D.* || 15. l. marius *ABCDE Torr.* P. Marcius *Par.* || plebeii *E.* pl. *Par. Torr.* || 18. iubetque] que *om. E.* || 19. iurare] *post* numero *E.* || 21. §. 2. *om. Γ.* || 23. C. Lutatius] *praenomen om. D.* || Catulus *om. (E), corr. A, Torr. incerta pr. A.* || et quintus ualerius pr̃. *in rasura A.*

bilius quam librarium a simplicissimo et aptissimo accusandi casu *(eos exituros)* in hanc insolentem formam aberrasse. Ceterum notabilis, etiamsi falsa, abbreuiatoris Guelferbytani coniectura est *quibus exituri — monebantur.*

VIII, 1. *L. Marcius et M. Cato)* Codd. *L. Marius.* Quamquam nihil de hoc M. Porcii Catonis in tribunatu collega constat, credo tamen praeferendum esse nomen Paridensi compendio traditum, cum post C. Marium C. F. nulli amplius inclaruerint eo tempore Marii, sed plures fuerint Marcii, affinitate etiam cum M. Catone coniuncti, quem L. Marcii Philippi filiam in matrimonio habuisse notum est. Fortasse igitur idem h. l. denotatur L. Marcius Philippus, qui paulo post (a. 698) consul erat, frater Marciae, ut mihi uidetur, Catonis uxoris, siquidem Lucii praenomen recte seruarunt codices nostri. Nam in eo quoque a Valerianis libris discrepat Paridensis epitome.

2. *C. Lutatius consul [Catulus])* Lutatii cognomen in codice archetypo additum fuisse omnium bonorum librorum consensus declarat; nam in Bernensi

praetor circa Siciliam insignem Poenorum classem deleuerant. quo nomine Lutatio consuli triumphum senatus decreuit. Cum autem Valerius sibi quoque eum decerni desideraret, negauit id fieri oportere Lutatius, ne in honore triumphi minor potestas maiori aequaretur, pertinaciusque progressa contentione Valerius sponsione Lutatium prouocauit, nisi suo ductu Punica classis esset oppressa; nec dubitauit restipulari Lutatius. Itaque iudex inter eos conuenit Atilius Calatinus, apud quem Valerius in hunc modum egit, consulem ea pugna in lectica claudum iacuisse, se autem omnibus imperatoris partibus functum. Tunc Calatinus priusquam Lutatius causam suam ordiretur 'Quaero', inquit, 'Valeri, a te, si dimicandum necne esset contrariis inter uos sententiis dissedissetis, utrum quod consul an quod praetor imperasset maius habiturum fuerit momentum'? Respondit Va-

2. decreuit] decernit *E.* || 3. eum quoque *Torr.* || desideraret decerni *E.* || 5. contentio ē (*i. e.* est) *E.* || 6. ni *Torr.* || doctu *pr. A.* || 9. ea] in ea *DE.* || 10. imperatoris *DE et corr. A. Torr. Cf. Cic. epp. III*, 10, 1. || 12. a te ualeri *B.* || si] *add.* an *E.* || contrariis — (14.) imperasset *om. pr. B.* || 14. monumentum *B.*

procul dubio sub litura sequentium uerborum latet. Verum id non a Valerio profectum sed a uiro quodam docto in margine antiquissimi nescio cuius libri adiectum et inde in uerborum ordinem intrusum esse eo colligitur, quod et falsum occupauit locum et omnino abest a compendio Iulii Paridis, qui nomina propria a Valerio posita illibata atque incorrupta retinere solet. Eadem quae mihi secludendae, emendatori libri Danielini expungendae uocis causa erat.

nisi suo ductu) Cum sollemnis in sponsionibus formula sit, quae incipiat per *si* aut per *ni*, recte editores alterum hoc pro eo, quod codices exhibent, *nisi*, quodque nusquam in his stipulationibus usurpatum inueni, restituisse uideri possent, ni alibi quoque scriptor neglecta propria sponsionis formula suis uerbis suo iure rem, de qua stipulati sunt aduersarii, introduxisset. Nam quamuis nemo umquam in sponsione rem controuersam per *quod* inceperit exponere, licuit tamen Valerio VI, 1, 10 C. Cornelium dicentem referre paratum se esse sponsionem facere, *quod adulescens palam atque aperte corpore quaestum factitasset*, et VII, 2, 4 a M. Lutatio Pinthia iudicem aditum dicere de sponsione, *quod uir bonus esset*. Eodem igitur iure auctor adhibita particula, quae si non usurpata est in ipsa stipulationum formula, eandem tamen uim habet atque illa, qua utebantur uulgo qui sponsione aliquem prouocabant, scribere poterat, Valerium sponsione prouocasse aduersarium, *nisi suo ductu Punica classis esset oppressa*. Ipsa autem sponsionis formula erat, *'Si Punica classis meo ductu oppressa est, sestertios (centum) nummos dare spondes?'* Non omnino tamen negauerim fieri potuisse ut Valerius Maximus *ni* posuerit eique e sequentis uocabuli (*suo*) initio altera illa syllaba adhaeserit. Magis dubito num recte auctor dixerit non dubitasse Lutatium restipulari, cum certe teste Gaio inst. IIII, 94 in illa sponsione, quae non poenalis sit sed praeiudicialis, quaeque propter hoc solum fiat ut de alia re iudicetur (h. l. de triumphi honore), aduersarius omnino non restipuletur. Voluit autem hoc Valerius, non dubitasse Lutatium accipere illam sponsionem uel respondisse interroganti aduersario 'Spondeo'. Quam actionem equidem parum accurate scribentem restipulandi uerbo eum significasse opinor.

lerius non facere se controuersiam quin priores partes consulis essent futurae. 'Age deinde', inquit Calatinus, 'si diuersa auspicia accepissetis, cuius magis auspicio staretur'? 'Item', respondit Valerius, 'consulis'. 'Iam hercule', inquit, 'cum de imperio et auspicio inter uos disceptationem susceperim et tu utroque aduersarium tuum superiorem fuisse fatearis, nihil est quod ulterius dubitem. Itaque Lutati, quamuis adhuc tacueris, secundum te litem do'. Mirifice iudex, quod in manifesto negotio tempus teri passus non est. Probabilius Lutatius, quod ius amplissimi honoris constanter defendit. Sed ne Valerius quidem inprobe, quia fortis et prosperae pugnae ut non legitimum ita * * praemium petit.

Quid facias Cn. Fuluio Flacco, qui tam expetendum alis 3.

4. consulis] *add.* At iudex: *Torr.* || iam] in rasura *A.* nam *BE et pr. C.* || hercules *(sed litt.* es *in rasura) A.* mehercule *Torr.* || 5. susceperī * * *corr. A. incerta pr. A.* susceperitis *BCE.* || 6. utroque] *post* tuum *E.* || 8. te litem do] delitendo *B.* || iudex] *add.* egit *D.* || 11. ita] *addunt* dignum se. l'. debitum *margo A.* al. dignum se *margo D.* optandum *E.* se dignum *Torr.* || 12. petit *E Torr.* || 13. §. 3. *om. Γ.* || ca. fuluio *pr. D. G. Fuluium appellat Nep.* || expectendum *E.* || aliis *BCDE Torr.*

disceptationem susceperim) Ita non male emendator libri Bernensis immutauit archetypi codicis scripturam *susceperitis*. Nam etsi disceptatio non solum arbitri sit, uerum etiam ipsae partes uerbis inter se disceptare dicantur (cf. praeter Liuium XXXIX, 24, 14, a Torrenio citatum, Cic. de diu. II, 72, 150. Liu. XXI, 19, 1. A. Gell. XX, 5, 3. Pompon. in dig. de orig. iur. I, 2, §. 6.), tamen *suscipiendi* uerbum affatim declarat auctorem de arbitri cognitione cogitasse, non de litigantium disceptatione, in qua sententia cum persuasum habeo scripturum fuisse *cum — inter uos disceptatio sit*. Secundam pluralis numeri personam librarius introduxisse uidetur, quia eadem saepius iam praecesserat adhibita in designandis litigantibus (*dissedissetis, accepissetis*). Probarunt quod nos cum prioribus exemplis edidimus Vorstius et Torrenius.

*ita * * praemium*) Notaui lacunam archetypi codicis, cum excideril adiectiuum aut participium quoddam, pertinens ad *praemium* et oppositum alteri eius nominis adiectiuo, *legitimum*. Manca in bonis libris sententia in deterioribus uarie suppletur, insertis *se dignum, dignum se, optandum, debitum*, similibus. Quid cogitauerit auctor non tam difficile dictu est quam quid scripserit. Suspicor autem supplendum esse *meritum* aut *debitum*. Particularum *ut non — ita* pro *etiamsi non — tamen* positarum exempla congessi ad II, 6, 3.

3. *Cn. Fuluio Flacco*) De quonam Cn. Fuluio Flacco cogitauerit Valerius equidem cum prioribus enarratoribus ignoro. Legimus apud Liuium XXV, cc. 2, 3, 20, 21; XXVI, 2, 3 huius nominis praetorem, prospero successu elatum, socordia exercitum in Apulia amisisse et ob id accusatum uoluntario exilio se ante iudicium supplicio subtraxisse. De spreto triumphi honore nihil dicitur. Neque omnino ueri simile est triumphum huic quidem Fuluio esse oblatum. Quapropter Kappius a Valerio M. Fabium cum Cn. Fuluio confusum esse statuit, quem sane Liuius II, 47 decretum sibi a senatu triumphum repudiasse narrat. Sed ne hunc quidem damnatum aut exilio multatum esse constat, quod si factum esset, certe non praeterisset silentio Liuius, qui omni acto triumpho depositum hunc triumphum clariorem fuisse praedicat. Oliuerii de M. Fuluio Nobiliore interpretantis errorem, castigatum a Glareano, repetunt Helfrechtus

triumphi honorem, decretum sibi a senatu ob res bene gestas, spreuit ac repudiauit, nimirum non plura praecerpens quam acciderunt? Nam ut urbem intrauit, continuo quaestione publica afflictus, exilio multatus est, ut, si quid religionis insolentia commisisset, poena expiaret.

4. Sapientiores igitur Qu. Fuluius, qui Capua capta, et L. Opimius, qui Fregellanis ad deditionem compulsis triumphandi potestatem a senatu petierunt, uterque editis operibus magnificus sed neuter petitae rei compos, non quidem inuidia patrum conscriptorum, cui numquam aditum in curia esse uoluerunt, sed summa diligentia obseruandi iuris, quo cautum erat ut pro aucto imperio, non pro reciperatis quae populi Romani fuissent, triumphus decerneretur. Tantum enim interest adicias aliquid an detractum restituas, quantum distat beneficii initium ab iniuriae fine.

5. Quin etiam ius, de quo loquor, sic custoditum est ut P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, M. Marcello ob captas Syracusas triumphus non decerneretur, quod ad eas res gerendas sine ullo erant missi magistratu. Probentur nunc cuiuslibet

3. acciderint *E.* || continuo] *add.* ipse *Torr.* || 4. auxilio mulctatus *D.* || 6. §. 4. *om. Γ.* || 7. fregellianis *D.* || 10. sed] secundum *B.* || 12. pro] ob *D.* || reciperata *in rasura A.* recuperatis *CE et corr. B. Torr.* recuperata *D.* || 14. ab] ad *B.* || 15. §. 5. *om. Γ.* || 16. reciperatas *Par.* || 17. eas *om. pr. D.* || 18. missi] *ante* erant (*B*) *Torr.* emissi *E.* || Probentur] *add.* quoque *E.*

et Hasius, quamuis in huius uiri historiam minime cadant quae hoc loco traduntur. Difficultas augetur insequentium uerborum ambiguitate, e quibus recte Torrenius conclusit illam quaestionem ad publicam religionem pertinuisse, contra quam ideo peccasse Fuluium, quod decretum sibi triumphum repudiasset, non male animaduertit Kappius. Nam ita demum, si propter spretum triumphi honorem damnum ceperit Fuluius, recte Valerius pergit sequenti exemplo *Sapientiores igitur* etc.; et artissimo sane nexu triumphus cum religione cohaerebat. Minus quam de ipsa re haereo nunc de uerbis, neque probo Torrenii coniecturam *nimirum animo non plura praecipiens*, cum traditam scripturam recte se habere credam. Sententiam procul dubio hanc mente perceperat Valerius, Fuluium non sibi desumpsisse maiora quam quae paulo post acciderant i. e. eum triumphare noluisse, cum mox fuisset exulaturus. Quod ut exprimeret, elegantiam quandam affectans, quaesita translatione orationem ita conformauit, tamquam ille triumphi honorem perinde atque immaturum fructum de arbore praecerpere noluerit. Itaque praecerpendi uerbum non idem significat atque animo praecipere rem futuram, quod ut contenderem (praef. p. 36.) induxit me explicatio Torrenii.

4. Cf. Ammian. Marc. XXV, 9, 10.

5. *P. Scipioni)* Cf. Liu. XXVIII, 38.

M. Marcello) Cf. Liu. XXVI, 21. Plut. Marc. 22. Auct. de uir. ill. 45.

sine ullo — magistratu) Erroris Valerium recte arguit Perizonius anim. hist. c. 6, p. 235 ed. Harl., quod tradidisset Marcello triumphum negatum esse, quia sine ullo magistratu rem gessisset. Constat enim Marcellum in tertio consulatu Siciliam obtinuisse prouinciamque cum exercitu postea ei prorogatam.

gloriae cupidi, qui ex desertis montibus myoparonumque piraticis rostris laudis inopes laureae ramulos festinabunda manu decerpserunt. Karthaginis imperio abrupta Hispania et Siciliae caput abscisum, Syracusae, triumphalis iungere currus nequiuerunt. Et quibus uiris? Scipioni et Marcello, quorum ipsa nomina instar aeterni sunt triumphi. Sed clarissimos solidae ueraeque uirtutis auctores humeris suis salutem patriae gestantes, etsi coronatos intueri senatus cupiebat, iustiori tamen reseruandos laureae putauit.

His illud subnectam. Moris est ab imperatore ducturo 6. triumphum consules inuitari ad caenam, deinde rogari ut uenire supersedeant, ne quis eo die, quo ille triumpharit, maioris in eodem conuiuio sit imperii.

Verum quamuis quis praeclaras res maximeque utiles rei 7. publicae ciuili bello gessisset, imperator tamen eo nomine appellatus non est, neque ullae supplicationes decretae sunt, neque aut ouans aut curru triumphauit, quia ut necessariae istae ita lugubres semper existimatae sunt uictoriae, utpote non externo sed domestico partae cruore. Itaque et Nasica Ti. Gracchum et † G. Metellus Opimi factiones maesti trucidarunt. Q. Catulus M.

---

1. myopatonumque *B.* yoparonumque *C.* miro paronumque *D.* || pyraticis *corr. A.* || 2. nostris *pr. A.* monstris *corr. A.* iustis *D.* || 3. obruta *E.* || 4. siracusae *A.* || triumphales *BCDE Torr.* || 8. iustiori] ueriori *D.* || 10. §. 6. *om. Γ.* || est] erat *Torr. Vt nos etiam Par.* || triumphum ducturo *Torr.* || 12. supersideant *BE et corr. A.* || triumpharet *BE.* triumphabit *Par.* || 14. §. 7. *om. Γ.* || 16. nec ullae *Torr.* || suppositiones *D.* || 17. triumphans *D.* || ita *om. C.* || 18. uictoriae sunt *Torr.* || hesterno *ABC.* || 19. Nasica] scipio nasica *E.* || Ti. Gracchi et Opimius C. Gracchi factiones *Torr.* || 20. trucidarent *pr. E.*

(Liu. XXIIII, 21. XXV, 3. Plut. Marc. 13.). Causa autem negandi triumphi Liuio et Plutarcho auctoribus erat quod quasi nondum debellato exercitus in prouincia mansisset, necessarius meriti immeritique triumphi testis. Neque etiam possum quin assentiar uiro summo increpanti Valerium de Marcello et Scipione tamquam de iuuenibus locutum, quos senatus iustiori reseruandos laureae putauisset, cum tamen Marcellus iam de Gallis triumphasset et ter consulatum obtinuisset. Cuius Gallici triumphi iam ante a Marcello acti certe non meminit auctor.

6. Cf. Plut. quaest. Rom. 80.

Moris est) Sic edidi omnium librorum et Paridis consensum secutus. Itaque Valerii etiamtum temporibus ille mos uiguit, de quo iam Plutarchus tamquam de obsoleto retulit.

7. Cf. Cic. Phil. XIIII, 3 et 4. Lucan. Phars. I, 12. et schol. ibid.

Ti. Gracchum et † G. Metellus Opimi) Verborum, quae cruce notaui, quamuis firmissimorum a codicibus inemendabilis fere uidetur prauitas. Quis enim ille G. Metellus aut quaenam Opimii factiones, illius opera oppressae? Flagitat quidem res ipsa ea fere, quae ab editoribus hucusque haud cunctanter prolata erant, neque etiam nos Valerium ita ab historia discessisse credimus

Lepido collega suo cum omnibus seditiosis copiis extincto tamen moderatum prae se ferens gaudium in urbem reuertit. Gaius etiam Antonius, Catilinae uictor, abstersos gladios in castra retulit. L. Cinna et C. Marius hauserant quidem auidi ciuilem sanguinem, sed non protinus ad templa deorum et aras tetenderunt. Iam L. Sylla, qui plurima bella ciuilia confecit, cuius crudelissimi et insolentissimi successus fuerunt, cum consummata atque constricta potentia sua triumphum duceret, ut Graeciae et Asiae multas urbes, ita ciuium Romanorum nullum oppidum uexit.

Piget taedetque per uulnera rei publicae ulterius procedere. Lauream nec senatus cuiquam dedit nec quisquam sibi dari desiderauit ciuitatis parte lacrimante. Ceterum ad quercum pronae manus porriguntur, ubi ob ciues seruatos corona danda est. Qua postes augustae domus sempiterna gloria triumphant.

DE CENSORIA NOTA.

IX. Castrensis disciplinae tenacissimum uinculum, [et] militaris rationis diligens obseruatio, admonet me ut ad censuram, pacis magistram custodemque, transgrediar. Nam ut opes populi Romani in tantum amplitudinis imperatorum uirtutibus excesserunt, ita probitas et continentia censorio supercilio examinata

1. tamen] tantum *E et in rasura A, Torr. om. B et pr. C.* || 2. reuertitur *CD E Torr.* || 3. Catelinae *D et pr. A.* || 5. Iam] Item *Torr.* || 6. et insolentissimi *om. C.* || 10. tedet pigetque *E.* || 15. NOTA] SEVERITATE *Torr.* || 16. tenacissimum — (17.) rationis *om. Γ.* || et] *sine uncis Torr.* || 17. admonent *corr. D.*

---

ut quae prodiderit ne nexum quidem habeant cum uero, praesertim cum IX. 4, 3 Opimium contra C. Gracchum stantem commemorauerit. Sed non magis unde librariorum tantus error ortus sit assequi potuimus. Itaque satis nunc quidem habemus indicare uulnus peritiori fortasse medico sanandum.

Ceterum ad quercum) Cf. Ouid. met. I, 562. Dio Cass. LIII, 16.

IX. [*et*] *militaris rationis)* Copula *et*, quam omnes tuentur libri manuscripti, ferri omnino nequit; neque enim diuersae res sunt castrensis disciplinae tenacissimum uinculum et militaris rationis diligens obseruatio sed una eademque. An quid esse castrensis disciplinae uinculum illud tenacissimum quidue eo contineri putemus, si hoc ab altero seiunxeris? Procul dubio igitur uinculum, quo castrensis disciplina contineri dicitur, ipsa illa militaris rationis obseruatio est, qua comprehendit auctor ea, quae supra praecedenti capite exposuerat, cuique eo sententiarum nexu, quam nos appositionem dicere solemus, subiunxit uerba

est, opus effectu par bellicis laudibus. Quid enim prodest foris esse strenuum, si domi male uiuitur? Expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, regnis manus iniciantur, nisi foro et curiae officium ac uerecundia sua constiterit, partarum rerum caelo cumulus aequatus sedem stabilem non habebit. Ad rem igitur pertinet nosse atque adeo recordari acta censoriae potestatis.

Camillus et Postumius censores aera poenae nomine eos, 1.
qui ad senectutem caelibes peruenerant, in aerarium deferre iusserunt, iterum puniri dignos, si quo modo de tam iusta constitutione queri sunt ausi, cum in hunc modum increparentur, 'Natura uobis quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit, parentesque uos alendo nepotum nutriendorum debito, si quis est pudor, alligauerunt. Accedit his quod etiam fortuna longam praestandi huiusce muneris aduocationem estis adsecuti, cum interim consumpti sunt anni uestri, et mariti et patris nomine

1. imbellicis *corr. A.* || 3. iniiciantur manus *Torr.* || 4. paratarum *E.* || 5. aequatus coelo cumulus *(T) Torr.* || 6. ideo *corr. A.* || 8. aera poenae nomine] *post* peruenerant *F.* || 9. peruenerunt *Par.* || 11. sunt] essent *F.* || 12. nobis *pr. B.* || nasci *B et pr. C.* || 13. nos *D.* || nutriendorum nepotum *F.* || 14. allegauerunt *A.* || etiam quod *B.* || 15. huius *D.* huiusmodi *E.* || uacationem *E et corr. C.* || 16. sint *A B C D Torr.*

castrensis disciplinae tenacissimum uinculum, oppositurus ei pacis custodem magistramque, censoriam seueritatem. Ceterum copula, quam nos seclusimus, nescio utrum casu an consilio omissa primum est in editione Bipontina, unde non comparet apud Helfrechtum et Hasium, quippe qui tacite huius exempli formam recuderunt.

1. Cf. Plut. Cam. 2. Paul. diac. u. uxorium p. 379 Müll.

cum interim consumpti sunt) Inuitis optimis libris indicatiuum restitui, quem Valerius constanter cum particulis *cum interim* coniunxit, etiam ubi temporalis notio a sententia prorsus aliena est. Nam si per eas primariae sententiae adiungitur res in idem tempus incidens, omnes omnino scriptores indicatiuo usi sunt. (Cf. Sall. Iug. 49, 4. id. fragm. 210, 16; 207, 27. Cic. in Pis. 38, 93. Tusc. IIII, 3, 6. Val. VII, 4, 5. Madvig. gramm. §. 358.) Vbi uero sententia per *cum interim* addita ita aut comparatur cum praecedentibus aut opposita est illis ut *cum interim* respondeat nostro *während hingegen, während doch*, apud antiquiores scriptores coniunctiuus plerumque sequitur (Cf. Cic. pro Sull. 5, 16.), apud recentiores inde ab Augusti aetate tantum non semper indicatiuus. Et frequentissima quidem huius oppositionis ea forma est, ut quae per *cum interim* inseruntur longe alia accidisse dicant atque expectare poteras propter praemissam sententiam. Ita Valerius composuit III, 4, 5, *cum interim cuius uita triumphauit, mors Papia lege damnata est.* IIII, 4, 1, *cum interim fastorum illud columen patrimonio ne ad exequiarum quidem impensam sufficiente decessit.* VIII, 1, absol. 3, *Igitur uiator et carcer ante oculos obuersabantur, cum interim omnia ista propitiae fortunae interuentu dispulsa sunt.* VII, 8, 6, *cum interim ne nomen quidem eius tabulis testamenti adiecit*, ubi indicatiuum bonorum librorum consensum secutus reuocaui. (Cf. Quint. II, inst. or. 12, 2. Senec. ad Lucil. l. 1.) In omnibus his exemplis facile animaduertas *cum interim* idem fere ualere atque *et tamen*. Quae ratio cum huius quoque loci sit, necessario reliquis eum accommodaui.

uacui. Ite igitur et nodosam exsoluite stipem, utilem posteritati numerosae.'

2. Horum seueritatem M. Valerius Maximus et C. Iunius Brutus Bubulcus censores consimili genere animaduersionis imitati sunt. Lucium enim Annium senatu mouerunt, quod quam uirginem in matrimonium duxerat repudiasset, nullo amicorum consilio adhi-

---

3. Horum seueritatem *om. Γ.* || c. iunius bubulcus censores in consi-- *in rasura A.* || Iunius] uiminius *E.* || Brutus] *post* Bubulcus *Torr. om. Par. et rasura A.* || 4. censores] *add. in rasura A, (E) Torr.* || consimili — imitati *om. Γ.* || sunt *om. ΓTorr.* || 5. enim *om. ΓTorr.* || antonium *ABCDEΓTorr.* || 6. in consilio *BCΓ et pr. A.* in consilium *E et corr. A, Torr.*

---

nodosam exsoluite stipem) Ancipitem atque impeditam sententiam uariis emendationibus enodare studuerunt Lipsius, Perizonius, Torrenius, pro *nodosam* conicientes scribendum esse *numerosam, probrosam, odiosam, impositam, uxoriam*, quorum ne unum quidem aliquo numero satisfacit. Neque uero etiam Beier ad Cic. de off. I, p. 99 traditam scripturam recte defendit, stipem nodosam uocari putans, quam persoluere illi multis obligationibus et quasi nodis tenerentur, quod supra scripsisset auctor *parentes uos alendo nepotum nutriendorum debito alligauerunt.* Nodosae autem translate appellantur res solutu difficiles, quae dubitationem moramque nobis imponunt ideoque graues ac molestae sunt. Cf. Macrob. VII Sat. 1, *nodosae quaestiones*, eodemque significatu a Floro IIII, 9, 1 Antonium nodum et moram publicae securitatis, a Cicerone ad Brut. I, 18, 5 inopiam rei pecuniariae maximum in republica nodum uocari recte adnotauit Vorstius. Quibus adhibitis horum uerborum sententiam esse puto, 'Exsoluite illam stipem uobis quidem admodum molestam atque incommodam sed utilem posteritati numerosae. Quod si cui nimis improprie et insolenter dictum uideatur, reuoco in mentem Valerium ipsum exquisitarum et arcessitarum locutionum affectatione et nimia in translationibus audacia omnino obscurasse stilum.

2. *C. Iunius Brutus Bubulcus)* Bruti nomen nescio an docto cuidam interpolatori potius quam ipsi debeamus Valerio, quoniam tribus tantum plerumque ille insigniri solet C. Iunius Bubulcus (cf. Liu. IX, 20, 21, 28, 29, 30, 38, 43, X, 1, XXVII, 6. Val. VIII, 14, 6,); in fastis Capitolinis alio cognominum ordine dicitur C. Iunius Bubulcus Brutus. Accedit quod etiam in Paridensi compendio alterum hoc cognomen reticetur.

Lucium enim Annium) Codd. et edd. omnes hunc senatorem L. Antonium appellant, Paris L. Annium. In quo nomine scribendo, cum neque hominis nec rei apud alios auctores mentio sit facta, pari fide dignis testimoniis inter se discrepantibus, illum fontem sequamur oportet, in quo nomina propria cum maxime rectius plerumque seruata sunt quam factum est in archetypo integrorum codicum libro, quem in eodem nomine eodem modo deprauatum fuisse docebimus VIII, 9, 2. Paulo post cum boni libri traderent *nullo amicorum in consilio adhibito*, editores cum emendatore libri Danielini male accusatiuum *consilium* substituerunt; neque enim aliquem ex amicis (et propinquis) in consilium adhibuisse suffecisset. Delendam fuisse praepositionem *in*, frequentissimo librariorum errore e praecedenti littera *m* ortam, Paridensis epitome demonstrat. Cf. V, 8, 2. Ceterum factum est hoc diuortium non anno 646, ut Pighius in margine exempli sui adnotauit, ni typographi error est (pro 446), quem tamen secuti sunt reliqui editores, neque anno 440, ut uoluit Rein (Röm. privatrecht p. 206.), sed 448, P. Cornelio Aruina, Q. Marcio Tremulo consulibus (cf. Liu. IX, 42, 43.); itaque quinquaginta amplius annis ante quam primum diuortium Romae accidisse retulerat II, 1, 4, ubi uid. quae adnotauimus.

bito. At hoc crimen nescio an superiore maius. Nam illo coniugalia sacra spreta tantum, hoc etiam iniuriose tractata sunt. Optimo ergo iudicio censores indignum eum aditu curiae existimauerunt.

Sicut Porcius Cato L. Flamininum, quem e numero sena- 3.
torum sustulit, quia in prouincia quen*dam* damnatum securi percusserat, tempore supplicii ad arbitrium et spectaculum mulierculae, cuius amore tenebatur, electo. Et poterat inhiberi respectu consulatus, quem is gesserat, atque auctoritate fratris eius Titi Flaminini. Sed et censor *et* Cato, duplex seueritatis exemplum, eo magis illum notandum statuit, quod amplissimi honoris maiestatem tam taetro facinore inquinauerat, nec pensi duxerat isdem imaginibus ascribi meretricis oculos humano sanguine delectatos et regis Philippi supplices manus.

Quid de Fabrici Luscini censura loquar? Narrauit omnis 4.
aetas et deinceps narrabit ab eo Cornelium Rufinum duobus consulatibus et dictatura speciosissime functum, quod decem pondo uasa argentea conparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum in ordine senatorio retentum non esse. Ipsae medius

---

1. At] ad *A. om. DΓ.* || nescio an *om. D.* || illo. Nam *A.* Illo namque *Torr.* || 2. iniuriose] contumeliose *Γ.* || 3. Optimo — existimauerunt *om. Γ.* || 5. Sicut *om. Γ.* || M. Porcius *Torr.* || flaminium *ABCDEΓPar.* || quem *om. Γ.* || 6. prouinciam *B.* puã *A (sed illud ˜ sec. man.)* || quendam] quẽ *(sed ẽ in rasura) A.* quem *BC.* || 7. arbitrum *pr. A.* || 8. electo tenebatur *B.* || 9. Titi] t̃. ũ. *ABC. om. D.* cn. *EΓ.* V. C. T. *Torr.* titi *margo C et margo D.* || 10. flaminium *pr. A.* flaminii *BCDEΓ et corr. A.* || et censor] et *om. Γ.* || et Cato] et *om. ABD et pr. C. Vid. ad II,* 10, 2. || 12. tetro *(A)* || pensi] *litterae* ensi *in rasura A,* indignum pensi *BCE.* || 15. luscinii *DEΓ et corr. C.* || loquitur *Γ.* || 18. proinde *Γ.*

---

3. Cf. Liu. XXXIX, 42. Plut. Cat. mai. 17. id. Flamin. 18. Senec. controu. IIII, 25. Auctor de uir. ill. 47.

Titi Flaminini) Praenomen Titi, pro quo in codicibus mss. litterae *t.* u. habentur, abesse nullo modo potest, cum eo solo alter hic Flaminius a fratre discernatur. Itaque Pighius transpositis quae in codicibus inuenerat suppletaque praenominis nota edidit *V. C. T. Flaminini.* Parum probabiliter; neque enim nisi in dignitate significanda librarii hisce litteris usi sunt. Procul dubio leni ductuum declinatione id ipsum, quod hodieque in libro Bernensi extat (t̃. ũ.) in *um* transformandum erat restituendumque quod iam ante Pighium edebatur, *fratris eius Titi.*

nec pensi duxerat) Cum libri ad alterum alterius familiae genus (x″) pertinentes exhiberent *nec indignum pensi*, Lipsius per interiectionem *indignum* insertum esse statuit *(nec, indignum! pensi duxerat),* quod reliqui enarratores acceperunt. Perizonius, teste Torrenio, coniciebat scribendum esse *indignum aut pensi* uel *indignum pensiue.* At manifesto alterum illud, alienum a melioribus libris, ortum est ex interpretatione locutionis minus tritae *pensi ducere.*

4. Cf. Liu. epit. libr. XIIII. Plut. Syll. 1. A. Gell. IIII, 8, 7. XVII, 21. 39 Flor. I, 18, 22.

fidius mihi litterae saeculi nostri obstupescere uidentur, cùm ad tantam seueritatem referendam ministerium adcommodare coguntur, ac uereri ne non nostrae urbis acta commemorare existimentur. Vix enim credibile est intra idem pomerium decem pondo argenti et inuidiosum fuisse censum et inopiam haberi contemptissimam.

5. Marcus autem Antonius et L. Flaccus censores Duronium senatu mouerunt, quod legem de coercendis conuiuiorum sumptibus latam tribunus plebi abrogauerat. Mirifica notae causa. Quam enim impudenter Duronius rostra conscendit, illa dicturus: 'Freni sunt iniecti uobis, Quirites, nullo modo perpetiendi. Alligati et constricti estis amaro uinculo seruitutis. Lex enim lata est, quae uos esse frugi iubet. Abrogemus igitur istud horridae uetustatis rubigine obsitum imperium. Etenim quid opus libertate, si uolentibus luxu perire non licet'?

6. Age, par proferamus aequali iugo uirtutis honorumque societate iunctum, instinctu autem aemulationis animo dissidens. Claudius Nero Liuiusque Salinator, secundi Punici belli temporibus firmissima rei publicae latera, quam destrictam simul ege-

6. contentissimam *E.* || 7. durionium *DΓ et pr. A.* || 9. plebis *aut* pl. *CDEΓ Torr.* || 10. durionius *DΓ.* || 11. nobis iniecti *E.* || allegati *pr. A. Cf.* §. 1. || 13. frugales *D.* || arrogemus *C.* || igitur] ergo *corr. D.* || 16. §. 6. *om. Γ.* || proferam *corr. E.* || iugi *corr. A.* || uirtutes *pr. A.* || honorisque *D.* || 17. uinctum *D.* || instinctu] instrictum *ABCE Torr.* instrictae *D.* || animo] hamo *Torr.* || 18. c. l. naero *A.* || l. iulius $\overline{q}$ Salinator *A.* et iuliusque Salinator *D.* liuius Q. Salinator *E.* || 19. districtam *CDE et corr. A.*

5. *Marcus autem Antonius)* Consul erat Antonius a. u. c. 655, L. Valerius Flaccus praecedenti anno. Censura quo anno functi sint non constat.

freni) Cf. Curt. III. 34, 10. VII, 40, 16. Senec. ad Lucil. 41, id. de ira I, 7. Sil. Ital. I, 240.

6. Cf. Liu. XXIX, 37. Auct. de uir. ill. 50.

instinctu autem aemulationis animo) Felicem nescio cuius Itali coniecturam, qua iam in Aldino exemplo codicum corruptela *instrictum* emendata erat, iniuria grammatici inde a Pighio reiecerunt, ualde impropriam ac praeposteram locutionem, *instrictum autem aemulationis hamo*, e pessimis codicibus Pulmanniano et Susiano recipientes, in qua explicanda mire se torquent. Quorum argutiis refutatis probat Torrenius quod nos nunc reuocauimus. Probauit etiam Kappius, sed denuo dubitauit, quod Valerius in uerbis *instrictum* et *destrictam censuram* lusisse uideretur. Helfrechtus et Hasius cum Pighio faciunt. Similiter Valerius IX, 2, ext. 8 composuit *Consimili genere aemulationis instincta ciuitas Atheniensium.*

destrictam censuram) Male antiqua scriptura libri Daniclini recentiore manu mutata est in *districtam.* Forcellinius cum duas maxime translatas significationes huius appellationis exemplis illustraret, alteram pro eo quod est propter negotia in angustias redactum, occupatum, alteram pro eo quod est seuerum, rigidum, acre, de illa recte statuit, hanc omnino remouendam scriptorumque locos rectius constitutos adiectiuo *destrictus* tribuendos esse censeo. In exemplis enim e Valerio petitis, hoc, de quo agimus et VIII, 2, 2, *destrictam fenera-*

runt censuram? Nam cum equitum centurias recognoscerent et ipsi propter robur aetatis etiam nunc eorum essent e numero, ut est ad Polliam uentum tribum, praeco lecto nomine Salinatoris citandum necne sibi esset haesitauit. Quod ubi intellexit Nero, et citari collegam et equum uendere iussit, quia populi iudicio damnatus esset. Salinator quoque eadem animaduersione Neronem persecutus est, adiecta causa, quod non sincera fide secum in gratiam redisset. Quibus uiris si quis caelestium significasset futurum ut eorum sanguis inlustrium imaginum serie deductus in ortum salutaris principis nostri confluueret, depositis inimicitiis artissimo se amicitiae foedere iunxissent, seruatam ab ipsis patriam communi stirpi seruandam relicturi. Salinator uero quattuor atque triginta tribus inter aerarios referre non dubitauit, *quod*, cum se damnassent, postea consulem et censorem fecissent, praetexuitque causam, quia necesse esset eas alterutro facto

2. robor *pr. A.* || etiam *om. D.* || nunc] num *corr. A.* tunc *D.* || 4. sibi esset] subesset *C.* || 5. et citari] excitari *pr. A.* || 10. nostri] *ante* salutaris *E.* || 12. stirpe *BDE et pr. AC.* || 13. atque] et *Torr.* || 14. quod] *in rasura D. om. BCE et pr. A.* || consul *B.* || et] atque *CE Torr.*

tricem, quae opponitur obsequenti amicae, sicut in reliquis, quae in hoc opere occurrunt (VIII, 5, 2 *destricto testimonio*, VI, 3, init. *destrictae et inexorabiles uindictae*), constanter Bernensis liber, cui alii quoque boni interdum accedunt, praepositionem *de* tuetur. Metaphoram ductam esse a gladiis destrictis, qui proni sunt ad irruendum, non, ut opinatur Pighius, a destringentibus in lauando corporis sordes, probabunt haec uerbi *destringere* exempla, *iram destringere* II, 7, 15, VII, 5, 2, IX, 2, 2. *censorium supercilium destringere* II, 7, 5 quo uno loco cod. Bern. *distringere*; *seueritatem destringere* apud Senec. de ira II, 10. Nam gladios destringi, non distringi, iam inter omnes, opinor, conuenit. Cf. Heindorf. ad Hor. sat. II, 1, 42. Itaque V, 1 ext. 6 emendaui quod hucusque legebatur, *districtos mucrones*. Male autem Orellius in Tac. IIII ann. 36, ubi codex Mediceus recte *destrictior accusator* exhibet, e Beroaldi coniectura *districtior* reposuit. Vno loco in hoc opere altera notio inuenitur, VIII, 7, ext. 15, ubi etiam in cod. Bernensi Themistocles maximarum rerum cura districtus dicitur. Cf. Nep. Hann. 3.

quattuor atque triginta) Duorum numerorum coniunctio per *atque*, quam iubentibus libris h. l. restitui, peculiaris huic scriptori est. Cf. I, 8, 6. III, 7, 10. IIII, 4, 11. IIII, 8, 3. VII, 6, 1. VIII, 1, abs. 10. Apud alios prosae orationis auctores similia exempla non inueni. Tacitus eam copulam adhibuit quo accuratius distinguerentur duo numeri, qui primo aspectu uideri possent cohaerere. Itaque I ann. 37 scripsit *primam ac uicesimam legiones* et sequenti capite *duae ibi legiones, prima atque uicesima, ueteranique*. Per *que* unius numeri partes coniunxerunt Corn. Nep. Cat. 1. Tac. hist. V, 11.

quod cum se) Necessario cum prioribus editoribus et cum recentioribus aliquot libris suppleui *quod*, in archetypo codice male omissum; neque enim causa, cur censor inter aerarios retulerit illas tribus, ex illius mente per *cum* referri poterat, neque ob duplicem culpam multatae sunt, quod Liuium damnarunt et quod postea cum consulem et censorem fecerunt, sed quod quem antea damnauerant postea summis honoribus dignum iudicauerant. Excidit igitur procul dubio *quod* ante *cum (quom)* scribentis errore. Dilemmatis, quod proposuit Liuius, haec forma erat, 'Si innocentem me damnastis periurii, si

crimine temeritatis aut periurii teneri. Vnam tantummodo tribuum, Maeciam, uacuam nota reliquit, quae eum suffragiis suis ut non damnatione, ita ne honore quidem dignum iudicauerat. Quam putemus constantis et praeualidi illum ingenii fuisse, qui neque tristi iudiciorum exitu conpelli neque honorum magnitudine adduci potuit quo se blandiorem in administratione rei publicae gereret?

7. Equestris quoque ordinis bona magnaque pars, CCCC iuuenes censoriam notam patiente animo sustinuerunt, quos M'. Valerius et P. Sempronius, quia in Sicilia ad munitionum opus explicandum ire iussi facere id neglexerant, equis publicis spoliatos in numerum aerariorum retulerunt.

8. Turpis etiam metus censores summa cum seueritate poenam exegerunt. Marcus enim Atilius Regulus et L. Furius Philus M. Metellum quaestorem conpluresque equites Romanos, qui post infeliciter commissam Cannensem pugnam cum eo abituros se

---

1. aut] et *ABCDE.* uel *Torr.* || unum *B.* || tribum *E et in rasura A, Torr.* || 2. Maeciam] etiam *C.* Moeciam *Torr.* || 4. putamus *D et post* illum *Torr.* || consultantis *ABCDE.* || 5. exitum *corr. A.* || honoris *D.* || 8. §. 7. *om. Γ.* || 9. m. ualerius *ABCDEPar. Torr.* || 10. l. sempronius (l *in rasura*) *A e Par.* || 13. Turpis — exegerunt *om. Γ.* || 14. enim *om. Γ.* || P. Furius *Torr.* || pilus *corr. A. Par. Nep.* philippus *BCDEΓ et pr. A.* || M. Metellum — (*p.* 233, 2.) eosque] eos *Γ.* || m. merulum *E.* L. Metellum *Torr.* || 15. romani *B.* romanorum *E.* || 16. habituros *E.*

---

nocentem, quia eundem consulem et censorem fecistis, temeritatis crimini obnoxii estis'. Itaque necesse erat alteram culpam ab altera disiunctiua particula secerni, quod probabilius fit substituto *aut* pro codicum scriptura *et*, quam si cum prioribus exemplis scribamus *uel periurii.*

7. Cf. Liu. epit. libr. XVIII.

M'. Valerius) Ita iam Pighius in margine exempli sui falsum Marci praenomen secundum lapides Capitolinos emendauerat, quod omnes neglexerunt recentiores editores. Consul erat M'. Valerius Maximus cum M'. Otacilio Crasso a. u. c. 491. Cf. Grut. inscr. p. 292. Alter censor ille P. Sempronius Sophus esse uidetur, qui a. 486 cum App. Claudio Crasso consulatum obtinuerat.

8. Cf. Liu. XXIIII, 18.

L. Furius Philus M. Metellum) Furio illi Philo, quem omnes Valerii codices Philippum, Paridis epitoma et ex ea emendatus cod. Bernensis Pilum uocant, non Lucii sed Publii praenomen fuisse constat e fastis Capitolinis (Grut. inscr. p. 292 et e pluribus Liuii locis (Cf. XXIIII, 11, 16. XXIIII, 43, 4, cett.). Itaque cum non solum in integris huius scriptoris codicibus uerum etiam in utraque epitoma (Par. et Nep.) Lucius appelletur, incertum est ipsius Valerii an librariorum perantiquus iam error sit. (Cf. praef. p. 33.) Magis etiam dubito de Metelli praenomine, quem post Cannensem cladem deserendae Italiae auctorem cum Liuii codices XXII, 53 bis Lucium appellent, eo pronomine constanter insignierunt Liuii et Valerii editores inde a Pighio. Sed apud Liuium XXIIII, 18 et XXVII, 11 idem homo in libris mss. dicitur M. Metellus, non aliter atque in Valerianis, in Paridis et in Nepotiani epitomis. Quin etiam in Liuii XXIIII c. 43, cum omisso in optimis libris praenomine alii Publium alii Appium, alii

Italia iurauerant, dereptis equis publicis inter aerarios referendos curauerunt; eosque graui nota adfecerunt, qui cum in potestatem Hannibalis uenissent, legati ab eo missi ad senatum de permutandis captiuis, neque inpetrassent quod petebant, in urbe manserunt, quia et Romano sanguini fidem praestare conueniens erat et M. Atilius Regulus censor perfidiam notabat, cuius pater per summos cruciatus expirare quam fallere Karthaginienses satius esse duxerat. Iam haec censura ex foro in castra transcendit, quae neque timeri neque decipi uoluit hostem.

Secuntur duo eiusdem generis exempla, eaque adiecisse satis erit. C. Geta, cum a L. Metello et Cn. Domitio censoribus senatu motus esset, postea censor factus est. Item M. Valerius Messala censoria nota perstrictus censoriam postmodum potestatem impetrauit. Quorum ignominia uirtutem acuit. Rubore enim eius excitati omnibus uiribus incubuerunt ut digni ciuibus uiderentur quibus dari potius quam obici censura deberet. 9.

---

1. italiam *AB*, *pr. C*, *corr. D.* || direptis *ABCDE Torr.* || referendos] *in rasura A.* deferrendos *B.* deferendos *CD.* || 2. eos quoque *coni. Periz.* || 3. et legati *Γ.* || ad senatum missi *Torr.* || 4. neque] non *Γ.* || remanserunt *Par.* || 5. sanguini *om. pr. B.* || 7. expiare *A.* || 8. dixerat *A.* || Iam — hostem *om. Γ.* || 10. §. 9. *om. Γ.* || sequuntur *corr. A.* Sequitur *pr. B.* || 11. C. Geta cum] *in rasura A.* g. ce aoum *B.* c. cotta cum *(sed* cotta *in rasura) C.* || 4. l. metello *in rasura A.* || Ca. Domitio *pr. D.* || 13. censoria postmodum potestate imperauit *ABCDE Torr.* || 14. robore *pr. A.*

Marcum suppleant, in archetypo Marci notam propter sequens *M* excidisse colligi licet. Atque idem fere Valerio fortasse accidit V, 6, 7, ubi nostri libri aperto errore P. Metellum exhibent, a Paridis codice Vaticano omnino abest praenomen. Ita potior sane auctoritas stat pro M. Metello.

dereptis equis) Ita suadente Torrenio edidi pro *direptis*, quod habent codices mss. et uulgatae editiones, cum in eo rapiendi composito, quod idem significat atque adimere, eripere, detrahendi magis quam distrahendi notio ualeat. Eodem modo III, 3, ext. 2 cum male hucusque ederetur *Phalari uaesanae mentis feritatem a se diripi posse* accedente librorum mss. auctoritate emendaui *deripi*. Quod quamquam insolentius dictum uideri potest, similibus tamen exemplis confirmatur, Cic. de fin. I, 13, 43, ad quem locum Maduigius comparat Cic. pr. Sull. 1, 2 et de prou. cons. 6, 13. Emendaui praeterea III, 7, ext. 6 *Hispaniae dereptas populo Romano*, nam direpta diceretur spoliata et expilata prouincia, VIIII, 3, ext. 1 *Alexandrum iracundia — caelo deripuit*, ubi codd. *diripuit*, et III, 2, ext. 4 *dereptam hostibus uictoriam*, praecedente Perizonio.

eosque graui) Cf. Cic. de off. III, 32, 113. A. Gell. VII, 18.

9. Cf. Cic. pro Cluent. 42, 119.

censoriam — potestatem impetrauit) Omnes codices summo consensu *censoria — potestate imperauit*. Quod miror neminem offendisse, cum nullum umquam fuerit censorum imperium. Facillimum remedium affert Iul. Paris ea exhibens, quae nos haud dubie a Valerio profecta reuocauimus. Sic imperandi et impetrandi uerba confusa sunt a librario cod. Bern. VII, 5, 5.

DE MAIESTATE.

X. Est et illa quasi priuata censura, maiestas clarorum uirorum, sine tribunalium fastigio, sine apparitorum ministerio potens in sua amplitudine obtinenda. Grato enim et iucundo introitu animis hominum adlabitur admirationis praetexto uelata. Quam recte quis dixerit longum et beatum honorem esse sine honore.

1. Nam quid plus tribui potuit consuli, quam est datum reo Metello? Qui cum causam repetundarum diceret tabulaeque eius ab accusatore expostulatae ad nomen inspiciendum circa iudices ferrentur, totum consilium ab earum contemplatione oculos auertit, ne de aliqua re, quae in his relatae erant, uideretur dubitasse. Non in tabulis sed in uita Q. Metelli argumenta sincere administratae prouinciae legenda sibi iudices crediderunt, indignum rati integritatem tanti uiri exigua cera et paucis litteris perpendi.

2. Sed quid mirum, si debitus honos a ciuibus Metello tributus est, quem superiori Africano etiam hostis praestare non dubitauit? Siquidem rex Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium eius a militibus suis interceptum honoratissime excepit regiisque

3. sine — sine] siue — siue *B.* || 4. iocundo *BCDEΓ.* || 5. illabitur *Torr.* || praetexta *BDE Torr.* praetecto *C.* praetextu *Γ.* || 6. beatum] lib'um *(litter. li punctis notat.) B.* || onere *in rasura C.* || 7. plus] *add.* honoris *Torr.* || reo] q. *D.* || 9. expostulatae] expolatae *Γ. add.* et *(sed litt. t man. 2.) A.* || iud̃. *(sic) A.* iudicem *pr. B.* iud * * * *corr. B.* ius *C.* iud'. *Γ.* iudicium *E Torr. Vt nos D Par.* || 10. deferrentur *C.* || 11. re] earum rerum *Γ.* || relata erat *Torr. Vid. ad. I, ext.* 9. || 12. Non] *add.* enim *E.* || 13. legendae *pr. A.* legendum *corr. A.* || sibi iud̃. *A.* sibi uidelicet *B.* subinde *CD.* || 14. perpendi] *in rasura A.* perdi *Γ.* || 15. Sed — (17.) Siquidem *om. Γ.* || honor *C.* || 17. Antiochus rex *Γ.* || filium eius] superioris africani filium *Γ.* || 18. honorantissime *B.* || regisque *E et pr. A.*

X. *admirationis praetexto uelata*) Praetextum idem fere ualere quod decus, ornamentum, sat multa probant Valerii exempla, in quibus ne codicum quidem discrepantia est. Ita VII, 5, 6 legitur *plus moribus suis praeturae decoris adiecturus quam praetexto eius splendoris ipse laturus;* et VII, 3, 8 *abiecto honoris praetexto;* et VII, 1, 1 *speciosissimi triumphi praetextum.* IIII, 4, 1 liber Bernensis cum aliis quibusdam *plurimorum ac maximorum operum praetexto* exhibet, reliqui codices et editiones *praetextu.* Quapropter uulgatam scripturam et hoc loco, adiutus optimi illius codicis auctoritate, et V, 5, 1 inuitis omnibus libris emendaui. Cf. etiam quos Forcellinius citauit Senec. ad Lucil. 71, 9. *pulcherrimum rei publicae praetextum*, et Manil. III, 129 (131.), ubi Bentleius male *praetextu* recepit. Antiquiores scriptores hoc significatu eam uocem non uidentur adhibuisse.

1. Cf. Cic. pro Balb. 5, 11. id. ad Att. I, 16, 4.

reo Metello) De hac Q. Metelli Numidici causa cf. Drumann. gesch. Roms II, p. 37.

2. Cf. Liu. XXXVII, 37. App. Syr. 29.

muneribus donatum ultro et celeriter patri remisit, quamquam ab eo tum maxime finibus imperii pellebatur. Sed et rex *et* lacessitus maiestatem excellentissimi uiri uenerari quam dolorem suum ulcisci maluit.

Ad eundem Africanum in Liternina uilla se continentem conplures praedonum duces uidendum eodem tempore forte confluxerunt. Quos cum ad uim faciendam uenire existimasset, praesidium domesticorum in tecto conlocauit, eratque in his repellendis et animo et apparatu occupatus. Quod ut praedones animaduerterunt, dimissis militibus abiectisque armis ianuae adpropinquant et clara uoce nuntiant Scipioni non uitae eius hostes sed uirtutis admiratores uenisse, conspectum et congressum tanti uiri quasi caeleste aliquod beneficium expetentes. Proinde securum se nobis spectandum praebere ne grauetur. Haec postquam domestici Scipioni retulerunt, fores reserari eosque intromitti iussit. Qui postes ianuae tamquam religiosissimam aram sanctumque templum uenerati, cupide Scipionis dexteram adprehenderunt, ac diu osculati positis ante uestibulum donis, quae deorum inmortalium numini consecrari solent, laeti quod Scipionem uidisse contigisset, ad lares reuerterunt. Quid hoc fructu maiestatis excelsius, quid etiam iucundius? Hostis iram admiratione sui placauit; spectaculo praesentiae suae latronum gestientis oculos uidit. Delapsa caelo sidera hominibus si se offerant, uenerationis amplius non recipient.

---

2. cum *B.* || et lacessitus] et *om. BCDEΓ et pr. A.* || 5. Africanum eundem *Torr.* || literna *E.* Literni *Par.* || 6. compluresque *B.* || confluxerant *Torr. Vt nos etiam Par.* || 10. animaduerterent *B.* || abiectisque] que *om. E.* || 11. et *om. Γ.* || nuntiantes *Γ.* || 13. Proinde] pronis *D.* || 14. se *om. pr. C.* || 16. tamquam] *add.* aliquam *CTorr.* || 18. diu deosculati *Torr.* || qui *A.* || 20. Quid hoc — (23.) uidit] *om. Γ.* || 21. iocundius *BCDE. Sic semper.* || admirationem *pr. A.* || 22. placuit *pr. A.* || gestientes *CDE Torr.* || 23. uidit] obstupefecit *in rasura C. Torr.*

---

et rex et lacessitus) Alterum *et* omissum in cod. archetypo post litteras *ex*, quorum scribendi compendium idem fere est atque illud, quo exprimitur copula *et*, e suo Valerii codice restituit Perizonius et ante eum iam emendator libri Bernensis. Valerius eo dicendi genere, quo appellationes duae sensu cohaerentes particulis *et* — *et* ita dirimuntur ut alterius, iam per se positae, praegnans sit significatio, mire delectatus est. Ascripserat inter alia minus ad rem pertinentia Perizonius haec exempla, II, 9, 3 *sed et censor et Cato*, ubi eodem modo alterum *et* in codicibus mss. interciderat. II, 10, 6 *et senem et inermem*. III, 2, 7 *et Galli et uictores*. III, 3, ext. 2 *et tyranno et Phalari*. VI, 2, 1 *et uictoribus et iratis*. VI, 3, ext. 3 *et rex et barbarus*. Vulgatam tamen scripturam, quam equidem ne intellego quidem, nisi ordinem uerborum inuertas, *sed et lacessitus rex*, retinuit Torrenius, probauit Kappius.

3. Et haec quidem uiuo Scipioni, illud autem Aemilio Paulo exanimi contigit. Nam cum exsequiae eius celebrarentur ac forte tunc principes Macedoniae legationis nomine Romae morarentur, funebri lecto sponte sua sese subiecerunt. Quod aliquanto maius uidebitur, si qui cognoscat lecti illius frontem Macedonicis triumphis fuisse adornatam. Quantum enim Paulo tribuerunt, propter quem gentis suae cladium indicia per ora uulgi ferre non exhorruerunt. Quod spectaculum funeri speciem alterius triumphi adiecit. Bis enim te, Paule, Macedonia urbi nostrae inlustrem ostendit, incolomem spoliis suis, fato functum umeris.

4. Ne filii quidem tui Scipionis Aemiliani, quem in adoptionem dando duarum familiarum ornamentum esse uoluisti, maiestati parum honoris tributum est, cum eum adulescentem admodum a Lucullo consule petendi auxilii gratia ex Hispania in Africam missum Karthaginienses et Masinissa rex de pace disceptatorem uelut consulem et imperatorem habuerunt. Ignara quidem fatorum suorum Karthago. Orientis enim illud iuuentae decus deorum atque hominum indulgentia ad excidium eius alebatur, ut superius cognomen Africanum capta, posterius euersa Corneliae genti daret.

5. Quid damnatione, quid exilio miserius? Atqui P. Rutilio conspiratione publicanorum perculso auctoritatem adimere non

---

1. Et — (2.) contigit. Nam] *om. Γ.* || hae *A.* hoc *corr. C.* || 2. eius] emilii pauli *Γ.* || 4. sua sponte *Par.* || sese] *ante* sponte *E.* || 5. quis *in rasura D, Torr.* || cognoscant *BC.* || 6. adornatum *BΓ et pr. AD.* || Quantum — (8.) exhorruerunt *om. Γ.* || 8. exorruerunt *A.* || funeris *DΓ.* || 9. Bis — (11.) umeris *om. Γ.* || 10. fultum *pr. A.* finitum *D.* || 11. humeris *CDE Torr. Vid. ad I,* 1, 11. || 12. Ne — (14.) cum eum] Scipionem Aemilianum *Γ.* || 13. filiarum *pr. B.* || 14. cum eum] cum enim *(E) Torr.* || 15. auxilium *Γ.* || 16. disputatorem *DΓ.* || 18. suorum factorum *E.* || 22. Atqui] at. q. *A (sed* q. *in rasura). D.* atq. *E.* || 23. percusso *Γ.*

---

3. Cf. Pl. Aem. Paul. 39.

adornatam) Optimi codices *adornatum.* Caecilium et Catonem frontem analogian secutos recte uirili genere dixisse testatur A. Gell. XV, 9. (Cf. Fest. u. recto p. 286 Müll.) E Plauto Nonius III, 89 affert *coloratum frontem*, et Vitruu. X, 17 scripsit *frons transuersarius.* Attamen editores recte femininum genus posuerunt, cum ex eo, quod Caecilius apud Gellium a grammatico quodam tamquam de immani soloecismo increpatur, appareat quam a recentioribus temporibus ille usus fuerit alienus. Atque ipse Valerius constanter *hanc frontem* dixit, non *hunc frontem.*

4. Cf. App. Punn. 71, 72.

Lucullo consule) a. u. c. 603 cum A. Postumio Albino.

5. Cf. Cic. pr. Balb. 11, 28. Senec. ad. Lucil. 81. Tac. ann. IIII, 43. Cass. Dion. fragm. 106. 107 p. 44. Reim. Val. Max. VI, 4, 4.

ualuerunt. Cui Asiam petenti omnes prouinciae illius ciuitates legatos secessum eius opperientes obuiam miserunt. Exulare aliquis [loco] hoc an triumphare iustius dixerit?

Gaius etiam Marius in profundum ultimarum miseriarum 6. abiectus ex ipso uitae discrimine beneficio maiestatis emersit. Missus enim ad eum occidendum in priuata domo Minturnis clausum seruus publicus, natione Cimber, et senem et inermem et squalore obsitum strictum gladium tenens adgredi non sustinuit, et claritate uiri obcaecatus abiecto ferro attonitus inde ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perstrinxit deuictaeque gentis suae interitus animum comminuit, etiam diis immortalibus indignum ratis ab uno eius nationis interfici Marium, quam totam deleuerat. Minturnenses autem maiestate illius capti conpressum iam et constrictum dira fati necessitate incolomem praestiterunt. Nec fuit eis timori asper-

2. legatos] *post* opperientes *Γ*. || * * * secessum eius *A. fortasse* eius secessum eius *pr. A.* eius secessum *BCE.* discessum *Par.* || operientes *pr. A.* comperientes *E.* praeripientes *Par.* || 3. hoc loco *DEΓTorr.* || an] aut *AB(P)CDΓ.* || iustius] *add.* quid *corr. D.* || 5. ex] ab *D.* || 6. miturnis *in rasura B.* || 9. et] sed *in rasura A. Torr.* || obcecatus *A.* || 10. fugit ac tremens *Γ.* || strinxit *Γ.* || 11. suae gentis *Torr.* || 13. deleguerat *pr. A.* || 15. incolumem *corr. A cum reliquis.* || ei *A.* his *Torr.*

aliquis [loco] hoc) V. *loco* siue sequatur siue praecedat, ut in optimis libris, pronomen *hoc*, quid sibi uelit equidem non perspicio. Neque enim absolute cum exulandi uerbo eo nexu cohaerere potest, quo Ouidius IIII ex Pont. 9, 41 composuit, *Mente tamen, quae sola loco non exulat utar.* Accusatiuus autem pronominis, quo significatur res dicendi uerbo obiecta, omnino necessarius est. Itaque ualde mihi arrisit Perizonii suspicio, quam Torrenio quoque et Kappio persuasit, delendam esse eam uocem, quam seclusi, quamuis probabilem causam cur inter genuina Valerii uerba intrusa sit nondum me inuenisse confitear.

an triumphare) Boni libri summo consensu *aut triumphare*. Verum, si quae alia, manifesta haec disiunctio est, cuius membra, cum utrum rectius fiat ita quaeratur ut alterum excludatur altero, necessario per *an* inter se opponenda erant. Quare hoc reposui, quod saepius a librariis cum *aut* confusum esse scimus. Cf. Heindorff ad Cic. de nat. deor. II. 44, 115. Ellendt. ad Cic. Brut. 44, 162. Hand. Turs. I p. 551, qui tamen subtilius multa de usu particulae *aut* in quaerendo disputauit, quae in una interrogatione non adhibetur, nisi si res, de qua quaeritur, quo accuratius significetur, duabus aut pluribus notionibus exprimitur, specie magis quam ipsa re inter se oppositis neque se inuicem excludentibus. Cf. Tac. ann. IIII, 17. *Tiberius — percontatus est num id precibus Agrippinae aut minis tribuissent*, ubi preces aut minae omnino pro artibus Agrippinae ponuntur. Cic. de nat. deor. I, 30, 84. Plaut. Aul. II, 6, 11. Alia enim res est, si duae interrogationes eiusdem fere sententiae ea particula componuntur, ut apud Cic. ad Att. VIII, 3, 5. Brut. 44, 162. Hoc loco mendum e prima sequentis uocabuli littera ortum esse persuasum habeo.

6. Liu. epit. libr. LXXVII. Vell. II, 19. Plut. Mar. 39. App. ciu. I, 61 p. 184. Auct. de uir. ill. 67. Oros. V, 19.

rima Syllae uictoria, cum praesertim ipse Marius eos a conseruando Mario absterrere posset.

7. Marcum quoque Porcium Catonem admiratio fortis ac sincerae uitae adeo uenerabilem senatui fecit ut, cum inuito C. Caesare consule aduersus publicanos dicendo in curia diem traheret *et* ob id iussu eius a lictore in carcerem duceretur, uniuersus senatus illum sequi non dubitaret. Quae res diuini animi perseuerantiam flexit.

8. Eodem ludos Florales, quos Messius aedilis faciebat, spectante populus ut mimae nudarentur postulare erubuit. Quod cum ex Fauonio, amicissimo sibi, una sedente cognosset, discessit e theatro, ne praesentia sua spectaculi consuetudinem impediret. Quem abeuntem ingenti plausu populus prosecutus, priscum morem iocorum in scenam reuocauit, confessus plus se maie-

---

1. uictoria] *add.* ne in eos conseruationem Marii ulcisceretur *Torr.* || Marius] silla *D.* || 2. absterrere — (3.) admiratio] *om. A*; *in marg. ascript.* m. porcium catonem. || potuisset *D.* || 3. et sincerae *Torr.* || 4. uenerabilem] admirabilem *Torr.* || C. Caesare] cesare g. *B.* iu. cesare *D.* || 5. curiam *ABDEΓ.* || abstraheret *ABCDEΓ.* extraheret *Torr.* || 6. et *om. ABCD.* || eius iussu *Torr.* || 7. dubitauit *D.* || 10. populus — (14.) morem] *in rasura A.* || populo *E.* || darentur *Γ.* || a fauonio *rasura A, Par.* || 11. una sedente] dicente *D.* || cognouisset *BPar. Torr.* cognosceret *CD.* cognoscet *Γ. addunt post hoc uerbum Martialis epigramma I, 1. sic:* Martiales nosses (nosces) iocos sacrum cum dulce florae *etc.* — an ideo tantum ueneras ut exires *(uarie corruptum): post quae sequuntur* discessit e theatro. *BCDE. Eadem latent sub litura cod. A, qua sola genuina Valerii uerba suppleta sunt, litteris tamen ultra modum extentis in longum. In cod. Γ post uu.* consuetudinem impediret *adduntur haec,* hinc et illud epigramma martialis Nosses iocose sacrum cum dulce flore festosque lusus et licentia uulgi. Cur in theatrum cato seuere uenisti. An ideo tantum ueneras ut exires. *Tum sequuntur* Abeuntem uero populus ingenti plausu. || 13. abeuntem] *post* plausu *B.* || 14. reuocarunt *ABCDE. Vid. ad VIII, 11, 2.*

Syllae uictoria) Pighius e pessimis illis codd., Susiano, Pulmanniano, Wincheliano, Campensi, post haec uu. inseruerat *ne in eos conseruationem Marii ulcisceretur*, quae ab omnibus meis Torrenianisque aliena manifestam interpretationem insequentium *cum praesertim ipse Marius* etc. continent, ideoque a me suadente iam Perizonio e uerborum ordine exempta sunt.

7. Cf. Plut. Cat. min. 33. Atteius Capito ap. A. Gellium IIII, 10. (Sueton. Caes. 20. Dio Cass. XXXVIII, 3.)

diem traheret) Cod. archet. *abstraheret.* At ueteres scriptores *abstrahere diem* dixisse pro eo, quod est *trahere* uel *extrahere*, neque exemplis probare possum et propter seiunctionis notionem, quam continet abstrahendi uerbum ne uero simile quidem est. Quaeritur utrum simplex *trahere* an *extrahere* probabilius substituatur. Pro eo, quod nos edidimus, facit Paridense compendium, *aduersus publicanos in curia dicendo cum diem traxisset.* Idem Paris non senatum sed populum Catoni comitem extitisse scribit, cui id accidisse refert Plutarchus disserenti contra legem Iuliam de diuidendo agro Campano.

8. Cf. Senec. ep. 97. (Mart. epigr. I, 1. Lact. inst. diu. I, 20 p. 85 Dufresn.)

cognosset) Num contractam formam h. l. posuerit Valerius dubium uideri potest. Quam tamen alibi constanter fere optimorum librorum fide confirmatam

statis uni illi tribuere quam sibi uniuerso uindicare. Quibus opibus, quibus imperiis, quibus triumphis hoc datum est? Exiguum uiri patrimonium, astricti continentia mores, modicae clientelae, domus ambitioni clausa, paterni generis una [inl.] imago, minime blanda frons, sed omnibus numeris perfecta uirtus. Quae quidem effecit ut quisquis sanctum et egregium ciuem significare uelit sub nomine Catonis definiat.

Dandum est aliquid loci etiam alienigenis exemplis, ut Ext. 1. domesticis aspersa ipsa uarietate delectent. Harmodii et Aristogitonis, qui Athenas tyrannide liberare conati sunt, effigies aeneas Xerxes ea urbe deuicta in regnum suum transtulit. Longo deinde interiecto tempore Seleucus in pristinam sedem reportandas curauit. Rhodii quoque eas urbi suae adpulsas, cum in hospitium publice inuitassent, sacris etiam puluinaribus conlocauerunt. Nihil hac memoria felicius, quae tantum uenerationis in tam paruulo aere possidet.

Quantum porro honoris Athenis Xenocrati, sapientia pariter 2.

---

1. uniuerso] *ante* sibi *Torr.* uniuersos *BC, pr. E et corr. A.* l' uniuersum *add. margo A.* uniuersis *D. om. Γ.* || 2. operibus *DE.* || 4. inl] *sic A.* in *B.* i *C. om. DEΓ Torr.* || 7. diffiniat *D.* difiniat *E.* || 9. uarietate ipsa *Torr.* || Harmodii — (16.) aere possidet *om. Γ.* || Harmonii *Torr. (operar. error.), Par.* || aristogistonis *B.* aristogi * onis *D.* aristogidonis *E.* || 10. liberare tyrannide *B.* || 16. paulo *E.* || 17. Quantum — (*p.* 240, 1.) tributum est] Athenis xenocrates sap. par. ac sanct. clarus *Γ.*

---

restituendam putaui. Cf. III, 2, 15. IIII, 4, 6. IIII, 6, 5. V, 5, 3. VI, 8, 6. IX, 3, 1. IX, 11, 6. In recentioribus libris saepe aberratum est a *cognosset* in *cognosc'et*, quod denotat imperfectum *cognosceret*. Ceterum insignem illam interpolationem post h. u. apparet eo ortam esse, quod doctus aliquis homo Martialis epigramma de eadem hac re in margine antiqui cuiusdam libri ascripserit praefixo poetae nomine. Vnde propagatis ineptiis illud *Martiales nosses iocos*. Notauit librariorum stuporem Pighius.

una [inl.] imago) Torrenius cum in paucis quibusdam libris similia inueniret atque nos in Bernensi et Vindobon. *una M. L. imago, una illi imago*, in Leidensi sexto plene scriptum *una illustris imago*, uocem, in reliquis male omissam, suo loco inserendam putauit. Quae mihi omnino superuacua, paene dixerim contraria uidetur. Etenim cum id ageret auctor, ut demonstraret maiorum uirtutem parum ualuisse in tribuendo illo honore, nihil ad rem pertinebat extolli ea praedicatione Catonis familiam. Recte ita locutus esset, si plures quidem maiorum imagines sed una dumtaxat cum maxime illustris fuisset. Et cur tandem librarios uno h. l. singulari illo compendio usos esse putemus, cum alibi semper plene exarauerint hanc uocem? Quam ob causam suspicor notas illas ortas esse duplicatis in archetypo sequentis uocabuli duabus prioribus litteris *(una im imago)* easque seclusi.

Ext. 1. Arrian. III, 16, 8. VII, 19, 20 et Plin. XXXIIII, 8, 19 ab Alexandro Magno in pristinas sedes eas reportatas esse scribunt; Pausan. Attic. I, p. 14 ab Antiocho, Seleuci filio.

2. Cic. ad Att. I, 16, 4; pro Balb. 5, 12. Diog. Laert. IIII, 7.

ac sanctitate claro, tributum est! Cum testimonium dicere coactus ad aram accessisset, ut more eius ciuitatis iuraret omnia se uere retulisse, uniuersi iudices consurrexerunt proclamaruntque ne iusiurandum diceret, quodque sibimet ipsis postmodum dicendae sententiae loco remissuri non erant sinceritati eius concedendum existimarunt.

1. est] *add.* qui *corr. A, Torr.*, l' is *margo A.* || 2. se uere omnia *B.* || 3. retulisse] dixisse *DΓ.* || 4. sententiae dicendae *E.*

Cum testimonium dicere) In edd. hucusque erat ***Qui cum testimonium.*** Sed relatiuum non agnoscunt libri. Sic nulla interposita aut relatiua aut causali coniunctione narratio separatur a praemissa qua introducitur sententia VI, 8, 6, ***Quid Vrbini — seruus quam admirabilis fidei! Cum ad dominum proscriptum*** etc., ubi eodem modo editores relatiuum *qui* ante *cum* inseruerant; VIII, 11, 2 ***Spurinnae quoque — efficacior scientia apparuit quam urbs Romana uoluit. Praedixerat C. Caesari*** etc., ubi in edd. post *praedixerat* praeter necessitatem inculcatum est *enim;* III, 8, ext. 5 ***Quem Syracusanus Dio seueritate exempli praegrauat. Quibusdam monentibus ut*** etc. In edd. et deterioribus libris ***Qui quibusdam monentibus.*** Cf. etiam V, 1, 9. VII, 2, 6. VII, 2, ext. 6.

VALERI MAXIMI

FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM

LIBER TERTIVS.

Adtingam quasi cunabula quaedam et elementa uirtutis, animique procedente tempore ad summum gloriae cumulum peruenturi certo cum indolis experimento datos gustus referam.

DE INDOLE.

Aemilius Lepidus puer etiam tum progressus in aciem hostem interemit, ciuem seruauit. Cuius tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata et incincta praetexta senatus consulto posita. Iniquum enim putauit eum honori nondum tempestiuum uideri, qui iam uirtuti maturus fuisset. Praecucurrit I. 1.

1. VALERI — LIBER TERTIVS] EXPLICIT LIB. SECVND. INCIPIT TERTIVS *ABCE*. Valerii Maximi dictorum ac factorum memorabilium liber secundus explicit Incipit tertius de indole *D. om. Γ.* || 4. Adtingam] *praeponunt inscriptionem* De indole *BDEΓTorr.* || quasi] nunc quasi *corr. D, Torr.* || 6. dato *E.* || gestus *DE et corr. AC.* || 7. DE INDOLE *om. h. l. BDEΓ Torr.* || 8. M. Aemilius *D.* || Laepidus *A.* || etiam cum *BD.* etiamnum *Par.* || 11. posite *pr. A.* || 12. praecurrit *ACEΓTorr.* praecūrrit *B.*

1. *Aemilius Lepidus)* Referenda haec esse uidentur ad M. Aemilium Lepidum consulem a. u. c. 567 et 579, censorem, pontificem maximum principemque senatus.

Praecucurrit) Perfectum huius uerbi tempus Valerius constanter cum reduplicatione formauit. Cf. I, 8, 10. VI, 9, 13. IX, 12, 7 cett., quod superiores editores non animaduerterunt. Itaque unum hunc locum, quo boni etiam codices exhibent *praecurrit*, reliquis accommodare non dubitaui. Dixit item Valerius *decucurrit* in praef. libr. I; *percucurrit* VII, 4, 1; *procucurrit* V, 9, 1; sed *recurrit* III, 7, 9; *occurrit* IIII, 4, 7. VII, 3, ext. 1 (bis). V, 5, 6; *concurrit* V, 6, 1. I, 7, 1; *succurrit* III, 8, 2. V, 3, 4 etc.

igitur Lepidus aetatis stabilimentum fortiter faciendi celeritate duplicemque laudem e proelio retulit, cuius eum uix spectatorem anni esse patiebantur. Arma enim infesta et destricti gladii et discursus telorum et aduentantis equitatus fragor et concurrentium exercituum impetus iuuenibus quoque aliquantum terroris incutit. Inter quae gentis Aemiliae pueritia coronam mereri, spolia rapere ualuit.

2. Hic spiritus ne Marci quidem Catonis pueritiae defuit. Nam cum in domo M. Drusi auunculi sui educaretur et ad eum tr. pl. Latini de ciuitate inpetranda conuenissent, a Q. Poppedio, Latinorum principe, Drusi autem hospite, rogatus ut socios apud auunculum adiuuaret, constanti uultu non facturum se respondit. Iterum deinde ac saepius interpellatus in proposito perstitit. Tunc Poppedius in excelsam aedium partem leuatum abiecturum inde se, nisi precibus obtemperaret, minatus est. Nec hac re ab incepto moueri potuit. Expressa est itaque illa uox homini, 'Gratulemur nobis, Latini et socii, hunc esse tam paruum, quo

3. Arma — (7.) ualuit *om. Γ.* || destricta *pr. A.* districti *D et corr. A.* || 5. impetus *om. C.* || quoque *om. pr. D.* || 6. quae] *in rasura A. om. pr. D.* || Aemiliae gentis *Torr.* || 7. et spolia *D.* || 8. Hic — defuit. Nam] M. Cato *Γ.* || quidem *om. E.* || 10. Latinorum] Latini *ABC et pr. Γ.* latino *E.* || 11. drusci *E.* || 12. facturum se non *B.* || 13. praestitit *C et pr. B.* || 14. aedis *D.* || 15. se inde *E.* || 16. morere *pr. A.* mouere *BCDEΓ. Vt nos Par. et corr. A.* || est *om. Γ.* || hominum *ABDEΓTorr.* hominis *C.* || 17. et socii] et *om. edd. inde a Bipontina oper. errore.* || paruum] *add.* senatum *B.*

2. Cf. Plut. Cat. min. 2. Auct. de uir. ill. 80.

Q. Poppedio) Insigniter haec nominis scriptura confirmatur Paridis auctoritate. Dubitatum est de scribendi ratione, quia Graeci, Diodorus (exc. Vat. p. 118. Mai.), Plutarchus, Appianus, alii, constanter *Πομπαίδιον* eum uocarunt, quibuscum sane consentit cod. Leidensis in Liuii epitome libr. LXXVI et codicum mendum (*Pompeius Sylo*) apud Iul. Obseq. 116. Sed ut nos edidimus, ita scribitur etiam in Velleii (II, 16) et Flori (III, 18) codicibus et apud auctorem de uir. ill. l. c. ubi u. not. interpr.

Latinorum principe) Cum boni libri tradant *latini principe*, Colerus probante Torrenio coniecit legendum esse *Latii principe*. Quae appellatio regi conueniret Poppedio, non conuenit consuli et duci. Itaque bene recentiorum librariorum emendationem secuti editores *Latinorum* posuerunt. Non bene Valerius. Etenim Marsorum princeps erat Poppedius, non Latinorum, quos omnino hoc bello in fide Romanorum permansisse constat. Cf. App. ciu. I. 39. Similiter igitur a uero aberrauit atque Florus III, 18, cum is Marsos et Latinos sub Poppedii signis fuisse et uniuersum Latium, Picenum, Etruriam atque Campaniam, postremo Italiam a Romanis desciuisse declamaret.

uox homini) Sic dedi e coniectura Lipsii reliquis quoque editoribus probata. Illam enim uocem unius Poppedii fuisse, non omnium simul legatorum cum per se intellegitur, tum liquido Plutarchi testimonio asseueratur. Pluralem formam a librario quodam substitutam esse suspicamur propter sequens *Gratulemur nobis.*

senatore ne sperare quidem nobis ciuitatem licuisset'. Tenero ergo animo Cato totius curiae grauitatem percepit, perseuerantiaque sua Latinos iura nostrae ciuitatis adprehendere cupientes reppulit.

Idem cum salutandi gratia praetextatus ad Syllam uenisset et capita proscriptorum in atrium adlata uidisset, atrocitate rei commotus paedagogum suum nomine Sarpedonem interrogauit quapropter nemo inueniretur, qui tam crudelem tyrannum occideret, cumque is non uoluntatem hominibus sed facultatem deesse, quod salus eius magno praesidio militum custodiretur, respondisset, ut ferrum sibi daret obsecrauit, adfirmando perfacile se eum interfecturum, quod in lecto illius considere soleret. Paedagogus et animum Catonis agnouit et propositum exhorruit eumque postea ad Syllam excussum semper adduxit. Nihil hoc admirabilius. Puer in officina crudelitatis deprehensus uictorem non extimuit, tum maxime consules, municipia, legiones, equestris ordinis maiorem partem trucidantem. Ipsum Marium illo loci statuisses, celerius aliquid de sua fuga quam de Syllae nece cogitasset.

Cuius filium Faustum C. Cassius condiscipulum suum in schola proscriptionem paternam laudantem, ipsumque, cum per aetatem potuisset, idem facturum minitantem colapho percussit. Dignam manum, quae publico parricidio se non contaminaret. 3.

Et ut a Graecis aliquid, Alcibiades ille, cuius nescio utrum Ext. 1.

---

1. senatore * *A.* || nede * sperare *A.* nec sperare *D et corr. C.* || Tenero — (4.) reppulit *om. Γ.* || 2. ergo] igitur *C.* || percepit *om. E.* || 7. Sarpedonem nomine *Torr. om. Γ.* || 8. qui — (10.) custodiretur *om. B.* || occideret] interfioeret *Γ.* || 10. quodque *D.* || salus eius] sylla * *in rasura A.* || militum praesidio *Torr.* || 13. ut animum *E.* || 14. Nihil — (19.) cogitasset *om. Γ.* || 15. puero *corr. A.* || 16. cum *ABE et pr. C.* || 17. Ipsum Marium] Si quis ipsum Marium *D et corr. C.* et qui ipsum Marium *E.* Ipsum Marium si quis *Torr.* || illo loco *D.* eo loci *Torr.* || 18. statuisset *ABCDE Torr. add.* ut *corr. A.* || fuga sua *Torr.* || 20. Cuius filium Faustum] Faustum Sille filium *Γ.* || Faustulum *E.* || 21. scola *A.* || 22. minantem *Par. et corr. C.* || 23. manum quae] manumque si *corr. D. incerta pr. D.* || quae publico] *in rasura A.* || contaminasset *D.* continuaret *C.* || 24. aliquid] *add.* assumamus *Γ.*

Idem cum salutandi) Cf. Plut. Cat. min. 3.

illo loci statuisses) Cod. archetypus *statuisset*, unde deteriorum codicum librarii, ut Berolin. *D* et Guelferb. *E*, in uarias coniecturas abierunt, quibus etiam debentur quae huc usque legebantur in uulgatis Valerii exemplis. Egregie Lipsius emendauit *statuisses*, quod denuo corrupit Torrenius, cum proponeret *Atqui ipsum Marium illo loci statuisses et celerius* etc.

3. Cf. Plut. Brut. 9.

Ext. 1. Cf. Plut. Alcib. 7.

bona an uitia patriae perniciosiora fuerint, illis enim ciues suos decepit, his adflixit, cum adhuc puer ad Periclen auunculum suum uenisset eumque secreto tristem sedentem uidisset, interrogauit quid ita tantam in uultu confusionem gereret. At illo dicente mandatu se ciuitatis Propylaea Mineruae, quae sunt ianuae arcis, aedificasse, consumptaque in id opus ingenti pecunia non inuenire quo pacto ministerii rationem redderet, atque ideo conflictari, 'Ergo', inquit, 'quaere potius quemadmodum rationem non reddas'. Itaque uir amplissimus et prudentissimus suo consilio defectus puerili usus est, atque id egit ut Athenienses finitimo inplicati bello rationibus exigendis non uacarent. Sed uiderint Athenae utrum Alcibiadem lamententur an glorientur, quoniam adhuc inter exsecrationem hominis et admirationem dubio mentis iudicio fluctuatur.

II. Nos quia iam initia procursusque uirtutis patefecimus, actum ipsum persequemur, cuius ponderosissima uis et efficacissimi lacerti in fortitudine consistunt.

DE FORTITVDINE.

Nec me praeterit, conditor urbis nostrae, Romule, principatum hoc tibi in genere laudis assignari oportere. Sed patere, obsecro, uno te praecurri exemplo, cui et ipse aliquantum ho-

1. illis] *in rasura C.* ille *B et pr. A.* illic *Γ et corr. D. incerta pr. D.* || enim *om. pr. E.* || 2. hic *ABDΓ et pr. C.* || periclem *BCDE Par. Torr.* || 3. secreto *om. Γ.* || 4. confusionem in uultu *Γ.* || 5. mandato *BCDEΓ Torr. Vt nos etiam Par.* || propulea *in rasura AC.* propyla *BDΓ. Vt nos Par.* || 9. amplissimus uir *E.* || et] atque *Torr.* || 10. pueri *C.* || 12. alchibiadem *pr. A.* || lamentarentur *B.* || 15. Nos] *praeposuit inscriptionem* De fortitudine *Torr.* || 16. prosequamur *(prima syllaba in rasura) D, Torr.* prosequemur *E.* || 18. DE FORTITVDINE] *om. h. l. Torr.* || 19. Nec — *(p. 245, 2.)* dilaberetur *om. Γ.* || praeterit me *(BE) Torr.* || 20. hoc] *post* tibi *Torr.* huius *E.*

auunculum suum) Cf. Diod. XII, 38. A. Gell. XV, 17, 1. Alcibiadis auus maternus, Megacles, et Periclis mater, Agariste, eodem patre geniti erant. Itaque recte dubitat Nipperdeius num Pericles Alcibiadis auunculus fuerit. Cf. eius not. ad Corn. Nep. Alcib. 2, 1, a quo falso Alcibiades Pericli priuignus dicitur.

noris debes, quia beneficio illius effectum est ne tam praeclarum opus tuum Roma dilaberetur.

Etruscis in urbem ponte Sublicio inrumpentibus Horatius 1.
Cocles extremam eius partem occupauit totumque hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit, atque, ut patriam periculo inminenti liberatam uidit, armatus se in Tiberim misit. Cuius fortitudinem dii immortales admirati incolomitatem sinceram ei praestiterunt. Nam neque altitudine deiectus quassatus[ue] nec pondere armorum pressus nec ullo uerticis circuitu actus, ne telis quidem, quae undique congerebantur, laesus, tutum natandi euentum habuit. Vnus itaque tot ciuium, tot hostium in se oculos conuertit, stupentis illos admiratione, hos inter laetitiam et metum haesitantes, unusque duos acerrima pugna consertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando distraxit. Denique unus urbi nostrae tantum scuto suo quantum Tiberis alueo munimenti attulit. Quapropter discedentes Etrusci dicere potuerunt 'Romanos uicimus, ab Horatio uicti sumus'.

Immemorem me propositi mei Cloelia facit, paene eadem 2.

8. incolumitatem *corr. A. et reliqui.* || 9. quassatusque *C.* quassatus *pr. D.* || neque pondere *Torr.* || 10. uorticis *B D E Torr.* uirtutis *C.* || nec telis *A B C D E Γ Torr. Vid. ad II.* 1, 4. || 12. tot hostium tot ciuium *in rasura A.* || stupentes *C D E Γ Torr.* || 13. admirationem *pr. A.* || mestum *B.* || 14. contritos *E.* || 15. alteri propugnando *Γ.* alterum repugnando *E.* || 19. §. 2. *om. Γ.* || paene facit *D E Torr.*

II, 1. Cf. Liu. II, 10. Dion. Hal. V, 24. Plut. Public. 16. Senec. epp. 120, 7. Flor. I, 10. Auct. de uir. ill. 11, alii.

deiectus quassatus[ue]) Codicis archetypi scriptura *quassatusue* intellegi omnino nequit. Neque certe audiendum esse quisquam crediderit Colerum, *deiectus* explicantem per *elisus*. Itaque ad coniecturam confugiamus oportet. Et maxime quidem probabilem Lipsius e cod. Vltraiectino (nunc Berolinensi *D.*) repetiit, delendum esse affixum *ue*, profectum a librario, qui inter duo quae putabat participia, *deiectus* et *quassatus*, nexum quendam desideraret. Est autem *deiectus* nomen substantiuum, ea significatione positum, qua Liu. IX, 2, 9, quem citat Perizonius, angustias arborum deiectu saeptas dixit, et qua de deiectu aquarum et fluminum loquuntur Ouid. met. I, 571 et Senec. consol. ad Marc. 18; non ea qua Caesar b. G. II, 8 et II, 22 decliuam collis partem deiectum appellat, quem male affert Kappius. Lipsianam emendationem Torrenius interpretando corrupit, cum enarraret tamquam *deiectus* participium esset, 'namque ille deiectus ab altitudine neque quassatus, neque pondere etc.' Ceterum interpolatam quam nos seclusimus particulam eiecerat iam Kappius.

2. Cf. Liu. II, 13. Dion. Hal. V, 33. Plut. Publ. 19. Senec. ad Marc. 16. Flor. 1, 10. Auct. de uir. ill. 13.

facit, paene eadem [enim] temp.) Mutato uerborum ordine et sensu editores haec ita constituerant, *Cloelia paene facit. eadem enim tempestate* etc. Verum non paene, sed omnino propositi immemorem eum fecerat; uoluit enim principatum in hoc uirtutis genere adsignare Romulo, uno tamen praemisso Horatii

[enim] tempestate, certe aduersus eundem hostem et in eodem Tiberi inclitum ausa facinus. Inter ceteras enim uirgines obses Porsennae data [hosti], nocturno tempore custodiam egressa equum conscendit, celerique traiectu fluminis non solum obsidione sed etiam metu patriam soluit, uiris puella lumen uirtutis praeferendo.

3. Redeo nunc ad Romulum, qui ab Acrone, Caeninensium rege, ad dimicandum prouocatus, quamquam et numero et fortitudine militum superiorem se crederet, tutiusque erat toto cum exercitu quam solum in aciem descendere, sua potissimum dextra omen uictoriae corripuit. Nec incepto eius fortuna defuit. Occiso enim Acrone fusisque hostibus opima de eo spolia Ioui Feretrio retulit. Hactenus istud, quia publica religione consecrata uirtus nulla priuata laudatione indiget.

4. Ab Romulo proximus Cornelius Cossus eidem deo spolia

---

1. enim] *sine uncis Torr.* || 2. ausa] *add.* est *E et corr. D.* || 3. hosti Porsenae data *Torr.* || custodia *Par. et corr. A.* || 5. sed *om. C.* || etiam] et *D.* || metu — (7.) Caeninensium] *in rasura A.* || patriam] *ante* metu *D.* || puella soluit, uiris *Torr.* || lumine *rasura A.* || uirtutis *om. pr. E.* || praeferenda *rasura A et corr. C.* || 7. §. 3. *om. Γ.* || macrone *D.* || ceniensium *C.* senonensium *D.* || 11. corripuit] rapuit *Torr.* || 12. macrone *D.* || de eo] deo *ABCD.* || 15. §. 4. *om. Γ.* || A Romulo *(E) Torr.*

---

exemplo. Nunc alterum etiam inserit Cloeliae. Iam uero boni libri exhibent *facit paene*, unde manifesto mutata distinctione scribendum est *paene eadem — tempestate*. Nam prorsus eodem tempore id neque factum erat neque Valerius factum esse existimauit, ut demonstrant uu. *certe aduersus eundem hostem*, quae, nisi discrimen aliquod temporis statuisset, dicenda fuissent *et aduersus eund. host.* Recte igitur Nepotianus in compendio huius exempli scripsit *Haec post exiguum temporis interuallum per eundem alueum* etc. De causali quae sequebatur particula *enim* optimo iure iam dubitarunt Lipsius et Perizonius, cum et paulo post eadem repetatur *(inter ceteras enim uirgines)* et ex tota enuntiati indole appareat *ausa* non finitum uerbum sed participium esse. Nolim tamen cum Perizonio Lipsianam accipere emendationem *eadem ea tempestate*, ut *ea* referatur ad Cloeliam. Nam facillime *enim (enī)* oriri potuit e praecedentibus litteris *em*. Qua spuria particula deleta optime cohaeret proceditque oratio. Nam hoc sane nihili est, quod opinatur Kappius, particulam *enim* non causalem h. l. notionem habere sed inseruire transitioni.

Porsennae data [hosti]) Vltimum uocabulum non modo superuacuum est sed hoc loco positum ualde etiam incommodum, praesertim cum paulo ante praecesserit *aduersus eundem hostem*. Quapropter id delendum esse censuerat Perizonius consentiente Torrenio, quibus et ipse accedo, grauissimam afferens suspicionis confirmationem e Iul. Paridis epitoma, in qua seruatis reliquis Valerianis hoc uerbum non extat. Legitur ibi *Cloelia inter ceteras uirg. obs. Porsenae data noct. temp. custodia egressa* etc.

3. Cf. Liu. I, 10. Plut. Rom. 16. Dion. Hal. II, 33 sqq. Flor. I, 1, 11. Auct. de uir. ill. 2. Fest. u. opima spolia p. 186 Müll.

4. Cf. Liu. IIII, 19. Plut. Rom. 16. Auct. de uir. ill. 28, alii.

consecrauit, cum magister equitum ducem Fidenatium in acie congressus interemisset. Magnus initio huiusce generis inchoatae gloriae Romulus. Cosso quoque multum adquisitum est, quod imitari Romulum ualuit.

Ne Marci quidem Marcelli memoriam ab his exemplis sepa- 5. rare debemus, in quo tantus uigor animi fuit ut apud Padum Gallorum regem ingenti exercitu stipatum cum paucis equitibus inuaderet, quem protinus obtruncatum armis exuit eaque Ioui Feretrio dicauit.

Eodem et uirtutis et pugnae genere usi sunt T. Manlius 6.

---

2. in inicio *E.* || incohatae *E.* || 4. Romulum imitari *Torr.* || uoluit *E.* || 5. §. 5. *om. Γ.* || nec *C.* || 6. animi uigor *Torr.* || pagum *pr. B.* || 10. Eodem — (*p.* 248, 4.) consecranda *om. Γ.* || mallius *ABC.* malius *E. Vid. ad. II*, 7, 6.

---

magister equitum) Liuius de tempore, quo commissum sit hoc proelium, et de imperio A. Cornelii triplicem proposuit opinionem, suamque sententiam, quo se uerteret incertus, multis uerborum ambagibus callide texit. Primum enim secundum omnes, ut ipse dicit, ante eum auctores Cossum tribunum militum secunda spolia opima Iouis Feretrii templo intulisse exposuit. Tum Caesarem Augustum, qui ipse ea spolia Ioui dedicata inspexerat, testem citat undecim annis post consulem Cossum ea cepisse; de uero existimationem omnibus communem relinquit. Denique tribus post consulatum annis eundem A. Cornelium Cossum tribunum militum consulari potestate et mox magistrum equitum sub Mam. Aemilio dictatore fuisse inque eo imperio alteram insignem pugnam equestrem edidisse ita refert, ut nouam in his coniecturam latere perspicuum sit, hoc anno Cossum illa spolia cepisse. Cf. Seru. ad Aen. VI, 842. Quam coniecturam ab ipso mox relictam (cf. IIII, 32, 4) Valerius h. l. amplexus esse uidetur, cum Cossum magistrum equitum hostium ducem interemisse traderet, eamque unice ueram esse contra Perizonium (animadu. hist. c. 7. p. 258 et seqq. ed. Harless.) iudicauit Hertzbergius in Schneidewinii Philologo I a. 1846. p. 331, fultus cum maxime Niebuhrio, qui (röm. gesch. II, p. 518) Tolumnium non ante a. 328 occisum esse declarans, prius illud bellum contra Veientes fictum atque commenticium omnino inter fabulas reiciendum esse studuit euincere. De tempore nolim contendere cum Hertzbergio; sed in eo certe errauit, quod, quoniam Cossus eo anno tribunus militum consulari potestate propriis auspiciis usus fuisset, ne dictatore quidem creato ea magistri equitum auspicia sublata esse censuit, quod et rei naturae et apertis ueterum scriptorum testimoniis repugnat. Cf. commentarium ad §. 6. Valerius autem perquam negligenter, ut recte iam Perizonius animaduertit, Fidenatium ducem a Cornelio Cosso interemptum esse narrat, siquidem Lar Tolumnius Veientium rex erat, ad quem defecerant Fidenates. In hunc errorem secum traxit Valerius auctorem de uir. ill. l. c.

5. Cf. Liu. epit. libr. XX. Plut. Marc. 7. Front. strat. IIII, 5, 4. Auctor de uir. ill. 45. Fest. u. opima spolia p. 186 Müll.

6. *T. Manlius Torquatus)* Cf. Liu. VII, 10. Cic. de off. III, 31, 112. Flor. I, 3, 20. Auct. de uir. ill. 28.

Torquatus et Valerius Coruinus et Aemilianus Scipio. Hi etiam ultro prouocatos hostium duces interemerunt, sed quia sub alienis auspiciis rem gesserant, spolia Ioui Feretrio non posuerunt consecranda.

---

1. Coruus *Torr.* || etiam] enim *Torr.* || 2. prouocati *corr. C.* prouocantes *Torr.* || 3. potuerunt *BE et pr. AC.* portauerunt *D.* || consecranda] *add.* referre *E et corr. B.*

---

et Valerius) Cf. Liu. VII, 26. Dion. Hal. exc. Vat. (XV, 1) Mai. coll. II p. 196. Flor. I, 3, 20. Gell. IX, 11. Auct. de uir. ill. 29.

Coruinus) Valerio Corui cognomen fuisse constat e fastis consularibus a. 405 et triumphalibus a. 407, 410, 418, quibuscum conspirant codd. Liuii VII, 26 et 27 et Medic. Tacit. ann. I, 9. Non minore tamen auctoritate altera forma *Coruinus* nititur, cum eam non solum omnes libri h. l., librorum et Paridis consensus VIII, 13, 1 tueantur, uerum etiam reliqui scriptores, qui hominis mentionem iniecerunt, adhibuerint. Cf. Dion. Hal. l. c. Plin. h. n. VII, 48, A. Gell. IX, 11. Censor. d. d. nat. 17, 10 (ubi cod. Darmstad. et Vat. *Curmino)* Amm. Marc. XXIIII, 4. Dio Cass. XXXVIII, 28, p. 172. Reim. Eutrop. II, 6, (ubi tamen e duobus codd. Lugdd. enotatum est *Corsus*). Auct. de uir. ill. 29. Quibus locis quam temere librarios erroris arguerint uiri quidam docti, ex eo maxime colligitur, quod uel a poetis Coruinus appellatur, a Iuu. sat. VIII, 5. Manil. I astron. 780, aliis, quibus nimirum 'aliquid propter metrum concedendum putant uel quod grandius sonaret'. Itaque, siquidem causam fluctuandi praebebat, quod, cum posteri huius Valerii uterentur Coruini cognomine, idem ad auctorem quoque generis transferebatur, non librariorum haec culpa erat sed ipsorum ueterum scriptorum.

Aemilianus Scipio) Cf. Liu. epit. libr. XLVIII. Vell. I, 12, 4. App. de reb. Hisp. 53. Auct. de uir. ill. 58.

ultro prouocatos) Et Manlium Torquatum et Valerium Coruinum et Aemilianum Scipionem prouocantibus hostium ducibus ad singulare certamen sese obtulisse, non ipsos prouocasse nota res est. Itaque ut Valeriana relatio historiae conueniret, cum in exemplis Ascensianis, Aldinis, Gryphianis et in omnibus inde a Colero parum probabiliter et ambigue ederetur *prouocantes*, Torrenius scribendum censuit *prouocatores hostium duces*; ingeniose magis quam recte. Etenim, cum *ultro* iam pertineat ad uerbum *interemerunt*, nemo non sentit gradationem illam, quae fit per *Hi etiam ultro interemerunt*, quaque opponuntur illi uiri Romulo, Cosso, Marcello, supra commemoratis, plane ineptam esse, quoniam, ne dicam de Romulo, qui nominatim prouocatus erat, certe Cossus quoque atque Marcellus ultro hostes aggressi interfecerant. Torrenius nimirum, ignarus omnes libros mss. eo loco *etiam* exhibere, posuerat *Hi enim ultro*. Quae cum ita sint, facere uix poterimus quin confiteamur Valerium Torquati, Corui ac Scipionis singularia certamina aliquanto insigniora etiam quam Romuli, Cossi Marcellique ideo putasse, quod hi uel ultro prouocatos hostium duces interemissent, et genuinam esse scripturam, quam omnes libri retinuerunt, licet ea erroris arguat auctorem satis foedi in trium hominum clarissimorum clarissimis factis.

sed quia sub alienis auspiciis etc.) Peruulgata erat ueterum scriptorum opinio, spolia opima ea tantum esse, quae dux, propriis usus auspiciis, de hostium duce retulerit. Quam opinionem grauissimo Varronis testimonio opima spolia etiam esse, si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium, eleganti et docta disputatione impugnauit Perizonius anim. hist. c. 7. p. 258; quem refutare nondum contigit Hertzbergio in Philologo l. c. Rem controuersam ac difficilem hoc loco non sum disceptaturus, neque Valerium magnopere reprehendo, quod uulgarem famam securus sequitur; illud tamen debebat animaduertere, pugnare inter se aperte quae hic protulerit, neminem

Idem Scipio Aemilianus, cum in Hispania sub Lucullo duce militaret atque Intercatia, praeualidum oppidum, circumsederetur, primus moenia eius conscendit. Neque erat in eo exercitu quisquam aut nobilitate aut animi indole aut futuris actis, cuius magis saluti parci et consuli deberet. Sed tunc clarissimus quisque iuuenum pro amplificanda et tuenda patria plurimum laboris ac periculi sustinebat, deforme sibi existimans, quos dignitate praestaret, ab his uirtute superari. Ideoque Aemilianus hanc militiam aliis propter difficultatem uitantibus sibi depoposcit.

7. Magnum inter haec fortitudinis exemplum antiquitas offert. Romani Gallorum exercitu pulsi, cum se in Capitolium et in arcem conferrent, inque his collibus morari omnes non possent, necessarium consilium in plana parte urbis relinquendorum seniorum ceperunt, quo facilius iuuentus reliquias imperii tueretur. Ceterum ne illo quidem tam misero tamque luctuoso tempore ciuitas nostra uirtutis suae oblita est. Defuncti enim honoribus apertis ianuis in curulibus sellis cum insignibus magistratuum, quos gesserant, sacerdotiorumque, quae erant adepti, consederunt, ut et ipsi in occasu suo splendorem et ornamenta praeteritae uitae retinerent et plebi ad fortius sustinendos casus suos * * *. Venerabilis eorum aspectus primo hostibus fuit et nouitate rei et magnificentia cultus et ipso audaciae genere commotis. Sed quis dubitaret quin et Galli et uictores illam admirationem mox in risum et in omne contumeliae genus conuersuri essent? Non

1. item *BCE et pr. A. om. Γ.* || in *om. CΓ.* || 2. intercatiam *B.* interratium *D.* || circumsideretur *Par. et corr. A.* circumsederunt *B.* || 4. actibus *D.* || 5. saluti magis *(E) Torr.* || 8. Ideoque — (9.) depoposcit *om. Γ.* || 9. deposcit *B.* || 10. §. 7. *om. Γ. Finit hoc exemplo Ianuarii Nepotiani epitome.* || 13. plena *C.* || urbis parte seniorum relinquendorum *Torr.* || 17. curilibus *C.* || 20. uitae praeteritae *Torr.* || plebe *in rasura A.* plebem *(E) Torr.* || fortium *ABC.* fortunae *D.* || suos] *om. D.* suo *corr. A, Torr. add.* splendore et ornamenta praeteritae uitae retinerent *A. addunt* exemplum praeberent *corr. C*, exemplum darent *D*, animarent *E*, uigore prouocarent *Torr.* || 23. quis] qui *E.*

umquam spolia opima consecrasse Ioui alienis auspiciis militantem et quae supra de C. Cosso prodiderit, magistro equitum eum honorem assecuto.

7. Cf. Liu. V, 41. Plut. Cam. 22. Flor. I, 3, 14. Oros. II, 19. Zonar. VII, 23. *casus suos * * *. Venerabilis)* Bonorum librorum consensus deteriorumque discrepantia liquido declarat excidisse in archetypo aliquot uerba, ab illis item aliena, in his uarie ad arbitrium librariorum suppleta. Codicem Bernensem qui scripsit, praeterea oculis lapsus, quae praecesserant uu. *splendore — retinerent* h. l. iterauit. De explenda lacuna equidem desperaui. Sententiam Valerium hanc fere posuisse crediderim, ut *plebi ad fortius sustinendos casus suos suo exemplo confirmarent animos.* Videtur autem lusisse auctor in uu. *occasu suo* et *casus suos.*

expectauit igitur hanc iniuriae maturitatem C. Atilius, uerum barbam suam permulcenti Gallo scipionem uehementi ictu capiti inflixit eique propter dolorem ad se occidendum ruenti cupidius corpus obtulit. Capi ergo uirtus nescit, patientiae dedecus ignorat, fortunae succumbere omni fato tristius ducit, noua et speciosa genera interitus excogitat, si quisquam interit, qui sic extinguitur.

8. Reddendus est nunc Romanae iuuentuti debitus gloriae titulus, quae C. Sempronio Atratino consule cum Volscis apud Verruginem parum prospere dimicante, ne acies nostra iam inclinata propelleretur, equis delapsa se ipsa *centuriauit atque hostium* exercitum inrupit. Quo dimoto proximum tumulum occupauit effecitque ut omnis Volscorum conuersus impetus legionibus nostris ad confirmandos animos salutare laxamentum daret. Itaque, cum iam de trophaeis statuendis cogitarent, proelium nocte dirimente, uictoresne an uicti discederent incerti abierunt.

---

1. immanitatem *E.* || m. atilius *corr. A, Par.* m. papirius *corr. C.* || 3. cupidus *E.* || 4. Capi — (7.) extinguitur] *haec uu. inseruit in fine* §. 12. *post uu.* dignitati suae reddidit *Γ.* || patientia *ABDΓ et pr. C.* || 5. fortunae] fortitudinem *D.* || tristius ducit omni fato *Torr.* || 6. interiit *DΓ et corr. C.* || 8. §. 8. *om. Γ.* || 9. quae] *erasum A.* quod *C. add.* Q. Catulo *E.* || cum sempronio *C. praenomen om. E.* || consulibus *pr. E.* || Verniginem *E.* || 11. se ipsam *Torr. om. BCE.* || centuriauit atque] *om. B. et pr. ACDE.* centuriauit se ipsam *margo E.* || hostium *om. ACD.* || 12. demoto *ABCE.* || 13. Volscorum] *add.* in se *(E) Torr.* || 15. proelium] presul *B.* || 16. uictoresne] uictores *D.*

C. Atilius) A Liuio et Plutarcho Papirius uocatur. De praenomine cum Liuio consentit Iulius Paris, Marcum exhibens, quod Plutarcho quoque restituendum esse, ubi codd. *Μαρίῳ* tradunt, monuit Drakenborchius ad Liu. l. c. Valerius quem fontem secutus quoue errore inductus Atilium posuerit, neque enim librariorum hoc est, equidem non habeo dicere.

patientiae dedecus) Ita librorum corruptelam *patientia* emendauit e coniectura Modius et ante eum recentiorum aliquot codicum librarii. Quod probatum a Perizonio cum recepisset Torrenius, praepostere Kappius reuocauit uulgatam scripturam, distinguendam ratus, *Capi ergo uirtus nescit patientia, dedecus ignorat*, tamquam is, qui patientiam exerceat, ea capi dici posset.

8. Cf. Liu. IIII, 38.

centuriauit atque hostium) Damnum h. l. archetypo codici illatum, in quo haec sola inuenta sunt, *equis delapsa se ipsa exercitum inrupit*, sarciri commode potest recteque fere sarcitum est ab emendatore libri Daniclini auxilio Iulii Paridis, qui haec in compendium redegit ita, *equites delabsi equis se ipsi centuriauerunt, et ita acies restituta est.* E quibus manifestum est excidisse in archetypo uu. *centuriauit atque* (uel *et*) *hostium.* Quo facto gliscente corruptela in plerisque alterius familiae codicibus perierunt etiam uerba *se ipsa*, cum interim in nonnullis ex his additum sit e coniectura illud *hostium*, quod omnino necessarium sponte se offerebat. Paulo post deleui uerba *in se*, quae in editionibus excipiebant nomen Volscorum, sed non habentur in codicibus mss. Conuersus dicitur non indicato loco quo se uerterit impetus, quem in equites illos factum esse facile intellegitur.

Strenuus ille quoque flos ordinis equestris, cuius mira uir- 9.
tute Fabius Maximus Rullianus magister equitum bello, quod aduersus Samnites gerebatur, male commissi proelii crimine leuatus est. Namque Papirio Cursore propter auspicia repetenda in urbem proficiscente castris praepositus ac uetitus in aciem exercitum ducere, nihilominus manus cum hoste, sed tam *in*feliciter quam temere conseruit; procul enim dubio superabatur. Ceterum optimae indolis iuuentus detractis equorum frenis uehementer eos calcaribus stimulatos in aduersos Samnites egit, obstinataque animi praesentia extortam manibus hostium uictoriam et cum ea spem maximi ciuis Rulliani patriae restituit.

Qualis deinde roboris illi milites, qui uehementi ictu remorum 10.
concitatam fuga Punicam *classem nantes lubricis pelagi quasi cam*porum firmitate pedites in litus retraxerunt?

1. §. 9. *om. Γ.* || 2. rutilianus *ABCDEPar. Vid. ad II,* 7, 8. || 4. papyrio *A.* || 6. tam] *in rasura A.* tamen tam *D.* non tam *ETorr.* || feliciter *ABCDE.* || 9. coegit *D.* || 11. rutiliani *BCDE et corr. A. Repetita Rulliani significatio suspecta erat Perizonio.* || 12. §. 10. *om. Γ.* || 13. fugae *ABCDETorr.* || Punicam — (14.) camporum] punicamporum *(omissis reliquis) B et pr. ACD. supplentur omissa in marg. ACD.* punicam classem brachiorum *E.* || lubrici *margines CD.* lubrico *Torr.* || pellago *margo C.*

9. Cf. Liu. VIII, 30.

sed tam infeliciter) Editores, recentiores codices secuti, cum in archetypo fuisset *sed tam feliciter*, negationem inseruerant ante *tam*. Probabilius doctus aliquis homo in codice Bituricensi primo, qui uocatur a Torrenio, mendum sustulit scribendo *sed tam infeliciter*. Praepositionem *in* sescenties in libris mss. et ortam et absorptam esse simili litterae *m* figura nota res est. Ceterum inprosperam proelii initio fortunam fuisse ipse Valerius sibi finxisse uidetur, quo clarior eluceret ordinis equestris gloria, uictoriam hostium manibus extorquentis. Liuius quem in reliquis sequitur hic scriptor, nihil relictum fuisse refert, quo, si adfuisset dictator, res melius geri potuisset, equitesque eo audaciae genere usos esse, quia aliquotiens inpetu capto perrumpere non potuissent hostium agmen.

10. *concitatam fuga Punicam classem)* Vitiose in codicibus et in editionibus circumferebatur *fugae*, quod qua ratione explicauerint grammatici uelim scire. Dicendum utique erat aut *in fugam* (Liu. XXII, 17, 6.) aut, quod Guyeti coniectura recte huic loco uindicauit, *fugâ*. Sic Valer. Flacc. III Argon. 583 composuit *tali se concitat ardens In iuga senta fuga*. De notabili illa lacuna in sequentibus, quam libri Danielini correctorem antiquiore aliquo codice adiutum explesse consentaneum est, dixi in praefatione p. 94. Recte uero in hoc codicis Bernensis supplemento seruatur *lubricis*, quod in recentioribus exemplis deprauatum est in *lubrici*, in editionibus in *lubrico*. Saepissime enim locorum natura adiectiuis neutro genere pluraliter cum nominis genitiuo coniunctis describitur, sic a Curtio VIII, 14, 7 *(per lubrica atque inuia)*, quem Torrenius citauit. Cf. Apul. I met. init. *ardua montium et lubrica uallium*. Tac. III ann. 54 *per incerta maris*. cl. Bötticher lex. Tac. p. 35. Val. I, 7 ext. 4 *Olympi montis culta*. Atque etiam singulariter adiectiuo usus est Sall. Iug. 48, 4, *humi arido atque arenoso*. Rem ipsam, a reliquis scriptoribus silentio praetermissam, secundo Punico bello accidisse sequentia demonstrant, *Eiusdem temporis et notae miles*.

11. Eiusdem temporis et notae miles, qui Cannensi proelio, quo Hannibal magis uires Romanorum contudit quam animos fregit, cum ad retinenda arma inutiles uulneribus manus haberet, spoliare se conantis Numidae ceruicem complexus, os naribus et auribus corrosis deforme reddidit inque plenis ultionis morsibus expirauit. Sepone iniquum pugnae euentum, quantum interfectore fortior interfectus! Poenus enim, in uictoria obnoxius, morienti solatio fuit, Romanus in ipso fine uitae uindex sui extitit.

12. Militis hic in aduerso casu tam egregius tamque uirilis animus quam relaturus sum imperatoris. Publius enim Crassus cum Aristonico bellum in Asia gerens, a Thracibus, quorum is magnum numerum in praesidio habebat, inter Elaeam et Zmyrnam exceptus, ne in ditionem eius perueniret, dedecus arcessita ratione mortis effugit. Virgam enim, qua ad regendum equum usus fuerat, in unius barbari oculum direxit, qui ui doloris accensus latus Crassi sica confodit, dumque se ulciscitur, Romanum imperatorem maiestatis amissae turpitudine liberauit. Ostendit fortunae Crassus quam indignum uirum tam graui contumelia adficere uoluisset, quoniam quidem iniectos ab ea libertati suae miserabiles laqueos prudenter pariter ac fortiter rupit, donatumque se iam Aristonico dignitati suae reddidit.

---

1. §. 11. *om. Γ.* || 2. contulit *B.* || 4. conantis Numidae] *in rasura A.* conantem numidam *D.* || ore *D.* || 5. deformem *A.* || plenae *Torr.* || 7. uictoriam *BCDE et pr. A.* || 8. morientis *ABCD.* || 10. Militis — (11.) imperatoris *om. Γ.* || huic *B et pr. C.* huius *D et corr. C.* || tamque *om. A.* || 11. quam] *add.* quem *D.* || enim *om. Γ.* || 12. aristonido *B.* || tharacibus *pr. A.* tharatibus *Γ.* || 13. inter *om. pr. C.* || eleam *APar.* || smirnam *A.* || 14. dedicionem *EΓ.* || accersita *EΓ.* || 15. quam *E.* || 16. in *om. E.* || direxit] duxerat *D.* || qui — (17.) confodit *om. pr. C.* || 22. reddidit] *add. hic uu.* §. 7. *fin.* Capi ergo — extinguitur *Γ.*

---

11. Cf. Liu. XXII, 51. Sil. Ital. VI, 41.

12. Cf. Front. strat. IIII, 5, 16. Flor. II, 20. Oros. V, 10.

quam relaturus sum) Vorstius pronomen *quem*, quod cod. alter Berol. post *quam* inseruit, abesse non posse iudicabat. Quem Perizonius recte redarguit ascripto Ciceronis exemplo pro Cael. 23, 58, *si tam familiaris erat mulieris quam uos ultis.* Turbauit, ni fallor, Vorstium genitiuus *imperatoris*, breuiter positus pro *imperatoris animum fuisse*, quia Valerio simul haec sententiae forma obuersabatur, *Militis tam egregius animus quam imperatoris.*

inter Elaeam et Zmyrnam) Asciui litteram *Z* in Zmyrnae nomine e Paridis epitoma, cum eodem modo exaratum sit in codice Bernensi VIII, 1, amb. 2. Cf. A. Mai. et Osann. ad Cic. de rep. I, 8, 13. Tac. ann. III, 63. IIII, 56. Orelli inscr. n. 2510. *Zmaragdi* etc. Alteram scribendi rationem defendit Priscian. I, 564. Ceterum cum Frontinus l. c. pro Zmyrna Myrinam habeat, oppidum prope Elaeam situm, et is Valerii tantum non uerba descripserit, nescio an hic quoque accuratiore ea loci definitione usus sit, quae sane facillime a li-

Eodem mentis proposito usus est Scipio. Namque infeli- 13.
citer Cn. Pompei generi sui defensis in Africa partibus classe Hispaniam petens, cum animaduertisset nauem, qua uehebatur, ab hostibus captam, gladio praecordia sua transuerberauit, ac deinde prostratus in puppi quaerentibus Caesarianis militibus ubinam esset imperator, respondit 'Imperator se bene habet', tantumque eloqui ualuit quantum ad testandam animi fortitudinem aeternae laudi satis erat.

Tui quoque clarissimi excessus, Cato, Vtica monumentum 14.
est, in qua ex fortissimis uulneribus tuis plus gloriae quam sanguinis manauit; siquidem constantissime in gladium incumbendo magnum hominibus documentum dedisti quanto potior esse debeat probis dignitas sine uita quam uita sine dignitate.

Cuius filia minime muliebris animi. Quae cum Bruti uiri 15.
sui consilium, quod de interficiendo ceperat Caesare, ea nocte, quam dies taeterrimi facti secutus est, cognosset, egresso cubiculum Bruto cultellum tonsorium quasi unguium resecandorum causa poposcit, eoque uelut forte elapso se uulnerauit. Clamore deinde ancillarum in cubiculum reuocatus Brutus obiurgare eam coepit, quod tonsoris praeripuisset officium. Cui secreto Porcia 'Non est hoc', inquit, 'temerarium factum meum sed in tali statu nostro amoris mei erga te certissimum indicium. Experiri enim uolui, si tibi propositum parum ex sententia cessisset, quam aequo animo me ferro essem interemptura'.

---

1. Scipio] *add.* Metellus *Par.* || 2. clausae *pr. A.* || 3. nauem] classem *Γ.* || 4. ab hostibus *om. Γ.* || 6. bene se *Torr.* || 7. tantumque] que *om. E.* || 9. monimentum *ΓTorr.* || 15. Caesare ceperat *ΓTorr.* || 16. cognosceret *BE et corr. C.* cognoscet *pr. C.* cognouisset *Par. Torr. Vid. ad II.* 10, 8. || 17. cutellum *Γ.* || 19. cubiculo *E et pr. A.* || 21. hoc] *om. EΓ. post* inquit *Torr.* || 23. propositum *om. D.* || ex sententia] *ante* parum *Torr. om. E.* || excessisset *E.* || 24. interemturam *C.*

---

brario quodam cum notissima Zmyrnaea urbe potuit permutari. Quod si ita est, antiquissimi iam omnium codicis mendum fuisse oportet, quoniam idem libros nostros occupauit et Paridense compendium. Discrepat praeterea a Valerio Strabo, qui XIIII, p. 646 in ipso proelio Crassum cecidisse narrat.

13. Cf. Liu. epit. libr. CXIIII. M. Senec. suas. 6. L. Senec. ep. ad Lucil. 24. App. ciu. II, 100 p. 243. Flor. IIII, 2, 68. Cass. Dio. XLIII, 9 p. 346. Reim. Oros. VI, 16.

14. Cf. auct. de bell. Afric. 88. Liu. epit. libr. CXIIII. Plut. Cat. min. 68. Flor. IIII, 2, 90. Cass. Dio. XLIII, 11 p. 348, alii.

15. Cf. Plut. Brut. 13. Polyaen. strat. VIII, 32. Cass. Dio. XLIII, 13 p. 389 Reim.

16. Felicior progenie sua superior Cato, a quo Porciae familiae principia manarunt. Qui cum ab hoste in acie uehementer † paruulo peteretur, uagina gladius eius elapsus decidit. Quem subiectum proeliantium globo atque undique hostilibus pedibus circumdatum, postquam abesse sibi animaduertit, adeo constanti animo in suam potestatem redegit ut illum non periculo oppressus rapere sed metu uacuus sumere uideretur. Quo spectaculo adtoniti hostes postero die ad eum supplices pacem petentes uenerunt.

17. Togae quoque fortitudo militaribus operibus inserenda est, quia eandem laudem foro atque castris edita meretur. Cum Ti. Gracchus in tribunatu profusissimis largitionibus fauore populi occupato rem publicam oppressam teneret palamque dictitaret interempto senatu omnia per plebem agi debere, in aedem Fidei Publicae conuocati patres conscripti a consule Mucio Scaeuola

1. Felicior progenie sua *om. Γ.* || superiore *B.* || 2. Qui *om. Γ.* || uehementer paruulo] uehementer * * * *C.* uehementer paruulus *D. add.* I' uehementi tragula *margo A.* uehementi periculo *Torr.* || 3. que *B.* || 4. proeliantum *D.* || globum *B.* || atque] et *Torr.* || 7. metu] me *pr. A.* || 10. Togae — (11.) meretur *om. Γ.* || Togae quoque] togaeque *E.* || 11. quia] qui *pr. A.* quae *BC.* || eadem laude *B et pr. A.* eandem laude *C.* || 13. aucupato *coni. Lipsius.* || obsessam *Γ.* || dictaret *C.* || 15. publice *BCDE Torr.* || a] cum *D.* || mutuo *E.*

16. Cf. Front. strat. IIII, 5, 17. Plut. Aem. Paul. 21. Iustin. XXXIII, 2.

superior Cato) Quae superiori Catoni, i. e. M. Porcio censorio et duci quidem exercitus tribuuntur, nam ducem eum a Valerio habitum esse recte inde collegit Glareanus, quod hostes postero die ad eum pacem petituri uenisse dicuntur, ea Frontinus, Plutarchus, Iustinus a M. Catone, censorii filio, iuuene bello Macedonico Aemilii Pauli ductu et auspiciis gesta esse memoriae prodiderunt. Miscuit igitur Valerius et confudit patrem cum filio, communi nomine deceptus, incredibili illa in scribendo leuitate, quam notaui in praef. p. 30.

uehementer † paruulo) Inepte plane hucusque edebatur *uehementi periculo.* Est sane desperatissimum archetypi uulnus, in quo sanando summorum uirorum ingenia frustra laborarunt. Coniecturae sat multae, *percito* (Vorst.) *tragula, parmula, sparulo* (Periz.) *uehementi ictu* (Coler.), emendatio nulla. Armorum genus, quo petitus sit Cato, Valerium hac uoce denotasse equidem uix crediderim, sed desidero causae descriptionem cur Catoni gladius e uagina deciderit. Frontinus equo lapsum cum animaduertisse scribit excidisse gladium; Iustinus equo quidem delapsum et manipulo hostium circumdatum, sed citius recollecto corpore, cum procerum quendam peteret, gladium e manu omisisse refert. Cui rei quae uerba accommodata sint nescio.

17. Cf. Vell. II, 3. Plut. Ti. Gracch. 19. App. ciu. I, 16 p. 168. Auct. de uir. ill. 64.

Fidei Publicae) Sic recte a plerisque ante Aldum editum fuisse comprobant nunc codices Bernensis et abbreuiatus Guelferbytanus, cum reliqui ex more recentioris aeui habeant *publice*, quod nescio qua de causa contra Torrenium retinendum dixerit Kappius; nam publice conuocari patres conscriptos, si tamen hoc est aliquid, cum uocantur a consule, per se intellegitur. Templum autem *Πίστεως δημοσίας* commemorat Dionys. Hal. II, 75. Cf. Becker. handb. d. Röm. alterth. I, p. 403.

quidnam in tali tempestate faciendum esset deliberabant, cunctisque censentibus ut consul armis rem publicam tueretur, Scaeuola negauit se quicquam ui esse acturum. Tum Scipio Nasica 'Quoniam', inquit, 'consul, dum iuris ordinem sequitur, id agit ut cum omnibus legibus Romanum imperium corruat, egomet me priuatus uoluntati uestrae ducem offero', ac deinde laeuam manum parte togae circumdedit, sublataque dextra proclamauit 'Qui rem publicam saluam esse uolunt me sequantur', eaque uoce cunctatione bonorum ciuium discussa Gracchum cum scelerata factione quas merebatur poenas persoluere coegit.

Item, cum tr. pl. Saturninus et praetor Glaucia et Equitius designatus tr. pl. maximos in ciuitate nostra seditionum motus excitauissent, nec quisquam se populo concitato opponeret, primum M. Aemilius Scaurus C. Marium consulatum sextum gerentem hortatus est ut libertatem legesque manu defenderet, protinusque arma sibi adferri iussit. Quibus allatis ultima senectute confectum et paene dilapsum corpus induit, spiculoque innixus ante fores curiae constitit, ac paruulis et extremis spiritus reliquiis ne res publica expiraret effecit. Praesentia enim animi sui senatum et equestrem ordinem ad uindictam exigendam inpulit. 18.

Sed ut armorum *et* togae superius, nunc etiam siderum clarum decus, diuum Iulium, certissimam uerae uirtutis effigiem, repraesentemus. Cum innumerabili multitudine et feroci impetu 19.

---

3. quicquam se *EΓ*. || acturum esse *E*. || tunc *Γ*. || 6. me] *post* uestrae *Torr.* || 7. leuam *A*. || a parte *pr. A*. aperte *BEΓ et pr. C. Vt nos etiam Par.* || dextera *Torr.* || 8. uult *Par.* || sequatur *Par.* || 11. et saturnius *B*. || Saturninus — (12.) designatus tr. pl.] *om. Γ et pr. D*. || et praetor — Equitius] *in rasura A*. || 13. excitassent *Torr.* || 16. ablatis *C*. || 18. constitit] *add.* de hoc add. I. P. ictu saxi uulneratus est *margo A. Cf. praef. p.* 52. || paruis *E*. || et extremi *BCDEΓ et pr. A*. extremi *corr. A. Torr.* || 21. Sed — (23.) repraesentemus] Diuus Iulius *Γ*. || et *om. B et pr. AC*. || superius] *ante* armorum *Torr.* || nunc] ita nunc *E et corr. C. Torr.* || 23. innumerabile *pr. A*.

---

18. Cf. Cic. pro C. Rab. perd. 7, 21. Auct. de uir. ill. 72.

paruulis et extremis spiritus rel.) Libri mss. summo consensu *et extremi*, unde corrector libri Bernensis et recentiores grammatici delerunt *et*, quod propter sequens *ex* facile addi potuisse non negauerim. Probabilius tamen emendo *et extremis*, cuius ultima, cum in proximo uocabulo repetatur, in archetypo intercidit. Similiter Valerius IX, 12, ext. 8 dixit *tenues et exiles uirium reliquias* et III, 8, 5 *exiguum senilemque sanguinem*.

19. Cf. Caes. b. Gall. II, 25. Plut. Caes. 20.

nunc etiam) Vulgata exempla contra codicum mss. fidem ante *nunc* inserunt *ita*. Sed eodem modo in comparando post *ut* omittitur haec particula IIII, 7, ext. 1, *Atque ut illarum* (caerimoniarum) *aedes sacra domicilia, harum* (amicitiarum) *fida hominum pectora quasi quaedam sancto spiritu referta templa*

Neruiorum inclinari aciem suam uideret, timidius pugnanti militi scutum detraxit, eoque tectus acerrime proeliari coepit. Quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam diuino animi ardore restituit. Idem alio proelio legionis Martiae aquiliferum ineundae fugae gratia iam conuersum faucibus conprehensum in contrariam partem retraxit, dexteramque ad hostem tendens 'Quorsum tu', inquit, 'abis? Illic sunt cum quibus dimicamus', et manibus quidem unum militem, adhortatione uero tam acri omnium legionum trepidationem correxit, uincique paratas uincere docuit.

20. Ceterum ut humanae uirtutis actum exequamur, cum Hannibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obsideret, Vibius Accaeus, Pelignae cohortis praefectus, uexillum trans Punicum

4. diuini *BCD. Cf. praef. p.* 37. || ardore] ordo *BC et pr. A.* ordine *DΓ.* || 5. Marti *pr. AC.* marci *B.* || in eundem *BCE.* || iam *om. A.* || 6. detraxit *AB CDEΓTorr.* retorsit *Par.* || 8. dimicandum est *DΓ.* || 11. Ceterum — exequamur *om. Γ.* || exsequamur *(A).* || 12. in qua] *add.* I. P. quam romanus exercitus obsederat defend; *margo A.* || iubius *C.* || 13. acceus *ABCDEΓ.* accaus *Par.* Accuaeus *Torr.* || Paelignae *Par. Sic etiam cod. Put. Liu. XXV*, 14, 13. || cohorti *D.*

sunt. Grammatici nimirum hoc quoque loco *ita* ante *harum* interpolarunt. Frequentauit idem dicendi genus apud *sicut* in breui protasi Liuius. Cf. IIII, 27, 3. XXIIII, 33, 9. XXV, 15, 4. XXIX, 8, 10. XXXIIII, 9, 10. XXXIX, 41, 1 cett.

Idem alio proelio) Cf. Plut. Caes. 52. (Suet. Caes. 62.)

in contrariam partem retraxit) Libri et manuscripti et impressi omnes *detraxit*, quod merito suspectum erat Perizonio. Quas enim notiones sententia postulat, ut sit aut retrahere aut trahere in aliam partem, earum neutra detrahendi uerbo exprimitur. Scio futuros qui aquiliferum a uia, quam intrauerat, aut a fuga detractum esse dicant et recte dici opinentur. Neque uero id dixit Valerius. Itaque bene uir ille sagacissimus emendauit *retraxit*, quod conuenit conuersis in fugam. Cf. Val. V, 8, 5. Caes. b. G. V, 7. Liu. XXV, 7. XXXIIII, 14. Flor. III, 19, 7. Subdubito tamen, quia Paris in toto huius exempli compendio iisdem omnino uerbis usus quibus Valerius scripsit *in contrariam partem retorsit*, anne fortasse illud substituendum sit potius quam *retraxit*.

20. Cf. Liu. XXV, 14.

Hannibal Capuam, in qua) Foedissimos in hac narratione a Valerio cumulatos esse errores, comparato Liuii l. c., e quo omnia haec desumpta sunt, docuit iam Glareanus. Neque enim tunc temporis Capua Romanum exercitum receperat neque obsidebatur a Poenis neque omnino aduersus Hannibalem quae referuntur gesta erant. Sed quae castra Hanno ab Hannibale Campanis auxilio missus, Romanorum exercitum a Beneuentanis arcessitum praecurrens, tria milia passuum ab ipsa urbe posuerat, ea consul a Beneuento profectus aggressus est et cepit. Est hoc insigne Valerianae in perscrutandis fontibus diligentiae exemplum.

Vibius Accaeus) Verissimi testes, codex Vaticanus Paridis et Puteanus Liuii XXV, 14, 4 Accaum, liber Valerii Bernensis Acceum, Liuii codd. Put. Colb. Bamb. XXV, 14, 13 Accaeum hunc uirum appellant, qui in uulgatis Liuii et Valerii exemplis e Gronouii emendatione nunc Accuaeus dicitur, tamquam fuerit ex Accua oppido. Atqui Gronouii coniecturam non magnam habere

uallum proiecit, se ipsum suosque commilitones, si signo hostes potiti essent, execratus, et ad id petendum subsequente cohorte primus impetum fecit. Quod ut Valerius Flaccus tribunus tertiae legionis aspexit, conuersus ad suos, 'Spectatores', inquit, 'ut uideo, alienae uirtutis huc uenimus; sed absit istud dedecus a sanguine nostro, ut Romani gloria cedere Latinis uelimus. Ego certe aut speciosam optaui mortem aut felicem audaciae exitum. Vel solus praecurrere paratus sum'. His auditis Pedanius centurio conuulsum signum dextra retinens, 'Iam hoc', inquit, 'intra hostile uallum mecum erit; Proinde sequantur qui id capi nolunt', et cum eo in castra Poenorum irrupit totamque secum traxit legionem. Ita trium hominum fortis temeritas Hannibalem, paulo ante spe sua Capuae potitorem, ne castrorum quidem suorum potentem esse passa est.

21. Quorum uirtuti nihil cedit Q. Occius, qui propter fortitudinem Achilles cognominatus est. Nam ut reliqua eius opera non exequar, abunde tamen duobus factis, quae relaturus sum, quantus bellator fuerit cognoscetur. Q. Metello consule legatus in Hispa-

---

1. uallum] bellum *B C Par. et pr. A D.* || suosque commilitones] *in rasura A.* suosque milites *Γ.* || si signio *in rasura A.* si se *B C D Γ.* si eo *E Torr.* || 6. cedere] *ante* gloria *Γ. post* Latinis *E.* || uelint *B C E Γ.* || 7. felices *corr. A.* || exitus *A.* || 8. solus] *add.* igitur *Torr.* || padanius *A B C D.* padannius *E.* pādamus *Γ.* || 10. proin *D.* || 12. hominum] uirorum *corr. C, Torr.* || 13. capua *Γ et pr. D.* || potiorem *pr. A.* petitorem *E.* || 14. potientem *corr. A.* || 15. q. coccius *D.* q. cocius *E.* Q. Cotius *Torr.* || 16. ut — (18.) cognoscetur *om. Γ.* || 18. metallo *C.*

---

similitudinem ueri, quoniam Vibius Pelignae cohortis perhibeatur fuisse praefectus, Accua autem Apuliae oppidum fuerit circa Luceriam (Liu. XXIIII, 20, 8) inter alios Dukerus iam adnotauit ad Liu. XXV, 14, 4. Aperte falsa est, quia Liuius eodem capite §. 13. solis his nominibus Accuaeum Pelignum duplici patriae significatione denotare non potuit; ex quo loco apparet cognominis instar habere *Accaeum*, unde facile in utrumque errorem *Accaum* et *Acceum* Liuii et Valerii et Paridis librarii incidere potuerunt.

si signo hostes) Constat archetypum male exhibuisse *si se hostes*. At Paridis compendium pro *se* reponendum esse demonstrat *signo*, quod in malis quibusdam libris inuentum probauerat Torrenius, qui Liuium quoque in hac historia bis *uexillo* usum esse animaduertit. *(adreptum uexillum trans uallum hostium traiecit. Execratus inde seque et cohortem, si eius uexilli hostes potiti essent.)*

21. Q. *Occius)* De fortissimo hoc bellatore aliunde nihil compertum habemus. Itaque non licuit omnium propemodum librorum et Paridis scripturam in dubium uocare. Occii plures in inscriptionibus inueniuntur. Cf. Grut. pp. 948, 7. 830, 3. Occiae uirginis Vestalis meminit Tac. II ann. 86. De Achillis cognomine quam uere retulerit Valerius nescio; quod certe ob ingentem fortitudinem L. Siccio Dentato tributum esse testantur A. Gellius II, 11, 1 et Fest. u. obsidionalis corona p. 190 Müll. Item a solo Valerio nobilis illius

niam profectus, Celtibericum sub eo bellum gerens, postquam cognouit a quodam gentis huius iuuene se ad dimicandum prouocari, erat autem illi forte prandendi gratia posita mensa, relicta ea, arma sua extra uallum deferri equumque educi clam iussit, ne a Metello inpediretur, et illum Celtiberum insolentissime obequitantem consectatus interemit, detractasque corpori eius exuuias ouans laetitia in castra retulit. Idem Pyrresum, nobilitate ac uirtute omnes Celtiberos praestantem, cum ab eo in certamen pugnae deuocatus esset, succumbere sibi coegit. Nec erubuit flagrantissimi pectoris iuuenis gladium ei suum et sagulum utroque exercitu spectante tradere. Ille uero etiam petiit ut hospitii iure inter se iuncti essent, quando inter Romanos et Celtiberos pax foret restituta.

22. Ne Acilium quidem praeterire possumus, qui, cum decimae legionis miles pro C. Caesaris partibus maritima pugna proeliaretur, abscisa dextera, quam Massiliensium naui iniecerat, laeua puppim adprehendit, nec ante dimicare destitit quam captam profundo mergeret. Quod factum parum iusta notitia patet. At Cynaegirum Atheniensem, simili pertinacia in consectandis hostibus usum, uerbosa cantu laudum suarum Graecia omnium saeculorum memoriae litterarum praeconio inculcat.

23. Classicam Acilii gloriam terrestri laude M. Caesius Scaeua,

---

3. mensa posita *Γ Torr.* || 6. obsequitantem *Par.* || 7. exubias *AB.* || laetitiam *AD.* || Pyresum *Γ.* Piresum *Torr.* || 8. atque *E.* || Celtiberos omnes *Torr.* || 10. ei gladium *E.* || 11. introque *pr. A.* || 12. hospitii *om. pr. C.* || 14. Ne — (15.) miles] Atilius decimae legionis miles cum *Γ.* || atilium *A C D E.* C. Atilium *Torr. Vt nos Par. Suet. Plut. l. c. Correxit Kapp.* || quidem *om. pr. D.* || 16. dextra *Torr. add.* ad *punctis notatum B.* || Massiliensium] *in rasura A.* ad silentium *B C.* || naui • *A.* nauis *B C.* || INi ecerat *(litterae* INi *in rasura) A.* || 17. laeua *A.* || 18. Quod — (21.) inculcat *om. Γ.* || 19. cynegirum *A.* || Atheniensium *E.* || 20. cantu] *post* suarum *Torr.* cantum *B.* || 22. Classicam — laude *om. Γ.* || atilii *A C D Torr.* attilii *E.*

Celtiberi mentio inicitur, qui in Danielino libro, quem sequimur, Pyrresus, in uulgatis Valerii exemplis Piresus dicitur.

22. Cf. Plut. Caes. 16. Suet. Caes. 68.

inculcat) Scribendum uidetur *inculcauit.* Neque enim Valerium dicere uoluisse opinor etiam tum omnium saeculorum memoriae ab scriptoribus Graecis inculcari Cynaegirum, sed iam factum id esse. Frequentissimum hoc esse mendum, quo praesentis temporis terminationem *at* pro perfecti *auit* posuerint librarii, non est quod moneam. Vid. ad I, 8, ext. 3.

23. Cf. Caes. b. ciu. III, 53. Plut. Caes. 16. Suet. Caes. 68. App. ciu. II, 60 p. 229. Lucan. VI, 145. Flor. IIII, 2, 40.

M. Caesius Scaeua) Plutarcho et Suetonio Cassius Scaeua uocatur, reliquis simpliciter Scaeua. Credo librarios facilius a Caesio in Cassium aberrare potuisse quam contra, ideoque illud nomen Plutarcho quoque et Suetonio resti-

eiusdem imperatoris centurio, subsecutus est. Cum pro castello enim, cui praepositus erat, dimicaret, Gnaeique Pompei praefectus iussu eius summo studio et magno militum numero ad [eum] capiendum niteretur, omnes qui propius accesserant interemit, ac sine ullo regressu pedes pugnans super ingentem stragem, quam ipse fecerat, corruit. Cuius capite, umero, femine saucio, oculo eruto, scutum C et XX ictibus perfossum apparuit. Talis in castris diui Iulî disciplina milites aluit, quorum alter dextera, alter oculo amisso hostibus inhaesit, ille post hanc iacturam uictor, hic ne hac quidem iactura uictus.

1. subsecutus est *om. Γ.* || 2. enim] *om. Γ. ante* pro *Torr.* || gneique *A.* || 3. iussu eius] iustuletus *in rasura A.* instuletus *Par.* || 4. eum] id *Torr.* || niteretur] *in rasura A.* mitteretur *BCDEΓ.* || 6. Cuius] *add.* corpus *EΓ.* || umero] *sic A.* numero *B.* imo *pr. C. Vid. ad I.* 1, 11. || femore *DE et corr. C, Torr.* || 7. saucium *CEΓ et pr. A.* || et oculo *Torr.* || erupto *E.* || scutum] *in rasura A. post* perfossum *E.* sectum *Γ.* || C] unum *B et pr. C.* uno *DΓ.* || apparuit *pr. A.* || 8. Tales *Torr.*

tuendum esse existimo, praesertim cum librorum scriptura confirmetur Paridis epitome. Appianus castelli praefectum Minucium appellat, eumque distinguit a Scaeua.

Cum pro castello enim) Causalis particulae *enim* ultra secundum locum remotae sat multa exempla apud Valerium extant, quamuis in libris impressis plerumque transposita uulgarem sedem occupauerit. Sic e codicibus restitui I, 7, ext. 5 *frustratus est enim;* VII, 2, 2 *inemendabilis est enim;* III, 4, 6 *ornata sunt enim;* III, 7, 3 *plus ego enim.* Quarto quoque loco, quemadmodum hoc exemplo, eam poni posse docuit Ruddim. inst. gramm. I, p. 322.

ad [eum] capiendum niteretur) Duplex corruptela hoc loco codices foedauit, altera, cuius participem habent Iulii Paridis codicem Vaticanum, altera, quae facile ex eo emendatur. Etenim cum illi tradiderint *magno militum numero ad eum capiendum mitteretur,* ultimum hoc uerbum uitiosum esse demonstrant *iussu eius* et *summo studio*, quae cum illo coniungi non posse uidit iam Vorstius. Suppeditauerat emendationem *niteretur* Colero corrector libri Bernensis, huic Iulii Paridis compendium. Sed in ipso hoc compendio inepte prorsus scribitur *ad eum capiendum*, cum Pompeii parum certe interfuerit unum hunc Scaeuam capi, sed totum expugnari castellum, cui praepositus erat Scaeua. Expectares igitur *ad id capiendum.* Quod si posuerit Valerius, quo modo factum sit ut iam in antiquissimo libro ita corrumperetur nemo facile intellexerit. Quare auctorem scripsisse suspicor *ad capiendum niteretur*, in quibus librarium, falsum de sententia, *eum* pro *id* interpolasse probabile est. Similiter certe proximo exemplo, ubi Valerius sine dubio composuit *ab omni parte acri studio ad inuadendum nitentibus*, corrector Bernensis libri et recentiores grammatici temptarunt *ad te inuadendum nitentibus.*

super ingentem stragem — corruit) Ita loquitur auctor tamquam interfectus sit hoc proelio Scaeua, cum tamen Plutarchus referat eum seruatum esse a commilitonibus suis (*αὐτὸς δὲ διασῴζη τῶν οἰκείων περιοχόντων*). Quem sequitur Iul. Paris, cuius compendium est, *omnibus qui prope accesserant interemptis corruit. Scutum eius CXX ictibus perfossum apparuit; ipse interuentu commilitonum seruatus.* Putauerit aliquis ultima haec uerba uel similia certe in Valerii codicibus omissa ex illo compendio supplenda esse. Quod quo loco apte fieri possit non uideo. Constat etiam Paridem nonnulla ex aliis scriptoribus petita Valerianis adiecisse. Cf. praef. p. 52.

. . Tuum uero, † Scaeua, inexuperabilem spiritum in utra parte rerum naturae admiratione prosequar nescio, quoniam excellenti uirtute dubium reliquisti inter undasne pugnam fortiorem edideris an in terra uocem miseris. Bello namque, quo C. Caesar, non contentus opera sua litoribus Oceani claudere, Britannicae insulae caelestis iniecit manus, cum quattuor conmilitonibus rate transuectus in scopulum uicinum insulae, quam hostium ingentes copiae obtinebant, postquam aestus regressu suo spatium, quo scopulus et insula diuidebantur, in uadum transitu facile redegit, ingenti multitutidine barbarorum adfluente, ceteris rate ad litus regressis, solus immobilem stationis gradum retinens, undique ruentibus telis et ab omni parte acri studio

1. Tuum *om. Γ.* || scheuola *B.* sceuola *E et pr. C.* seruae *Γ.* || inexsuperabilem *ante* uero *Γ.* || utraque *corr. C, Torr.* || 2. naturae] *add.* qua *corr. D, Torr.* || quoniam] quem *E.* || 3. reliquid *Γ.* || undas pugnamne *E.* || 4. ediderit *Γ.* || terram *BE et pr. AC et corr. D.* || emiserit *Γ.* emiseris *Torr.* || 5. litoribus] *post* claudere *Torr.* || brittanicae *A.* britanniorum *Γ.* || 6. caelestis] *om. C.* caelestes *DE ΓTorr.* || ingessit *E.* || 7. quem *E.* || 10. facilem *ACD.* || 12. obtinens *Γ.*

Tuum uero, † Scaeua) Codices, qui ad alteram alterius familiae partem (x″) pertinent, omnes *Sceuola* tradunt; sed antiquissimus, cuius testimonium omnino indagari licet, *Scaeua*, ita ut Valerius de eodem homine hoc exemplo egisse uideri possit, de quo praecedenti. Neque aliter intellexit Paris, cum huius historiae compendium inciperet *Idem cum C. Caesare Britanniam oppugnante* etc. Verum accuratius paulo consideratis Valerii uerbis auctorem de diuerso a priore milite hoc loco cogitasse apparet. Nam et exordium huius exempli, *Tuum uero Scaeua* etc., aliter instituendum fuisset, si de eodem uiro iam antea egisset, et in fine inepte quem modo centurionem dixerat iam centurionatus honore donatum esse scripsisset, nulla omnino aut temporis aut prioris relationis habita ratione. Accedit quod reliqui scriptores, qui alterius facti mentionem iniecerunt, liquide eius auctorem a propugnatore castelli apud Dyrrhachium distinxerunt. Nam Plutarchus in uita Caesaris c. 16. de uirtutibus militum Caesarianorum expositurus, laudata Scaeuae illius fortitudine contra Pompeianos, de qua supra Valerius, ita pergit, *Ἐν δὲ Βρετταννίᾳ τῶν πολεμίων εἰς τόπον ἑλώδη καὶ μεστὸν ὕδατος ἐμπεσοῦσι τοῖς πρώτοις ταξιάρχαις ἐπιθεμένων, στρατιώτης Καίσαρος αὐτοῦ τὴν μάχην ἐφορῶντος ὠσάμενος εἰς μέσους* etc. Et Cassius Dio (XXXVII, 53. p. 145 Reim.) hoc quidem uirtutis specimen a Publio quodam Scaeuio, non tamen in Britanniae ora, sed prope Gades editum esse tradit. In cuius exemplaribus si uerum nomen seruatum sit, nec est profecto causa cur dubitemus, hoc loco scribendum erit *Tuum uero, Scaeui*, quod quam facile uel in antiquissimo libro transire potuerit in *Scaeua*, cum praesertim in praecedentibus de hoc homine disseruerit, facile intellegitur. Recentiores autem librarii, cum recte de duobus bellatoribus dici sentirent, ex altero Scaeua fecerunt Scaeuolam. Interpretes inde a Pighio de eodem Scaeua utrumque locum explicant, neque quicquam in eo uident difficultatis.

uadum transitu facile) Vadum uirili genere dixerunt Varro apud Serulum ad I Aen. 115 et Sallust. I hist. apud Non. III, 265. Neque tamen ideo probanda archetypi scriptura *facilem*, cum et ipse Valerius III, 7, 2 neutraliter pronuntiauerit uada, neque alii recentiorum temporum scriptores hunc archaismon sibi indulserint.

ad inuadendum nitentibus, quinque militum diurno proelio suffectura pila una dextera hostium corporibus adegisti. Ad ultimum destricto gladio audacissimum quemque modo umbonis inpulsu, modo mucronis ictu depellens, hinc Romanis, illinc Britannicis oculis incredibili, nisi cernereris, spectaculo fuisti. Postquam deinde ira ac pudor cuncta conari fessos coegit, tragula femur traiectus saxique pondere ora contusus, galea iam ictibus discussa et scuto crebris foraminibus absumpto, profundo te credidisti, ac duabus loricis onustus inter undas, quas hostili cruore infeceras, enasti, uisoque imperatore armis non amissis sed bene inpensis, cum laudem merereris, ueniam petisti, magnus proelio, sed maior disciplinae militaris memoria. Itaque ab optimo uirtutis aestimatore cum facta tum etiam uerba tua centurionatus honore donata sunt.

Sed quod ad proeliatorum excellentem fortitudinem adtinet, merito L. Siccî Dentati commemoratio omnia Romana exempla 24.

1. euadendum *B et pr. A, in margine pro uaria scriptura* l' euadendum *Γ*. te inuadendum *corr. A*, *Torr.* || 2. pila] tela *Γ*. || dextra *Torr.* || 3. districto *CΓ*. || 4. brittanicis *A*. || 5. nisi] dum *BCE*. || cerneretur *Γ*. || fuit *Γ*. || 6. deinde] demum *E*. || 8. se credidit *Γ*. || 9. honustus *A*. || infecerat *Γ*. || 10. euasisti *in rasura C*. enauit *Γ*. enatasti *Torr.* || 11. mereris *E et pr. A*. mereretur *Γ*. || petiit *Γ*. || 13. cum] tum *EΓ et corr. CD*. || tua] eius *Γ*. || 14. data *ABCD*. || 16. Siccî] Sentii *in rasura A*. Sentius *Paridi est*. Sicinii *B Torr*. siccinei *E*. sicii *Γ*.

24. Cf. Dion. Hal. X, 36, sqq. Plin. h. n. VII, 28, 29. A. Gell. II, 11. Varro ap. Fulgent expos. serm. antiq. u. nefrendes p. X. Lersch. Fest. u. obsidionalis corona p. 190 Müll.

L. Siccî Dentati) Dolendum est Iulii Paridis epitomen, sincerum cum maxime nominum propriorum fontem, non solum ipsum corruptum esse in hoc nomine, de quo multum iam dubitatum est, uerum etiam delendae antiquae scripturae in codice Bernensi causam extitisse, praesertim cum reliquorum quoque librorum testimonium ita perturbatum sit, ut quid archetypus exhibuerit, dinosci fere nequeat. Conicio, cum diuersarum familiarum boni libri in eo conspirent, eum *Sicci* aut *Sicii* tradidisse, quae breuior forma aliorum quoque scriptorum satis firma nititur auctoritate. Nam *Σίκκιος* est Dionysio. Sicium apud Plin. VII, 28 et XXII, 4 in optimis codicibus inuenit Harduinus. Eundem esse Siccium, sic enim codd. Par. et Med., quem Liuius III, 43 decemuirorum fraude intercemptum esse narrat, patet comparato Dionys. XI, 25 sqq. Neque aliter Varronem scripsisse, cuius testimonium Valerius h. l. amplectitur, demonstrat praestantissimus Fulgentii codex, qui *Sitium* profert. Quare hoc nomen in hoc opere restituendum esse certum mihi uidetur. A. Gellii uero, qui strenui huius bellatoris mentionem in libris annalibus factam esse ait, et Ammiani Marcellini (XXV, 3, 13 et XXVII, 10, 16.) antiquissima et optima exempla, huius Vaticanum, illius Vaticanum, Regium, Gottorflanum Sicinium habere Hertzius et Horkelius amici mecum communicarunt. Nam apud Festum u. obsidionalis corona p. 190 Müll. Aldus Sicinium introduxit, cum in codice Sergius sit, nomen militis a Plinio et Ammiano propter similem fortitudinem cum Siccio comparati et compositi. Quae discrepantia, tam probis testibus in diuersas

finierit, cuius opera honoresque operum ultra fidem ueri excedere iudicari possent, nisi ea certi auctores, inter quos M. Varro, monumentis suis testata esse uoluissent. Quem centies et uicies in aciem descendisse tradunt, eo robore animi atque corporis utentem, ut maiorem semper uictoriae partem traxisse uideretur; sex et XXX spolia ex hoste retulisse, quorum in numero octo fuisse, cum quibus inspectante utroque exercitu ex prouocatione dimicasset, XIIII ciues ex media morte raptos seruasse, quinque et XL uulnera pectore excepisse, tergo cicatricibus uacuo; nouem triumphales imperatorum currus secutum, totius ciuitatis oculos in se numerosa donorum pompa conuertentem. Praeferebantur enim aureae coronae octo, ciuicae XIIII, murales tres, obsidionalis una, torques LXXXIII, armillae CLX, hastae XVIII, phalerae XXV, ornamenta etiam legioni, nedum militi satis multa.

Ext. 1. Ille quoque ex pluribus corporibus in unum magna cum admiratione Calibus cruor confusus est. In quo oppido cum Fuluius Flaccus Campanam perfidiam principis ciuitatis ante tribunal suum capitali supplicio adficiendo uindicaret, litterisque a senatu acceptis finem poenae eorum statuere cogeretur, ultro

---

1. excedere] se extendere *D.* || 3. monimentis *EΓ.* || suis *om. Γ.* || uoluisset *C et pr. A.* || uicesies *B.* uigesies *E et corr. C, Torr.* || 4. acie *BCD.* || 6. XXVI spolia *Par.* || retulisset *C.* || 7. probatione *BCDΓ et pr. A.* || 9. in pectore *C.* || VIII triumphales *Par.* || 10. imperatorum] *ante* triumphales *Γ.* || 12. XIIII *om. E.* || tres murales *E.* || 13. torques clxxxiii *ABCEΓTorr.* torques dlxxxiii *in rasura D.* || hastae XVIIII *E.* || pharetre *ABDEΓ.* pharatre *C.* pateras *pr. Par.* pharetras *corr. Par.* || 14. XXXV *Par.* || 15. Ille —. (16.) oppido *om. Γ.* || Ille] Cale *D.* || e *D.* || 16. Calibus] capue *in rasura B.* calidus *D.* || 17. campana perfidia *corr. A.* propter campanam perfidiam *E, Torr.* campanam perfidiam uindicando *Γ.* || principes *BCDEΓTorr. Lachmann. ad Lucr. I, 744. p. 51.* || ciuitatum *Γ.* || 18. adficiendos *A.* afficiendos *Torr.* afficeret *Γ.* || uindicaret *om. Γ.* iudicaret *Torr.*

---

partes uergentibus, probabilem reddit Drakenborchii suspicionem ipsos iam ueteres auctores in Sicciae et Siciniae gentium nominibus ponendis fluctuasse.

torques LXXXIII) Libri perperam clxxxiii. Delendum esse centenarium numerum, cum Dionysius et Gellius de tribus tantum et octoginta torquibus retulerint, intellexerunt Salmasius ad Solinum p. 35 et Colerus. Quorum coniecturam confirmat nunc Iulii Paridis epitome omissa nota *C.* Ita etiam Dionysium non *ἑξήκοντα*, sed *ἑκατὸν καὶ ἑξήκοντα περιβραχιόνια χρύσεα*, Varronem CLX armillas, non CXL numerasse e reliquorum consensu colligendum est.

Ext. 1. Liu. XXVI, 15. Sil. Ital. XIII, 369.

finem poenae eor. stat.) Haec parum accurate a Valerio exposita sunt. Nam ipse III, 8, 1 consentiente Liuio dicit Flaccum eas litteras in sinistra manu, sicut fuissent traditae, reposuisse, atque omnibus Campanorum principibus ante tribunal suum interfectis, tum demum aperuisse, postquam illis obtemperare non potuisset. Finita hoc modo poena lectisque litteris, ut Liuius refert, cum iam consurgeret Flaccus, Iubellius per mediam uadens urbem

se ei T. Iubellius Taurea Campanus obtulit et quam potuit clara uoce 'Quoniam', inquit, 'Fului, tanta cupiditate hauriendi sanguinis nostri teneris, quid cessas in me cruentam securem destringere, ut gloriari possis fortiorem aliquanto uirum quam ipse eos tuo iussu esse interemptum'? Eo deinde [dicente] libenter id se fuisse facturum, nisi senatus uoluntate inpediretur, adfirmante, 'At me', inquit, 'cui nihil patres conscripti praeceperunt, aspice, oculis quidem tuis gratum, animo uero tuo maius opus edentem', protinusque interfecta coniuge ac liberis gladio incubuit. Quem illum uirum putemus fuisse, qui suorum ac sua caede testari uoluit se Fuluii crudelitatem suggillare quam senatus misericordia uti maluisse?

Age, Darei quantus ardor animi! Qui cum sordida et cru- 2.
deli magorum tyrannide Persas liberaret unumque ex his obscuro loco abiectum corporis pondere urgeret, praeclari operis socio plagam ei inferre dubitanti, ne, dum Magum petit, ipsum uulneraret, 'Tu uero', inquit, 'nihil est quod respectu mei timidius gladio utaris; uel per utrumque illum agas licet, dum hic quam celerrime pereat'.

---

1. uibellus *A.* iubelius *Γ.* || 2. Fului *om. Γ.* || cupiditate tanta *Torr.* || 3. securim *Torr. Cf. Iul. Par. I, 3, 3.* || distringere *ABCE.* stringere *D.* || 4. ut *om. pr. C.* || aliquando *ABCDE.* || 5. dicente] *sine uncis Torr.* || 6. id] ait *(sed punctis notatum) A.* idque *D.* || se] *ante* libenter *E.* || adfirmante *om. EΓTorr.* || 7. ad *ABC.* ac *DE.* || 8. tuis quidem *Torr.* || 9. incumbit *C.* || 10. Quem — (12.) maluisse *om. Γ.* || 11. Fuluii] ful. *(sic)* romani *E.* || sugillare *A.* || 13. Age — animi] *om. pr. C.* age darii quantus ardor *margo C.* || dare *B.* darii *DEΓ et margo C, Torr.* || crudelia *A.* || 14. liberasset *B.* || ex eis *Par.* ex iis *Torr.* || 16. dubitante *DΓ.* || peteret *D.* || 18. gladio timidius *B.* || uel — (19.) pereat *om. Γ.* || illud *A.* id *E.*

---

turbamque se obtulit occidendum. Tum recte Fuluius senatus uoluntate se inpediri quominus id faceret pronuntiauit.

Eo deinde [dicente]) Planum est librarium antiqui cuiusdam codicis perperam h. l. inseruisse u. *dicente*, quia alterum illud eiusdem significationis, *adfirmante*, paulo remotius non animaduerteret. Recentiores uero librarii, cum prius posuissent *dicente*, alterum tamquam superuacuum omiserunt, eosque male secuti sunt editores.

2. Cf. Herod. III, 78. Iust. I, 9.

Age Darei quantus) Gobryae hoc fuisse dictum Dariumque dubitasse plagam inferre mago, ne simul Gobryam uulneraret, ex Herodoto, quocum fere consentit Iustinus, adnotauit iam Glareanus. Error autem ipsius Valerii est, non, ut opinabatur Pighius, librariorum. Veram scripturam reuocauit Torrenius.

illum agas) Liber Bernensis *illud.* Quod cum in decem codicibus repperisset Torrenius, recte absolute positum putat, ita ut intellegatur 'illud, quodcumque in manu habes'. Sed talia, si quid sentio, a Valerio aliena sunt; incommodum hoc, cum modo praecesserit gladii uocabulum. Alienissimum uero

3. Hoc loci Leonidas nobilis Spartanus occurrit, cuius proposito, opere, exitu nihil fortius. Nam cum CCC ciuibus apud Thermopylas toti Asiae obiectus, grauem illum et mari et terrae Xerxen, nec hominibus tantum terribilem sed Neptuno quoque conpedes et caelo tenebras minitantem, pertinacia uirtutis ad ultimam desperationem redegit. Ceterum perfidia et scelere incolarum eius regionis et loci opportunitate, qua plurimum adiuuabatur, spoliatus, occidere dimicans quam adsignatam sibi a patria stationem deserere maluit, adeoque alacri animo suos ad id proelium, quo perituri erant, cohortatus est ut diceret 'Sic prandete, conmilitones, tamquam apud inferos caenaturi'. Mors erat denuntiata; Lacedaemonii, perinde ac uictoria esset promissa, dicto intrepidi paruerunt.

4. Othryadae quoque pugna pariter ac morte speciosa Thyreatium laude quam spatio latius solum cernitur. Qui sanguine suo scriptis litteris dereptam hostibus uictoriam tantum non post fata sua in sinum patriae cruento trophaei titulo retulit.

---

1. Hoc — (2.) Nam] Leonidas *Γ*. || loco *D*. || Spartanus nobilis *Torr*. || 2. quibus *B*. || apud] atque *Γ*. || 3. thermophylas *A*. || mare *pr. A*. || terra *DΓ*. || 4. Xerxem *aut* xerxe *BCDEΓ Torr*. || 5. caelo] caclo *aut* cado (?) *pr. A*. caho *C et corr. A*. catho *B*. coho *D*. chao *E*. celo *Γ*. || 7. oportunitate *margo A. om. pr. A*. || quam *pr. A*. || 9. ideoque *ABCDEΓ Torr*. || tam alacri *E et corr. A. Torr*. || animo *om. Γ*. || 10. ut diceret] dicens *D*. || 11. cenaturi *A*. || 12. Lacedaemoniis *DΓ et pr. A. Vt nos etiam Par*. || 13. dicto] docto *pr. A*. ductori *BCE Torr. Vt nos DΓPar. et corr. A*. || intrepide *Torr*. || 14. §. 4. *om. Γ*. || Ochirade *E*. || quoque] uero *D*. || pariter] partem *B*. || thyreatrum *ABCDE*. || 16. direptam *ABCDE Par. Torr. Vid. ad II*, 9, 8. || tantum non] tantummodo *D*. || 17. facta *A*. || signum *E*. || trophei *A*.

---

ab hoc loco, quod simile opinabatur Torrenius, Valerii exemplum V, 6, 2, ubi de hiatu locutus pergit *equum — in illud profundum egit*.

3. Cf. Herod. VII, 202. Pausan. III, 4, 7. Plut. apophth. Lac. (Leonid.) 13. Iustin. II, 11. Ael. u. h. III, 25. Oros. II, 9, cett.

et caelo tenebras) Ambigua scriptura codicis Bernensis, quae et archetypi fuit, cum litterae consulto ita pictae esse uideantur ut intellegi nequeant, et librarios et recentiores grammaticos ad uarias coniecturas induxit. Non commemorarem, nisi a pluribus probatae essent, Coleri suspiciones, scribendum aut *et coho tenebras*, cum ueteres poetae teste Paulo diacono p. 31 Müll. cohum dixissent pro caelo, aut *et caelo chaos* (i. e. tenebras) *minitantem*. Lenissima enim mutatio, una scilicet lineola addita efficit quod unice aptum et uero simile retinuimus. Nam *caelo tenebras* iam editum est inde ab Aldo.

adeoque alacri) Cum archetypus sine sensu praeberet *ideoque*, in deterioribus quibusdam libris ante *alacri* inculcatum est *tam*. Mendumr ecte sustulit Torrenius, coniciens *adeoque*. Poterat afferre prorsus simile exemplum III, 8 ext. 2, *adeo perseuerans sententiae suae propugnator extitit ut — diceret*.

4. Cf. Herod. I, 82. Ouid. fast. II, 665. Plut. parall. 3. Senec. suas. 2, p. 18 ed. Bip.

Excellentissimos Spartanae uirtutis prouentus miserabilis 5.
lapsus sequitur. Epaminondas, maxima Thebarum felicitas idemque Lacedaemonis prima clades, cum uetustam eius urbis gloriam inuictamque ad id tempus publicam uirtutem apud Leuctram et Mantineam secundis proeliis contudisset, traiectus hasta, sanguine et spiritu deficiens, recreare se conantes primum an clypeus suus saluus esset, deinde an penitus fusi hostes forent interrogauit. Quae postquam ex animi sententia conperit, 'Non finis', inquit, 'conmilitones, uitae meae sed melius et auctius initium aduenit. Nunc enim uester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. Thebas ductu et auspiciis meis caput Graeciae factas uideo; et fortis et animosa ciuitas Spartana iacet armis nostris abiecta; amara dominatione Graecia liberata est. Orbus quoque, non tamen sine liberis morior, quoniam mirificas filias Leuctram et Mantineam relinquo'. E corpore deinde suo hastam educi iussit, eoque uulnere expirauit. Quod si eum dī inmortales uictoriis suis perfrui passi essent, † sospes patriae moenia intrasset.

Ac ne Theramenis quidem Atheniensis, in publica custodia 6.

1. Excellentissimos — (2.) sequitur *om. Γ.* || mirabilis *BCDE et pr. A.* miserabelis *corr. A.* || 2. epaminundas *EΓ.* || idemque] que *om. Γ.* || 3. lacedaemoniis *ABCDEΓ. Correxit Aldus.* || 5. contulisset *ABC.* || 6. clipeus *Par.* || 9. finis *om. E.* || auctius] aptius, *sed litt.* pti *in rasura A.* altius *BCE et margo A.* auxius *D.* || 10. initium *om. Γ.* || noster *D et pr. C.* || epaminundas *EΓ.* || 16. deduci *ABCDEΓ.* || uulnere] *suspectum erat Perizonio.* || 17. uictoris *A.* || sospes patrie menia sed gloriosior non intrasset *E.* sospes gloriosior patriae moenia non intrasset *Torr.* || 18. introisset *D.* || 19. nec *BCTorr. Vid. ad II.* 1, 4. || theranis *D.*

5. Corn. Nep. Epam. 9. Cic. epp. V, 12, 5; de fin. II, 30, 97. Iust. VI, 8, Paus. IX, 15. Diod. Sic. XV, 87, alii.

auctius initium) Qui propius accedere solent ad codicis Bernensis primariam scripturam libri (familiae x') indicant in archetypo fuisse aut ipsum illud *auctius*, quod habet abbreuiatus Guelferb., aut *auxius* aut certe simile aliquid. Neque opus est alterius familiae coniectura *altius*, cum auctum saepe dicatur id quod maius, ualidius, ornatius factum est. Cf. Liu. III, 68, 4. IIII, 2, 4. XXV, 16, 11. Plin. paneg. 50. Lucret. III, 450. Hor. sat. II, 6, 3.

Orbus quoque) Causam huius dicti, querellas amici cuiusdam, quod liberos non relinqueret (Diod. l. c.), male praeteriit Valerius. Inepte enim nunc per *quoque* prioribus adiunguntur quae minime cum his cohaerent. Rem paulo aliter narrat Nepos Epam. 10, 1.

† *sospes patriae moenia intrasset.)* Sic omnes melioris notae libri. Quod a Valerio scriptum opinatus ridicule Kappius explicat, 'intrauit quidem Thebas, at non sospes i. e. uiuus sed mortuus'. Tam puerilia ne Valerius quidem umquam balbutiuit. Recte igitur librarii senserant aliquot uerba excidisse. Quae tamen male suppleta sunt in uulgatis exemplaribus. Potuit scribere Valerius *non gloriosior sospes patriae moenia intrasset* uel similiter. Sed non magis ipsa uerba inserenda quam sedes eorum incerta sunt.

6. Cf. Cic. Tusc. I, 40, 96. (Ael. u. h. IX, 21.)

mori coacti, parua mentis constantia, in qua triginta tyrannorum iussu porrectam ueneni potionem non dubitanter hausit, quodque ex ea superfuerat iocabundus inlisum humo clarum edere sonum coegit, renidensque seruo publico, qui eam tradiderat, 'Critiae, inquit, propino; uide igitur ut hoc poculum ad eum continuo perferas'. Erat autem is ex triginta tyrannis crudelissimus. Profecto supplicio est se liberare tam facile supplicium perpeti. Itaque Theramenes perinde atque in domestico lectulo moriens uita excessit, inimicorum existimatione punitus, suo iudicio finitus.

7. Sed Theramenes a litteris et doctrina uirilitatem traxit, Numantino uero Rhoetogeni ad consimilem uirtutem capessendam quasi magistra gentis suae ferocitas extitit. Perditis namque et adflictis rebus Numantinorum, cum omnes ciues nobilitate, pecunia, honoribus praestaret, uicum suum, qui in ea urbe speciosissimus erat, contractis undique nutrimentis ignis incendit, protinusque strictum gladium in medio posuit, ac binos inter se dimicare iussit, ut uictus incisa ceruice ardentibus tectis superiaceretur. Qui cum tam forti lege mortis omnis absumpsisset, ad ultimum se ipse flammis inmersit.

---

2. exhausit *Par.* || 4. ridensque *D.* || Critiae] curiae *B.* critiae *CD.* || 5. poculum ut hoc *B.* || 6. autem] enim *Torr.* || is *om. pr. E.* || 7. est supplicio *Torr.* || 8. theramenis *ABCDE.* || atque] ac *Torr.* || 10. Sed — (12.) extitit *om. Γ.* || theramenis *corr. A.* theramines *B.* || 11. theogeni *ABCE Torr.* thegeni *D. add.* I. P. rhoetogenes *margo A.* || 12. namque *om. Γ.* || 13. Numantinorum] *add.* theogenes numantinus *Γ.* || 17. uertice *B.* || 18. tam] ita *C.* || mortis lege *Γ.* || omnes *BCDEΓTorr.* || adsumpsisset *pr. A.* || 19. inmisit *Par.*

---

perinde atque in domestico) Edebatur uulgo *ac*, quod ante uocalem positum emendaui conspirantibus omnibus libris mss. hoc loco et III, 4, ext. 1 et IIII, 3, 14. In codicibus hanc particulam nusquam inueni usurpatam sequente uocali aut spiritu aut litteris C, G, K, Q. Nam IIII, 7, ext. 2, cum in libris impressis concurreret *ac* cum G, manuscripta exempla docent legendum esse *et grani*. Constanter Valerius *atque* posuit ante has litteras, (I, 1, 9. I, 8, 6. II, 5, 4. III, 2, 17. III, 2, 24. IIII, 5, init. V, 1, 2 cett.) quod omnino saepissime consonantes praecedit (I, 8, 6 (bis). II, 7, 7. II, 8, 7. II, 9, 6. IIII, 1, 12 cett.) Dico propter Handium, qui illam subtilitatem, cuius causam nullam perspiceret idoneam, noluit admittere, huius consuetudinis exempla quaedam tamquam rariora congessit Turs. I p. 457.

7. Cf. Liu. epit. LIX. Front. strat. IIII, 5, 23. Flor. II, 18, 15. Senec. de ira I, 11.

Rhoetogeni) Paridem secutus Rhoetogenem posui pro eo qui in Valerii libris et manuscriptis et impressis uitiose Theogenes appellatur. Idem enim Ῥητογένης esse uidetur, cuius uirtutem in eadem illa Numantiae obsidione praedicat Appianus Hisp. 94. Alius Rhoetogenes Celtiberorum princeps commemoratur a Valerio V, 1, 5, ubi eadem corruptela, quae hoc loco omnes occupauit codices, deteriores tantum aliquot infecit.

Verum ut aeque populo Romano inimicae urbis excidium referam, Karthagine capta uxor Hasdrubalis exprobrata ei impietate, quod a Scipione soli sibi impetrare uitam contentus fuisset, dextra laeuaque communes filios mortem non recusantis trahens, incendio se flagrantis patriae obiecit. 8.

Muliebris fortitudinis exemplo aeque fortem duarum puellarum casum adiciam. Cum pestifera seditione Syracusarum tota regis Gelonis stirps euidentissimis exhausta cladibus ad unicam filiam Harmoniam uirginem esset redacta et in eam certatim ab inimicis impetus fieret, nutrix eius aequalem illi puellam regio cultu ornatam hostilibus gladiis subiecit, quae ne cum ferro quidem trucidaretur, cuius esset condicionis [ediceret] pro- 9.

1. Verum — (2.) referam *om. Γ.* || 2. hasdrybalis *pr. A.* || exprobata *C.* || 3. contenta *corr. C.* || 4. dextera *Torr.* || leuaque *A.* || recusantes *CDEΓTorr.* || 5. patriae flagrantis *Γ.* || superiecit *Par.* iniecit *Torr.* || 6. Muliebris — (7.) adiciam *om. Γ.* || mulieris *ABCE.* || duarum fortem *B.* || 8. Gelonis] hieronis *E.* || 9. armoniam *Γ.* || uirginem *om. Γ.* || ea *E.* || 11. hostibus *pr. A.* || quae] *add.* cum *Γ.* || 12. condicionis proclamauit *in rasura A.* conditionis ederet, proclamauit *Torr.*

8. Cf. Liu. epit. lib. LI. App. Pun. 131. p. 59.

9. Cf. Liu. XXIIII, 25.

Harmoniam uirginem) Liuius eam Themisto nuptam fuisse et huius coniugem interemptam esse narrat.

quae ne cum ferro quidem trucidaretur) Edebatur hucusque *Quae ne cum ferro quidem trucidaretur, cuius esset condicionis ederet: proclamauit admirata illius animum Harmonia* etc. conspirantibus codicibus mss., nisi quod pro *ederet* in his legitur *ediceret*. Et idem in codice Bernensi olim fuisse concludimus cum e reliquorum consensu tum ex ipsa eius loci litura. Quae uerba grammaticis ne scrupulum quidem iniecisse uidentur, silentio ea praetereuntibus praeter Perizonium, coniicientem scribendum esse *Cum (Quum) ne cum ferro quidem*, et Kappium, probantem, quod abbreuiator Guelferbytanus et ipse e coniectura posuerat, *Quae cum ne cum ferro quidem*. At repetita particula *cum* et intolerandum Latinis auribus sonum et omnino putidissimam fieri orationem quis est quin sentiat? Iam hoc quoque loco Paris probabilem emendandi uiam demonstrauit, cum iisdem quibus Valerius uerbis usus retulerit *quae ne cum ferro quidem trucidaretur, cuius esset condicionis proclamauit. admirata puellae constantiam* etc. Eandem scripturam corrector libri Danielini deleto quod antea ibi fuisse diximus, *ediceret*, hoc compendio adiutus restituit. Recte, si quid sentio. Interpolatum esse uidetur uocabulum a librario, qui non intellecta bipertita per *et — que* oratione nouamque sententiam incipere ratus uerbis *et tantae fidei*, cum participio *admirata* prioris enunciati uerbum finitum *proclamauit* coniunxit et iam pronuntiandi significationem desiderabat, pertinentem ad uu. *cuius esset condicionis*, quae reguntur a proclamandi uerbo. Sic I, 8, 12 *uiuere se proclamauit*. II, 10, ext. 2 *proclamarunique ne ius iurandum diceret*. Cf. III, 8, ext. 1. Proxima autem sententia quod ita in duas partes disiuncta est, ut, cum altera incipiat per *et*, in altera non eadem quae proprie poni debebat particula sequatur sed affixum *que*, non fore spero ut quemquam offendat post Madvigii egregiam de turbatis orationis bipertitae membris disputationem (excurs. I ad Cic. de fin. p. 797.). Ascribam quae equidem notaui Valerii ex hoc genere exempla. Dissoluitur autem copulatio, quae fieri debebat

clamauit. Admirata illius animum Harmonia et tantae fidei superesse non sustinuit reuocatosque interfectores, professa quaenam esset, in caedem suam conuertit. Ita alteri tectum mendacium, alteri ueritas aperta finis uitae fuit.

DE PATIENTIA.

III. Egregiis uirorum pariter ac feminarum operibus fortitudo se oculis hominum subiecit patientiamque in medium procedere hortata est, non sane infirmioribus radicibus stabilitam aut minus generoso spiritu abundantem sed ita similitudine iunctam ut cum ea uel ex ea nata uideri possit.

1. Quid enim his, quae supra retuli, facto Mucii conuenientius! Cum a Porsenna, rege Etruscorum, urbem nostram graui ac diutino bello urgeri aegre ferret, castra eius clam ferro cinctus intrauit, immolantemque ante altaria conatus occidere est. Cete-

1. admirata (ad *in rasura*) *A.* || hermonia *E.* || 9. similitudinem *pr. A.* || coniunctam *DΓ.* || 10. posset *pr. A.* || 11. Quid — conuenientius] Mutius Sceuola *Γ.* || iis *(E) Torr.* || 12. Porsena *Par.? Torr. h. l. et paulo post. Cf. III.* 2, 2 *et auct. de praenom.* 1. || 13. diuturno *CE Par.* || 14. est occidere *DΓ Torr.*

geminato *et*, eodem modo atque hoc loco VII, 2, ext. 2, *Cogita nunc tecum quam multi luctus sub his tectis et olim fuerint hodieque uersentur et insequentibus saeculis sint habitaturi.* Neque alia figura est, ubi priori membro neganti alterum affirmatiuum opponi debebat per *et*, sed adiungitur per *que (neque — que)*, quam obseruaui IX, 15 init. *Quod sequitur impudentiae genus nec ferendum ullo modo periculique cum priuatim tum etiam publice late patentis.* Licentius in altera sententiae parte a uulgari dicendi norma declinauit I, 8, ext. 12, ubi ex aequo positurus Prusiae filium filiamque Mithridatis, illum duplici ore, hanc duplici dentium ordine usam, cum relationis initium ita instituisset, *Nam et Prusiae regis filius*, cum anacoluthia quadam pergit *Mithridatis uero regis filia.* Et multo durius atque insolentius IX, 12 init., cum dixisset *Nam et si eo* (temporis cursu) *bene uti uelis, etiam parum amplissimum efficies, numerum annorum multitudine operum superando*, et iam sequi deberet *et si id nolis, nihil attinet inerti mora gaudere*, neglegenter haec ita inuertit, *Aliquin quid attinet inerti mora gaudere, si magis exigis uitam quam adprobas?* Si tamen quis hoc loco, de quo agimus, illud *et* ante *tantae* delere maluerit, non faciam equidem controuersiam.

1. Cf. Liu. II, 12. Dion. Hal. V, 27. sqq. Plut. Publ. 17. Flor. I, 10. Auct. de uir. ill. 12.

conatus occidere est) Quem uerborum ordinem intactum reliquerunt Valerii editores VIII, 1, abs. 5 *(ausa petere est)*, eum iniuria nec hoc loco admiserunt nec V, 3, ext. 3, ubi Paridem omnesque meos libros secutus posui *patria iussus excedere est.*

rum inter molitionem pii pariter ac fortis propositi oppressus, nec causam aduentus texit et tormenta quantopere contemneret mira patientia ostendit. Perosus enim, credo, dexteram suam, quod eius ministerio in caede regis uti nequisset, iniectam foculo exuri passus est. Nullum profecto di inmortales admotum aris cultum adtentioribus oculis uiderunt. Ipsum quoque Porsennam oblitum periculi sui ultionem suam uertere in admirationem coegit. Nam 'Reuertere', inquit, 'ad tuos, Muci, et eis refer te, cum uitam meam petieris, a me uita donatum'. Cuius clementiam non adulatus Mucius, tristior Porsennae salute quam sua laetior, urbi se cum aeternae gloriae cognomine Scaeuolae reddidit.

Pompei etiam probabilis uirtus, qui, dum legationis officio 2. fungitur, a *rege* Gentio interceptus, cum senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernae admotum digitum cremandum prae-

---

4. caedem *corr. D.* || 6. inuiderunt *A.* || 7. sui] sui fere *in rasura A. om. Torr.* || 9. uita] uitam *pr. C.* || donatum] *litterae* um *in rasura C.* || 10. tristior] *add.* pro *B.* || 11. scheuola *B.* scaeuolam *E Torr.* || rediit *E.* || 12. Pompei — qui] pompeius *Γ.* || qui dum] quidem *pr. A.* || 13. fungeretur *DE et corr. C, Torr. Vt nos etiam Par.* || rege] *om. BDΓ et pr. AC. post* Gentio *D, margo C, corr. A, Torr. Vt nos Par.*

---

2. *Pompei etiam probabilis uirtus)* Res defectu fontis, e quo haec hausit Valerius, si quae alia in hoc scriptore, obscura est ac desperata. Legatos ad Gentium regem a senatu missos bis commemorauit Liuius; prius cum Issenses legati fines suos ab eo populatos quererentur, suspectumque redderent tamquam bellum contra Romanos una cum Perseo rege molientem (Liu. XLII, 26.). Missi tunc A. Terentius Varro, C. Plaetorius, C. Cicereius: quos interceptos esse a rege neque alibi memoriae traditum neque omnino in hoc Liuii et Appiani silentio simile est ueri. Sed multo minus in altera legatione accidisse possunt quae narrantur a Valerio, cum inde ab eo tempore de amicitia populi Romani expetenda ne cogitauerit quidem Gentius. Retulit enim Liuius (XLIIII, 27.) missos esse (a. u. c. 586.) M. Perpernam et L. Petillium legatos eosque in custodiam coniectos et in eo retentos esse, donec ab Anicio praetore, belli Illyrici confectore, liberarentur inque pristinum restituerentur honorem; de Pompeio et de fortitudine, qua ille alter Scaeuola regem ad amicitiam populi Romani expetendam impulerit, re memoratu sane dignissima, nihil. Accedit, quod iam Pighius obiecit, Pompeiorum familiam tunc temporis obscuram admodum atque ignobilem fuisse, in qua primus Q. Pompeius A. F. *a.* 613 'homo per se cognitus sine ulla commendatione maiorum', ut ait M. Cicero (Brut. 25, 96. Cf. Vell. II, 1, 4), summos honores adeptus est. Ne tamen in nomine a scriba erratum putemus impediunt quae sequuntur, *clarissimarum familiarum commendationem*. Itaque ualde quam caute haec accipienda sunt, quorum mihi quidem Valerius satis foede historiam uidetur corrupisse. Cf. Rupert. III dissert. ad Val. Max. c. 3.

a rege Gentio) Suppleui *rege*, quod perierat in archetypo codice, e Paridensi huius exempli compendio, in quo singula Valerii uerba praeter suspectum illud *excussit* intacta retinuit abbreuiator. Animaduerto enim non nisi in notissimis aliquot externarum gentium regibus ac ne in his quidem frequenter,

buit eaque patientia regi simul et desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excussit et expetendae populi Romani amicitiae magnam cupiditatem ingenerauit. Ac ne plura huiusce generis exempla domi scrutando saepius ad ciuilium bellorum detestandam memoriam progredi cogar, duobus Romanis exemplis contentus, quae ut clarissimarum familiarum commendationem, ita nullum publicum maerorem continent, externa subnectam.

Ext. 1. Vetusto Macedoniae more regi Alexandro nobilissimi pueri praesto erant sacrificanti. E quibus unus turibulo arrepto ante ipsum astitit. In cuius brachio carbo ardens delapsus est. Quo etsi ita urebatur ut adusti corporis eius odor ad circumstantium nares perueniret, tamen et dolorem silentio pressit et brachium inmobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut concusso turibulo impediret aut edito gemitu regi*as aures* aspergeret. Rex quo

---

2. incussit *corr. A.* iniecit *Par.* || 3. Ac — (7.) subnectam *om. Γ.* || 5. Romanorum *Torr.* || 7. nullam *BCE.* || maerorem] *in rasura A.* memoriam *BCE.* || 9. sacrificanti] *ante* nobilissimi *Γ.* || ex *Par.* || turribulo *Γ.* || accepto *Par.* || 10. brachium *Par. Vid. ad V.* 4, *ext.* 5. || 12. silentium *pr. A.* || 14. gemito *Γ.* || regias aures] regio *BΓ et pr. AC.* regio aures *corr. C.* regis aures *E. om. pr. D.* || quoque *ABCDEΓ Torr.*

---

numquam in obscurioris paulo famae principibus hanc dignitatis significationem omissam esse. Cf. exemplum praecedens de Porsenna et sequens de Alexandro Magno, tum huius capitis externa exempla 3, 4, 5. tum I, 1, ext. 2. I, 4, ext. 1 et 2. I, 5, 3. I, 7, ext. 2 et 4. III, 7, 6 et 7.

desperationem — excussit) Qui desperationem alicui excutit, is iam spei locum praebet, quod certe non fecit Pompeius. Neque enim mihi persuasit Kappius, quod dicamus lacrimas, risum, scintillas excutere, ideo desperationem quoque eam excuti, quae excitetur. Discrimen inter utramque rem planum atque apertum est. Probo igitur cum Torrenio *incussit*, coniecturam a correctore libri Danielini temptatam et confirmatam quodam modo Iulii Paridis epitoma, ubi pro eo iniciendi uerbum substitutum est. Cf. Cic. de oratore II, 51, 209. Curt. IIII, 10, 2. III, 6, 5. Hor. epp. I, 18, 77. Val. VI, 3, 7. III, 1, 1. Fieri tamen potest ut Valerius, quaesitarum et insolentium locutionum perpetuus affectator, desperationem dixerit desperatum regis consilium tormentis aliquid e Pompeio cognoscendi. Appuleius certe metam. X, 229. p. 728 ed. Oudend. desperatam feminae cuiusdam audaciam hac appellatione significauit. Quapropter haesitaui adhuc illud quod rectius dici sentio recipere.

Ext. 1. *Vetusto Macedoniae more)* Cf. Curt. VIII, 6, (21. Zumpt.) 2.

regias aures) aures exciderat in codice archetypo, quia librarius ab ultima syllaba in *regias* ad primam in *aspergeret* aberrauerat, unde et ipsum illud *regias* truncatum et male, quod reliquum erat, *regi* praecedenti uocabulo accommodatum est. Coniectura uero emendatoris Bernensis adeo uerisimilis est ut de recipienda non dubitauerim. Pro *aspergeret* praeter necessitatem Lipsius *asperaret* legendum esse censuit.

rex quo patientia pueri magis delectatus est) Exempla et manuscripta et impressa haec ita constituunt, *Rex quoque patientia pueri magis delectatus, hoc certius* etc. In quibus *quoque* et *magis* intellegi nequeunt, cum nec praecedat qui idem fecerit atque rex uel simile quid, ita ut dici potuerit *rex quoque*, neque compareatur res, qua minus delectatus sit Alexander. Remansit

patientia pueri magis delectatus est, hoc certius perseuerantiae experimentum sumere uoluit. Consulto enim sacrificauit diutius, nec hac re eum proposito repulit. Si huic miraculo Dareus inseruisset oculos, scisset eius stirpis milites uinci non posse, cuius infirmam aetatem tanto robore praeditam animaduertisset.

Est et illa uehemens et constans animi militia, litteris pollens, uenerabilium doctrinae sacrorum antistes philosophia. Quae ubi pectore recepta est, [hominem] inhonesto atque inutili adfectu dispulso, totum in solidae uirtutis munimento confirmat potentiusque metu facit ac dolore.

Incipiam autem a Zenone Eleate. Qui cum esset in dispi- 2. cienda rerum natura maximae prudentiae inque excitandis ad uigorem iuuenum animis promptissimus, praeceptorum fidem exemplo uirtutis suae publicauit. Patriam enim egressus, in qua frui secura libertate poterat, Agrigentum miserabili seruitute obrutum petit, tanta fiducia ingenii ac morum suorum fretus ut

---

1. magis] *ante* patientia *E.* || est *om. BCDEΓTorr.* || hoc] et hoc *corr. A.* ex hoc *DΓ.* huius *E.* || 3. a proposito *Torr.* || depulit *Par. et corr. A.* || darius *BCDEΓTorr.* || 6. Est — (10.) dolore *om. Γ.* || 8. hominem] *D et pr. A.* homini *BC et corr. A.* omni *E.* hominum *Torr.* || 9. potentioremque *D et corr. C.* || 10. facit] *post* dolore *Torr.* || 11. Incipiam — Qui] Zeno Eleatae *Γ.* || eeleate *AC.* meliate *E.* || despicienda *Γ.* || 13. promptissimis *pr. A.* || praeceptor *D.* || 14. uirtutis exemplo *E.* || 16. petiit *EΓTorr.*

---

praeterea in codice Bernensi *est* post *delectatus*. Egregie Torrenius sententiam restituit facili emendatione, quam omnino necessariam esse ne ipse quidem uidetur perspexisse. Seiuncta, quae plerumque cohaerent, *quo — magis* ne quem offendant, apponam simile Taciti exemplum, qui in III ann. 30 scripsit *Suberat tamen uigor animi eo acrior quo sonnum et inertiam magis ostentabat.*

pectore recepta est, [hominem] inhonesto) Vncis illis ademptis quae supra edidi archetypi repraesentant scripturam, non sane eo modo emendandam, quo factum erat in uulgatis exemplaribus et iam in Veneto a. 1478. Etenim *hominum* ferri poterat coniunctum cum plurali numero *pectoribus, in pectore hominum recepta* alienum est ab ore Latino. In altera autem parte alterius familiae codices *homini* exhibent, unde non male in Guelferbytano *E* temptatum *omni inhonesto*, dummodo illa scriptura archetypi testimonium contineret. Verum *hominem* nasci potuisse ex *omni* ne Torrenium quidem et Perizonium, quibus *omni* a Valerio positum uidebatur, concessuros nunc esse opinor. Equidem nullus dubito quin *hominem* ascripserit librarius, qui, cum non intellegeret *totum*, quod paulo post sequitur, dici de pectore, desiderabat substantiuum, quo illud referri posset. Incidit ergo in id, quod proximum erat, *hominem;* et ut proxima dumtaxat curant infelices isti correctores, de errore ne tum quidem edoctus est, cum sequentia legeret, *potentiusque metu facit.*

2. Cf. Cic. Tusc. II, 22, 52. Diog. Laert. IX, 26. Suid. u. *Ζήνων.*

Agrigentum miserabili seruitute obrutum petit.) De Agrigentino Zenonis itinere solus Valerius scripsit. Ceteri auctores in eo fere consentiunt Eleae a Nearcho eum, aut a Demylo aut a Diomedonte, cum consilii, quod de interficiendo ceperat tyranno, conscios indicare nollet, uariis cruciatibus interemptum esse. Et sane Phalaridis, cuius aetatem recte circa Olympiadem

sperauerit et tyranno et Phalari uaesanae mentis feritatem a se deripi posse. Postquam deinde apud illum plus consuetudinem dominationis quam consilii salubritatem ualere animaduertit, nobilissimos eius ciuitatis adulescentes cupiditate liberandae patriae inflammauit. Cuius rei cum indicium ad tyrannum manasset, conuocato in forum populo torquere eum uario cruciatus genere coepit, subinde quaerens quosnam consilii participes haberet. At ille neque eorum quempiam nominauit et proximum quemque ac fidissimum tyranno suspectum reddidit, increpitansque Agrigentinis ignauiam ac timiditatem effecit ut subito mentis impulsu concitati Phalarim lapidibus prosternerent. Senis ergo unius eculeo inpositi non supplex uox nec miserabilis eiulatus sed fortis cohortatio totius urbis animum fortunamque mutauit.

3. Eiusdem nominis philosophus, cum a Nearcho tyranno, de cuius nece consilium inierat, torqueretur supplicii pariter atque indicandorum gratia consciorum, doloris uictor sed ultionis cupidus, esse dixit quod secreto audire eum admodum expediret, laxatoque eculeo, postquam insidiis opportunum animaduertit,

---

1. et tyranno et] *om. D.* et tyranno * *C.* || phalaris *D.* || uesanae *A.* || 2. decipi *C.* diripi *D Γ Torr. Vid. ad II,* 9, 8. || 7. quodnam *A.* quotnam *B C E.* || 8. nec *Torr.* || quempiam] *om. pr. A.* quemquam *Γ, quod probauit Perizonius. Sed uid. ad I,* 5, 4. || et] sed *Torr.* || 9. increpitans *E.* || 14. cum a Nearcho] *in rasura A.* cum de arco *B.* cum learco *pr. C.* cum a learco *corr. C.* cum a dearco *D Γ.* cum a clearcho *E. Vt nos Par.* || 16. iudicandorum *D.* || consciorum gratia *Γ Torr.* || 17. dixit esso *Γ.* || eum secreto audire *Torr.* || 18. laxatusque *Par.* || opportunum] oportum locum *Γ.* oportunum tempus *Torr.* || animaduertit] *add.* tempus *D.*

LII posuisse uidetur Scaliger ad Euseb. (cf. Clinton. fast. Hellen. a. 570 et 549.), ne aequalis quidem erat Zeno, qui Diogene et Suida auctoribus circiter Olympiad. LXXVIII et LXXIX floruit. (Cf. Clinton. l. c. a. 464.) Certe senex ad interficiendum Phalaridem Agrigentinos incitare non potuit. Transtulit igitur Valerius, in omnibus his quae de philosophorum patientia narrauit mire hallucinatus, ad Phalaridem et Agrigentum quae Eleae et Nearcho tyranno acciderant, atque his alia nescio unde petita admiscuit.

proximum quemque ac fidissimum etc.) Idem Aristogitonem ab Hippia tortam fecisse narrant Senec. de ira II, 23. Diod. Sic. exc. de uirt. et uit. p. 557. ap. Dind. II, P. 2, p. 88.

3. Cf. Cic. de nat. deor. III, 33, 82. Diod. Sic. exc. Vatic. 42. p. 34. Mai. T. III, p. 36 Dind. Diog. Laert. IX, 26. Suid. u. *Ζήνων*. alii.

Eiusdem nominis) Cum octo omnino fuerint Zenones (Diog. Laert. VII, 35.), Valerius hoc loco nobilissimum praeter Eleaten illum Citieum, stoicae philosophiae conditorem in mente habuisse uidetur. Sed summus reliquorum scriptorum consensus hoc factum eidem Eleatae tribuit, de quo praecedenti exemplo relatum erat, ita ut dubitari nequeat quin Valerius nominis communione deceptus male duobus diuersis assignauerit Zenonibus quae unius erant.

a Nearcho) Demylum hunc tyrannum appellant Plut. de stoicorum repugn. 37, p. 1051 C. id. adu. Colot. 32, p. 1126 D. Clemens Alex. IIII strom. p. 213 Sylb.; Dionysium uocat Tertullianus in fine apolog.

aurem eius morsu corripuit, nec ante dimisit quam et ipse uita et ille parte corporis priuaretur.

Talis patientiae aemulus Anaxarchus, cum a tyranno Cy- 4.
priorum Nicocreonte torqueretur nec ulla ui inhiberi posset quo minus eum amarissimorum maledictorum uerberibus inuicem ipse torqueret, ad ultimum amputationem linguae minitanti 'Non erit', inquit, 'effeminate adulescens, haec quoque pars corporis mei tuae ditionis'; protinusque dentibus abscisam et conmanducatam linguam in os eius ira patens expuit. Multorum aures illa lingua et in primis Alexandri regis admiratione sui adtonitas habuerat, dum terrae condicionem, habitum maris, siderum motus, totius denique mundi naturam prudentissime et facundissime expromit. Paene tamen occidit gloriosius quam uiguit, quia tam forti fine inlustrem professionis actum conprobauit, Anaxarchique non uitam modo *non* deseruit sed mortem reddidit clariorem.

---

1. arripuit *Par.* || 2. corporis parte *Torr.* || 3. aemilus *B.* || ciprorum *E.* || 4. Nicocreonte] *litterae* nico *in rasura A.* meocretonte *B.* incocredonte *pr. C, sed litt.* d *eras.* nicocretonde *D.* nichocreonte *E.* incocreunte *Γ. add.* I. P. nicocreonte in pilam coniectus tunderetur follem inquit anaxarchi feris *margo A.* || 5. amarissimorum eum *Torr.* || ipse *om. C.* || 7. o effeminate *E.* || 8. dicionis *corr. C.* || 9. iram patientis *D.* || 11. ambitum *E.* || 13. exprompsit *corr. A, Torr.* || 15. modo uitam *E.* || non deseruit] non *om. A B C E Γ Torr. et pr. D.* || reddit *C.*

---

4. Plinius VII h. n. uolumine, in quo libro saepissime Valerium excerpsit, c. 23, Philo Iudaeus, Diogenes Laertius IX, 59 cum hoc auctore faciunt. Plutarchus contra de garrulit. 8. p. 13. Reisk. et adu. Colot. l. c. Suidas u. *Ζήνων*, ipse Diogenes Laert. IX, 26 hoc fortitudinis exemplum eidem Zenoni Eleatae, Ammianus Marcellinus XIIII, 9 Zenoni stoico ascribit. Iulius autem Paris a Valerio discedens notiorem illam famam hoc loco secutus est, qua Anaxarchus, cum a Nicocreonte tyranno in pilam coniectus tunderetur, uociferatus esse fertur 'Tunde, tunde Anaxarchi follem; Anaxarchum ipsum non feris'. Cf. Diog. Laert. IX, 59. Plut. de uirt. morali p. 449 F. Clem. Alex. strom. IIII, p. 213 Sylb. Ouid. Ibid. 573. Tertull. in fin. apolog. alii. Sed hanc quoque historiam ad Zenonem retulit Suidas l. c.

non uitam modo) Libri manuscripti et impressi *non modo uitam deseruit sed mortem reddidit clariorem.* Quae cum uitiosa sint, Perizonius deleto *modo*, Torrenius addito *eo* ad hoc uocabulum sententiam hanc effecerunt, linguam Anaxarchi non tam uitam eius (eo modo) deseruisse quam mortem clariorem reddidisse. Quod ut concedam ita exprimi potuisse, uerba tamen *non uitam (eo modo) deseruit* certe ad id, quod proprie demonstrandum erat, gloriosae illius linguae uigore gloriosiorem finem fuisse, nihil omnino faciunt. Cuius rei pro argumento cum recte positum sit, quod lingua illustrem professionis actum tam forti fine comprobasset, in eadem sententia haec fere sequi debebant, eam non modo uitae Anaxarchi sed, quod maius putatur, ne morti quidem defuisse, immo hanc reddidisse clariorem. Itaque omnino inserenda erat altera negatio ante *deseruit*, quae post praecedens *non* et post *modo* excidere facile quidem potuit, subintellegi in hoc nexu neutiquam potest, cum ea negandi particula non nisi ex altero membro per *sed* cum negatione

5. In Theodoto quoque, uiro grauissimo, Hieronymus tyrannus tortorum manus frustra fatigauit. Rupit enim uerbera, fidiculas laxauit, soluit eculeum, lamminas extinxit prius quam efficere potuit ut tyrannicidii conscios indicaret. Quin etiam satellitem, in quo totius dominationis summa quasi quodam cardine uersabatur, falsa criminatione inquinando fidum lateri eius custodem eripuit, beneficioque patientiae non solum quae occulta fuerunt texit sed etiam tormenta sua ultus est. Quibus Hieronymus, dum inimicum cupide lacerat, amicum temere perdidit.

6. Apud Indos uero patientiae meditatio tam obstinate usurpari creditur ut sint qui omne uitae tempus nudi exigant, modo Caucasi montis glaciali rigore corpora sua durantes, modo flammis sine ullo gemitu obicientes. Atque his haud parua gloria contemptu doloris adquiritur titulusque sapientiae datur.

1. theodoro *BE et litteris* ro *in rasura C, Torr.* theodero *D.* || hieronimus *A.* || 2. frustra] *ante* tortorum *Torr.* || fidicula *A.* || 3. laminas *BCDEΓ Torr.* || extinsit *in rasura B.* || 4. tyrannici odii *C.* || 8. hieronimus *A.* || inimicum dum *C.* || 10. hindos *A.* || 11. omni *A.* || causaci *Γ.* || 12. glaciali] gladia *pr. A.* gelido *BCDEΓ.* || 13. his] *post* parua *Torr.* || haud parua] *in rasura A.* parua haut *BD.* parua haud *C.* || gloria contemptu] *in rasura A.* || 14. adquiritur] *add.* I. P. gynosophistae uocantur *margo A.* || titulusque — datur *om. Γ.*

formato *(non modo — — sed ne — quidem* uel *sed uix)* repetenda subaudiatur. Cf. Madu. gramm. §. 471 not. b. p. 427. Drak. ad Liu. XXV, 26, 10. Nam in quibus *non modo,* sequente *sed* cum affirmatiua sententia, pro *non modo non* positum arbitrabantur grammatici, haec fere aliam excusationem habent, ut Liuii IIII, 21, 6, ubi sane alterum *non,* quod est in codicibus Parisino et Mediceo ante *exiret,* recte delendum censuit Alchefskius. Similiter prorsus auctor belli Africani 47, 4 composuit *non modo sibi quicquam adquisierant aut parauerant, sed etiam propter annonae caritatem ante parta consumpserant,* quo loco miror Nipperdeium meum retinuisse negationem *non* ante *adquisierant,* alienam a codd. Parisino secundo et Leidensi primo. Cf. Liu. XXIIII, 40, 12. Alia uitiose scripta a grammaticis citantur, ut Cic. post red. ad Quir. 4, 9 (cl. post red. in sen. 15, 38;), ad Att. II, 1, 2. Singularia sunt Varronis exempla in IX de ling. Lat. §§. 7 et 14 ed. Müll. Cf. etiam Beier ad Cic. de off. 1, 21, 71. Hoc loco alteram negationem post *modo* in recentiore nescio quo libro, nam de Cauchiano ualde dubito, inuentam, iam Pighius recipiendam esse censuerat, cui parum recte oblocutus est Vorstius, quod in hac dicendi figura *etiam* post *sed* omitti non posse contenderet, oblitus Valerii III, 7, 6 *(non solum eum non summouit sed insuper locum ei in tribunali adsignauit.)* et Cornelii Nepotis Dion. 8 *(hac religione non modo non deterritus sed ad maturandum concitatus est.)* Obiter Kappii errorem commemoro ceteris grauiorem, quo supra uu. *illa lingua* sexto casu posita et cum Pighio *Anaxarchusque* legendum putabat, cum Valerius plane ex more suo Anaxarchi laudem ab ipso homine ad rem ei homini adiunctam transtulerit. Cf. III, 1, 3. I, 8, ext. 14. Multo insolentiora ex eodem genere castigaui in praef. p. 38.

5. Cf. Liu. XXIIII, 5.

lamminas) Sic codex Bernensis hoc loco; neque aliud est quod habet VI, 8, 1, *candentibus etiam lamis ustus.* Atque rectius ita scribi docuit Lachmannus ad Lucret. III, 1017 p. 205.

6. Cf. Cic. Tusc. V, 27, 77. Plin. h. n. VII, 2, 2 et ex eo Solin. c. 52.

Haec e pectoribus altis et eruditis orta sunt, illud tamen 7.
non minus admirabile seruilis animus cepit. Seruus barbarus Hasdrubalem, quod dominum suum occidisset grauiter ferens, subito adgressus interemit, cumque conprehensus omni modo cruciaretur, laetitiam tamen, quam ex uindicta ceperat, in ore constantissimo retinuit. Non ergo fastidioso aditu uirtus excitata [uiuida] ingenia ad se penetrare patitur, neque haustum sui cum aliquo personarum discrimine largum malignumue praebet, sed omnibus aequaliter exposita, quid cupiditatis potius quam quid dignitatis attuleris aestimat, inque captu bonorum suorum tibi ipsi pondus examinandum relinquit, ut quantum subire animo sustinueris, tantum tecum auferas.

Quo euenit ut et humili loco nati ad summam dignitatem IIII.
consurgant et generosissimarum imaginum fetus in aliquod reuoluti dedecus acceptam a maioribus lucem in tenebras conuer-

---

2. admirabile] *add.* quod *D Torr.* || seruili *D.* || 4. conpressus *ABC. add.* I. P. laetitiam uindictae risu testatus est *margo A.* || 5. laetitia *C.* || in ore] mori *C.* || 7. uiuida] *sine uncis post* ingenia *Torr.* || suae *D.* || 9. potius — (10.) dignitatis *om. E.* || 10. extimat *EΓ.* || 11. reliquit *D et in rasura A.* || 12. afferas *B.* aferas *D. add. noui capitis inscriptionem,* De humili loco natis qui clari euaserunt *Torr.* || 13. Quo euenit] quo uenit *E et pr. A et corr. C.* quae uenit *pr. C.* Quo saepe euenit *Torr.* || 14. fetus] *sic A. Vid. Lachm. ad Lucr. p.* 271. || reuoluti] *post* dedecus *Γ.* deuoluti *corr. A.*

Lucian. fugitiu. 7 et de morte Peregrin. 25, III, p. 369 et 348 ed. Reitz. Strabo XV, p. 686, alii.

7. Cf. Liu. XXI, 2. Iust. XLIIII, 5.

excitata [uiuida] ingenia) Vulgo sine sensu edebatur *Non ergo fastidioso aditu uirtus excitata, ingenia uiuida ad se penetrare patitur.* Vnde Lipsius plenius distinguens post *uirtus* fecit *Excitata ingenia ac uiuida,* Vorstius *excitata ac uiuida ingenia.* Librorum scripturam *excitata uiuida* erunt fortasse qui ferendam existiment, *excitata* magis participii quam adiectiui uim habere et pro *cum excitata sunt* dictum esse statuentes. Quibus non assentior. Nam cum ea sola ingenia excitentur, quae uiuida sunt, nec uiuida sint nisi quae excitantur, inepte Valerius ea tantum uiuida ingenia, quae excitantur, ad uirtutem penetrare dixisset. Itaque sane aut inter utrumque adiectiuum copula inserenda aut, quod et probabilius fit et melius, alterutrum delendum erat, sicut uisum est Tollio. Suspicor *uiuida* ex interpretatione praecedentis uocabuli ortum esse. Pessime omnium Kappius, quod nonnulli codices *inuida,* alii *inuidia* exhiberent, legere maluit *excitata inuidiâ ingenia,* 'quale habuerit seruus barbarus', tamquam inuidiae praecipuus ad uirtutem aditus esset.

tant. Quae quidem planiora suis exemplis redduntur. Ac prius de his ordiar, quorum in meliorem statum facta mutatio splendidam relatu praebet materiam.

DE HIS QVI HVMILI LOCO NATI CLARI EVASERVNT.

1. Incunabula Tulli Hostili agreste tugurium cepit; eiusdem adulescentia in pecore pascendo fuit occupata; ualidior aetas imperium Romanum rexit et duplicauit; senectus excellentissimis * decorata in altissimo maiestatis fastigio fulsit.

2. Verum Tullus etsi magni et admirabilis incrementi, domesticum tamen exemplum est. Tarquinium autem ad Romanum imperium occupandum fortuna in urbem nostram aduexit, alienum, quod † exactu, alieniorem, quod ortum Korintho, fastidiendum,

---

1. redduntur] *ante* exemplis *Γ*. reddentur *Torr.* || de his prius *Γ*. || 2. statutum *pr. C.* || acta *Torr.* || 3. relatui *coni. Periz.* || 4. *Inscriptionem k. l. om. Torr.* || DE HIS *om. DEΓ.* || De humili loco natis qui clari euaserint *C.* || 5. tullii *DΓ Par.* || 7. romanum imperium *Γ.* || excellentissimis] *add.* ornamentis *E, corr. D. margo A, Torr.* || 9. Verum — (10.) exemplum est *om. Γ.* || tullius *D.* || magni et] magnus *ABCD.* magnus et *Torr.* || 10. tarquinum *D.* || autem] *om. Γ. add.* Priscum *Torr.* || 12. quod] quidem *B.* || exactu alieniorem quod *om. Torr.* || exactum *BΓ et corr. C.* || alienorum *A.* || artum *pr. A.* || horintho *A.*

IIII, 1. *Incunabula Tulli)* Haec unde hauserit Valerius nescio. Insigniter enim ab eo discrepant Liu. I, 22 et Dion. Hal. III, 1. At de obscuro certe Tulli genere cum hoc scriptore consentire Aelianum XIIII u. h. 13 animaduertit Perizonius.

excellentissimis) Sententiae unius, ut uidetur, uocabuli defectu mancae bene succurrit corrector libri Bernensis supplendo *ornamentis*. Quem secuti sunt recentiores et librarii et grammatici. Notaui archetypi lacunam.

2. Cf. Cic. Tusc. V, 37, 109. Liu. I, 34 et sqq., IIII, 3. Dion. Hal. III, 46. Flor. I, 5. Auct. de uir. ill. 6. Tabul. Lugdunens. I.

magni et admirabilis) Archetypus codex *magnus admirabilis*, quod uulgo emendarunt inserta copula *et*. Verum ad rem parum pertinuit Tullum magnum fuisse; magnum euasisse dici oportebat. Quapropter *magnus* e *magni et* ortum esse credo, idque codicem alterum Guelferbytanum secutus reuocaui.

alienum quod † exactu) Sic optimi codices, alii addita lineola *exactum*, quod tamen et ipsum uitiosum est. Concedamus enim Valerium aut errasse aut minus accurate locutum esse de expulso Tarquinio, quem sua sponte Tarquinios reliquisse, ut Romam transmigraret, satis constat; num uero ideo Romae alienus, quia exactus erat? Vix crediderim, sed quia peregrinus. Et si eam ob causam alienus dici potuerit, quaenam tandem haec comparatio est, quod alienior perhibetur propter originem Graecam quam propter exilium? Quae prauitates omnes remouentur audaci quidem sed egregia prorsus coniectura Perizonii, qui margini libri sui ascripsit 'an *Etruscum*'? Erat enim Etruscus Tarquinius, Tarquiniensi matre natus, patre ne Italicae quidem originis. Reddiderit autem Valerius uerbis *alienum quod Etruscum, alieniorem quod ortum Korintho* Liuii sententiam (I, 40, 2), regnasse eum Romae aduenam *non modo ciuicae sed ne Italicae quidem stirpis*. Cf. etiam Liu. IIII, 3, 11. Probauit Perizonii diuinationem Torrenius. Kappius nimirum ad Pighii recurrit temeritatem, qui Valerii uerba, confiteor non lepidissima, licentius quam par erat

quod mercatore genitum, erubescendum, quod etiam exule [Demarato] natum patre. Ceterum tam prosperum condicionis suae euentum industria sua pro inuidioso gloriosum reddidit. Dilatauit enim fines, cultum deorum nouis sacerdotiis auxit, numerum senatus amplificauit, equestrem ordinem uberiorem reliquit, quaeque laudum eius consummatio est, praeclaris uirtutibus effecit ne haec ciuitas paenitentiam ageret, quod regem a finitimis potius mutuata esset quam de suis legisset.

In Tullio uero fortuna praecipue uires suas ostendit, uernam huic urbi natum regem dando. Cui quidem diutissime imperium obtinere, quater lustrum condere, ter triumphare contigit. Ad summam autem unde processerit aut quo peruenerit statuae ipsius titulus abunde testatur, seruili cognomine et regia appellatione perplexis. 3.

---

1. mercatore] mercare *pr. A.* in arta re *DΓ. add.* Demarato *Torr.* || extule *pr. A.* || demorato *ABCDE.* demoratho *Γ. om. h. l. Torr.* || 2. natum patre] *om. Torr.* patre natum *Γ.* || 3. euentu *corr. A.* || industria sua] industriosum *ABCDE.* || pro indiuiso *C et pr. A.* pro inuiso et pro inuidioso *E.* || 4. enim] *add.* R' ppl'i *E.* imperii *add. Torr.* || noui sacerdoti *BC et pr. A.* noui sacerdotii creatione *E.* || auxit numerum senatus *om. E.* || 5. quodque *in rasura C.* || 8. mutata *pr. E.* || 9. §. 3. *om. Γ.* || In Tullio uero] In tullio uero seruio *corr. D.* in tullo uero *E.* In Seruio autem Tullio *Torr.* || 11. lust⁹ *B.* || condere ter] conderetur *A.* || 12. autem] aut *BC et ultima littera in rasura A.* || 14. perplexus *corr. C. Torr.*

---

e pessimis quibusdam libris ita mutilauerat, *alienum, quod ortum Corintho; fastidiendum, quod mercatore Demarato genitum; erubescendum quod etiam exule.*

[*Demarato*] *natum patre)* Incommode hoc demum loco patris nomen apponitur, cum ipse paulo ante iam commemoratus sit. Nec omnino uiri nomen desideratur, cuius condicionem tantum intererat nosse. Assentior igitur Kappio, qui Demarati significationem a docto quodam librario adiectam et ita in Valerii uerba intrusam esse opinabatur. Sed iam Perizonius e codice suo deleri eam uoluerat.

industria sua) Eximie ita archetypi mendum correxit abbreuiator Guelferbytanus siue Pighii codex Cauchianus, quem merito secutus est Vorstius, probantibus Perizonio et Torrenio. Hic quidem recte exposuit industria Tarquinii effectum esse ut, postquam fortuna ad regnum eum prouexisset, prosper ille condicionis euentus, qui in aliis inuidiosus esse soleret, in hoc fieret gloriosus. Laudat autem hanc Tarquinii industriam Florus I, 5, 1.

3. Cf. Liu. I, 39. IIII, 3. Dion. Hal. IIII, 1. Flor. I, 6. Auct. de uir. ill. 7.

perplexis) Edebatur uulgo *perplexus.* Sed rectum puto quod libri exhibent, *perplexis.* Videtur enim auctor hoc participium primaria ac propria notione posuisse pro eo quod conexum, conuolutum et ita permixtum est. Cf. Plin. h. n. IX, 2, 1, *etiam monstrifica reperiuntur perplexis et in semet aliter atque aliter nunc flatu, nunc fluctu conuolutis seminibus atque principiis.* Auct. de praen. 2. Erant autem in statuae illius titulo, SER. TVLLIVS REX, conexae et permixtae seruilis appellatio in praenomine Seruio, (quod parum accurate cognomen dixit; cf. tamen Dion. l. c.) Seruii enim dicti credebantur qui matre seruiente geniti erant, et regiae dignitatis significatio.

4. Miro gradu Varro quoque ad consulatum macellaria patris taberna conscendit. Et quidem fortuna parum duxit sordidissimae mercis capturis alito duodecim fasces largiri, nisi etiam L. Aemilium Paulum dedisset collegam. Atque ita se in eius sinum infudit ut, cum apud Cannas culpa sua uires populi Romani exhausisset, Paulum, qui proelium committere noluerat, occidere pateretur, illum in urbem incolomem reduceret. Quin etiam senatum gratias ei agentem, quod redire uoluisset, ante portas eduxit, extuditque ut grauissimae cladis auctori dictatura deferretur.

5. Non paruus consulatus rubor M. Perpenna, utpote qui consul

1. quoque] *ante* gradu *Torr.* || a macellaria *D.* ex macellaria *Γ et corr. C, Torr. Vt nos Par. Vid. ad I*, 5, 1. || 2. tabernacula.*pr. B.* || Et quidem] equidem *ABCDE.* || parui, *sed* ui *in rasura D.* || 3. salito *pr. A.* sallito *corr. A.* solito *BCE.* || 4. m. emilium *E.* || 5. infidit *pr. A.* || 6. paulum quiq. *pr. A.* paulumque qui *BCE et pr. D.* paulum quoque qui *corr. D.* || praelium *pr. A. post* com mittere *E.* || uoluerat *D.* || 7. incolumem *BCDΓ Torr. et corr. A, et ante* in urbem *E.* || 9. extulitque *BD.* excuditque *E.* || auctore • *pr. A.* actori *D.* auctori etiam *Torr.* || 11. §. 5. *om. Γ.* || robor *pr. A.* robur *D.* || perpennae *A.* perpenne *BDE et ultima litt. in rasura C.* Perperna *Torr. Sed* Perpenna *est etiam Paridi. Vid. ad VIII*, 13, 4. || qui] quam *pr. A.*

4. Cf. Liu. XXII, 25.

5. *M. Perpenna)* De M. Perpenna consule ante quam ciue et de patre eius, tamquam peregrino Roma expulso praeter Valerium nemo ueterum scriptorum retulit. Omnibus autem, quae noua prodiderit auctor, quam caute fides habenda sit insigni exemplo hic locus demonstrat. Etenim Papia lex teste Dione Cassio XXXVII, 9, p. 33. a C. Papio lata est a. u. c. 689 L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato consulibus. Quae temporis definitio bene conuenit cum Ciceronis uerbis (de off. III, 3.) *qui peregrinos urbibus prohibent eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper.* Cf. ind. leg. in Orell. onom. Tull. p. 224. Iam uero M. Perpenna consul erat a. 624, tot annis ante legem Papiam, ut ea quidem pater Perpenna damnari non potuerit. Accedit quod aperte Cassius Dio peregrinos Italiam incolentes hac lege exceptos fuisse scribit quodque Sabelli post Marsicum bellum omnino non erant inter peregrinos. Itaque Manutius ad Cic. de leg. agr. I, 4. pro Arch. 5 et Sigonius I emend. 10, ut Valerium defenderent, duas leges Papias fuisse prioreque earum damnatum esse Perpennam statuerunt. Sed refragatur cum ceterorum scriptorum tum Ciceronis de altera hac lege silentium. Quae cum ita se habeant, non improbabiliter Vorstius suspicabatur Papiam legem a Valerio cum Iunia esse confusam, quam tulit M. Iunius Pennus tr. pl. a. u. c. 627. Cf. Cic. de off. et pro Arch. ll. cc. Festus u. res publica. p. 286 Müller. Ind. leg. in Orell. onom. p. 198 sub *Lex Iunia de peregrinis.* Eandem confusionem Pighius, ut solet, librariorum culpae tribuerat. Praeterea Valerius in eo quoque fallitur, quod Perpennam triumphasse refert. Nam Velleius II, 4 et alii uictum quidem Aristonicum scribunt a Perpenna, sed in triumpho ductum a M'. Aquilio. Ille uero e prouincia decedens ante triumphum diem obiit supremum. Cf. Fasti Capit. a. 627. Iustin. XXXVI, 4. Strab. XIIII. p. 646. Eutrop. IIII, 20. Oros. V, 10. Nam quod Sigonius auctorem ad eum triumphum respexisse opinatur, quem confecto in Sicilia bello seruili duxerit, aeque fallitur, cum ne uerbo quidem Valerius attigerit illud bellum et secundum Flori (III, 19, 9) auctoritatem, in qua sola niti uidetur uir doctissimus, Perpenna spreto triumphi honore,

ante quam ciuis, sed in bello gerendo utilior aliquanto rei publicae Varrone imperatore. Regem enim Aristonicum cepit Crassianaeque stragis punitor extitit; cum interim, cuius uita triumphauit, mors Papia lege damnata est. Namque patrem illius, nihil ad se pertinentia ciuis Romani iura conplexum, Sabelli iudicio petitum redire in pristinas sedes coegerunt. Ita M. Perpennae nomen adumbratum, falsus consulatus, caliginis simile imperium, caducus triumphus, aliena in urbe inprobe peregrinatus est.

Marci uero Porci Catonis incrementa publicis uotis expe- 6.
tenda fuerunt, qui nomen suum Tusculi ignobile Romae nobilissimum reddidit. Ornata sunt enim ab eo litterarum Latinarum monumenta, adiuta disciplina militaris, aucta maiestas senatus, prorogata familia, in qua maximum decus posterior ortus est Cato.

Sed ut Romanis externa iungamus, Socrates, non solum Ext. 1.
hominum consensu uerum etiam Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, Phaenarete matre obstetrice et Sophronisco patre marmorario genitus, ad clarissimum gloriae lumen excessit. Neque immerito; nam cum eruditissimorum uirorum ingenia in disputatione caeca uagarentur, mensurasque solis ac lunae et ceterorum siderum loquacibus magis quam certis argumentis explicare conarentur, totius etiam mundi habitum conplecti auderent, primus ab his indoctis erroribus abductum animum suum intima condicionis humanae et in secessu pectoris repositos adfectus scrutari coegit. Si uirtus per se ipsam aestimetur, uitae magister optimus.

---

1. aliquantum *pr. C.* || 2. crassianaeque *in rasura A.* || 4. patrem] *add.* I. P. pater eius Sabellus genere *margo A.* || ad se nihil *E.* || 6. Perpernae *Torr.* || 7. falsi *D.* || 12. monimenta *DEΓ.* || militari *E.* || 13. est ortus *Torr.* || 16. etiam] et *E.* || 17. phanarete *ABCDΓTorr.* phanacede *E. Vt nos Par. Cf. Plat. Theaet. p.* 149 *A.* || sophonisco *ABCEΓPar.* sophronio *D. Cf. Plat. Alcib. prim. p.* 131 *E. Diog. Laert. II,* 18. || 18. lumen] *ante* gloriae *Torr. post* excessit *E.* || 19. Neque — (26.) optimus *om. Γ.* || 20. ac] et *(B) Torr.* || 22. ambitum *ETorr. Cf. III,* 3, *ext.* 4. || 23. doctis *coniecit Lipsius.* || suum *om. Torr.* || 24. in intima *ABCDE. Correxit Pighius e cod. Campensi.* || et] ac *Torr. Vid. ad III,* 2, *ext.* 6. || 25. ipsa *A.*

---

ne eius dignitatem seruili inscriptione uiolaret, ouatione contentus urbem ingressus sit. Sed errat ipse Florus Perpennam confundens cum P. Rupilio, quem seruile bellum confecisse constat. Cf. Val. VI, 9, 8.

6. *adiuta disciplina militaris)* Cf. Gell. VII, 4. Veget. I, 8. Prisc. VII, p. 760 P. Fest. pp. 214, 253, 306, 344. ed. Müll.

Ext. 1. Cf. Plat. Theaet. p. 149 A. Diog. Laert. II, 18. Suid. u. Σωκράτης.

2. Quam matrem Euripides aut quem patrem Demosthenes habuerit ipsorum quoque saeculo ignotum fuit. Alterius autem matrem *holera*, *alterius patrem* cultellos uenditasse, omnium paene doctorum litterae locuntur. Sed quid aut illius tragica aut huius oratoria ui clarius? 5

QVI A PARENTIBVS CLARIS DEGENERAVERVNT.

V. Sequitur duplicis promissi pars adopertis inlustrium uirorum imaginibus reddenda, quoniam quidem sunt referendi qui ab earum splendore degenerauerunt, taeterrimis ignauiae ac nequitiae sordibus inbuta nobilia portenta. 10

1. Quid enim monstro similius quam superioris Africani filius Scipio, qui in tanta domestica gloria ortus, a paruulo admodum regis Antiochi praesidio capi sustinuit, cum ei uoluntaria morte absumi satius fuerit quam inter duo fulgentissima cognomina patris et patrui, altero [maiori] oppressa Africa iam parto, altero 15

1. euripidis *A.* || 2. ignotum] *add.* non *D.* || alterius autem matrem cultellos *(omissis reliquis) BEΓ et pr. AC.* alterius enim patrem holera alterius autem patrem cultellos *partim in rasura, partim in margine A.* alterius autem matrem olera alterius autem patrem cultellos *D et corr. C.* || 3. uendicasse *B.* || 4. loquuntur *corr. A.* || tragica] *ante* illius *E.* tragici *pr. B.* || 6. Qui a praeclaris parentibus degenerarunt *Torr.* || 7. uiuorum *A.* || 8. referenda *BDΓTorr.* || qui] *ultima littera in rasura A.* quae *BDΓTorr.* || 9. teterrimis *(A.)* || 10. imbuti *E.* || 12. a paruulo — (*p.* 281, 5.) Idem] *om. Γ.* || 13. anthioci *pr. A.* anthiochi *corr. A. Cf. III,* 7, 1. antiochis *C.* || 14. adsumi *pr. A.* assumi *B.* || 15. maiori] maior *B.* maiora *pr. C.* maiore *E. om. Torr.* || parto] parte *D.* || altero] *add.* iam *Torr.*

2. *matrem Euripides)* Cf. A. Gell. XV, 20. Aristoph. Acharn. 475. Schol. ad Equit. 19. Suidas non uerum esse ait matrem eius holera uendidisse, sed nobilissimo eum genere fuisse auctore Philochoro refert.

patrem Demosthenes) Cf. Plut. Dem. 4. Iuu. sat. X, 130.

Alterius autem matrem) In omnibus melioris notae libris, quamuis de defectu ne uerbum quidem adnotauerint priores Valerii editores, haec tantum legebantur, *alterius autem matrem cultellos uenditasse.* Quae si comparaueris cum Paridis huius exempli compendio, *Euripidis mater holera uendebat. Demosthenis pater cultellos uenditabat*, apparebit excidisse quae supra cursiua scriptura distinxi, quia librarius a uoce *matrem* ad similem terminationem in *patrem* aberrauit.

1. Cf. Liu. XXXVII, 34 et 37. App. Syr. 29 p. 75. Auct. de uir. ill. 54.

altero [maiori]) *maiori*, cum locum omnino non habeat, recte iam in uulgatis exemplis deletum est. Videtur autem in margine antiqui cuiusdam libri pro uaria scriptura appositum fuisse ad comparatiuum illum, qui sequitur,

maiore ex parte recuperata Asia surgere incipiente, manus uinciendas hosti tradere, eiusque beneficio precarium spiritum obtinere, de quo mox L. Scipio speciosissimum deorum hominumque oculis subiecturus erat triumphum!

Idem praeturae petitor candidam togam adeo turpitudinis maculis obsolefactam in campum detulit ut, nisi gratia Cicerei, qui patris eius scriba fuerat, adiutus esset, honorem a populo inpetraturus non uideretur. Quamquam quid interfuit utrum repulsam an sic adeptam praeturam domum referret? Quam cum propinqui ab eo pollui animaduerterent, id egerunt ne aut sellam ponere aut ius dicere auderet, insuperque e manu eius anulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt. Dii boni, quas tenebras e quo fulmine nasci passi estis!

Age Q. Fabi Maximi Allobrogi*ci*, et ciuis et imperatoris 2.
clarissimi, filius Q. Fabius Maximus quam perditam luxuria ui-

1. maiori *D.* || recuperati *C et pr. A.* || incipienti *D.* || iniciendas *D.* || 2. praeclarem *C.* || 3. pretiosissimum *C.* || 5. Idem praeturae] *add.* I. P. titulum insequen..s paginae hoc loco habet *margo A. Praemisit enim Par. huic exemplo proximi capitis inscriptionem* Qui sibi licentius quam mos patrius permiserat indulserunt, *et hoc caput cum insequenti in unum coniunxit.* || turpibus *Par. et in rasura A.* || 6. obsole * tam (tam *in rasura*) *A.* obsoletam *Par.* absolefactam *D.* || citherei *E.* || 11. ponere *om. pr. E.* || insuper quia anulum e manu eius sculptum affricani capud erat *E.* || 12. erat sculptum *Γ.* || 13. ex quo *Torr.* || 14. age que fabi *C.* || allobrogi *ABCDΓ. add.* I. P. allobrogis *margo A e Par.* alobrogis *E. Cf. VI.* 9, 4. || 15. filiusque fabius *C.*

maiore, aut interpretationis gratia, ut prius *altero* intellegeretur de superiore Africano. Ita spurium uocabulum facile poterat inter genuina sedem occupare.

Idem praeturae) Si Valerio IIII, 5, 3 fidem habemus, Gnaeus is erat Scipio. Dubitatur autem de praenomine, cum Pighius causis non sane improbabilibus eundem hunc esse suspicatus sit atque illum L. Cornelium Scipionem praetorem, quem Liuius XLI, 27, cum iuris dictionem inter ciues et peregrinos habuisset, a censoribus Q. Fuluio Flacco et A. Postumio Albino de senatu motum esse narrat. Quod mihi quoque ita uidetur. Miratur quidem Torrenius Valerii silentium, quod is grauiorem hanc ignominiam increpandique materiam tam in propinquo oblatam non praetermissurus fuerit. At facillime fieri potuit ut Valerium, parum diligentem et accuratum antiquitatis perscrutatorem, haec de censoria animaduersione notitia fugeret. Neque etiam hic, de quo agitur, cum P. Scipione, superioris Africani filio Scipionisque Aemiliani patre adoptiuo, confundendus est, quem Velleius I, 10, 3 nihil ex paterna maiestate praeter speciem nominis uigoremque eloquentiae retinuisse, Cicero Cat. mai. 11, 35 infirma admodum ualitudine usum esse scribunt. Ceterum notabiliter Appianus quoque l. c. errauit, cum hunc Scipionem, captum a rege Antiocho, eundem putaret atque Aemilianum, qui postea Karthaginem cepit.

2. *filius Q. Fabius Maximus)* Hunc significari a Cicerone Tusc. I, 33, 81, cum diceret Africani fratris nepotem uita omnium perditorum ita similem, ut esset facile deterrimus, recte obseruauit Perizonius. Erat enim Q. Fabius Maximus Allobrogicus filius Q. Fabii Maximi Aemiliani, hic filius L. Aemilii Pauli et frater P. Cornelii Scipionis Aemiliani. Cf. Liu. epitom. libr. LXI. Vell. I, 10,

tam egit! Cuius ut cetera flagitia oblitterentur, tamen abunde illo dedecore mores nudari possunt, quod ei Q. Pompeius praetor urbanus paternis bonis interdixit, neque in tanta ciuitate qui illud decretum reprehenderet inuentus est. Dolenter enim homines ferebant pecuniam, quae Fabiae gentis splendori seruire debebat, flagitiis dissici. Ergo quem nimia patris indulgentia heredem reliquerat publica seueritas exheredauit.

3. Possedit fauorem plebis Clodius Pulcher, adhaerensque Fuluianae stolae pugio militare decus muliebri imperio subiectum habuit. Quorum filius Pulcher, praeterquam quod eneruem et frigidam iuuentam egit, perdito etiam amore uulgatissimae meretricis infamis fuit, mortisque erubescendo genere consumptus est. Auide enim abdomine deuorato foedae ac sordidae intemperantiae spiritum reddidit.

4. Nam Quinti quidem Hortensi, qui in maximo et ingenuorum

1. obliterentur *(A.)* oblitarentur *E.* || habunde *Γ.* || decore illo *E.* || 2. Q. Pompeius] *add.* I. P. similiter *margo A.* || 4. inuectus *pr. A.* || 6. dissiti *pr. D.* dissipari *(sed* pari *in rasura) B.* || Quem ergo *Torr.* || 7. exhereditauit *E.* || 8. §. 3. *om. Γ.* || fauorem plebis] fauoris *E.* || 9. fulbianae *AC.* || 11. prodito *C.* praedicto *E.* || 13. Abdomine enim auide *Torr.* || abdone *D.* || 15. §. 4. *om. Γ.* || Nam • q • • hortensi *A.* nam quamquam hortensii *B.* namque quidem hortensii *C.* Jam Q. quidem Hortensii *Torr. Vid. ad. I*, 6, 10.

et II, 10. Similem in patre Allobrogico adulescentulo nequitiam notauit Val. VI, 9, 4.

dissici) Geminatum *s* hoc loco et VIII, 14, ext. 5 in *dissiceretur* tantum non omnes efferunt libri eumque antiquorum auctorum non poetarum modo, ut productam indicarent syllabam, usitatissimum scribendi morem fuisse optimi quique codices mss. confirmant. Sic in Tac. ann. I, 65 codex Mediceus *dissicere* exhibet; *dissicerentur* e cod. Paris. sec. enotauit Nipperdeius bell. Alex. 63. *dissicere* e codicibus Parisino et Mediceo Alschefskius in Liu. II, 35. Cf. Mai. in itin. Alex. M. p. 62. Prisc. XIIII, p. 1002. Plaut. Curc. III, 54. Lucret. III, 639. Sil. Ital. IX, 538. Wagn. ad Verg. Aen. XII, 308.

3. *adhaerensque Fuluianae stolae)* Torrenius per *militare decus* ipsum insigniri putat Clodium, obnoxium Fuluiae, 'quod quae illa mulicbri et impotenti animo agitasset ui exequeretur, et quod, cum ipse uir militaris esset, uxori parere in animum induceret'. Quod acceperunt Helfrechtus et Hasius. Sed neque aliunde quicquam de militari gloria constat et uereor omnino num ita nude homo militare decus dici potuerit. Praeterea uersatur Valerius in laudandis Clodio et Fuluia, quibus degenerum opponit filium, cum interim Torrenii explicatio opprobrium potius et uiri et uxoris quam laudem contineat. Equidem e contortis et impropriis uerbis hanc enucleo sententiam, Fuluiam, uirilis animi feminam, militarem armorum decus sibi adrogasse imperioque suo subiecisse, quod perpetuo pugione cincta incederet. Posuit autem Valerius adiunctam rem, pugionem, pro persona subiecta et abstractam militaris decoris notionem pro concreta armorum, quod utrumque ex more fecit, quem castigaui in praef. p. 38, sed incommode, cum res iam eo redeat, ut pugio se ipsum mulicbri imperio subiectum habuisse dicatur. De uirili Fuluiae militia cf. Plut. Ant. 10. Flor. IIII, 5. Cass. Die XLVIII, 10.

filius Pulcher) Cf. Cic. ad Att. XIIII, 13, A 2 et B 4.

ciuium et amplissimorum prouentu summum auctoritatis atque eloquentiae gradum obtinuit, nepos Hortensius Corbio omnibus scortis abiectiorem et obsceniorem uitam exegit. Ad ultimumque lingua eius tam libidini cunctorum inter lupanaria prostitit quam aui pro salute ciuium in foro excubuerat.

Animaduerto in quam periculosum iter processerim. Itaque me ipse reuocabo, ne, si reliqua eiusdem generis naufragia consectari perseuerauero, aliqua inutili relatione implicer. Referam igitur pedem, deformesque umbras in imo gurgite turpitudinis suae iacere patiar. Satius est enim narrare qui inlustres uiri in cultu ceteroque uitae ritu aliqua ex parte nouando sibi indulserint. VI.

QVI EX ILLVSTRIBVS VIRIS IN VESTE AVT CETERO CVLTV LICENTIVS SIBI QVAM MOS PATRIVS PERMITTEBAT INDVLSERVNT.

P. Scipio, cum in Sicilia augendo traiciendoque exercitu in Africam opportunum quaerendo gradum Karthaginis ruinam animo uolueret, inter consilia ac molitiones tantae rei operam gymnasio dedit, pallioque et crepidis usus. Nec hac re segniores Punicis 1.

---

1. prouentũm *A.* || summum] *paenultima et ultima in rasura A.* summam *B.* || autoritatis *pr. D.* || atque] et *D.* || 4. tam] tantum *D.* || lupunaria *C.* || quantum *D.* || 5. aui] qui *E.* || 6. Animaduerto] *Inscriptionem noui cap.* De illustribus qui in ueste aut cetero cultu licentius sibi indulserunt *praemisit Torr.* || iter] *add.* si *D.* || 7. ipsum *BE.* || 8. consectati *C.* || 9. igitur] ergo *D.* || 10. patiar iacere *B.* || narrare quantam illustres uiri ex ãbitae uirtutis consciencia fiduciam sui conceperint. Liber III de fiducia sui. *sic, omisso hoc capite sexto, transit ad primum insequentis capitis exemplum T.* || 13. *Inscriptionem om. hoc loco Torr.* || QVI] De his qui *E.* || IN *om. C.* || AVT] *add.* in *CDE.* || 14. sibi licentius *CDE.* || permitteret *D.* || 15. indulserint *CD.* || 16. exercitu] *om. A, sed* exercitum *inserendum ante* augendo *suppleuit margo A. e Par. post* Africam *Torr.* || in *om. A B C.* || 17. kartaginis *A.* || 19. pallioque] palio *E.* || usus] *add.* est *(E) Torr.*

---

4. *Hortensius Corbio)* Maiorem hunc fratrem fuisse M. Hortensii Hortali, nepotis Q. Hortensii oratoris, de quo Tac. II ann. 37, magna cum similitudine ueri coniecit Drumannus III, p. 111, contra Lipsium et Waltherum, qui male eundem Hortalum putarunt atque Corbionem.

1. Cf. Liu. XXIX, 19. Tac. ann. II, 59.

traiciendoque exercitu) Haec dandi casu posita sunt, de quo in quarta declinatione littera *u* terminante dicam ad III, 7, 10.

pallioque et crepidis usus.) Coniunctionem duorum uocabulorum per *que*

exercitibus manus intulit, sed nescio an ideo alacriores, quia uegeta et strenua ingenia quo plus recessui sumunt hoc uehementiores impetus edunt. Crediderim etiam fauorem eum sociorum uberiorem se adepturum existimasse, si uictum eorum et sollemnes exercitationes conprobasset. Ad quas tamen ueniebat, cum multum ac diu fatigasset umeros et cetera membra militari agitatione firmitatem suam probare coegisset, consistebatque in his labor eius, in illis remissio laboris.

2. Lucii uero Scipionis statuam chlamydatam et crepidatam in Capitolio cernimus. Quo habitu uidelicet, quia aliquando usus erat, effigiem suam formatam poni uoluit.

3. Lucius quoque Sylla, cum imperator esset, chlamydato sibi et crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit.

4. Gaius autem Duellius, qui primus naualem triumphum ex Poenis retulit, quotienscumque epulatus erat, ad funalem cereum praeeunte tibicine et fidicine a caena domum reuerti solitus

---

2. recessus *DE Torr.* || 3. etiam *om. pr. E.* || 4. si uitam *in rasura A.* si ritum *D.* || 5. tamen] tum *Torr.* || 6. diutius *D.* || humeros *BCDE Torr. Vid. ad I.* 1, 11. || 9. clamidatam *et* 12. clamidato *pr. A.* clamyd. *corr. A. Cf. Lachm. ad Lucr. p.* 137. || 13. crepidato] *add.* habitu *margo D.* || 14. Gaglius *pr. E.* Gagius *corr. E.* || duelius *E.* Duilius *Torr. Vt nos etiam Par. Vid. ad VII.* 3, *ext.* 7. || prius *ABC. Vt nos etiam Par.* || 15. rettulit *Par.* || quotiescumque *pr. A.* quotiens *Par.* || epulaturus *ABCDE Torr.* || 16. praeeunte] *add.* I. P. praecinente *margo A.* || tubicine *E.* || cena *A.*

— *et*, qua antiquiores scriptores abstinuerunt, Cicero, Nepos, Caesar, Hirtius (cf. Nipperd, quaest. Caesar. p. 20.), non tamen poetae comici, quaque in conectendo pronomine et nomine plerumque usus est Sallustius (Iug. 26, 1. 55, 1. 76, 6. 91, 2. 104, 1; cf. Dietsch ad Iug. 6, 3, sed etiam inter alia uocabula Iug. 89, 7. fr. 197, 2), cur a Valerio alienam putem causa est nulla, praesertim cum recentiores scriptores inde a Liuio frequenter eam cum inter pronomen et nomen tum inter alia uocabula adhibuerint, et saepissime quidem ipse Liuius (cf. Drak. ad X, 30, 2), auctor belli Africani 72, 4 et 93, 3, Curtius IX, 3 (13), 22 et VIII, 4 (15), 15. Tac. ann. I, 4. XIIII, 31. et *que — atque* ann. IIII, 34. Itaque quamuis aliud Valerii exemplum non habeam, nam in iis, quae VII, 6, 1 leguntur, *Siciliamque et Sardiniam*, rectius nunc quam antea fieri solebat distinctis, totum enunciatum cum praecedenti per *que* coniungi patebit, non dubitaui expuncto *est*, quod uulgo inuitis codicibus edebatur post *eusus*, hanc dicendi formam in Valerio agnoscere. Scipionem autem in gymnasio cum maxime hoc uestitu indutum fuisse apparet e Liuii XXIX, 19.

2 et 3. Cf. Cic. pro Rab. Post. 10, 27.

4. Cf. Liu. epit. libr. XVII. Cic. Cat. mai. 13, 44. Flor. II, 2, 10. Sil. Ital. VI, 667. Auct. de uir. ill. 38.

epulatus erat) Codices omnes uno quasi ore *epulaturus*. At quam inepte sic a caena rediisse diceretur, quotienscumque epulaturus erat! Egregie nimirum Kappius explicat 'omnibus iis diebus, quibus conuiuia ad multam noctem trahere uellet'. Correxit mendum Perizonius, confirmat eius coniecturam Iul. Paris.

est, insignem bellicae rei successum nocturna celebratione testando.

Nam Papirius quidem Masso, cum bene gesta re publica 5.
triumphum a senatu non inpetrauisset, in Albano monte triumphandi et ipse initium fecit et ceteris postea exemplum praebuit, proque laurea corona, cum alicui spectaculo interesset, myrtea usus est.

Iam C. Marii paene insolens factum. Nam post Iugurthinum 6.
Cimbricumque et Teutonicum triumphum cantharo semper potauit, quoniam Liber Pater Indicum ex Asia deducens triumphum hoc usus poculi genere ferebatur, *ut* inter ipsum haustum uini uictoriae eius suas uictorias conpararet.

Marcus autem Cato praetor M. Scauri ceterorumque reorum 7.
iudicia nulla indutus tunica sed tantummodo praetexta amictus egit.

Sed haec atque his similia uirtutis aliquid sibi in consue- VII.
tudine nouanda licentiae sumentis indicia sunt. Illis autem, quae deinceps subnectam, quantam sui fiduciam habere soleat cognoscitur.

---

4. impetrasset *(E)Par. Torr.* || 7. mirte *B.* mirtia *D. add.* semper *E et corr. D. Torr.* || 8. Iam] item *E.* || q. marii *E.* || 9. cymbricumque *A.* cimbericumque *D.* || canthora *C.* || 10. quoniam] ꝙ *A.* quam *BC.* quod *DPar. Torr. add.* I. P. quod *margo A.* || inclitum *in rasura D.* iudicum *E.* || 11. ut *om. BC et pr. A.* || inter] per *D.* || 13. cato p̃tor m̃ scauri *in rasura A.* cato p. r. m. scauri *BCD.* || 14. iudicia — practexta *om. C.* || nullaque *E.* || amistus *C.* || 16. Sed haec — (19.) cognoscitur] *om. Γ. praeposuit titulum* De fiducia sui *Torr.* || 18. quantam] *litt.* tam *in rasura A.* quantum *BCDE.* || sui — soleat *in rasura A.* || fiducia *E.* || 19. cognoscetur *in rasura A. Torr.*

---

5. Cf. L. Piso ap. Plin. XV h. n. 29. Myrtea corona eum usum esse, quod Sardos in campis myrteis superasset, refert Paul. diac. u. myrtea corona p. 144 Müll.

6. Plin. h. n. XXXIII, 11 in fin. Plut. de cohib. ira 13.

quoniam Liber) In codice archetypo legebatur *quam* pro *quoniam*, cuius particulae compendium *qm̃* facillime in *quam* poterat corrumpi. Antea edebatur *quod Liber*, idque Paris confirmare uideri posset, nisi longius in hoc compendio a Valerianis discessisset.

7. Cf. Ascon in Scaur. p. 30 Orelli.

DE FIDVCIA SVI.

1. Publio et Gnaeo Scipionibus in Hispania cum maiore parte exercitus acie Punica oppressis omnibusque prouinciae eius nationibus Karthaginiensium amicitiam secutis, nullo ducum nostrorum illuc ad corrigendam rem proficisci audente, Scipio quartum et uicesimum agens annum iturum se pollicitus est. Qua quidem fiducia populo Romano salutis ac uictoriae spem dedit.

Eademque in ipsa Hispania usus est. Nam cum oppidum Badiam circumsederet, tribunal suum adeuntis in aedem, quae intra moenia hostium erat, uadimonia in posterum diem facere iussit, continuoque urbe potitus et tempore et loco, quo praedixerat, sella posita ius eis dixit. Nihil hac fiducia generosius, nihil praedictione uerius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius.

Nec minus animosus minusue prosperus illius in Africam transitus, in quam ex Sicilia exercitum senatu uetante transduxit, quia, nisi plus in ea re suo quam patrum conscriptorum consilio credidisset, secundi Punici belli finis inuentus non esset.

---

1. Lib. III de fiducia sui *Γ. Inscriptionem om. BC.* || 2. Publio et Gnaeo] p. et cn. *A.* || 3. ab acie *Torr.* || eius *om. E.* || 5. Scipio] *praeponunt praenominis notam* p. *corr. A et in rasura D, Par. Torr.* || 6. uigesimum *E.* XX mum *A.* || agens] *om. D. post* annum *Torr.* || 7. que quidem *E.* || 10. Brussiam *E.* || circumsideret *B et corr. A.* obsideret *Par.* || suum] situm *B.* || adeuntes *DE*] *et corr. A, Torr.* || 11. uadimonium *CD et corr. A. add.* I. P. et iudicia. f. cras inquit in urbe audiam *(sic) margo A.* || 16. prosper *DE.* || 17. in qua *E.* || traduxit *E Torr.* || 19. puni *pr. A.* || bellici *A.*

---

1. *Publio et Gnaeo)* Cf. Polyb. X, 4 et sqq. Liu. XXVI, 18. App. Hisp. 18.

Eademque in ipsa Hispania) Cf. Plut. apophth. reg. et imper. (Scip. mai. 3.) p. 196 B. A. Gell. VII, 1, 8.

oppidum Badiam) Torrenius, cum oppidum Badiam ignoraret, ad diuinationem confugit legendumque censuit *urbem ualidam* aut *Baeticam* aut *Baeculam* (Liu. XXVII, 20.) Sed librorum scriptura Paridis quoque auctoritate stabilita est. *Βαδεῖαν* hanc urbem, ni codices fallunt, uocauit Plutarchus l. c. Sed recte fortasse ibi quoque Badiam posuit Reiskius. Quem Badajoz hodie appellari quo iure contenderit Klotzius in lexico, cum illud nomen ortum esse uideatur e Pace Augusta, non magis quam cur procul dubio Buduam h. l. significari censuerit Forbiger III, 41, commemoratam in itinerario Antonini p. 419, equidem dicere nequeo.

Nec minus animosus) Cf. Liu. XXVIII, 40 et sqq.

senatu uetante) Non accurate hoc retulit Valerius. Nam aduersante primum maiore senatus parte postea permissum est ut in Africam, si id e re publica esse censeret, exercitum traiceret. Cf. Liu. XXVIII, 45. App. Pun. 7.

Cui facto par illa fiducia, quod, postquam Africam attigit, speculatores Hannibalis in castris deprehensos et ad se perductos nec supplicio adfecit nec de consiliis ac uiribus Poenorum percunctatus est, sed circa omnis manipulos diligentissime ducendos curauit, interrogatosque an satis ea considerassent, quae speculari iussi erant, prandio dato ipsis iumentisque eorum, incolomes dimisit. Quo tam pleno fiduciae spiritu prius animos hostium quam arma contudit.

Verum ut ad domestica eius eximiae fiduciae acta ueniamus, cum a L. Scipione ex Antiochensi pecunia sestertii quadragies ratio in curia reposceretur, prolatum ab eo librum, quo acceptae et expensae summae continebantur refellique inimicorum accusatio poterat, discerpsit, indignatus de ea re dubitari, quae sub ipso legato administrata fuerat. Quin etiam in hunc modum egit, 'Non reddo, patres conscripti, aerario uestro sestertii quadragies rationem, alieni imperii minister, quod meo ductu meisque auspiciis bis millies sestertio uberius feci. Neque enim huc puto [eo] malignitatis uentum ut de mea innocentia quaerendum sit. Nam cum Africam totam potestati uestrae subiecerim, nihil ex ea, quod meum diceretur, praeter cognomen retuli. Non me igitur Punicae, non fratrem meum Asiaticae gazae auarum red-

3. percontatus *Torr.* || 4. omnes *BDEΓTorr.* || 6. ipsis] *om. C.* eis *E.* || eorum] ipsorum *DE.* || incolumes *BCDEΓ et corr. A. Torr.* || 8. contulit *B.* || 9. eximiae eius *Torr.* || 10. anthiocensi *pr. A.* anthiochensi *corr. A.* antiocensi *BΓ. Cf. III,* 5, 1. || sestertium *ABC. Sed recte* sestertii *infra.* sextercium *E.* II. S. *Torr. Vt nos Γ.* || quadragesies *E.* || 11. prolato ab eo libro *BCDEΓ et corr. A.* || acceptae expensae *A, sed* ex *per compendium simillimum compendio copulae* et. || 12. et refelli *Torr.* || 13. posset *Γ.* || discessit *ABCDE.* dicessit *Γ.* || de] ab *D.* || 15. nostro *pr. D.* || sextercii *E.* II. S. *Torr.* || quadragesies *E.* || 16. meo doctum eisque *pr. A.* || 17. milites *pr. A.* milies *corr. A.* miles *B.* || sextercio *E.* H. S. *Torr.* || nec enim *E.* || huc] adhuc *corr. A.* nunc *Γ. om. E.* || eo *om. Torr.* || 19. nostrae *C et pr. D.* || 21. igitur] *ante* me *Torr.* ergo *D.* || aurum *pr. A.*

Cui facto par illa fiducia) Cf. Polyb. XV, 5. Liu. XXX, 29. Polyaen. strat. VIII, 16, 8.

cum a L. Scipione) Cf. Liu. XXXVIII, 55. A. Gell. IIII, 18. Auct. de uir. ill. 49.

prolatum ab eo librum) Manifestum est ab altera codicum familia, cum in archetypo e *discerpsit* ortum esset *discessit*, pendentem hunc accusatiuum in ablatiuum, quem consequentiae dicunt grammatici, esse mutatum, inque eandem emendationem aut ex ingenio incidisse correctorem libri Bernensis, aut quia in recensendo Valerio codice quodam ad alteram familiam pertinente usus est. Veram scripturam Pighius 'e uetere codice' restituit.

huc puto [eo] malignitatis) Archetypi mendum aeque bene tollitur, si alterutrum eiusdem significatus uocabulum deleueris ac si cum correctore libri Bernensis ante *huc* suppleueris *ad*. Ad similitudinem ueri propius accedit interpolatio pronominis *eo*, ascripti ut explicaretur *huc*, quam defectus praepo-

diderunt, sed uterque nostrum inuidia magis quam pecunia locupletior est'. Tam constantem defensionem Scipionis uniuersus senatus conprobauit.

Sicut illud factum, quod, cum ad necessarium rei publicae usum pecuniam ex aerario promi opus esset, idque quaestores, quia lex obstare uideretur, aperire non auderent, priuatus claues poposcit, patefactoque aerario legem utilitati cedere coegit. Quam quidem ei fiduciam conscientia illa dedit, quia meminerat omnes leges a se esse seruatas.

Non fatigabor eiusdem facta identidem referendo, quoniam ne ille quidem in consimili genere uirtutis edendo fatigatus est. Diem illi ad populum M. Naeuius tr. pl. aut, ut quidam memorant, duo Petilii dixerant. Quo ingenti frequentia in forum deductus rostra conscendit, capitique suo corona triumphali inposita, 'Hoc ego', inquit, 'Quirites, die Karthaginem magna spirantem leges nostras accipere iussi. Proinde aequum est uos mecum ire in Capitolium supplicatum'. Speciosissimam deinde eius uocem aeque clarus euentus secutus est, siquidem et senatum totum et uniuersum equestrem ordinem et cunctam plebem Iouis optimi maximi puluinaria petens comitem habuit. Restabat ut

---

1. magis inuidia *Torr.* || 2. scipionis defensionem *DΓ.* || 4. Sicut] *add.* et *ΓTorr.* || illud] id *E.* || ad *om. E.* || 6. uidetur *E.* || 8. quia] qua *Torr.* || 9. se] sese *Torr.* || 10. quoniam — edendo *om. pr. A, sed suppleuit margo A.* || 11. uirtutes *margo A.* || sudando *DΓ.* || 12. m. neuius *A.* m. menius *D.* || ut *om. A.* || 13. pecilii *C.* || qui *Γ.* || 14. rus rostra *(sed litt.* rus *punctis notatae) A.* || 15. hac *E (sed litt.* a *in rasura), Torr.* || sperantem *AE.* || 16. nostras] *om. pr. E.* uestras *Torr.* || nos *C.* || 17. in] ad *D.* || eius deinde *Torr.* || 18. secutus *om. A.* || siquidem iouis opt. max. puluinaria petens et senatum totum et conctam plebem comitem habuit *Γ.* || 20. ut m. tribunus *D.*

---

sitionis *ad.* Eodem modo loquitur Valerius III, 8, 3, *tantis tenebris offusam esse rem publicam ut huc indignitatis ueniretur* et VIII, 1, abs. 6. *huc deductum necessitatis ut abicere se tam suppliciter — cogeretur.*

Sicut illud factum) Cf. Liu. XXXVIII, 55, 13. Plut. apophth. l. c. 9.

quia meminerat) Receperant Torrenius eumque secuti recentiores editores Perizonii coniecturam *qua meminerat*, quomodo proprie scribendum fuisse nemo non intellegit. Vidimus tamen Valerium saepius diuersas eiusdem sententiae constructiones ita miscuisse ut ab altera in alteram transiret. Quod hoc quoque loco factum esse persuasum habeo. Orsus enim ab hac forma, *Quam quidem ei fiduciam illa conscientia dedit, omnes leges a se esse seruatas*, alteram huius sententiae partem ita formauit, tamquam incepisset *Quam quidem fiduciam habuit*, et in hac forma pergit *quia meminerat*. Similis igitur prauitas est eius quam demonstraui I, 5, 9 in uerbis *Adnotatu dignum illud quoque omen, sub quo Petilius — occiderit*, et II, 6, 4.

Diem illi ad populum) Cf. Liu. XXXVIII, 51. Plut. apophth. l. c. 10. A. Gell. IIII, 18, 3. App. Syr. 40. Auct. de uir. ill. 49.

M. Naeuius — duo Petilii) Cf. Liu. XXXVIII, 56, 2.

tribunus apud populum sine populo ageret desertusque in foro cum magno calumniae suae ludibrio solus moraretur. Cuius deuitandi ruboris causa in Capitolium processit deque accusatore Scipionis uenerator factus est.

Auiti spiritus egregius successor Scipio Aemilianus, cum 2. urbem praeualidam obsideret, suadentibus quibusdam ut circa moenia eius ferreos murices spargeret omniaque uada plumbatis tabulis consterneret habentibus clauorum cacumina, ne subita eruptione hostes in praesidia nostra impetum facere possent, respondit non esse eiusdem et capere aliquos uelle et timere.

In quamcumque memorabilium partem exemplorum conuertor, 3. uelim nolimue, in cognomine Scipionum haeream necesse est. Qui enim licet hoc loci Nasicam praeterire, fidentis animi dictique clarissimum auctorem? Annonae caritate increbrescente C. Curiatius tr. pl. productos in contionem consules conpellebat ut de

3. deuitanti *C.* || roboris *pr. A.* || accusatores *pr. A.* || 4. est factus *Torr.* || 7. plubatis *C.* || 8. tabulis] *ante* plumbatis *Torr.* stabulis *B.* || acumina *Γ Torr.* || 11. memorabilium] *litteris* morabilium *incipit codex Guelferbytanus F.* || exemplorum partem *Γ.* || conuerto *in rasura A.* l' conuertor *margo A.* conuerti *B et pr. C.* conuertar *DΓ et corr. C.* || 12. nolimue] nolim *Torr. add.* ut *D.* || haeream] conuertar *F.* || 13. Qui — (14.) auctorem *om. Γ.* || Cui *DF.* || loco *DF.* || 14. Annonae] *add.* siquidem *Γ.* || caristia *F.* || increscente *Par.* increbescente *Torr.* || Curatius *Par.* || 15. trb. pl. *A.* || concionem *(A.)* concione *E.* || appellabat *F.*

2. Cf. Plut. apophth. (Scip. min. 5.)

clauorum cacumina) acumina, quod posuit etiam abbreuiator Guelferbytanus, e codice Copesiano recipi iussit Perizonius et recepit Torrenius, quem sequuntur recentiores editores. 'Debebant enim', inquit Perizonius, 'similes esse muricibus ferreis, ne propter acumen per eas incedere hostes possent; atqui clauorum acumina non sunt acuta'. Quam argumentationem equidem non intellego. Nam, ut loquar cum Lucretio, 'cum uidcamus id extremum cuiusque cacumen Esse, quod ad sensus nostros minimum esse uidetur', cumque auctor commentarii de bello Africae 47, 6 pilorum cacumina dixerit, cur Valerium cacuminatam clauorum partem, quae a terra maxime prominebat, cacumen appellasse non putemus?

3. *uelim nolimue)* Deleto *ue*, quod omnes codices mss. confirmant, in exemplaribus impressis inde a Pighiano edebatur *uelim nolim*. Dubito num recte. Nam etiamsi sollemnis formula est *uelim nolim*, tamen neque cur constanter ueteres ita locutos esse credamus neque cur per *ue* haec uocabula non potuerint disiungi intellego. Restitui igitur quod suadebant codices.

C. Curiatius) Cf. Cic. III de leg. 9, 20. Liu. epit. libr. LV. In codice Iul. Paridis Vaticano Curatius dicitur, quamquam Maius edidit *Curiatius*, quae scripturae discrepantia etiam e Liuii codicibus enotata est. Constanter enim trigemini illi fratres, qui *Κορίατοι* sunt Dionysio Hal. III, 13 et sqq., *Curiatii* appellantur in codicibus Liuii Mediceo et Parisino I, 24, 25, 26, ubi deteriores tantum libri litteram *i* omittunt. III, 32, 1 in Mediceo quidem est *Curatius*, sed paulo post c. 33, 2 in utroque codice *Curiatius;* V, 11, 4, in utroque *Curatius*, ad quem locum Drakenborchius iam animaduertit in lapidibus quoque modo hanc, modo illam nominis formam inueniri, adeo ut ipsis iam ueteribus scribendi rationem incertam fuisse consentaneum sit.

frumento emendo adque id negotium explicandum mittendis legatis in curiam referrent. Cuius instituti minime utilis interpellandi gratia Nasica contrariam actionem ordiri coepit. Obstrepente deinde plebe, 'Tacete, quaeso, Quirites', inquit; 'plus ego enim quam uos quid rei publicae expediat intellego'. Qua uoce audita omnes pleno uenerationis silentio maiorem auctoritatis eius quam suorum alimentorum respectum egerunt.

4. Liuî quoque Salinatoris aeternae memoriae tradendus animus. Qui cum Hasdrubalem exercitumque Poenorum in Vmbria delesset et ei diceretur Gallos ac Ligures ex acie sine ducibus et signis sparsos ac palantes parua manu opprimi posse, respondit in hoc eis oportere parci, ne hostibus tantae cladis domestici nuntii deessent.

5. Bellica haec praesentia animi; togata illa, sed non minus laudabilis, quam P. Furius Philus consul in senatu exhibuit. Quintum enim Metellum Quintumque Pompeium, consulares uiros, uehementes inimicos suos, cupidam sibi profectionem in prouinciam Hispaniam, quam sortitus erat, identidem exprobrantis, legatos secum illuc ire coegit. Fiduciam non solum fortem, sed paene etiam temerariam, quae duobus acerrimis odiis latera sua cingere ausa est, usumque ministerii, uix tutum in amicis, e sinu inimicorum petere sustinuit!

6. Cuius factum si cui placet, necesse est Lucii etiam Crassi,

1. atque *BCD et pr. A.* atque ad *EF Torr.* || explendum *Γ*, || 2. in curia *corr. C.* in Suriam *coniecit Perizonius.* || 4. tacite *pr. A.* || enim ego *FΓ et corr. A, Torr. Vid. ad III,* 2, 23. || 5. expedit *F.* || 6. pleno *B.* || eius auctoritatis *Torr.* || 8. Liuî — (9.) Qui] Liuius quoque salinator *Γ.* || 9. in mumbria *D.* || 10. ac] et *F.* || 12. in] *om. A.* eciam *E.* || iis *Torr.* || parci oportere *DΓTorr.* || 14. Bellica — (16.) Metellum] P. furius philus consul q. metellum *Γ.* || praestantia *E.* || 15. philipus *E.* philosophus *F.* || 16. Que enim *B.* || 18. exprobrantes *DEΓTorr.* exprobantes *F.* || 19. illos *Γ.* illos illuc *D.* || 20. temerariam] *add.* exhibens *D.* || qua *F.* || cingere latera sua ausus *F.* || 23. Cuius — (*p.* 291, 2.) displiceat. Nam] L. Cassius *Γ.* || Crassi] *litt.* r *in rasura C.* classi *ABE.* classii *D.*

adque id negotium) Boni codices *atque id negotium*, deteriores non improbabiliter *atque ad id negotium.* Sed et facilius et ueri similius corrector Bernensis libri et abbreuiator Guelferbytanus emendarunt *adque id negotium.* Ita Valerius monosyllabis praepositionibus *que* adiunxit I, 5, 3 *exque fortuito dicto;* II, 7, 11 *inque cruentato solo;* III, 2, 7 *inque his collibus;* III, 7, 1 in fin. *deque accusatore Scipionis;* IIII, 3, 5 *eque ligneo catillo;* V, 1, 6 *inque pristinis sedibus*; VIII, 9, ext. 2 *inque animis eorum.*

4. Cf. Liu. XXVII, 49.

5. Cf. Cass. Dio exc. Peiresc. 85 p. 36 Reim.

P. Furius Philus) Consul erat anno a. u. c. 618. Quos legatos secum duxisse dicitur, Q. Metellus Macedonicus et Q. Pompeius A. F. fuisse uidentur, eidem qui commemorantur VIII, 5, 1.

qui apud maiores eloquentia clarissimus fuit, propositum non displiceat. Nam cum ex consulatu prouinciam Galliam optineret atque in eam C. Carbo, cuius patrem damnauerat, ad speculanda acta sua uenisset, non solum eum inde non summouit sed insuper locum ei in tribunali adsignauit, nec ulla de re nisi eo in consilium adhibito cognouit. Itaque acer et uehemens Carbo nihil aliud Gallica peregrinatione consecutus est quam ut animaduerteret sontem patrem suum ab integerrimo uiro in exilium missum.

Cato uero superior saepenumero ab inimicis ad causae 7.
dictionem uocatus nec ullo umquam crimine conuictus, ad ultimum tantum fiduciae in sua innocentia reposuit ut ab his in quaestionem publicam deductus Ti. Gracchum, a quo in administratione rei publicae ad multum odium dissidebat, iudicem deposceret. Qua quidem animi praestantia pertinaciam eorum insectandi se inhibuit.

Eadem M. Scauri fortuna, aeque senectus longa ac robusta, 8.
idem animus. Qui cum pro rostris accusaretur, quod ab rege

---

2. ex consule *BCF et pr. A.* consul *E.* ex consul *corr. A.* || 4. facta *F.* || inde eum *F.* || 5. de re] dare *pr. A.* || 8. sortem *C et pr. A.* sorte *BF et corr. A.* recte *E.* || ab] a *F.* || 13. publicam quaestionem *B.* || Ti.] etiam *B.* || 14. ad] ob *F.* || 15. Qua] quia *F.* || 17. Eadem — (18.) animus. Qui] M. Scaurus *Γ.* || ac] atque *F.* || 18. a rege *EF et in rasura B, Torr.*

---

6. *ex consulatu)* Codices excepto altero Berolinensi et abbreuiato Guelferbytano omnes *ex consule*, qua consularium uirorum significatione inferioris demum aeui scriptores usi sunt. Cf. Wagner. ind. ad Amm. Marcell. u. ex. Potuit autem fieri facillime, praesertim si per compendium exaratum erat in antiquo quodam exemplo, ut librarius pro eo substitueret quod suo tempore usu cum maxime receptum erat. Ceterum recte Torrenius animaduertit ne ex consulatu quidem L. Licinium Crassum prouinciam Galliam obtinuisse, uerum consulem, ut testatur Cic. de inu. II, 37, cui errorem immerito imputauit Drumannus IIII, p. 65. Sed quod legendum coniecit Torrenius *Nam cum is consul*, nollem ipsum auctorem emendasset, cuius neglegentiam in denotandis magistratibus et dignitatibus nosse debebat. Cf. praef. p. 29. Ne id quidem satis uerum est, quod C. Carbo a L. Crasso in exilium missus esse perhibetur, cum e Ciceronis IX epp. 21, 3 et e Brut. 27, 103 liqueat eum sumptis cantharidibus a seueritate iudicum se uindicasse. Cf. Periz. anim. hist. p. 97. ed. Harl.

7. *saepenumero — ad causae dictionem uocatus)* Cf. Plin. h. n. VII, 27, 28. Plut. Cat. mai. 15.

8. Cf. Quint. inst. or. V, 12, 9. Ascon. in Scaur. p. 22. Orell. Auct. de uir. ill. 72.

quod — pecuniam accepisset) Quintilianus et Cicero Scaurum, quod rem publicam prodidisset, lege Varia causam dixisse referunt, accuratius Asconius et auctor de uir. ill., quod socios ad arma coegisset. Et sane secundum ipsius Valerii (VIII, 6, 4) et Appiani (ciu. I, 37 p. 176.) testimonium lex Varia exorto Italico bello quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent quaeri iubebat, (cf. ind. leg. in Orell. onom. Tull.) de qua culpa illos quoque cogitasse opinor,

Mithridate ob rem publicam prodendam pecuniam accepisset, causam suam ita egit: 'Est enim iniquum, Quirites, cum inter alios uixerim, apud alios me rationem uitae reddere. Sed tamen audebo uos, quorum maior pars honoribus et actis meis interesse non potuit, interrogare, Varius Seuerus Sucronensis Aemilium Scaurum, regia mercede corruptum, imperium populi Romani prodidisse ait; Aemilius Scaurus huic se adfinem esse culpae negat. Vtri creditis'? Cuius * admiratione populus conmotus Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit.

9. Contra M. Antonius ille disertus; non enim respuendo sed amplectendo causae dictionem quam innocens esset testatus est. Quaestor proficiscens in Asiam, Brundisium iam peruenerat, ubi litteris certior incesti se postulatum apud L. Cassium praetorem,

---

1. mitridate *A.* || 3. apud illos *Γ.* || me] *post* rationem *F.* meae *DΓ.* || 5. uarrus *DF.* || Seuerus *om. Torr.* || ucronensis *pr. A.* mucronensis *corr. A.* ueronensis *BCDEFΓ. Cf. praef. p.* 87. || 6. regina *C.* || 8. Cuius] *add.* dicti *EF. add.* defensionis *Γ.* || 10. M. *om. D.* || enim *om. Γ.* || 12. brundusium *BEΓTorr.* brondusium *C.* brundutium *F. Cf. V,* 1, 1. *VI,* 6, 5. *IX,* 8, 2. || 13. certioratus *D.* certior factus *Torr.* || spoliatum *C.* || praetorem] *add.* urbanum *D.*

---

qui crimen proditae rei publicae Scauro obiectum esse tradiderunt. Sed idem M. Aemilius Scaurus repetundarum quoque criminibus haesit, cum a Q. Seruilio Caepione lege Seruilia postularetur, quod in Asiatica legatione pecuniam accepisset. Cf. Ascon. l. c. Orelli. onom. Tull. p. 17 et sqq. Ellendt. praef. ad Cic. Brut. p. 47. Drumann. gesch. Roms I, p. 27. His duobus iudiciis confusis equidem persuasum habeo Valerium peccasse, non, ut mire censet Torrenius, quod meminisset Scaurum Iugurthae regis pecunia corruptum a bono honestoque in prauum abstractum fuisse (Sall. Iug. 29.) et Mithridatem cum Iugurtha confudisset.

Varius Seuerus) Reddidi Q. Vario cognomen omnibus codicibus commendatum, de quo cur dubitemus, quamquam ab aliis scriptoribus non commemoratur, causam uideo nullam.

*Cuius * admiratione)* Relatiuum *cuius* neque ad ipsum Scaurum, si aliquem inter haec et praecedentia nexum esse credideris, neque ad omnia ista, quae in causae dictione protulerat Scaurus, referri potest. Itaque sane excidit aliquid, quo pertinuit *cuius*. Neque tamen placet quod in uulgatis exemplaribus receptum erat tacentibus omnino de defectu editoribus, cum ueri simile non sit Valerium omnem illam Scauri defensionem *dicti* uocabulo comprehensurum fuisse. Melius igitur abbreuiator Guelferbytanus suppleuit *defensionis*. Scripserat fortasse auctor *Cuius fiduciae admiratione* uel simile aliquid.

9. *litteris certior)* Suppleuit Aldus *factus* post *certior*, quod ab omnibus libris alienum est. Et cum usu receptum fuerit *certiorem fieri*, quidni dicatur *certior* is, qui certior factus est? Itaque singularem locutionem adnotandam duxi, non emendandam.

L. Cassium) Procul dubio igitur M. Antonius eo iudicio implicatus erat, quo Aemilia, Marcia, Licinia, uirgines Vestales incesti reae damnatae sunt. Cf. Ascon. in Milon. 12, 32 p. 46 Orell. Oros. V, 15. Val. Max. VI, 8, 1. Quod iudicium cum actum sit anno 640 a. u. c. (Liu. ep. libr. LXIII. Iul. Obseq. 97.), non potuisse praeturam tunc temporis obtinere L. Cassium, qui anno 627 iam consulatu et biennio post censura functus sit, recte animaduertit

cuius tribunal propter nimiam seueritatem scopulus reorum dicebatur, cum id uitare beneficio legis Memmiae liceret, quae eorum, qui rei publicae causa abessent, recipi nomina uetabat, in urbem tamen recurrit. Quo tam pleno fiduciae bonae consilio cum absolutionem celerem tum profectionem honestiorem consecutus est.

Sunt et illa speciosae fiduciae publica exempla. Nam cum 10.
eo bello, quod aduersus Pyrrum gerebatur, Karthaginienses centum ac triginta nauium classem in praesidium Romanis Ostiam ultro misissent, senatui placuit legatos ad ducem eorum ire, qui dicerent populum Romanum bella suscipere solere, quae suo milite gerere posset; proinde classem Karthaginem reducerent.

Idem post aliquot annos Cannensi clade exhaustis Romani imperii uiribus supplementum in Hispaniam exercitu mittere ausus, fecit ne locus hostilium castrorum, tum maxime Capenam portam armis Hannibale pulsante, minoris ueniret quam si illum Poeni non obtinerent. Ita se gerere in aduersis rebus quid

---

2. mẽmiae *A.* inermie *B.* minime *in rasura C.* menie *F.* || 4. Quo tam] quae uota *C, in rasura B, pr. A.* quo *D et corr. A.* qui uoto *Γ.* || bonae fiduciae pleno *F.* || cum] tum *DEFΓ.* || 5. celerem tum profectionem *om. pr. C.* || 7. Sunt — Nam cum eo] *om. Γ.* || speciosa fiduciae publicae *coniecit Perizonius. Sed cf. praef. p.* 37. || 8. aduersum *E.* || 9. centum ac xx *F. Sic etiam Iustin. XVIII,* 2. cũ a cxxxta *B.* || classem in *om. C.* || hostiam *ACDEFΓ.* || 10. ultro] cum *Γ.* || 12. kartaginẽsem *E.* || 13. Idem — (*p.* 294, 2.) conuertere *om. Γ.* || aliquos *E.* || 14. exercitum *ABC.* exercituum *D.* exercitui *F.* exercitus *E. et ante* in Hispaniam *Torr.* || 15. hostilium] *ante* locus *Torr.* hostium *B.* || cum *BC.* || 16. Poeni illum *Torr.*

Drumannus II, p. 115. Delectus erat quaesitor extraordinariae quaestioni; quocum praetorem a Valerio confusum esse credo, quia plerumque praetores eas exercebant quaestiones.

legis Memmiae) Hanc legem nullus ueterum scriptorum commemorauit, quod equidem sciam. Nam quid Kappium induxerit ut legem Remmiam intellegi putaret, de qua Tullius loquitur pro Rosc. Amer. 19, 55, non percipio, cum ne de ea quidem quioquam constet quam latam esse ad rescindendam calumniatorum licentiam. Cf. dig. XLVIII tit. 16, §. 2.

Quo tam pleno) Quod archetypus exhibebat, *quae uota pleno*, procul dubio inde ortum est, quod, cum librarius pro *quo* exarasset *quae*, animaduerso statim errore, litteris *uae* punctis notatis iuxta poneret *uo*, quae tum coaluerunt cum proximo uocabulo *tam*. Eandem mendi causam detexi V, 4, ext. 5, ubi uide quae adnotaui ad uu. *ultimum iam solitudinis* et VII, 3, ext. 3 in uu. *altius animi cogitatio*. Similiter locutus est Valerius in huius capitis §. 1, *Quo tam pleno fiduciae spiritu*.

10. Cf. Iustin. XVIII, 2.

Idem post aliquot) Cf. Liu. XXVI, 11.

exercitu mittere) Cum optimi quique libri tradiderint *exercitum*, ultimam litteram ex insequenti uocabulo adhaesisse, Valeriumque dandi casum ea terminatione posuisse suspicor, quam C. Caesar in libris analogicis teste A. Gellio IIII, 16 unice rectam censuit. Eam ipse hic scriptor adhibuit in prae-

aliud est quam saeuientem fortunam in adiutorium sui pudore uictam conuertere!

11. Magno spatio diuisus est a senatu ad poetam Accium transitus. Ceterum ut ab eo decentius ad externa transeamus, producatur in medium. Is Iulio Caesari, amplissimo ac florentissimo uiro, in conlegium poetarum uenienti numquam adsurrexit, non maiestatis eius inmemor, sed quod in conparatione communium studiorum aliquanto se superiorem esse confideret. Quapropter insolentiae crimine caruit, quia ibi uoluminum, non imaginum certamina exercebantur.

Ext. 1. Ne Euripides quidem Athenis adrogans uisus est, cum, postulante populo ut ex tragoedia quandam sententiam tolleret, progressus in scenam dixit se ut eum doceret, non ut ab eo disceret, fabulas conponere solere. Laudanda profecto fiducia est, quae aestimationem sui certo pondere examinat, tantum sibi adrogans, quantum a contemptu et insolentia distare satis est.

Itaque etiam quod Alcestidi tragico poetae respondit probabile. Apud quem cum quereretur quod eo triduo non ultra tres uersus maximo inpenso labore deducere potuisset, atque is se centum perfacile scripsisse gloriaretur, 'Sed hoc', inquit, 'interest, quod tui in triduum tantummodo, mei uero in omne tempus sufficient'. Alterius enim fecundi cursus scripta intra primas memoriae metas conruerunt, alterius cunctante stilo elucubratum opus per omne aeui tempus plenis gloriae uelis feretur.

2. Adiciam scenae eiusdem exemplum. Antigenidas tibicen

3. Magno — (5.) Is] Actius poeta *Γ.* || 5. ac] et *EF Torr.* || 7. eius] enim *E.* || conparatione * *A.* comparationem *BCD.* || 8. superiorem se *Torr.* || 12. tragoed * a *A.* || quadam *E.* || 15. existimationem *D.* || 16. et] ut *C.* || 20. is se] idem se *B.* ipse *E.* || 21. perfacile centum *F.* || 22. tu *pr. A.* || in triduum] in *om. F.* || omne] *add.* aeui *D.* || 23. foecundi *(A.)* secundi *typogr. errore Torr.* || intra] inita intra *F.* || 24. elugubratum *CF et pr. A.* || 25. tempus aeui *Γ.* || 26. Adiciam — exemplum *om. Γ.* || Anthigenides *E.*

cedentis capitis §. 1, *augendo traiciendoque exercitu.* Item sine *i* dixit, siquidem bonos codices audimus, VI, 9, 10 *consulatu,* VIII, 11, ext. 6 *adfectu,* VI, 5, 4 *obtentu,* quod et ipsum in multis libris cum accusatiuo permutatum est. Aliorum scriptorum plurima exempla congessit Haasius ad Reisigii vorles. üb. Lat. sprachw. p. 101.

11. *Is Iulio Caesari)* Sine dubitatione intellegendus est, ut uoluit Pighius, C. Iulius L. F. Caesar Strabo, quem tragoedias scripsisse testantur Cicero Brut. 48, 177, Asconius in Scaur. p. 24 Orell. Fest. u. prophetas p. 229 Müll. Kappius nescio qua de causa eius fratrem potius L. Iulium Caesarem, consulem a. u. c. 664 significari putat.

Ext. 2. Cf. Cic. Brut. 50, 187. Antigenidam praeter alios commemorant A. Gell. XV, 17. Appul. florid. I, 4. Suidas.

discipulo suo magni profectus, sed parum feliciter populo se adprobanti cunctis audientibus dixit 'Mihi cane et musis', quia uidelicet perfecta ars fortunae lenocinio defecta iusta fiducia non exuitur, quamque se scit laudem mereri, eam si ab aliis non impetrat, domestico tamen acceptam iudicio refert.

Zeuxis autem, cum Helenam pinxisset, quid de eo opere homines sensuri essent expectandum non putauit, sed protinus [se ad] hos uersus adiecit: 3.

Οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.

Adeone dextrae suae multum pictor adrogauit ut ea tantum formae conprehensum crederet, quantum aut Leda caelesti partu edere aut Homerus diuino ingenio exprimere potuit?

Phidias quoque Homeri uersibus egregio dicto adlusit. 4. Simulacro enim Iouis Olympii perfecto, quo nullum praestantius aut admirabilius humanae fabricauere manus, interrogatus ab

---

2. conctis *Γ.* || 3. fiducia iusta *Torr.* || 4. quamquam *BCD.* || scit se *Torr.* || mereri eam] mereritam *(sed litt.* t *in rasura) A.* || si] *om. pr. E.* etsi *corr. A, Torr. add.* eam *A.* || 5. impetret *F.* || 6. Zeusis *BEF.* seuxis *C.* || autem *om. Γ.* || cum] *ante* Zeuxis *Γ.* || 8. se ad] * * * *A. om. Torr.* || hos] *add.* grecos *F.* || 9. *ΟΥΝΕΜΕCΙCΙΡΩΙ ΚΑΙ. ΕΥΚΝΗΝΗΜΙΔΑC. ΑΧΑΙΟΥC ΤΟΙΗ ΔΑΩΦΙ ΓΥΝΑΙΚΙ ΠΟΔΥΝΥΝ ΧΡΟΝΟΝΑΤΕΑΙ ΠΑΧΕΙΝ (ΠΑCΧΕΙΝ corr. A.) A. Graeca Latinis litteris picta sunt in BCEΓ; tum erasa in CE; omittuntur in D. Solae litterae CYMOHOC extant in F. Tertium etiam uersum, Αἰνῶς ἀθανάτοισι θεαῖς εἰς ὦπα ἔοικεν add. in rasura E, Torr. Cf. Iliad. γ. 156.* || 11. Adeone] *in rasura E.* || dexterae *Γ.* || 12. forma *ACEFΓ Torr. et ante* tantum *D.* || cederet *C.* || laeda *A.* || partu edere] pâr dae re *A.* || 14. Homeri — adlusit *om. Γ.* || aegregio *A.* || alluxit *F.* || 15. enim *om. Γ.* || olympici *D.* || 16. fabrice manus *pr. A.* fabricate sunt manus *F et corr. A, Torr.* fabrice manus *BC.* fabricate manus sunt *E.* fecere manus *Γ.* || ab *om. F.*

---

3. *cum Helenam pinxisset)* Cf. Plin. h. n. XXXV, 10.

[se ad] hos uersus adiecit) Ineptam interpolationem a me seclusam, cuius causam equidem nondum perspexi, sustulerat iam emendator libri Bernensis, nec habetur illud *se ad* in plerisque ueterum editionum, quae tamen male ponunt *hos Graecos uersus*, inserto uocabulo, quod uel si manuscriptis libris confirmaretur, eiciendum esset. Primus eiecit Pighius.

tantum formae) Codices *forma*, qui ablatiuus iuxta alterum *ea* pessime se habet. Nam cohaerere *ea forma* uel propter interpositum *tantum* nemo facile putauerit. Sed egregie Perizonius *formae* legendum esse coniecit, ita ut *tantum formae*, idem ualeat atque *tantum pulchritudinis*, quo significatu Valerius composuit IIII, 3, ext. 1 *cum — pueri ingenui praetereuntis formam inpensioribus uerbis laudasset*; III, 8, ext. 4 *excellentis formae puer*, IX, 2, ext. 5. *liberalis formae — puerum.* Recepisset iam Torrenius probatam Perizonii coniecturam, nisi ei decretum fuisset coniecturis nihil tribuere.

4. *Simulacro enim Iouis Olympii)* Cf. Quintil. XII, 10, 9. Plin. h. n. XXXIIII, 8, 19. Senec. controu. 34, alii.

fabricauere manus) Cum in eo codice, e quo reliqui omnes fluxerunt, uitiose scriptum fuerit *fabricae* aut *fabrice*, corrigendi ratio ualde dubia est. Potest

amico quonam mentem suam dirigens uultum Iouis propemodum ex ipso caelo petitum eboris liniamentis esset amplexus, illis se uersibus quasi magistro usum respondit,

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων·
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερῤῥώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

5. Non patiuntur me tenerioribus exemplis diutius insistere fortissimi duces. Siquidem Epaminondas, cum ei ciues irati sternendarum in oppido uiarum contumeliae causa curam mandarent, erat enim illud ministerium apud eos sordidissimum, sine ulla cunctatione id recepit, daturumque se operam ut breui speciosissimum fieret adseuerauit. Mirifica deinde procuratione abiectissimum negotium pro amplissimo ornamento expetendum Thebis reddidit.

6. Hannibal uero cum apud regem Prusiam exularet auctorque ei committendi proelii esset, atque is non idem sibi extis portendi diceret, 'An tu', inquit, 'uitulinae carunculae quam imperatori ueteri mauis credere'? Si uerba numeres, breuiter et abscise, si sensum aestimes, copiose et ualenter. Hispanias enim

---

1. quodam *pr. A.* || multum *C.* || 2. lineamentis *Torr.* || se] *add.* homeri *Γ.* || 3. uerbis *E.* || magistrum usus *A.* || 4.—6. *ΗΚΑΙ ΚΥΑΕΝΗCΙΝΕΠΟ ΦΡΥCΙ ΝΕΥΟΕ ΚΡΟΝΕΙΩ ΝΑΜ ΒΙΟΥCΙΑ ΑΡΑΧΑΙΤΑΙ ΕΠΕΡΩCΑΝΤΩΑΝΑΚΤΟC ΚΡΑΤΟ ΚΑΠΑ ΘΑΝΑ ΤΟΙΟ ΜΕΤΑΝΑΙ ΑΕΝ ΞΕΝΟΛΥΝΙΤΟΝ. A. Similiter sed foedius corrupta sunt Graeca in BEΓ.* IlKaly *omissis reliquis F. Desunt in CD. Cf. Iliad. α,* 528. || 7. Non patiuntur] *praemittit inscriptionem* De fiducia, *supra omissam C.* || 8. epaminundas *EΓ.* || 11. operam se *F.* || 12. mirificam *BC et pr. A.* || deinde] demum *F.* || procurationem *BC et pr. A.* || 14. Thebanis *coniecit Perizonius.* || 15. plusiam *C.* || exolaret *Par.* || 16. extis] ex hiis *C.* || 17. an] ita *Par.* || inquam *F.* || uitulinae] ui • l • i • *(litterae* li *in rasura) A.* uili *Par.* || carnunculae *Par.* || imperatori] *post* ueteri *F.* || 18. ueterim anis *C.* || 19. existimes *Γ.*

---

enim fieri ut Valerius posuerit, quod in Bernensi codice a correctore temptatum est, *fabricatae sunt*, dummodo uerisimile esset duplici defectu litterarum *at* et uerbi *sunt* laborare hunc locum. Neque etiam subaudito *sunt* hanc relatiuam sententiam simplici participio *fabricatae* enunciatam fuisse mihi persuadetur, quamquam ad IX, 12, 8 docui non omnino alienas esse ab hoc auctore relatiuas sententias subintellecto uerbo substantiuo supplendas. Restat igitur ut ex actiua forma *(fabricauere)* ortum putemus illud *fabrice*, quae, si excipias participium *fabricatus* passiue positum de eo quod manibus factum est, antiquioribus temporibus parum usitata, inde ab Augusti demum aetate magis indies increbruisse uidetur, adeo ut iam Quintilianus numquam deponenter efferret *fabricari*. Valerius duobus tantum praeterea locis hoc uerbum usurpauit, IIII, 3, 8 *(uasa argentea magno pondere et exquisita arte fabricata)* et VIII, 11, ext. 3 *(Volcanus Alcamenis manibus fabricatus)*, quibus equidem sciens non utor pro argumento. Ceterum nobiscum facit codex alter Berolinensis *D.*

5. Cf. Plut. rei publ. ger. praecept. 15.

6. Cf. Cic. de diu. II, 24, 52. Plut. de exil. 16. Cels. 11.

dereptas populo Romano et Galliarum ac Liguriae uires in suam redactas potestatem et nouo transitu Alpium iuga patefacta et Thrasymenum lacum dira inustum memoria et Cannas, Punicae uictoriae clarissimum monumentum, et Capuam possessam et Italiam laceratam ante pedes hominis effudit, uniusque hostiae iocineri longo experimento testatam gloriam suam postponi aequo animo non tulit. Et sane quod ad exploranda bellica sacrificia aestimandosque militaris ductus adtinebat, omnis foculos, omnis aras Bithyniae Marte ipso iudice pectus Hannibalis praegrauasset.

Capax generosi spiritus illud quoque dictum regis Cotyis. 7. Vt enim ab Atheniensibus ciuitatem sibi datam cognouit, 'Et ego', inquit, 'illis meae gentis ius dabo'. Aequauit Athenis Thraciam, ne uicissitudine talis beneficii inparem iudicando humilius de origine sua sentire existimaretur.

Nobiliter etiam uterque Spartanus, et qui increpitus a quo- 8. dam, quod in aciem claudus descenderet, pugnare, non sibi fu-

---

1. direptas *ABCDFΓTorr.* directas *E. Vid. ad II,* 9, 8. || ac] et *B.* || 3. transhymenum *BD et pr. A.* trahymenum *corr. A.* trasymenum *C.* transimenum *EF.* Trasimenum *(Γ) Torr. Cf. I,* 6, 6. *III,* 7, 6. *IIII,* 8, *ext.* 1. *IX,* 11, *ext.* 4. *IX,* 12, 2. || 4. monimentum *Γ.* || 6. iocinineri *A.* iocinori *EFΓ, ut I,* 6, 8 *et* 9. iecinori *DTorr.* || gloriam suam] *ante* longo *Γ.* || 8. militares *BDEFΓ Torr.* || omnes foculos omnes *DEFΓTorr.* || 9. pergrauasset *Γ.* || 10. cotyi *BΓ et pr. A.* cotri *pr. C.* codri *E et corr. CF.* cordi *pr. F.* cocri *D.* cotys *corr. A, Torr.* || 13. trachiam *pr. A.* tracihan *Γ.* || inparem] *add.* se *(E) Torr.* || 14. origine] stirpe *F.* || existimaretur] uideretur *F.* || 15. sparthanus *A.* || 16. sibi non *DEFΓ et in rasura A.* sibi *post* propositum *Torr.*

---

7. Cf. Athen. II.

regis Cotyis) Ita emendandam esse archetypi scripturam quamuis Vorstius iam uiderit, uulgata exemplaria tamen retinuerunt *regis Cotys*, quemadmodum uitiose in Mediceo quoque codice Taciti in II ann. 67 scribi adnotatum est. Recte autem in eodem illo codice legitur *Cotyis* III ann. 38 et IIII, 5 et in Liuii XLII, 67, 4. Latinae formae genitiuus in optimis codicibus Cornelii Nepotis (Iphicr. 3) est *Cothi* pro *Coti.*

uicissitudine talis beneficii) Perizonius suspicabatur legendum esse *uicissitudini.* Quod omnino necessarium est, si Valerium uulgarem dicendi rationem secutum esse statueris, quae sane apud *impar* positum de eo, quod non sufficit, non idoneum est ad rem aliquam perficiendam, tertium eius rei casum requirit. Citantur tamen a lexicographis exempla aliquot, in quibus *par* et *impar* cum ablatiuo casu comparatae rei coniunguntur, ut Ouidii fast. IIII, 306 *Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto; Nec facies impar nobilitate fuit* et ibidem VI, 804 *In qua par facies nobilitate sua.* Quibus exemplis defendi posse illud *uicissitudine* intellego. Nihilo minus nescio an facillima Perizonii correctione naturalis sermo Valerio reddendus sit. Vulgata autem exemplaria contra omnem librorum manuscriptorum fidem post *imparem* circumferunt pronomen *se*, cum tamen illud adiectiuum multo melius ad Thraciam referatur. Nam patriam suam si non satis dignam existimasset Cotys, quae Atheniensibus inuicem ciuitatem tribueret, tum sane humilius de origine sua iudicasset.

8. Cf. Plut. apophth. Lac. (ignot. 42.) et ibid. Leonid. 6.

gere propositum esse respondit, et qui referente quodam sagittis Persarum solem obscurari solere, 'Bene narras', inquit; 'in umbra enim proeliabimur.' Eiusdem uir urbis atque animi hospiti suo patriae muros excelsos latosque ostendenti dixit 'Si mulieribus istos conparastis, recte, si uiris, turpiter'.

DE CONSTANTIA.

VIII. Apertum et animosum bonae fiduciae pectus emenso quasi debitum opus superest constantiae repraesentatio. Natura enim sic conparatum est ut, quisquis se aliquid ordine ac recte mente complexum confidit, uel iam gestum, si obtrectetur, acriter tueatur, uel nondum editum, si interpelletur, sine ulla cunctatione ad effectum perducat.

1. Sed dum exemplar propositae rei persequor, latius mihi circumspicienti ante omnia se Fului Flacci constantia offert. Capuam fallacibus Hannibalis promissis Italiae regnum nefaria defectione pacisci persuasam armis occupauerat. Tam deinde culpae hostium iustus aestimator quam speciosus uictor Cam-

2. inquit] *ante* narras *Γ*. inquid *pr. A.* || 3. enim] *om. DF. add.* melius *F et corr. E. Torr.* || proeliabitur *D.* || animi] amira *pr. C.* amirari *corr. C.* || 4. ostendendi *C.* || istos mulieribus *E.* || 5. compastis *C.* comparatis *F.* || 7. Aptum *AB CDEFΓ.* || 8. superest opus *(EF) Torr.* || rep̃ hensione *A.* reip: app̃hensione *margo A.* representatione *BF et pr. CE.* || Natura] cura *ABCDEF.* || 9. compertum *Γ.* || ut] ubi *D.* || recte] *post* mente *Γ.* recta *D.* || 10. complexus *E.* || teneatur *E.* || 11. nundum *Γ.* || 13. exempla *E Torr.* || prosequor *DEF.* || 15. defectione nefaria *F.* || 16. Tam deinde] tandem *F.* || 17. culpa *E.*

VIII. *Apertum et animosum) Aptum et animosum*, quemadmodum tradunt libri manuscripti, bonae fiduciae pectus dici nequit, quia, si absolute positum existimes *aptum*, generalis apti notio non conuenit singulari, quae est in *animosum*. Sine ulla dubitatione recte Pighius e codice Susiano restituit *apertum*, quod per compendium scribebatur *aptum*, idque ne Perizonius quidem improbauit; esse enim in primis bonae fiduciae nihil tecte, nihil subdole sed aperte omnia facere. Quo magis miror eum maluisse *Altum et animosum*, quod sane similitudine ueri non aeque commendatur. Grauius in sequentibus uulnus felici emendatione iam sanarunt abbreuiatus Guelferbytanus, quem sequi debebat Pighius, qui u. *repraesentatio* omnino eiecit, et Lipsius, illius quidem libri ignarus; recepit ueram scripturam Vorstius. Perizonius magis ingenii exercendi causa quam quod non agnosceret Lipsii egregium factum ab ipso laudatum coniecit *constantiae repraesentationem curare. Natura enim* etc.

1. Cf. Liu. XXVI, 15. Val. III, 2, ext. 1.

panum senatum, impii decreti auctorem, funditus delere constituit. Itaque catenis onustum in duas custodias, Teanam Calenamque diuisit, consilium executurus, cum ea peregisset, quorum administrandorum celerior esse necessitas uidebatur. Rumore autem de senatus mitiore sententia orto, ne debitam poenam scelerati effugerent, nocte admisso equo Teanum contendit, interfectisque qui ibi adseruabantur, e uestigio Cales transgressus perseuerantiae suae opus executus *est*, et iam deligatis ad palum hostibus litteras a patribus conscriptis nequiquam salutaris Campanis accepit. In sinistra enim eas manu, sicut erant traditae, reposuit, ac iusso lictore lege agere, tum demum aperuit, postquam illis obtemperari non poterat. Qua constantia uictoriae quoque gloriam antecellit, quia, si eum intra se ipsam partita laude aestimes, maiorem punita Capua quam capta reperias.

2. Atque ista quidem seueritatis, illa uero pietatis constantia admirabilis, quam Q. Fabius Maximus infatigabilem patriae

---

2. honustum *A.* || theanamque *Γ.* || 3. exquisiturus *F.* || 5. mitiore senatus *F Torr.* || 6. theanum *ABCEΓ Torr.* theanam *DF.* theañ *Γ.* || 7. e] cum *B.* || calenam *BF.* || 8. executurus *EF.* || est *om. BCDEFΓ et pr. A.* || et iam] etiam *ABC.* etiam iam *F.* || 9. hospitibus *E.* || nequicquam *Torr.* || salutares *DEFΓ et post* Campanis *Torr.* || 10. manu eas *FΓ.* || 11. legem *F.* || tum *om. E.* || aparuit *pr. A.* apperuit *Γ.* || 12. plusquam *Γ.* || 13. antecessit *Γ.* || ipsum *ABCDEFΓ Torr. quod correxi.* || 14. laude partita *Γ.* || reperies *DΓ et corr. A. Torr.* repperias *B.* || 15. Atque — (16.) Q. Fabius] Q. autem Fabius *Γ.* || quidem *om. F.* || 16. infatigabilem] *add.* pietatis constantiam *Γ.*

Teanam Calenamque) Vorstius, quod tale adiectiuum a Teano oppido formari non potuisset, legendum censuit *Theanaeam* aut *Theaninam* aut *Theaniensem.* Rectius coniecisset *Teanensem.* Cf. inscr. quas citauit Forcellinius ap. Romanell. topogr. Napol. III, p. 457 et II, p. 433. Sed non male Torrenius animaduertit a Liuio I, 10. 3 *Caeninum nomen* poni de iis, quos paulo ante Caeninenses dixisset, (Cf. etiam Prop. V, (IIII.) 10, 7.) et a Martiale X, 19, 17 Arpinas chartas pro Arpinatibus.

de senatus mitiore sententia) Mire prorsus Paris contrarium narrat, cuius compendium ita incipit, *Fuluius Flaccus, cum Capuam recepisset ab Hannibalis possessione, senatu prohibente animaduerti in omnes principes ciuitatis ipse perstitit, et cum ad palum iussisset eos adligari, aliae superuenerunt epistulae, in quibus scriptum erat ut omnes punirentur.*

transgressus — executus est) Verbum *est*, quod in archetypo codice exciderat, Perizonius et Torrenius, cum in aliquot libris repperissent *executurus*, ante *transgressus* supplendum esse opinabantur. Nec male sane, siue sententiam spectamus siue probabilitatem defectus, haec ita procederent, *e uestigio Cales* est *transgressus perseuerantiae suae opus executurus.* Minus placent, quia modo praecesserat *consilium executurus.* Sed libri tantum non omnes perfecti participium tuentur, ita ut simplicius corrector libri Bernensis huic uerbo addiderit *est.* Neque etiam obstat quod, postquam traditum est Fuluium illud opus executum esse, iam narrantur res, quae acciderant inter ipsam executionem.

2. Cf. Liu. XXII, 23 et sqq. Plut. Fab. 7 et sqq. Auct. de uir. ill. 43.

praestitit. Pecuniam pro captiuis Hannibali numerauerat; fraudatus ea publice tacuit. Dictatori et magistrum equitum Minucium iure imperii senatus aequauerat; silentium egit. Conpluribus praeterea iniuriis lacessitus in eodem animi habitu mansit, nec umquam sibi rei publicae permisit irasci. Tam perseuerans in amore ciuium: quid in bello gerendo nonne par eius constantia? Imperium Romanum Cannensi proelio paene destructum uix sufficere ad exercitus comparandos uidebatur. Itaque frustrari et eludere Poenorum impetus quam manum cum his tota acie conserere melius ratus, plurimis conminationibus Hannibalis inritatus, saepe etiam spe bene gerendae rei oblata, numquam a consilii salubritate ne parui quidem certaminis discrimine recessit, quodque est difficillimum, ubique ira ac spe superior apparuit. Ergo ut Scipio pugnando, ita hic non dimicando maxime ciuitati nostrae succurrisse uisus est. Alter enim celeritate sua Karthaginem oppressit, alter cunctatione id egit ne Roma opprimi posset.

3. Gaium etiam Pisonem mirifice et constanter turbulento rei publicae statu egisse consulem narratione insequenti patebit. M. Palicani seditiosissimi hominis pestiferis blanditiis praereptus populi fauor consularibus comitiis summum dedecus admittere conabatur, amplissimum ei deferre imperium cupiens, cuius taeterrimis actis exquisitum potius supplicium quam ullus honos

---

1. praestitit] reddidit *F.* || numerat *E.* || 2. ea] enim ea *F.* || pocublice *pr. A.* || Dictatori et] dictatorique *D.* dictatori etiam *E.* Dictatori ei *Torr.* || magistro *ABFΓ et pr. C.* || 4. praeterea *om. Γ.* || permansit *Torr.* || 5. rem publicam *E.* res publica *F.* || Tam — (6.) ciuium, quid] *om. Γ.* || Tam] tandem *F.* || 6. amorem *AF.* || ciuium] *add.* fuit *Torr.* || be'lo] *post* gerendo *B. add.* quoque *Γ.* || nonne *om. Γ.* || 8. uidebat' *A.* uidebat *F et corr. C, Torr.* || 10. conserere acie *DΓ.* || pluribus *(B)EFTorr.* || 11. specie *C.* || 12. nec *D.* || 13. ac] et *E.* || 18. Gaium — (19.) patebit *om. Γ.* || 20. pallicani *ACF.* paligani *DΓ.* Pallacinus *est ap. Par. Cf. Eckh. doctr. num. V, p.* 237. || pestiferi *pr. A.* || 21. decus *E.* || 22. imperium deferre *Torr.* || 23. ullus] exquisitus *D.* nullus *E.*

---

senatus aequauerat) Non senatus consulto, sed scito plebei magistri equitum imperium dictatorio fuisse aequatum testantur Liuius XXII, 25 et Plut. Fab. 9. Atque etiam ipse Valerius V, 2, 4 plebei scitum de ea re factum commemorat. Qua de causa Lipsius, deleto *senatus* uocabulo, plurali numero *aequauerant* legi iussit. Sed recte iam Vorstius a librariis in ipsum auctorem culpam uertit, quem minus accurate de hac re retulisse dicemus, etiam si post plebei illud scitum idem senatus decreuerit. Etenim Liuius postquam narrauerat in consilio plebis superasse popularem Minucii fauorem, auctoritatem rogationi defuisse, tamen XXII, 26, 7 Fabium in itinere litteras senatus consulti de aequato imperio accepisse retulit, ubi uide quae adnotauit Gronouius. Paulo ante cur mutaretur particula *et*, ante *magistrum* idonea causa erat nulla. Intendit enim

debebatur. Nec deerat consternatae multitudini furialis fax tribunicia, quae temeritatem eius et ruentem comitaretur et languentem actionibus suis inflammaret. In hoc miserando pariter atque erubescendo statu ciuitatis tantum non manibus tribunorum pro rostris Piso conlocatus, cum hinc atque illinc ambissent ac Palicanum *num* suffragiis populi consulem creatum renuntiaturus esset interrogaretur, primo respondit non existimare se tantis tenebris offusam esse rem publicam ut huc indignitatis ueniretur. Deinde cum perseueranter instarent ac dicerent, 'Age, si uentum fuerit'? 'Non renuntiabo', inquit. Quo quidem tam absciso responso consulatum Palicano prius quam illum adipisceretur eripuit. Multa et terribilia Piso contempsit, dum speciosum mentis suae flecti non uolt rigorem.

Metellus autem Numidicus propter consimile perseuerantiae 4.
genus excepit quoque indignam maiestate ac moribus suis procellam. Cum enim animaduerteret quo tenderent Saturnini tribuni plebis funesti conatus quantoque malo rei publicae, nisi his occurreretur, erupturi essent, in exilium quam in legem eius ire maluit. Potest aliquis hoc uiro dici constantior, qui ne sententia sua pelleretur, patria, in qua summum dignitatis gradum optinebat, carere sustinuit?

Ceterum ut neminem ei praetulerim, ita Q. Scaeuolam au- 5.
gurem merito conparauerim. Dispulsis prostratisque inimicorum partibus Sylla occupata urbe senatum armatus coegerat ac

1. multitudinis *Γ*. || fax] *add.* potestas *Γ*. || tribunitia *(A.)* || 3. pariterque *F.* pariter et *Torr.* || 4. tantum non] tantummodo *F.* || 5. c. piso *Γ*. || illinc] *add.* eum *EFTorr.* || abiissent *F.* || 6. ac] an *corr. A.* et an *EFTorr.* || paliganum *ABCD.* pallicanum *F.* paliganumne *Γ*. || num] *om. ABCDEFΓTorr.* || creatum] *add.* an *BC.* || 7. primo] patrio *E*, populo *F.* || 8. effusam *F.* || hic indignatis *F.* || 11. paligano *DΓ.* pallicano *F.* || illud *F.* usum *D.* || 12. Multa — rigorem *om. Γ*. || 13. fleti *pr. A.* || uolt] *sic A.* uult *reliqui et Torr.* || 14. propter — (16.) enim] cum *Γ*. || 15. quoque *om. D.* || maiestati *F.* || 17. tribuni plebis] tr. p. *A.* || quantaque *D.* || rei publicae] p. r. *F.* || 19. Potest — (21.) sustinuit *om. Γ*. || 22. Ceterum — (23.) conparauerim *om. Γ*. || ei neminem *D.* || 24. senatus armatum *B et pr. C.*

totam illam sententiam, qua nouum iniuriae genus priori annectitur. Ipsum illud archetypi mendum, quo *magistro equitum* positum est, confirmat eam particulam, quae errandi causam praebuit.

3. *ac Palicanum)* Omissam in codice archetypo interrogandi particulam alii aliter e coniectura suppleuerunt. Equidem *num* inserui eo loco, ubi excidisse cum maxime credibile est. Paulo ante deleui pronomen *eum*, quod minime necessarium e deterioribus tantum codicibus receptum erat. De M. Lollio Palicano cf. Cic. Brut. 62, 223. id. Verr. II, 41, 100. Pseudo-Ascon. ad Verr. act. I §. 45 p. 148. Orell.

4. Cf. Cic. pro Balb. 5, 11. id. pro Sest. 47, 101. Liu. epit. libr. LXIX.

summa cupiditate ferebatur ut C. Marius quam celerrime hostis iudicaretur. Cuius uoluntati nullo obuiam ire audente solus Scaeuola de hac re interrogatus sententiam dicere noluit. Quin etiam truculentius sibi instanti Syllae 'Licet', inquit, 'mihi agmina militum, quibus curiam circumsedisti, ostentes, licet mortem identidem miniteris, numquam tamen efficies ut propter exiguum senilemque sanguinem meum Marium, a quo urbs et Italia conseruata est, hostem iudicem'.

6. Quid feminae cum contione? Si patrius mos seruetur, nihil. Sed ubi domestica quies seditionum agitata fluctibus est, priscae consuetudinis auctoritas conuellitur, plusque ualet quod uiolentia cogit quam quod suadet et praecipit uerecundia, Itaque te, Sempronia, Ti. et C. Gracchorum soror, uxor Scipionis Aemiliani, non, ut absurde grauissimis uirorum operibus inserens, maligna relatione conprehendam, sed, quia a tribuno plebei producta ad populum in maxima confusione nihil a tuorum amplitudine degenerasti, honorata memoria prosequar. Coacta es eo loci consistere, ubi principum ciuitatis perturbari frons solebat; instabat tibi toruo uultu minas profundens amplissima potestas; clamore imperitae multitudinis obstrepens totum forum acerrimo

---

2. Cuius uoluntati] uoluntati eius *F.* || 3. hac] ea *F.* || interrogatus] *ante* de hac *Torr. add.* I. P. rogatus sententiam *margo A.* || 4. intanti *pr. A.* minitanti *DFΓ et corr. A, Torr.* || scyllae *Γ.* || 9. §. 6. *om. Γ.* || concione *(A.)* || seruatur *F.* || 11. conuelletur *BCF et pr. A.* || 12. coegit *E.* || 13. semproniaq. et g. gracchorum *ABCEF.* || 15. plebeo *D.* plebis *EFTorr.* || 19. altissima *E.* || 20. clamor *correcti AD, Torr.* cum clamore *BEF.* cum clamor *C.* || obstreperet *BCEF et pr. A.* obstrepebat *DTorr.*

Plut. Mar. 29 et 43. id. Cat. mai. 32. App. ciu. I, 29. p. 172. Flor. III, 16. Auct. de uir. ill. 62. Oros. V, 17.

5. *truculentius sibi instanti)* Cod. archetypus *intanti,* quod seruatum in antiqua scriptura libri Bernensis, a correctore, quocum consentit alterius familiae altera pars, non male mutatum est in *minitanti,* sed et facilius aliquanto et, quia idem minitandi uocabulum statim sequitur, melius ab altera parte in *instanti* mutatum est, quod uerbum et saepius a Valerio adhibitum est (hoc capite §. 3, *Deinde cum perseueranter instarent;* et §. 6, *instabat tibi toruo uultu minas profundens amplissima potestas.* IIII, 1, ext. 2, *Instabat certo uultu index.),* et hoc loco apprime conuenit Syllae, armis circumsessum tenenti senatum urgentique ut C. Marium quam celerrime hostem iudicarent.

6. *clamore imperitae multitudinis obstrepens)* Bonis codicibus haec traduntur, *clamore imperitae multitudinis obstreperet,* unde diuersae librorum mss. familiae in diuersas digrediuntur coniecturas. Altera enim propter coniunctiuum, qui sequitur, *obstreperet,* ante *clamore* inseruit particulam *cum,* altera satis audaci mutatione posuit *clamor — obstrepebat,* quod recepit Vorstius, probauit Torrenius. Longe facillimam medicinam indicauit emendator libri Bernensis, coniunctiuum *obstreperet* permutans cum participio, dummodo ne simul ultimam

studio nitebatur ut Equitio, cui Semproniae gentis falsum ius quaerebatur, tamquam filio Tiberii fratris tui osculum dares. Tu tamen illum, nescio quibus tenebris protractum portentum, execrabili audacia ad usurpandam alienam propinquitatem tendentem reppulisti.

Non indignabuntur lumina nostrae urbis, si inter eorum 7. eximium fulgorem centurionum quoque uirtus spectandam se obtulerit. Nam ut humilitas amplitudinem uenerari debet, ita nobilitati fouenda magis quam spernenda bonae indolis nouitas est. An abigi debet † Totius ab horum exemplorum contextu? Qui pro Caesaris partibus excubans, Scipionis praesidio interceptus, cum uno modo salus ab eo daretur, si se futurum Cn. Pompei, generi ipsius, militem adfirmasset, ita respondere non dubitauit, 'Tibi quidem, Scipio, gratias ago, sed mihi uti ista condicione uitae non est opus'. Sine ullis imaginibus nobilem animum!

---

1. aequitio *A.* || cui] qui *BC.* enim *F.* || 2. quaerebat *E.* || 3. protractum] *add.* ut *E.* || 4. superandam *F.* || 6. Non — (9.) nouitas est *om. Γ.* || Vrbis nostrae lumina *Torr.* || 7. spectanda *E.* || 8. optulit *B.* || uenerari] *add.* solum *B.* || 9. nobilitate *ABCDEFTorr.* || 10. An] Non *Γ.* || abigi] *post* debet *Γ.* abici *DF et corr. A.* || cotius *corr. C.* C. occius *E.* pontius *F.* titius *DΓ.* || ab orum *pr. A.* || 12. eo] eis *Γ.* || 13. ipsius] sui l' ipsius *Γ.* || 14. ut *F.* || 15. Sine — (16.) animum *om. Γ.*

---

litteram in *clamore* induxisset. De L. Equitii conatibus cf. III, 2, 18, IX, 7, 1. IX, 15, 1.

7. Cf. Auct. bell. Afric. 44, 45.

nobilitati fouendus) Gerundiuum quod uocant aliquotiens cum ablatiuo et praepositione *a* coniungi, cum plerumque persona uerbi actioni subiecta dandi casu efferatur, adnotarunt grammatici. Ciceroniana quaedam exempla, in quibus tamen non nisi pronominum ablatiuus *(me, nobis, uobis)* cum praepositione *a* huic participio adiungitur, congessit Zumptius in arte §. 651. Cf. Periz. ad Sanct. Mineru. I, 15. Simplicem ablatiuum in hoc dicendi genere non memini legisse. Itaque aut supplenda erat praepositio *a*, ut proposuit Torrenius, aut scribendum cum Pighio et Colero *nobilitati;* quod equidem praefero, quia ne illius quidem insolentiae aliud exemplum extat in Valeriano opere. Nam VI, 6, 3, ubi consentientibus Perizonio et Torrenio e Paridis epitome recepi *a M. Claudio praetore dedendos curauerunt*, dandi casus, cum aliam prorsus efficeret sententiam, omnino locum non habet. Similiter autem librarium II, 9, 6 errasse apparet, cum male ibi in archetypo codice legeretur *communi stirpe seruandam relicturi*, quod correxit iam emendator libri Bernensis.

† *Totius)* Cum auctor commentarii de bello Africae, qui solus huius rei famam seruauit, centurionis nomen reticuerit, uitiosa archetypi scriptura cum aliqua similitudine ueri emendari uix poterit. Ad litterarum ductus proxime accedit *Titius* aut *Cottius* aut *T. Occius.* Praepostere autem Colerus, cum in malis quibusdam libris *pontius* legeretur, hunc addita praenominis nota *T* recepit, eundemque esse putauit, quem commemorasset Cic. Cat. mai. 10, 33 et de fin. I, 3, 9, de quo nihil aliud scimus, quam fuisse centurionem corporis uiribus insignem, aetate uero C. Iulio Caesare longe superiorem. Nihilominus

8. Idem constantiae propositum secutus Maeuius, centurio diui Augusti, cum Antoniano bello saepenumero excellentes pugnas edidisset, improuisis hostium insidiis circumuentus et ad Antonium Alexandriam perductus interrogatusque quidnam de eo statui deberet, 'Iugulari me', inquit, 'iube, quia non salutis beneficio neque mortis supplicio adduci possum ut aut Caesaris miles desinam aut tuus esse incipiam. Ceterum quo constantius uitam contempsit, eo facilius impetrauit. Antonius enim uirtuti eius incolomitatem tribuit.

Ext. 1. Conplura huiusce notae Romana exempla supérant, sed satietas modo uitanda est. Itaque stilo meo ad externa iam delabi permittam. Quorum principatum teneat Blassius, cuius constantia nihil pertinacius. Salapiam enim patriam suam praesidio Punico occupatam Romanis cupiens restituere, Dasium, acerrimo studio secum in administratione rei publicae dissidentem et alioquin toto animo Hannibalis amicitiae uacantem, sine quo propositum consilium peragi non poterat, ad idem opus adgrediendum maiore cupiditate quam spe certiore temptare ausus est. Qui protinus sermonem eius, adiectis quae et ipsum commendatiorem et inimicum inuisiorem factura uidebantur, Hanni-

1. Idem — Maeuius *om. Γ.* || secutus Maeuius] secut * * * us *A.* secutus ẽ n. *(litterae* ẽ n *in rasura) B.* secuti (secutus *corr.)* meuius (us *in rasura) C.* secutus menius *DE.* secutus quod eius *F.* secutus C. Meuius *Torr.* || 4. de eo] deo *pr. A.* || 5. inquit me *D.* || non] neque *Γ.* nec *Torr.* || 6. nec *C.* || 7. miles] *add.* esse *FΓ Torr.* || tutus *pr. C.* || esse *om. A.* || 8. Antonius — (9.) tribuit *om. E.* || 9. incolumitatem *BCDFΓ et corr. A, Torr.* || 10. Conplura — (13.) Salapiam enim] Et ut stilus noster ad externa transeat blasius selapiam *Γ.* || Quam plura immo huiusce *in rasura F.* || 11. stilum meum *DEF et corr. C. Torr. Cf. V.* 10, 3. || 12. blasius *F.* Blattius *est ap. Liu. XXVI.* 38. *Βλάττιος ap. App. Hann.* 45. || 13. Selapiam *Γ et in rasura A.* salutariam *BC.* salapinam *F.* || 14. clasium *DΓ.* || 16. alioqui *BC.* || animo toto *Torr.* || 17. peragere *F.* || id *corr. F.* || 19. adiectus *B.* adiectisque *E.* || 20. inuisorem *D.*

Colerum uerum uidisse credit Torrenius. Sed et ipse Valerius inepte hunc centurionem ea condicione uita donatum esse scripsit, si se Cn. Pompeii, generi ipsius, militem futurum affirmasset, cum quo tempore hoc acciderit, bello Africano, inter uiuos iam non fuerit Cn. Pompeius. Ceterum similem prorsus in Granio Petrone constantiam fidemque Caesarianis partibus praestitam laudat Plutarchus Caes. 16.

8. *Caesaris miles desinam aut tuus esse incipiam)* Incertum est utrum codex archetypus in altera tantum disiunctiuae sententiae parte habuerit uerbum *esse* an in neutra. Quod commode in priore ex altera subintellegitur, omnino taceri nequit. Quare id recepimus, quod Lipsio iam et Colero probatum, confirmatur eius familiae testimonio, quam littera X significauimus. Magis etiam dubium propter bonorum librorum lituras nomen est centurionis, in quo ponendo quem sequi poteramus optimus, codex Berolinensis *C*, exhibet *meuius*.

Ext. 1. Cf. Liu. XXVI, 38. App. bell. Hann. 45 p. 147.

bali retulit. A quo adesse iussi sunt, ut alter crimen probaret, alter defenderet. Ceterum *cum* pro tribunali res gereretur et quaestioni illi omnium oculi essent intenti, dum aliud forte citerioris curae negotium tractatur, Blassius uultu dissimulante ac uoce summissa monere Dasium coepit ut Romanorum potius quam Karthaginiensium partes foueret. Enimuero tunc ille proclamat se in conspectu ducis aduersus eum sollicitari. Quod quia et incredibile existimabatur et ad unius tantum auris penetrauerat et iactabatur ab inimico, ueritas fide caruit. Sed non ita multo post Blassii mira constantia Dasium ad se traxit Marcelloque et Salapiam et quingentos Numidas, qui in ea custodiae causa erant, tradidit.

Phocion uero, cum Athenienses rem aliter atque ipse suaserat 2.
prospere administrassent, adeo perseuerans sententiae suae propugnator extitit ut in contione laetari quidem se successu eorum, sed consilium tamen suum aliquanto melius fuisse diceret. Non enim damnauit quod recte uiderat, quia quod alius male consuluerat bene cesserat, felicius illud existimans, hoc sapientius. † Etiam sane blandum animum temeritati casus facit, ubi prauo

---

2. cum] *om. pr. A. post* tribunali *BCEFTorr.* || res urgeretur *B.* || 3. omniom *pr. A.* || intenti essent *E.* || certioris *C.* || 4. tractaretur *E.* tractabatur *F.* || ac] et *Torr.* || 5. clasium monere *DΓ.* || 7. conspectum *pr. A.* || Quod quia] Quodque *B.* || 8. et incredibile] et *om. F.* || ad *om. DΓ.* || aures *BDEΓTorr.* aurem *F.* || 9. ictabatur *pr. A.* dictabatur *corr. A.* || 10. ita] *om. E. ante* non *Γ.* || multo post] paulo plus *B.* || blasii *Γ.* || clasium *DΓ.* || 11. et *om. Torr.* || selapiam *ABCDΓ.* salapinam *F.* || eo *C.* || 12. causae *A.* || tradite *B. add.* sunt *corr. B.* || 13. uero *om. Γ.* || atque] quam *DF.* || 14. perseueranter *(litt.* ter *in rasura) A. add.* l' perseuerans *margo A.* || 16. sed] secundum *B.* || tamen consilium *Γ.* || aliquanto *om. F.* || 17. enim] *add.* ideo *Γ.* || quod quia *F.* || 18. gesserat *A.* gesserant *BCEF et corr. D.* || 19. Etiam] *sic A et pr. C. om. DEFΓ et corr. BC, Torr. De pr. B non liquet, quia sequentia in rasura scripta sunt.* || sane — facit] plerumque enim temeritatem casus adiuuat et *in rasura B.* plerumque enim temeritatem casus iuuat *EF et in rasura C.* || Blandum animum sane *Torr* || facit] iacit *AD.* || ubi] ut *F.*

---

2. *bene cesserat)* Defendit Torrenius quod in plerisque libris inuenit, non tamen in optimis, *gesserant*, refertque ad Athenienses, quos paulo ante rem prospere administrasse Valerius dixerat. Sed archetypi scriptura, seruata in Bernensi codice, erat GESSERAT, quam aptissime alterius familiae altera pars (x″) mutauit in *cesserat*, cum non de gerendi ratione ac modo, sed de rei gestae successu quaeratur, idque in uulgata exempla reductum a Pighio ne Torrenius quidem reiecit.

† *Etiam sane blandum animum)* Sic optimi libri, quibus nonnulli accedunt e codicibus Pighii, qui tamen pessimo exemplo transposita particula *etiam*, edidit *hoc etiam sapientius. Blandum animum sane* etc. Vnde mihi facillime, mutato *etiam* in *et*, usitatissimum Valerio dicendi genus restitui posse uidetur, quo hic scriptor ratiocinationes, quae praecedentia confirmant et nouis argu-

consilio propitius aspirat, quoque uehementius noceat, insperatius prodest. Placidi et misericordes et liberales omnique suauitate temperati mores Phocionis, quos optime profecto consensus omnium bonitatis cognomine decorandos censuit. Itaque constantia, quae natura rigidior uidetur, lenis ex mansueto pectore
3. fluxit. Socratis autem uirilitatis robore palliatus animus aliquanto praefractius perseuerantiae exemplum edidit.

---

1. proprius *F.* propius *Γ.* || speratius *AB et pr. D.* desperatius *F.* paratius *Γ.* || 2. prodet *F.* || 2. Placidi — (6.) fluxit *om. Γ.* || Placidi] *add.* sane *F.* || 3. omnium consensus *F.* || 5. uidetur *(litt.* tur *in rasura) A.* uidebatur *BE Torr.* uideretur *CD.* || ex] *sic pr. AC.* e *BDF et corr. A, Torr.* eius *E et corr. C.* || 6. Socratis — (7.) edidit *om. Γ.* || palliatus] uallatus *cod. Schotti, quod praetulit Torr.* || 7. praefractius] *in rasura A.* prostractius *pr. C.* profractius *corr. C.* praefectius *D.* praestantius *EF. Cf. VI, 5, ext. 4. IX, 7, mil. Rom. 3.* || dedit *F.*

---

mentis instruunt atque illustrant, per particulas *et sane* incepit. Cf. IIII, 1, ext. 9. V, 2, 8. V, 2, ext. 4. VI, 3, 9. VII, 2, 1 etc. Sed aliter haec explicanda sunt atque factum est a Torrenio, qui deleto illo *etiam* 'Casus', inquit, 'efficit ut homines iis blandiantur, quorum coepta temeraria felix sequitur euentus. Quod non fecit Phocion; quo magis admiranda sit eius constantia'. Sed primum primariam illam sententiam atque oppositionem, aliter sensisse Phocionem, post hanc asseuerationem taceri neutiquam licuit; neque enim in sequentibus ea inest, cum uerbis *Placidi et misericordes* etc. noua prorsus incipiat sententia, qua comparantur inter se Phocionis et Socratis perseuerantia, ita ut huius lenis et mansuetus animus uirili et rigidiori illius opponatur. Deinde inepte illa asseueratione, *Blandum sane animum (Et sane blandum animum)* etc. confirmaretur atque illustraretur contrarium quod putabatur Phocionis factum. Adeo enim ne Valerius quidem delirauit ut haec coniunxisse credi posset, 'Phocion minime blandum se praebuit temeritati; et sane blandum animum temeritati, casus facit'. At profecto Valerio Phocionis quoque animus aliqua ratione blandus uidebatur temeritati, quia non fortius ei se opposuerat, laetatus successu consilii, et felicius suo consilio ratus quod alius male consuluerat. Hac mente quasi excusandi Phocionis gratia, ni fallor, addidit *Et sane blandum animum temeritati casus facit* etc. Hac mente pergit *Placidi et misericordes — Phocionis mores. — Itaque constantia — lenis ex mansueto pectore fluxit.* Quae omnia uix intellegi possunt, si praecedentia aliter explicaueris. In deterioribus codicibus arbitraria correctione aliena ab hoc loco sententia effecta est; sequuntur namque post *sapientius* haec, *plerumque enim temeritatem casus iuuat,* quae inde transierunt in exempla impressa ante Pighium.

bonitatis) Cf. Nep. Phoc. 1. 1. Plut. Phoc. 10. Ael. u. h. III, 47. IIII, 16. XII, 43. De locutione *bonitatis cognomine* et similibus cf. Periz. anim. hist. p. 68 ed. Harl.

rigidior uidetur) Cum Bernensis libri antiqua scriptura sub litura euanuerit, neque e reliquorum codicum testimonio cognosci possit, quid in archetypo fuerit non certo constat. Sed necessarium utique praesens tempus est, *uidetur*, cum non uno eo facto, sed perpetuo et omni condicione austera atque aspera uideatur constantiae natura. Quare correctorem libri Danielini id reponentem secuti sumus, cum uulgo ederetur *uidebatur.*

3. Cf. Plat. apol. Socr. 21, p. 32 B. Xenoph. mem. IIII. 4.

Vniuersa ciuitas Atheniensium, iniquissimo ac truculentissimo errore instincta, de capite decem praetorum, qui apud Arginussas Lacedaemoniam classem deleuerant, tristem sententiam tulerat. Forte tunc eius potestatis Socrates, cuius arbitrio plebei scita ordinarentur, indignum iudicans tot et tam bene meritos ex indigna causa impetu inuidiae abripi, temeritati multitudinis constantiam suam obiecit, maximoque contionis fragore et incitatissimis minis conpulsus non est ut se publicae dementiae auctorem ascriberet. Quae oppositu eius legitima grassari uia prohibita, iniusto praetorum cruore manus suas contaminare perseuerauit. Nec timuit Socrates ne consternatae patriae undecimus furor mors ipsius existeret.

Proximum, etsi non eiusdem splendoris est, at aeque certum constantiae haberi potest experimentum. Efficacis operae forensis, 4.

1. ac] *om. AF.* ‖ truculentissimo *om. A.* ‖ 2. arriginnussas *A.* arriginnusas *B CD.* arigimimilas *E.* arigimusas *F. Vt nos Γ.* Arginusas *Torr. Vid. ad I, 1, ext.* 8. ‖ 3. lacedemonicam *F.* ‖ 4. Socrates] *add.* erat *F.* ‖ plebei sita *B.* plebiscita *CDEF Torr.* ‖ 5. ex] * * *A.* et *BCDΓ.* ‖ 8. publicie *D.* ‖ clementiae *Γ.* ‖ 9. auctorem * * *A.* actorem *D.* ‖ legiam *B.* ‖ 11. ne] ut *B.* ‖ 13. Proximum — (14.) experimentum *om. Γ.* ‖ etsi] et *D.* ‖ at aeque] ad eaq. *(sic) pr. A.* adeoque *BC et corr. A.* adeo quoque *D.* tamen *EF.* tamen adeo *Torr.* ‖ 14. experimentum] *add.* tamen *corr. A.* ‖ cum efficacis *Torr.* ‖ operis *(litt.* is *in rasura) D.*

4. *at aeque certum)* Quae inde a Pighio hucusque edebantur, *Proximum etsi non eiusdem splendoris est, tamen adeo certum constantiae haberi potest experimentum, cum efficacis operae forensis, tum fidei non latentis. Athenis Ephialtes* etc., non minus fide librorum manuscriptorum quam omni communi sensu carent. Torrenius, et ipse longe discedens a tradita scriptura, legendum proposuit *Proximum etsi non eiusdem splendoris, adeoque certum constantiae haberi potest experimentum, est tamen efficacis operae forensis, fidei non latentis*, nec repugnaturum se dicit, si quis malit *ac fidei;* in quibus certe secundum artis praecepta ponendum erat *neque adeo certum.* Equidem mutata scribendi ratione duabusque litterulis transpositis antiqua Valerii uerba restituisse me confido. Dedi enim *at* pro *ad* et *aeque* pro *eaque*, quod habet codex Bernensis, alterum hoc ex egregia Perizonii coniectura, qui tamen fide haud praestantissimi sui codicis, ut uidetur, deceptus, maluit *aeque tamen.* Deinde mutata distinctione uu. *efficacis operae forensis, fidei non latentis*, quae causam continent cur Ephialtae publici accusatoris munus delatum sit, a praecedentibus, quibuscum nihil cohaerent, seiuncta cum sequentibus conexi. Quae cum omnia necessaria sint et perspicua, nonnulla tamen, ut omnis eximatur dubitatio, similibus illustrabo exemplis. Et primum quidem oppositio, quae fit per *etiamsi (etsi, si) non — at*, frequentissima est. Cf. Cic. de orat. III, 4, 14. id. pro Quint. 31, 97. id. Verr. V, 27, 69 et III, 85, 195. Caes. b. Gall. I, 43. Hand. Turs. I, p. 427. Deinde genitiuos qualitatis quos uocant eodem modo ut h. l. *efficacis operae forensis, fidei non latentis ἀσυνδέτως* duos composuit Val. V, 10, 2, *ex quattuor filiis formae insignis, egregiae indolis.* VI, 2, 8, *municipali homini — effrenatae temeritatis, intolerabilis spiritus.* VIII, 15, 5, *uetustae originis, optimi nominis gens.* IX, 2, ext. 5, *liberalis formae, optimae spei puerum*, ubi uulgo contra codicum mss. auctoritatem edebatur *optimaeque.*

fidei non latentis Athenis Ephialtes accusare publice iussus et inter ceteros Demostrati nomen deferre coactus est, cuius filius erat Democharis, excellentis formae puer, animo eius flagrantissimo inhaerens amore. Itaque communis officii sorte truculentus accusator, priuati adfectus condicione miserabilis reus, puerum ad se exorandum quo parcius patris criminibus insisteret uenientem neque repellere neque supplicem genibus suis aduolutum intueri sustinuit, sed operto capite flens et gemens preces expromere passus est, nihilominusque sincera fide accusatum Demostratum damnauit. Victoriam nescio laude an tormento maiore partam! quoniam prius quam sontem opprimeret se ipsum uicit Ephialtes.

5. Quem Syracusanus Dio seueritate exempli praegrauat. Quibusdam monentibus ut aduersus Heraclidem et Calippum, quorum fidei plurimum credebat, tamquam insidias ei nectentis

---

1. tum fidei *Torr.* || alphialtes *B.* ephilates *F.* || iussus] *add.* est *F.* || 2. demonstranti *pr. A.* demostranti *B.* demonstrati *CΓ et pr. D.* democrati *corr. D. Sic et infra.* || est *om. F.* || 3. democares *EF.* || fraglantissimo *pr. A.* fragrantissimo *F.* || 4. Itaque] Igitur *Γ.* || sorte *om. C.* || 5. effectus *F.* || reus] *add.* epialtem *F.* || 7. supplicare *F.* || genibus suis] pedibus eius] *Γ.* || 8. aperto *BC.* || 9. exprimere *F.* || nihilominus qui *A.* nihiloque minus *Torr.* || 10. demonstratum *pr. A.* || 11. maiorem *EF.* || prius] plus *E.* || sortem occideret *F.* || 12. aphialtes *B.* elphialtes *F.* || 13. Quem — praegrauat] Syracusanus autem diu *Γ.* || Dio seueritate] diu seueritate *A.* diuersitate *BCEF et litt.* ersitate *in rasura D.* Dion diuersitate *Torr.* || praegrauat] *add.* qui *EF et corr. A. Torr. Vid. ad II, 10, ext. 2.* || 14. Eraclidem *AΓ.* || 15. ei insidias *DΓ.* || nectentes *DEF et corr. Γ, Torr.*

Denique ne quem offendat uerborum positio, cum illos genitiuos sequatur *Athenis Ephialtes,* plane eodem ordine composuit Valerius VI, 9, ext. 1 *Perditae luxuriae Athenis adulescens Polemo* et VI, 2, ext. 2 *Senectutis ultimae quaedam Syracusis omnibus Dionysii tyranni exitium — expetentibus,* ubi inuitis libris hucusque legebatur *Syracusanis omnibus.* Cf. etiam I, 7, ext. 6. Ceterum Ephialtem eundem illum esse existimat Perizonius, quem Plutarchus commemorauit in uita Periclis c. 19. Sed res ualde incerta est.

5. Cf. Plut. Dion. 56.

Dio seueritate) Miror grammaticos ineptissimam scripturam, *Dion diuersitate exempli praegrauat,* quae ne librorum quidem testimonio commendatur, pertinaciter retinentes, idque postquam Lipsius 'e uetere codice' emendauit *seueritate,* causam corruptelae detexit Torrenius, ortae quod, cum librarii a nomine *Dio* eodem modo ut IIII, 1, ext. 3 aberrassent in *diu,* in deterioribus codicibus male hoc coaluit cum insequenti uoce *seueritate.* Scrupulosis hominibus omnem nunc excutiat dubitationem longe praestantissimus codex Bernensis. Seueritate autem hoc exemplum superius praegrauasse dicitur, ut recte animaduertit Vorstius, quia illud amatorium et tenerum erat.

Calippum) Ita appellatur a Plutarcho (l. c. Tim. 11. Nic. 14.) Diod. Sic. XVI, 31, 36. Athen. XI, p. 508 E, Callicrates a Cornelio Nepote Dion. 8, 1. et sqq.

cautior esset, respondit uita se malle excedere quam uiolentae mortis amicos inimicis iuxta ponere.

Quod sequitur et rei ipsius admiratione et claritate auctoris inlustre. Alexander, Macedonum rex, incluta iam pugna excellentissimis opibus Darei contusis, aestu et itineris feruore in Cilicia percalefactus, Cydno, qui aquae liquore conspicuus Tarson interfluit, corpus suum inmersit. Subito deinde ex nimio haustu rigoris obstupefactis neruis ac torpore hebetatis artubus maxima cum exanimatione totius exercitus in oppidum castris propinquum defertur. Iacebat aeger Tarsi, inque ualitudine eius aduersa instantis uictoriae spes fluctuabat. Itaque conuocati medici adtentissimo consilio salutis remedia circumspiciebant. Quorum cum ad unam potionem sententiae direxissent atque eam Philippus medicus suis manibus temperatam Alexandro, erat autem ipsius amicus et comes, porrexisset, a Parmenione

---

1. se uita *Torr.* || in *om. D Torr.* || 2. uiolente *pr. A.* uiolento *corr. A.* || inimicosque *corr. A, Torr.* || 3. Quod — (4.) inlustre *om. Γ.* || et rei] ex rei *F.* || 4. inclita *corr. A.* inclyta *uel* inclita *reliqui et Torr.* || iam *om. Γ et pr. D.* || 5. darii *B C D E F Γ Torr.* || contusus *pr. F.* || et *om. F.* || 6. cygno *pr. C.* cigno *E F.* aduo *B.* tyduo *D.* cidno *Γ.* || 7. tharson *Γ et corr. A.* Tarsum *Torr.* || immergit *D Γ.* || 8. obstupefactus *E.* || neruis *om. E.* || ac] et *B.* || corpore *F.* corporis *D.* || artubus] amnibus *F.* || 9. maxima *om. Γ.* || 10. proximum *F.* || deferre *B.* || tharsi *Γ et corr. A.* || 12. circuminspiciebant *Γ.* || 13. Quorum] qui *D Γ et corr. C, Torr.* || dum *F.* || sententiam *A B C D E F Γ Torr.* || atque] et *Γ.* || 14. medicus *om. E.* || 15. erat — ipsius] cuius erat *D.* || aut *F.* || amicus ipsius *E F.* || porrexisset] *ante* erat autem *Γ.*

---

amicos inimicis iuxta ponere) *Iuxta* cum accusatiuo et datiuo dictum esse testatur Priscian. XVIII, p. 1172, et sane Liuius XXIIII, 19, 6, quem citauit Torrenius, scripsit *omittendam rem paruam ac iuxta magnis difficilem.* Cf. Periz. ad Sanct. Mineru. I, 16, 1. p. 146. Hoc loco praepositio arte cum uerbo cohaeret, quocum unam efficit ex aequo ponendi notionem, adeo ut non insolenter adiungatur dandi casus. Certe cur a conspirante omnium librorum testimonio discederent editores idonea causa erat nulla.

6. Cf. Plut. Alex. 19. Arrian. II, 47. Curt. III, 5. Iustin. XI, 8. Senec. de ira II, 23.

Quorum cum ad unam) Omnibus bonis codicibus haec traduntur, *Quorum cum ad unam potionem sententiam direxissent.* Quae in exemplis ad familiam x' pertinentibus recte quidem emendata sunt posito *Qui* pro *Quorum*, sed sine ulla ueri similitudine Valerium id ipsum scripsisse, librarios tam mire lapsos esse. Ne recte quidem Torrenius, enunciati subiectum ratus Philippum, potionis suasorem et temperatorem, cuius tamen mentio postea demum inicitur, legendum coniecit *Quorum cum — sententiam direxisset.* Sine dubio leni et probabili mutatione Lipsius antiquam Valerii scripturam restituit, quem nos secuti sumus. Ita absolute interdum dirigere dicti sunt qui se dirigunt. Cf. Tac. hist. IIII, 58, *cum Romanae legiones contra derexerint.* (Sic cod. Med. Cf. Lachm. ad Lucr. p. 247.) Auct. bell. Hisp. 29, 2, *Hinc dirigens proxima planicies aequabatur.* Appul. met. II. p. 122. Oud. *Comminus, si uir es, dirige.*

missae litterae superueniunt, admonentes ut rex insidias Philippi perinde ac pecunia corrupti a Dareo caueret. Quas cum legisset, sine ulla cunctatione medicamentum hausit, ac tum legendas Philippo tradidit. Pro quo tam constanti erga amicum iudicio dignissimam a dîs inmortalibus mercedem recepit, qui incolomitatis eius praesidium falso interpellari indicio noluerunt.

1. litterae missae *Γ*. || 2. corrupti] *post* Dareo *Γ*. || dario *BCDEFΓTorr.* || 3. ac] has *E*. || tunc *Torr.* || 5. mercede *B*. || incolumitatis *BCDEFΓ et corr. A. Torr.* || 6. iudicio *EF et pr. A.*

VALERI MAXIMI

FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM

LIBER QVARTVS.

DE MODERATIONE.

Transgrediar ad saluberrimam partem animi, moderationem, I.
quae mentes nostras inpotentiae *et* temeritatis incursu transuersas
ferri non patitur. Quo euenit ut reprehensionis morsu sit uacua
et laudis quaestu sit opulentissima. Itaque effectus suos in
claris uiris recognoscat.

Atque ut *ab* incunabulis summi honoris incipiam, P. Vale- 1.
rius, qui populi maiestatem uenerando Publicolae nomen adse-
cutus est, cum exactis regibus imperii eorum uim uniuersam
omniaque insignia sub titulo consulatus in se translata cerneret,
inuidiosum magistratus fastigium moderatione ad tolerabilem
habitum deduxit, fasces securibus uacuefaciendo et in contione

1. VALERI — (3.) QVARTVS] VALERI (Valerii *C*) MAXIMI LIB. III EXPL. INCIPIT LIB. IIII *ABC*. Expl. lib. III incip. IIII *EF*. Valerii maximi dictorum ac factorum memorabilium lib. III explicit incipit lib. IIII *D. om. Γ*. VALERII MAXIMI FACTORVM DICTORVMQVE MEMORABILIVM LIBER QVARTVS *Torr.* || 5. transgredior *B.* || 6. impotenti *Γ.* || et *om. BCDEFΓ et pr. A.* || 8. quaestu sit] sit *om. Torr.* || effectus suos in *om. pr. B.* || suos *om. Γ.* || 10. Atque — incipiam *om. Γ.* || ab *om. B et pr. A.* || cunabulis *D.* || P.] *add.* ergo *Γ.* || 11. populi] propter *F.* || Poplicolae *Torr.* || 14. moderatione • *A.* moderatione sua *F.* || 15. habitum] actum *B.* || contentione *BC.*

inpotentiae et temeritatis incursu) Sic uetera exempla ante Pighium, qui e codice Cauchiano, ut uidetur, non male edidit *impotenti temeritatis incursu*. Illud reuocauit Torrenius, quamquam suspicatur fortasse omnino eliciendum esse *temeritatis* tamquam ex interpretatione praecedentis uocabuli ortum. Sed quid similius est ueri quam copulam *et* interiisse in archetypo libro inter litteras *e* et *t*?

1. Cf. Liu. II, 7, 8. Dion. Hal. V, 19. Plut. Publ. 10. Flor. I, 9, 4.

populo submittendo. Numerum quoque eorum dimidia ex parte minuit, ultro Sp. Lucretio collega adsumpto, ad quem, quia maior natu erat, priorem fasces transferri iussit. Legem etiam comitiis centuriatis tulit ne quis magistratus ciuem Romanum aduersus prouocationem uerberare aut necare uellet. Ita, quo ciuitatis condicio liberior esset, imperium suum paulatim destruxit. Quid quod aedes suas diruit, quia excelsiore loco positae instar arcis habere uidebantur? nonne quantum domo inferior tantum gloria superior euasit?

2. Vix iuuat abire a Publicola, sed uenire ad Furium Camillum libet. Cuius tam moderatus ex magna ignominia ad summum imperium transitus fuit ut, cum praesidium eius ciues capta urbe a Gallis Ardeae exulantis petissent, non prius Veios ad accipiendum exercitum iret quam de dictatura sua omnia sollemni iure acta conperisset. Magnificus Camilli Veientanus triumphus, egregia Gallica uictoria, sed ista cunctatio longe admirabilior. Multo enim multoque se ipsum quam hostem superare operosius est, nec aduersa praepropera festinatione fugientem nec secunda effuso gaudio adprehendentem.

---

1. populum *F.* || 2. diminuit *F.* || lutetio *A. add.* u. lucretio *margo A.* lucetio *B.* || quia] qui *C.* || 3. priorum *corr. A.* priores *E F et corr. C. Torr.* || etiam] et *F.* || 4. romanus *B.* || 6. ciuitatis condicio] consio ciuitatis *F.* || 8. domo *om. F.* || 10. Vix — (11.) Cuius] Furii quoque Camilli *Γ.* || 12. a Gallis urbe *(F) Torr.* || 13. Ardeae exulantis] *ante* capta *Γ.* arde ciuitate exulantis *F.* || 14. de] in *D.* || 15. iure] more *F.* || ueianus *F.* || 16. ista *om. F.* || conctatio *AΓ.* contatio *E.* cuntatio *F.* || 17. multoque *om. Γ.* || operisius *F.* || 18. propera *E.*

---

dimidia ex parte minuit) Explicat Vorstius initio XXIIII fasces consulibus esse praelatos, singulis duodecim. Quae res cum inuidiosa uideretur populo tamquam duplicata, non electa regia potestate, Publicolam instituisse ut duodecim tantum fasces essent, quibus alternis mensibus alter consul uteretur, idque confirmari putat Dionysii et Dionis Cassii auctoritate. In quibus hoc quidem recte uidit, Valerii uerba aliter intellegi non posse; de re ipsa fallitur. Neque enim umquam XXIIII consulum fasces fuisse declarat Liu. II, 1, cum dicat omnia iura omniaque insignia regiae potestatis primos consules tenuisse; id modo cautum esse ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror uideretur. Brutum concedente collega (Tarquinio Collatino) priorem fasces habuisse. Quibuscum consentit Dionysius. Dionis Cassii quemnam locum in mente habuerit Vorstius indagare non potui. Ita Valerium Maximum a uero discessisse dicamus oportet, partim noua commentum, partim ad Publicolam referentem quae Bruti et Collatini erant. Nescio tamen an similiter errauerit Plutarchus l. c. cum populum increpantem facit Publicolam, *μιμεῖσθαι Ταρκύνιον, ὑπὸ ῥάβδους ὁμοῦ πάσας καὶ πελέκεσι κατόντα μόνον.*

2. Cf. Liu. V, 46. Plut. Cam. 24.

Par Furio moderatione Marcius Rutilus Censorinus. Iterum 3.
enim censor creatus ad contionem populum uocatum quam potuit grauissima oratione corripuit, quod eam potestatem bis sibi detulisset, cuius maiores, quia nimis magna uideretur, tempus coartandum iudicassent. Vterque recte et Censorinus et populus. Alter enim ut moderate honores crederent praecepit, alter se moderato credidit.

Age, L. Quintius Cincinnatus qualem consulem gessit? 4.
Cum honorem eius patres conscripti continuare uellent, non solum propter illius egregia opera, sed etiam quod populus eosdem tribunos in proximum annum creare conabatur, quorum neutrum iure fieri poterat, utrumque discussit, senatus simul studium inhibendo et tribunos uerecundiae suae exemplum sequi cogendo, atque unus causa fuit ut amplissimus ordo populusque tutus esset ab iniusti facti reprehensione.

Fabius uero Maximus, cum a se quinquies et a patre, auo, 5.
proauo maioribusque suis saepenumero consulatum gestum animaduerteret, comitiis, quibus filius eius summo consensu consul

---

1. Par — Marcius] *M.* etiam *Γ.* || marcus *B.* martus *C.* *M. Par.* || rutilius *AC DEFΓPar. Torr.* tullius *B.* || 2. enim *om. Γ.* || contentionem *BC.* cõctioẽ *Γ. add.* enim *E.* || 3. sibi *om. F.* || 4. tempus] tunc *F.* || 7. moderate] moderatione *F.* || 8. Age — (9.) honorem eius] Cum Lucii quintii cincinnati consulatum *Γ.* || quintus *EF.* || 9. honores *B.* || 10. populos *pr. A.* || 11. tributos *B.* || conabatur] *add.* I. P. destinabat *margo A.* || 12. fieri iure *F.* || studium simul *E.* || 14. atque] ita *Torr.* || unius *DFΓ.* || 18. eius filius *F.*

---

3. Cf. Plut. Coriol. 1.

Marcius Rutilus Censorinus) Sic emendaui contra librorum Valerianorum et Paridis auctoritatem, cum uulgo ederetur *Rutilius*, quorum consensus h. l. non magni est momenti, quoniam solito errore constanter fere ita aliorum quoque scriptorum librarii peccauerunt. Cf. Drak. ad Liu. VII, 17, 6. Neque uero duo gentilicia nomina uni illi uiro conueniunt. Loquitur autem Valerius de C. Marcio Rutilo Censorino, consule a. u. c. 444 (Liu. IX, 33. Fast. Capit. ubi tamen Gruterus quoque edidit *RVTILIVS*), censore a. u. c. 461 et 489 (Liu. X, 47.) eumque legis auctorem extitisse scribit Plutarchus ne quis posthac iterum censor crearetur.

4. Cf. Liu. III, 21.

tribunos uerecundiae suae exemplum sequi) De eo, quod tribuni Quintii moderationem secuti esse dicuntur, apud alios historiae auctores nihil inueni scriptum. Quin etiam Liuius aperte eosdem tribunos plebis reclamantibus consulibus refectos esse eoque facto demum patres conscriptos, ne quid cederent plebi, et ipsos L. Quintio consulatum continuare uoluisse testatur. Quam Valerii Liuiique discrepantiam iam Glareanus adnotauerat.

5. *Fabius uero Maximus)* Referenda haec sunt ad Q. Fabium Maximum Rullianum, de quo, cum ipsum populus suffragiis quartum consulem diceret, simile moderationis exemplum retulit Liuius X, 13, et ad filium eius Q. Fabium Gurgitem, consulem primum a. u. c. 462.

creabatur, quam potuit constanter cum populo egit ut aliquando uacationem huius honoris Fabiae genti darent, non quod uirtutibus filii diffideret, erat enim inluster, sed ne maximum imperium in una familia continuaretur. Quid hac moderatione efficacius aut ualentius, quae etiam patrios adfectus, qui potentissimi habentur, superauit?

6. Non defuit maioribus grata mens ad praemia superiori Africano exsoluenda, siquidem maxima eius merita paribus ornamentis decorare conati sunt. Voluerunt illi statuas in comitio, in rostris, in curia, in ipsa denique Iouis optimi maximi cella ponere; uoluerunt imaginem eius triumphali ornatu indutam Capitolinis puluinaribus applicare; uoluerunt ei continuum per omnes uitae annos consulatum perpetuamque dictaturam tribuere. Quorum nihil sibi neque plebiscito dari neque senatus consulto decerni patiendo paene tantum se in recusandis honoribus gessit quantum egerat in emerendis.

Eodem robore mentis causam Hannibalis in senatu protexit, cum eum ciues sui missis legatis tamquam seditiones apud eos mouentem accusarent. Adiecit quoque non oportere patres conscriptos se rei publicae Karthaginiensium interponere, altissimaque moderatione alterius saluti consuluit, alterius dignitati, uictoria tenus utriusque hostem egisse contentus.

7. At M. Marcellus, qui primus et Hannibalem uinci et Syra-

1. uacationem aliquando *Torr.* || 2. daret *FPar. Vid. ad VIII.* 11, 2. || quod] qui *B.* || 3. filii uirtutibus *Torr.* || illustris *EFTorr.* || 5. ualentius aut efficacius *Torr.* || qua *D.* || etiam] et *E.* || patris *F.* || 7. Non — (8.) merita] Superioris Africani merita maiores *Γ.* || 8. eius maxima *D.* || 9. dedecorare *F.* || 10. maximi *om. EΓ.* || 14. nihil] *om. F et pr. A. post* sibi *corr. A.* || 15. se] *post* honoribus *Torr.* || 16. egerat] gesserat *ΓTorr. Cf. VII.* 7, 7. || merendis *E et in rasura B.* emendis *CΓ.* gerendis *F.* || 18. eum] enim *B.* || sui missis] summissis *DΓ.* || seditionem *F.* || 19. molientem *EF et corr. C.* || adiecitque *Γ.* || 20. se—Karthaginiensium] cartaginensium factis *F.* || re publica *E.* || 22. uictoriam *F.* || hostis *F.* || 23. prius *E.*

inluster) Vno praeterea huius operis loco, ubi uirile huius adiectiui genus recto casu positum est, eodem modo in optimis quibusque libris scribitur *inluster*, IIII, 3, 5. De qua terminatione, etiamsi aliud eius exemplum nondum inuenerim praeter Marcelli Empirici medici in titulo libri, qui inscribitur de medicaminibus empiricis, quod exemplum citauit Forcellinius, non est cur dubitemus, cum aliarum quoque appellationum uirile genus modo in *er*, modo in *is* desinat, ut *celeber* et *celebris*, *saluber* et *salubris*, *acer* et *acris*, nec aliter *equester*, *terrester*, *siluester*. Cf. Zumpt. art. §. 100 not.

6. Cf. Liu. XXXVIII, 56.

Eodem robore mentis) Cf. Liu. XXXIII, 47.

7. Cf. Liu. XXVI, 29 et sqq. Plut. Marc. 23.

cusas capi posse docuit, cum in consulatu eius Siculi de eo questum in urbem uenissent, nec senatum ulla de re habuit, quia collega Valerius Laeuinus forte aberat, ne ob id Siculi in querendo timidiores essent, et, ut is redit, ultro de his admittendis rettulit, querentisque de se patienter sustinuit. Iussos etiam a Laeuino discedere remanere, ut suae defensioni interessent, coegit, ac deinde utraque parte perorata et excedentes curia subsecutus est, quo liberius senatus sententiam ferret. Improbatis quoque eorum querellis supplices et orantes ut ab eo in clientelam reciperentur clementer excepit. Super haec Siciliam sortitus ea prouincia collegae cessit. Totiens laudatio Marcelli uariari non potest, quotiens ipse nouis gradibus moderationis aduersus socios usus est.

1. posse capi *B.* || consulatum *ABCD et pr. E.* || 3. quia collega — ob id *om. pr. A.* || haberat *F.* || in querendo] inquirendo *D.* || 4. essent] forent *Γ.* || rediit *BCDEFΓ Torr.* || 5. querentesque *DEFΓ Torr.* querentis quod *C.* || 6. a l. laeuino *ABΓ.* a v. laeuino *D.* a l. leuinus *C.* || 7. deinde] *add.* de *C.* || perorta *E.* || et] *erasum A.* etiam *FTorr. om. Γ.* || 8. curiam *corr. F.* e curia *Γ.* || insecutus *F.* || quod *BC.* || 9. quaerellis *pr. A.* || 11. eam prouinciam *EΓ, pr. D, corr. A. Torr.* prouinciam (*omisso* eam) *F.* || toties *pr. A.* || 12. non] *punctis notat. C. om. Torr.* || quoties *pr. A.* || nouis] *ante* ipse *Torr.* nobis *pr. A.* || moderatione *BF et pr. C.*

a Laeuino) Boni codd. *a l. laeuino.* Sed erat M. Valerius Laeuinus, consul II cum M. Marcello IIII consule a. u. c. 544. Errorem in praenomine hoc loco librariis potius tribuendum esse censui, repetentibus priorem insequentis uocabuli litteram, quam ipsi Valerio, qui si omnino addere uoluisset praenomen, sine dubio supra id fecisset, ubi gentilicium quoque nomen positum est.

ea prouincia collegae cessit.) Conspirantibus bonis libris *ABC* sextum casum reuocaui, cum antea ederetur *eam prouinciam.* Quem, si accuratius examinaueris libros mss., Valerium constanter cum cedendi uerbo coniunxisse repperias ad insigniendum locum uel rem relictum aut omissum, ut alius eum occupet, excepto I, 5, 8, ubi sane meliores etiam libri cum uulgatis exemplis recte tradunt *effigiem Solis, quam tantummodo supplicibus cesserat.* Nulla discrepantia est in his VII, 3, 3, *instrumentoque suo cupide nostris cessit* (inbellis ac timida iuuentus); neque V, 7, ext. 2, *Seleucus quidem uxore, Ariobarzanes autem filio suo Cappadociae regno cessit,* nisi quod super *e* in *uxore* recentiore manu in codice Bernensi lineola addita est. In eodem codice I, 5, 4 primitus quidem erat *libenter tibi meam sedem cedo,* sed altera familia, cui accedit Paridis epitome, tuetur ablatiuum. Item ex optimis codd. *ABC* IIII, 1 ext. 7 restitui *cessit ea Bianti,* quamuis ibi pro deterioribus stet Paris. Denique V, 7, ext. 1 accusatiuus in his, *carissimam sibi coniugem filio cedere non dubitauit,* licet in eo consentiant omnes fere libri, locum habere uix potest propter id quod statim sequitur, *At Seleucus quidem uxore* etc., recteque praestantior Berolinensis *C* et Paris seruarunt *carissima — coniuge.*

uariari non potest) Male editores sublata negatione sustulerunt sententiam. Quid enim illud est, quod totiens laudari posse praedicatur Marcellus, quotiens moderatione excelluerit? Immo contrarium dici debuit, linguam non permittere tot laudationum uariationes, quot moderationis exempla ediderit Marcellus. Quod cum intellegeret Torrenius, mire tamen et falso uulgatam scripturam ita explicat, totiens Marcellum nouum et proprium laudis genus meritum esse, quotiens

8. Quam Tiberius etiam Gracchus admirabilem se exhibuit! Tribunus enim plebis, cum ex professo inimicitias cum Africano et Asiatico Scipionibus gereret et Asiaticus iudicatae pecuniae satisdare non posset atque ideo a consule in uincula publica duci iussus esset appellassetque collegium tribunorum, nullo uolente intercedere, secessit a collegis decretumque conposuit. Nec quisquam dubitauit quin *in* eo scribendo † irati noctis aduersus Asiaticum uerbis usurus esset. At is primum iurauit se cum Scipionibus in gratiam non redisse. Deinde tale decretum recitauit, cum L. Cornelius Scipio die triumphi sui ante currum actos hostium duces in carcerem coniecerit, indignum et alienum maiestate populi Romani uideri, eodem ipsum duci. Itaque id

2. tr̃. enim pl. *A.* || 3. Asiatico] *add.* I. P. gnaeo *margo A.* || iudicatae] ius datae *F.* || 4. consulibus *D.* || 5. appellassetque] que *om. F.* || 6. collegiis *A.* || 7. in *om. ABCDEFΓTorr.* || irati noctis] *sic A. add.* u. ira exortis *margo A.* irati hominis *B.* irati hostis *CEFTorr.* irati notis *DΓ.* || 8. ac *F.* || 9. recitatum *B.* || 11. carcerem] uincula *Γ.* || indignum alienum *pr. A.* alienum et indignum *E.* || 12. a maiestate *Γ et corr. A, Torr.* || populi Romani] p. r. *A.* r. p. *uel* rei publicae *BCDEFΓ.* || uideri *om. F.* || eundem *BCDEFΓ et pr. A.*

nouo usus est moderationis gradu'. Sed quid multa, cum negatiua particula a codicibus firmissima sit? Eandem sententiam Valerius V, 2, ext. 3 expressit, *nec huius* (populi Romani) *munificentia nec illius* (Attali) *tam memor beneficii animus tot uerbis laudari potest, quot amplissimae ciuitates uel amice datae uel pie redditae sunt.*

8. Cf. Cic. de prou. cons. 8, 18. Liu. XXXVIII, 60. A. Gell. VII, 19. Quint. decl. 9. Auct. de uir. ill. 53 et 57.

a consule) Immo a praetore Q. Terentio, teste Liuio. A. Gellius, qui ipsa eius decreti uerba ex annalium monumentis exscripsit, C. Minucium Augurinum tribunum plebei multam irrogasse L. Scipioni declarat et iussisse in carcerem eum duci, ni praedes daret. Error est ipsius Valerii, in designandis magistratibus non accuratissimi. Cf. praef. p. 29.

quin in eo scribendo) Sic codd. Leidensis quintus et Perizonii. Id se praeferre dicit Torrenius Perizoniumque ita coniecisse narrat, sed ipsum statim addidisse non necessariam esse mutationem. Equidem qua ratione ablatiuus sine praepositione explicari possit non intellego. Neque enim sententia hominum erat Gracchum eo ipso, quod decretum illud scripsit, iratis uerbis usurum esse contra Scipionem, sed usurum iis in eo scribendo. Quare suppleui praepositionem *in* et omnino necessariam et facile omissam post *quin*.

† *irati noctis aduersus Asiaticum uerbis)* Varii sunt et infelices conatus emendandae archetypi corruptelae. Nam praeter eos, quos e nostris libris manuscriptis enotauimus, Torrenius ex aliis *iracundis*, ex aliis *ira commotis* communicauit. Minime profecto id satisfacit, quod editores tacite huc usque admiserant, *irati hostis*. Ni omnia me fallunt, deleta una littera scribendum est *ira tinctis*. Eodem modo et nescio an aliquanto etiam improprius Quintilianus IIII inst. or. 2, 117 composuit, (uerba) *expressa et, ut uult Zeno, sensu tincta esse debebunt*. Mart. epigr. X, 33, 5, *si uiridi tinctos aerugine uersus Forte malus liuor dixerit esse meos*. id. VIII, 3, 19 *At tu Romano lepidos sale tinge libellos*. Atque etiam Cicero in Brut. 58, 211 Laeliam *patris elegantia tinctam* fuisse dixit.

eodem ipsum duci) Exempla ante Pighium impressa conspirantibus codi-

non passurum fieri. Libenter tunc opinionem suam populus Romanus a Graccho deceptam cognouit, moderationemque eius debita laude prosecutus est.

Gaius quoque Claudius Nero inter cetera praecipuae mode- 9.
rationis exempla numerandus est. Liui Salinatoris in Hasdrubale opprimendo gloriae particeps fuerat. Tamen eum triumphantem equo sequi quam triumpho, quem senatus ei aeque decreuerat, uti maluit, quia res in prouincia Salinatoris gesta erat, atque ita sine curru triumphauit, eo quidem clarius, quod illius uictoria tantummodo laudabatur, huius etiam moderatio.

Ne Africanus quidem posterior nos de se tacere patitur. 10.
Qui censor, cum lustrum conderet inque solitaurili sacrificio

1. non se fieri passurum *Torr. Vid. ad IIII,* 1, *ext.* 7. || 4. quoque *om. Γ.* || praecipuae *om. F.* || 6. Attamen *Torr.* || 7. triumpho quem] triumphoque *B.* || senatus] *om. BC et pr. D. post* ei *EFTorr.* || ei *om. B et pr. C.* || aeque] *om. C. ante* senatus *Γ.* || 8. ut *B et pr. AC.* || prouincia] *add.* fuerat *F.* || gestam *C.* || 9. erat] *om. BCF.* fuerat *Torr.* || atque ita] atque is *A. om. BCDEFΓTorr.* || curru] *add.* ergo *EFTorr.* || 10. quo *F.* || tantum laudatur *E.* || etiam] et *F.* || 12. Ne — patitur. Qui] Africanus posterior *Γ.* || 13. solitae uiri *A.* solita uiri *BC.* solito fieri *DTorr.* solito *EF.* solito uiri *Γ.* || sacrificia *B.*

cibus manuscriptis *eundem ipsum* exhibent. Quod, cum absolute etiam duci dicerentur qui in carcerem conicerentur, probarunt Vorstius et Perizonius. Sed praeterquam quod eiusdem loci significatio uix deesse potest, quae etiam in ipsis decreti uerbis apud Gellium urgetur, *(alienum uidetur esse a dignitate rei publicae in eum locum imperatorem populi Romani duci, in quem locum ab eo conjecti sunt duces hostium),* Cicero quoque, unde sua desumpsit Valerius, *eodem ipsum duci* scripsit. Ceterum fieri potest ut in uerbis *alienum maiestate populi Romani* codicis Bernensis librarius peculiari mendo transposuerit et confuderit notas *p. r.* et ut uera scriptura *r. p. (rei publicae)* in altera familia seruata sit, in quam sententiam equidem inclino, quia statim sequitur *opinionem suam populus Romanus a Graccho deceptam uidit*, estque *a dignitate rei publicae* in ipso decreto apud Gellium, *imperii* apud Ciceronem.

9. Cf. Liu. XXVIII, 9.

atque ita sine curru) Notabilis lacuna h. l. omnes alterius familiae codices deturpauit, quos, si remoueris manifestas recentiorum hominum interpolationes, omnes planum est omisisse uerba *erat atque ita.* Bernensis libri scriptura non quidem manca, sed ne ipsa quidem immunis ultio est. Nam quod exhibet *erat atque is,* demonstratio quae fit per *is*, cum in praecedentibus uno tenore auctor de Claudio Nerone locutus sit, non conuenit sententiae. Quam equidem leni mutatione ita restituisse mihi uideor ut simul lacunae illius causa appareat. Est enim ueri simile librarium quendam oculorum lapsu ab ultima u. *gesta* statim ad ultimam u. *ita* transeuntem omisisse interposita *erat atque ita.* Inter causas, cur Claudius triumphi honorem repudiasset, Liuius retulit, quod 'eo die, quo pugnatum foret, Liui forte auspicium fuisset, et exercitus Liuianus deductus Romam uenisset, Neronis deduci non potuisset de prouincia'. Vid. ad II, 8, 5.

10. *solitaurili sacrificio)* Solitaurilia siue suouetaurilia non modo in aliis lustrationibus adhibita uerum etiam a censoribus in lustro condendo esse facta declarat Pseudoasconius ad Cic. diuin. 3, 8 p. 103 Orell. Itaque dubitari uix

scriba ex publicis tabulis sollemne ei precationis carmen praeiret, quo dii immortales ut populi Romani res meliores amplioresque facerent rogabantur, 'Satis', inquit, 'bonae et magnae sunt; itaque precor ut eas perpetuo incolomes seruent', ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari iussit. Qua uotorum uerecundia deinceps censores in condendis lustris usi sunt. Prudenter enim sensit tunc incrementum Romano imperio petendum fuisse, cum intra septimum lapidem triumphi quaerebantur, maiorem autem totius terrarum orbis partem possidenti ut auidum esse quicquam ultra appetere, ita abunde felix, si nihil ex eo quod optinebat amitteret.

Neque alia eius in censura moderatio pro tribunali apparuit. Centurias recognoscens equitum, postquam C. Licinium Sacerdotem citatum processisse animaduertit, dixit se scire illum uerbis conceptis peierasse. Proinde, si quis eum accusare uellet, usurum testimonio suo. Sed nullo ad id negotium accedente, 'Transduc

---

1. solemnem *B.* || praedicationis *A.* || praeiret] imprecaretur *F.* || 3. ac magnae *Torr.* magnaeque *F.* || 4. perpetuo] populo *F.* || incolumes *corr. A cum reliquis et Torr.* || 5. emendare *Torr.* || 7. Prudenter — (11.) amitteret *om. F.* || 9. orbis terrarum *F.* || parti *E. om. F.* || 10. ut] ait *E.* || esset *corr. C. Torr.* || quidquam *(A.)* || 11. admitteret *F.* || 12. Neque — apparuit.] Idem *F.* || in eius *E.* || 13. granius licinii *B.* || 14. professis se *F.* || scire *om. F.* || 15. periurasse *D.* || eum] cum *F.* || 16. tra * * duc *C.* Traduc *Torr.*

---

poterit quin in mendosa librorum scriptura *solitae uiri* uel *solita uiri* huius sacrificii appellatio lateat, ut recte iam animaduerterunt Cuiacius in XXIIII obseru. c. 7, Lipsius, Colerus. Nam quod receperat Pighius, cum antea legeretur *solito sacrificio*, editores inde a Kappio probarunt, *solito fieri sacrificio*, ea certe infelix recentiorum librariorum coniectura est, omni prorsus auctoritate destituta, pessumdata etiam a Helfrechto, cum *solito* interpretaretur 'i. e. modico adparatu'. Vorstio probanti quae nos reuocauimus cunctationem non immerito iniecit quod in significando illo sacrificio adiectiue positum *solitaurile* alibi nondum esset inuentum. Et sane, si quis scribendum potius censuerit *solitaurilium* sacrificio equidem non ualde repugnabo, quamuis nihil obstet quominus ita componere potuerit Valerius.

ut auidum esse) Insolenter in ea comparandi figura, quae fit per *ut — ita*, utrumque enunciati membrum accusatiuo cum infinitiuo effertur. Quem tamen, cum in uulgatis exemplis legeretur *esset*, libris iubentibus restituendum esse recte censuerunt Gronouius II obseru. 14 et Perizonius, modo ne falso insequentis paragraphi exemplo eam insolentiam comprobassent, ubi codices summo consensu tradunt *quoniam — pessimi esset* (non *esse*) *exempli*. Poterant uero citare Valerii V, 10, ext. 3, *atque ut mori neminem solere, qui non uixerit, ita ne uiuere aliquem quidem posse, qui non sit moriturus;* et VII, 2, ext. 14, *Nam ut illas* (aranearum telas) *infirmiora animalia retinere, ualentiora transmittere, ita his* (legibus) *humiles et pauperes constringi, diuites et praepotentes non adligari.*

Neque alia eius) Cf. Cic. pro Cluent. 48, 134. Quint. inst. or. V, 11, 13. Plut. apophth. (Scip. min. 12.)

equum', inquit, 'Sacerdos, ac lucrifac censoriam notam, ne ego in tua persona et accusatoris et testis et iudicis partes egisse uidear.'

Quod animi temperamentum etiam in Q. Scaeuola, excel- 11.
lentissimo uiro, adnotatum est. Testis namque in reum productus, cum id respondisset, quod salutem periclitantis magnopere laesurum uidebatur, discedens adiecit ita sibi credi oportere, si et alii idem adseuerassent, quoniam unius testimonio aliquem caedere pessimi esset exempli. Et religioni igitur suae debitam fidem et communi utilitati salubre consilium reddidit.

Sentio quos ciues quaeue facta eorum ac dicta quam an- 12.
gusto ambitu orationis amplectar. † Sed cum magna mihi atque permulta breuiter dicenda sint, claritate excellentibus uiris sermo

1. Sacerdos *om. C.* || ne] nomine *F.* || 2. tua] *add.* causa *corr. C.* tuam *D.* || personam *D et corr. C.* || 4. Quod — (5.) namque] Q. etiam Scaeuola testis *Γ.* || 5. uiro *om. B.* || producens *C.* || 6. id] ad id *Γ.* || 7. cedi *Γ et pr. A.* || 8. cedere *CΓ et pr. A.* credere *BEF et corr. A, Torr.* damnare *D.* || 9. essent *F.* || igitur] quidem *in rasura B.* sic *pr. D.* ergo *corr. D. post* suae *E.* || 10. utilitati] *repetit post h. u.* debitam fidem *E.* || 11. quaene *C.* quae *B.* || angusto] incongruo *in rasura A.* breuissimo *DΓ.* amgusto *F.* || 12. amplecter *corr. A.* amplector *(sed* o *in rasura) B.* || magna] *add.* strictim *DΓ.* || mihi *om. BCD EFΓTorr.* || et multa *BCDEFΓTorr.* || 13. sunt *B.* non sint *Γ.* || de claritate *Torr.* || uiris sermo *om. BCDEFΓ.*

in tua persona) Mali tantum aliquot libri *in tuam personam*, quod non debebat recipere Pighius. Reposuit ablatiuum Torrenius, a Perizonio similibus exemplis confirmatum, VII, 2, 6 *Quam deinde se prudenter in rege Masinissa gessit!* IX, 2, 1 *Quam porro crudeliter se in M. Mario praetore gessit!* IIII, 2, ext. 3, *in Xenocrate discipulo suo tam constanter moderatus fuit.* V, 1, 3 *in quo sceleste exerceas arma.* V, 1, ext. 3 *ut officii respectum in iis deponeret.* Quibus addo I, 7, ext. 3 *Longe indulgentius dii in poeta Simonide.*

11. *unius testimonio aliquem caedere)* Perperam hucusque edebatur *aliquem credere.* In qua scriptura, praeterea quod languidum et incommodum est indefinitum pronomen *aliquem*, sententia et cum praecedentibus, *ita sibi credi oportere*, male cohaeret et cum sequentibus. Quamnam enim fidem religioni suae reddidisse dici posset Scaeuola, si omnino unius testimonio atque adeo suo quoque credendum esse negasset? Quod ille negare nec uoluit nec potuit. Recte uero unius testimonium non sufficere ad damnationem contendisset. Atque hanc quidem sententiam Lipsius ueterem codicem secutus, in quo, ut in optimis nostris erat *aliquem cedere*, effecit scribendo *caedere.* Ita caedi dicuntur qui affliguntur testibus a Cic. ad Q. fr. III, 3, 3, *quo quidem in iudicio — maxime testibus caeditur.* Hoc loco fortius etiam accipiendum est de damnando. Perizonius non male, sed minus probabiliter coniecit *cadere*, uoce in iudiciis sane frequentissima, cum male ipsum illud *cedere* ferendum opinarentur Gronouius est Vorstius.

12. *Sed cum magna)* Liber Bernensis in sequentibus a reliquis codicibus manuscriptis longe discedit, ita tamen ut appareat horum scripturam ex antiquiore illa ortam esse, consilio deletis aliis, aliis nescio quo casu omissis. Archetypus enim huius familiae codex haec ita constituerat, *Sed cum magna et multa breuiter dicenda sint claritate excellentibus infinitis personis rebusque circumfusus utrumque praestare propositi quoque nostri ratio* etc. Iam uero codex Bernensis,

infinitis personis rebusque circumfusus, utrumque praestare non potuit. Itaque propositi quoque nostri ratio non laudanda sibi omnia, sed recordanda sumpsit. Quapropter bona cum uenia duo Metelli, Macedonicus et Numidicus, maxima patriae ornamenta, strictim se narrari patientur.

Acerrime cum Scipione Africano Macedonicus dissenserat, eorumque ab aemulatione uirtutis profecta contentio ad graues testatasque inimicitias progressa fuerat. Sed tamen, cum interemptum Scipionem conclamari audisset, in publicum se proripuit, maestoque uultu et uoce confusa 'Concurrite, concurrite', inquit, 'ciues! moenia nostrae urbis euersa sunt. Scipioni enim Africano intra suos penates quiescenti nefaria uis allata est'. O rem publicam pariter Africani morte miseram et Macedonici tam humana tamque ciuili lamentatione felicem! Eodem enim tempore et quantum amisisset principem et qualem haberet recognouit.

1, non potuit] *om. B et pr. CD.* nequeo *EF et corr. C.* non possum *Γ et corr. D.* non potest *Torr.* || 2. Itaque *om. BCEFΓ et pr. D.* || 3. sed omnia concordanda *F.* || 5. se] sed *C.* || narrare *CD.* || patiantur *corr. A.* sapienter *D.* ||7. concitatio *DΓ.* || 9. ter clamari *E.* || prorupit *F.*||10. cucurite cucurite *E.* || 11. nostrae] *post* urbis *Torr.* nostra *Par.* || 12. alata *corr. B.* illata *EFTorr.* || 13. Macedonici tam] macedonicam *B.* || 15. haberes res gnouit *F.*

quem supra secuti sumus et qui ex eo descripti sunt inter Pighianos et Torrenianos, licet integriores, tamen adeo non uno uitio laborant ut de restituendis uerbis, quamuis quaenam eorum esse debeat sententia facile intellegatur, fere desperauerim. Primum enim *utrumque* non habet quo pertineat. Nam si retuleris ad *magna atque permulta dicenda*, uide ne inepte auctor negauerit se simul magna et permulta exempla exponere posse, quod tamen facit. Refert enim et magna et permulta, sed refert breuiter. Fortasse igitur parum concinne locutus auctor *magna* intellegi uoluit de exemplis copiosa et ornata laudatione dignis. Tum saltem quodam modo dicere potuit se hanc officii partem una cum altera, multarum rerum commemoratione, praestare nequiuisse, ideoque illa exempla non quanta par sit diligentia, sed breuiter tantum exposuisse. At quaenam haec sententia est, 'cum mihi magna atque permulta dicenda sint, utrumque (magnorum et multorum relationem) praestare non potui'? ne dicam de eo, quod u. *breuiter* huic enarrationi plane repugnat. Pendent praeterea uerba *claritate excellentibus uiris*, quae pessime sane praemissa praepositione *de* cum praecedenti dicendi uerbo coniunxerat Pighius. Itaque si genuinum sit illud *utrumque*, quemadmodum uidetur, me ex hac omnium rerum perturbatione exitum nondum inuenisse confiteor. Reliqua ferri posse uidentur, si pro *utrumque* posueris *debitum* uel simile aliquid. Sententia tum erit, 'Sentio illos ciues pleniore laudatione dignos esse; sed cum non solum magna sed etiam permulta enarranda mihi se offerant, ita ut breuiter dicendum sit, sermo meus, infinitis personis rebusque circumfusus illis uiris, qui claritate prae ceteris excellent, praestare non potuit quod iis debetur (i. e. plenam et accuratam laudationem). In his sermonem scribentis circumfusum dici personis rebusque explicandis pro ipso scribente, qui aliqua notitia attigerit Valerium, nemo mirabitur. Cf. praef. p. 37. Certius desperati loci remedium feliciori diuinationi indagandum relinquo.

Acerrime cum Scipione) Cf. Cic. de off. I, 25, 87. id. Lael. 21, 77. Vell. I, 11. Acron. ad Hor. serm. II, 1, 65.

Idem filios suos monuit ut funebri eius lecto humeros subicerent, atque huic exequiarum illum honorem uocis adiecit, non fore ut postea id officium ab illis maiori uiro praestari posset. Vbi illa tot in curia iurgia? ubi tam multae pro rostris altercationes? ubi maximorum ciuium et ducum tantum non togata proelia? Omnia nimirum ista praecipua ueneratione prosequenda deleuit moderatio.

13. Numidicus autem Metellus populari factione patria pulsus in Asiam secessit. In qua cum ei forte ludos Trallibus spectanti litterae redditae essent, quibus scriptum erat maximo senatus et populi consensu reditum illi in urbem datum, non e theatro prius abiit quam spectaculum ederetur, non laetitiam suam proxime sedentibus ulla ex parte patefecit, sed summum gaudium intra se continuit. Eundem constat pari uultu et exulem fuisse et restitutum. Adeo moderationis beneficio medius semper inter secundas et aduersas res animi firmitate uersatus est.

14. Tot familiis in uno genere laudis enumeratis, Porcium nomen uelut expers huiusce gloriae silentio praetereundum se negat. *Negat* fieri debere posterior Cato, non paruo summae modera-

---

1. umeros *Par. Vid. ad I,* 1, 11. || 2. exequiarum] *add.* officio *I'.* || 3. aliis *E.* || uiro maiori *Torr.* || 5. ducum et ciuium *Torr.* || tantum non] tanta *D.* tantorum *EF Torr. Cf. praef. p.* 41. || 10. et *om. BI'.* || 11. e *om. B.* ex *D.* || 12. ederet *B.* perageretur *Par.* finiretur *auct. de uir. ill.* 62. || 15. restitum *F.* || Adeo — (16.) uersatus est *om. I'.* || 16. res] *add.* cum *E.* || 17. Tot — (19.) debere *om. I'.* || eneruatis *B.* || 18. expers] pars *C.* || silentione praetereundum? *(omisso* se negat) *Torr.* || 19. Negat *om. ABCDEF.* || fieri debere] *punctis notat. A.* || posterior] *add.* etiam *I'.* || suae *E.*

Idem filios suos monuit) Cf. Plin. h. n. VII, 45, 44. Plut. apophth. duc. Rom. (Caec. Metell. 3.)

13. Cf. auct. de uir. ill. 62, qui ita haec retulit tamquam Zmyrnae accidissent.

14. Cf. Plut. Cat. min. 38. Dio Cass. XXXIX, 22, 23. p. 200 Reim.

praetereundum se negat.) Libri manuscripti propemodum uno ore *silentio praetereundum se negat fieri debere posterior Cato*, quae plenius distincta post *debere* mire prorsus et contra omnem Latini sermonis normam Kappius explicat, 'Negat Porcium nomen fieri debere ut praetereatur silentio uelut expers huius gloriae', ne id quidem animaduertens nullo omnino sententiae uinculo cohaerere uerba *non paruo summae moderationis fisus indicio* cum sequentibus *Cypriacam pecuniam — deportauerat*, quibuscum illa coniuncta esse uoluit. Pighius tolerabilem, etiamsi non uerisimilem hanc in uulgata exempla introduxerat scripturam, *Porcium nomen — silentione praetereundum? Negat fieri debere* etc. Audacius etiam Perizonius deletis uerbis *se* et *fieri debere* scribi iussit *Porcium nomen — praetereundum negat posterior Cato* etc. At egregie intellexit Torrenius excidisse alterum negandi uerbum rhetorice iteratum, quae eiusdem uocabuli continua repetitio non uno hoc loco lacunae causa extitit. Vid. ad VII, 4, 2. Debebant profecto hanc, quam ille sibimet ipsi parum

tionis fisus indicio. Cypriacam pecuniam maxima cum diligentia et sanctitate in urbem deportauerat. Cuius ministerii gratia senatus relationem interponi iubebat, ut praetoriis comitiis extra ordinem ratio eius haberetur. Sed ipse id fieri passus non est, iniquum esse adfirmans quod nulli alii tribueretur sibi decerni, ac ne quid in persona sua nouaretur, campestrem experiri temeritatem quam curiae beneficio uti satius esse duxit.

15. Ad externa iam mihi exempla transire conanti M. Bibulus, uir amplissimae dignitatis et summis honoribus functus, manus inicit. Qui cum in Syria prouincia moraretur, duos egregiae indolis filios suos a Gabinianis militibus Aegypti occisos cognouit. Quorum interfectores ad eum uinctos regina Cleopatra misit, ut grauissimae cladis ultionem arbitrio suo exigeret. At ille oblato beneficio, quo nullum maius lugenti tribui poterat, dolorem moderationi cedere coegit, carnificesque sanguinis sui intactos e uestigio ad Cleopatram reduci iussit, dicendo potestatem huius uindictae non suam, sed senatus esse debere.

Ext. 1. Tarentinus Archytas, dum se Pythagorae praeceptis Metaponti penitus inmergit, magno labore longoque tempore solidum opus doctrinae conplexus, postquam in patriam reuertit ac rura sua reuisere coepit, animaduertit neglegentia uilici corrupta et perdita, intuensque male meritum 'Sumpsissem', inquit, 'a te supplicium, nisi tibi iratus essem'. Maluit enim inpunitum dimittere quam propter iram iusto grauius punire.

---

1. fisus *om. F.* || iudicio *BD.* || apria cam *B.* || 5. esse *om. F.* || sibi] id si *F.* || 6. ne quid] nomine quidem *F.* || 6. seueritatem *F.* || 7. uti] *om. pr. C. ante* beneficio *F.* || sanctius esse dixit *F.* || 8. extera *E.* || exempla *om. B.* || M.] in *B.* || uibulus *pr. A.* iubilus *B.* uibilus *C.* iubulus *Γ. Vt nos etiam Par.* || 10. iniecit *F.* || prouincia Syria *Torr.* || 11. in Aegypto *Par.* || occisos] ociosos *B. add.* esse *Torr.* || 14. illo *F.* || maius nullum *B.* || potuerat *Torr.* || 18. archites *F.* || pictagoree *F.* || 19. ponitus *F.* paenitus *pr. Par.* || 20. reuertitur *EFΓTorr.* || sua rura *F.* || 21. reuidere *E.* || uillici *Torr. Vt nos etiam Par. Cf. IIII.* 4, 6. *Osann. ad Cic. de rep. p.* 122 *et in primis Lachm. ad Lucr. I,* 313. *p.* 33. || 22. sumerem *B.* || 23. enim *om. C.* || 24. iusto] *om. F. post* grauius *Torr.*

---

fisus timide suaserat, certissimam emendationem recipere sequentes Valerii enarratores.

15. Cf. Senec. ad Marc. 14, 2. (Caes. b. c. III, 110.)

Ext. 1. Cf. Cic. Tusc. IIII, 36, 78. id. de rep. I, 38, 59. Diod. Sic. exc. Vat. 36. Mai. coll. II p. 30. Vol. III p. 33 Dind. Plut. de lib. educ. 14. id. de ser. num. uind. 5. Pythagorae id dictum tribuit Diog. Laert. VIII, 20, Socrati Seneca de ira I, 15, Cliniae Jamblich. uit. Pythag. 31. Vid. Ang. Mai. comm. ad Cic. de rep. l. c.

Nimis liberalis Archytae moderatio, temperatior Platonis. 2.
Nam cum aduersus delictum serui uehementius exarsisset, ueritus ne ipse uindictae modum dispicere non posset, Speusippo amico castigationis arbitrium mandauit, deforme sibi futurum existimans, si conmisisset ut parem reprehensionem culpa serui et animaduersio Platonis mereretur.

Quo minus miror quod in Xenocrate discipulo suo tam constanter moderatus fuit. Audierat eum de se multa inpie locutum. Sine ulla cunctatione criminationem respuit. Instabat certo uultu index, causam quaerens cur sibi fides non haberetur; adiecit non esse credibile ut quem tantopere amaret ab eo inuicem non diligeretur. Postremo cum ad iusiurandum inimicitias serentis malignitas confugisset, ne de periurio eius disputaret, adfirmauit numquam Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici expedire sibi iudicasset. Non in corpore mortali, sed in arce caelesti et quidem armatum animum eius uitae stationem putes peregisse, humanorum uitiorum incursus a se inuicta pugna repellentem cunctosque uirtutis numeros altitutidinis suae sinu clausos custodientem.

Nequaquam Platoni litterarum commendatione par Syracu- 3.
sanus Dio, sed quod ad praestandam moderationem adtinuit, uehementioris experimenti. Patria pulsus a Dionysio tyranno

1. Nimis — (2.) Nam] Plato *Γ.* || Platonis temperatior *Torr.* || 2. aduersus] uersus *C et pr. A. Vt nos etiam Par.* || ueritus *om. C.* || 3. modum uindictae *Torr.* || despicere *Γ.* || non *om. D.* || pseusoppo *pr. A.* transippo *(sed litt.* trans *in rasura B.* ipsius ippo *C.* spensippo *(sed primum* p *in rasura) D.* pleusippo *Par. et corr. A.* || 7. zenocrate *F.* || 10. iudex *B.* || fidem *pr. E.* fide *corr. E.* || 12. inimici asserentis *CEF.* || 14. zenocratem *F.* || 15. sibi *om. E.* || 16. eius intestationem *E.* || 19. claustis *B.* || 20. Nequaquam — par *om. Γ.* || commendationem *F.* || 21. Dio] *om. BCDEF. Vinc. Bell. sp. h. IIII, 72. sp. d. V, 80.* diu *Γ et pr. A.* Dion *Torr. Vt nos Par. et corr. A.* || sed quod — (22.) experimenti *om. Γ.* || attinet *Torr.* || 22. dyonisyo *A.*

2. Cf. Plut. de lib. educ. 14. Xenocrati a Platone seruum castigandum traditum esse refert Diog. Laert. III, 38.

3. Cf. Plut. Dion. 17.

Syracusanus Dio) Valerium recto casu *Dio* dixisse documento est cum bonorum librorum scriptura *Diu.* quod alii non intellectum omnino omiserunt, tum Paridis epitome, in qua ipsum illud quod edidimus seruatum est. Saepissime Latina haec terminatio nominum Graecorum in *ων* et genitiuo casu in *ωνος* exeuntium ab hoc scriptore posita est. Legitur in bonis codicibus *Cimo* V, 3, ext. 3 et V, 4, ext. 2. *Milo* IX, 12, ext. 9. *Molo* II, 2, 3. *Artemo* IX, 14, ext. 1. *Polemo* VI, 9, ext. 1. *Bito* V, 4, ext. 4. *Hephaestio* IIII, 7, ext. 2. *Hiero* IIII, 8, ext. 1 et VIII, 13, ext. 1. *Gelo* I, 1, ext. 3. Dubia archetypi codicis scriptura uideri potest IIII, 6, ext. 3, ubi nunc in Bernensi codice legitur *lacedemo*, cui accedit proximus ab eo Berolinensis *C*, sed *n* littera in

Megaram petierat. Vbi cum Theodorum, principem eius urbis, domi conuenire uellet neque admitteretur, multum diuque ante fores retentus comiti suo 'Patienter hoc ferendum est' ait. 'Forsitan enim et nos, cum in gradu dignitatis nostrae essemus, aliquid tale fecimus'. Qua tranquillitate consilii ipse sibi condicionem exilii placidiorem reddidit.

4. Thrasybulus etiam hoc loci adprehendendus est, qui populum Atheniensem, triginta tyrannorum saeuitia sedes suas relinquere coactum dispersamque et uagam uitam miserabiliter exigentem, animis pariter atque armis confirmatum in patriam reduxit. Insignem deinde restitutione libertatis uictoriam clariorem aliquanto moderationis laude fecit. Plebei enim scitum interposuit ne qua praeteritarum rerum mentio fieret. Haec obliuio, quam Athenienses amnestian uocant, concussum et labentem ciuitatis statum in pristinum habitum reuocauit.

5. Non minoris admirationis illud. Stasippus Tegeates, hortantibus amicis ut grauem in administratione rei publicae aemulum, sed alioqui probum et ornatum uirum qualibet ratione uel tolleret uel summoueret, negauit se facturum, ne quem in tutela patriae

---

1. thodorum *pr. A.* || 2. nec *E.* || diuque] denique *E.* || 3. est *om. Γ et pr. D.* || 4. nostrae dignitatis *FΓ.* || 7. §. 4. *om. Γ.* || Tharsibulus *B.* transibulus *F.* || loco *D.* || comprehendendus *E.* || 8. atheniensium *E.* || 9. agentem *corr. C.* || 10. armis pariter et animis *F.* || patria *B.* || 12. plebis *EPar. et corr. D, Torr.* plebs *F.* || qua] *erasum in F.* || 14. amnistian *(sed prius* i *in rasura) C.* amnestiam *D.* anestiam *EF.* *ἀμνηστίαν Torr.* || statum ciuitatis *CE.* || 16. Non — illud *om. Γ.* || stargippus *F.* || egeates *E.* || ortantibus *Γ.* || 18. alioquin *BD EF.* || honoratum *E.* || 19. ne eum quem in *in rasura A.* || tutela *in rasura A.* tutelam *BCDEFΓ.*

Bernensi in fine nominis erasa esse uidetur, neque locorum Graecorum eodem modo ut hominum appellationes Latina terminatione ueteres formare soliti sunt. Sed non minus frequenter Valerius Graecam formam in *on* exeuntem integram seruauit. Scribitur *Phocion* III, 8, ext. 2 et V, 3, ext. 3. *Damon* IIII, 7, ext. 1. *Parmenion* VI, 4, ext. 3. In aliis ipse sibi non constitisse uidetur auctor; nam *Platon* legitur VIII, 1, ext. 3 et VIII, 7, ext. 3; at *Plato* I, 8, ext. 1. *Solon* V, 3, ext. 3. VIII, 7, ext. 14. VIII, 9, ext. 1; sed *Solo* VII, 2, ext. 2. Eorum uero nominum, quae Graece genitiuo casu in *ωνος* desinunt, Valerius constanter rectum casum in *on* formauit, ut *Xenophon* V, 10, ext. 2 et VIII, 13, ext. 7. *Iophon* VIII, 7, ext. 12. Ceterum eadem in Dionis nomine corruptela III, 8, ext. 5 causam praebuit ut longius etiam aberrantes librarii ex *Dio (diu) seueritate* facerent *diuersitate.*

Theodorum) Megarae ille princeps a Plutarcho l. c. Ptoeodorus uocatur.

4. Cf. Corn. Nep. Thrasyb. 3. Iustin. V, 10. Xenoph. Hell. II, 4, 28.

5. *in tutela patriae bonus)* Habet excusationem quandam librorum scriptura

bonus ciuis locum obtineret, malus et inprobus occuparet, seque potius uehementer aduersario urgueri quam patriam egregio aduocato carere praeoptauit.

Pittaci quoque moderatione pectus instructum. Qui Alcaeum 6.
poetam et amaritudine odii et uiribus ingenii aduersus se pertinacissime usum, tyrannidem a ciuibus delatam adeptus, tantummodo quid in opprimendo posset admonuit.

Huius uiri mentio subicit ut de septem sapientium mode- 7.
ratione referam. A piscatoribus in Milesia regione euerriculum trahentibus quidam iactum emerat. Extracta deinde magni ponderis aurea Delphica mensa, orta controuersia est, illis piscium se capturam uendidisse adfirmantibus, hoc fortunam ductus emisse

---

1. seque] Sed *in rasura C.* || 2. uehementi *corr. A. Torr.* || urgeri *BCDEFΓ et corr. A. Torr. Cf. VII, 4, 4. VII, 4, ext.* 1. || 4. pictaci *CD.* pithaci *Γ.* || alcheum *D.* || 5. aduersum *F.* || 6. delatam] mytilenae *in rasura A. quod desumptum est e Par.* || tantum modum *A.* || 7. quod *D.* || in] *add.* eo *Par.* || 8. Huius — (9.) referam *om. Γ.* || uiri] *ante* huius *F.* || sapientum *BF.* sapientibus *D.* || moderatione *om. D.* || 9. melesia *ABD et pr. C.* melisia *F. add.* I. P. mytilena *margo A.* || uerriculum *DΓTorr. Vinc. Bell. sp. h. III,* 120. euerticulum *E.* || 10. emerat] *add.* ut *B.* || pondoris *pr. A.* || 11. mensa Delphica *Torr.* || 12. se] *ante* piscium *BF. om. E.* || hoc] *add.* se *Γ.* || fortuna *CE.* fortunae *F.* || ductus] iactus *DΓTorr. add.* uel iactus *E.* || se emisse *Torr.*

---

tutelam in eo quod ueteres interdum adiectiua utilitatem significantia, ut *aptus, idoneus,* et quae iis opposita sunt, cum accusatiuo et praepositione *in* coniunxerunt (Liu. XXXVIII, 21, 7. Quint. inst. or. VI, 3, 15. X, 3, 22. Senec. suas. V, 33. Ouid. met. XIIII, 765.) Sed cum aliud exemplum praepositionis *in* cum accusatiuo apud adiectiuum *bonus,* quod equidem sciam, non extet, malui librariorum accipere errorem, quo uix alius est frequentior. Ablatiuus cum praepositione *in* comparatiuo *melior* adiungitur in Plin. h. n. XXXIIII, 8, (19.) 84, *in equorum effigie melior,* quamuis ne huius quidem dicendi figurae ita multa sunt exempla, cum plerumque simplici ablatiuo aut datiuo aut praepositione *ad* uterentur.

6. Cf. Diod. Sic. exc. Vat. 22. Mai. coll. II, p. 19. ap. Dind. III, p. 21. (Diog. Laert. II, 56.).

7. Cf. Diod. Sic. exc. de uirt. et uit. p. 552. Vol. II P. 2. p. 83 Dind. et exc. Vat. 18. Mai. coll. II, p. 15. Vol. III, p. 17 Dind. Plut. Sol. 4. Diog Laert. I, 28. Schol. ad Aristoph. Plut. u. 9.

emisse dicente) Constat nunc inter omnes optimos quosque et elegantissimos Latini sermonis auctores interdum post uerba dicendi et sentiendi apud infinitiuum omisisse subiectum pronominis accusatiuo efferendum. Ita frequenter apud rerum scriptores pronomina subaudiri cum reflexiua tum demonstratiua infinitiuis futuri temporis subiecta recte animaduersum est a Madvigio emend. Tull. p. 111. Cf. Hand ad Wopkens. lect. Tull. §. 13. Valerii editores nescio an ignari huius consuetudinis constanter fere addito subiecto orationem ad uulgarem normam reficere sunt conati; quod praeposterum studium semel compositis illius generis exemplis redarguisse satis sit. Infinitiuos futuri temporis, quorum subiectum, si qua est fides librorum manuscriptorum, admodum dure interdum reticetur, congessi ad I, 7, 8, quibus nunc addo IIII,

dicente. Qua cognitione propter nouitatem rei et magnitudinem pecuniae ad uniuersum ciuitatis eius populum delata, placuit Apollinem Delphicum consuli cuinam adiudicari mensa deberet. Deus respondit illi esse dandam, qui sapientia ceteros praestaret, his uerbis,

Τίς σοφίᾳ πρῶτος πάντων; τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ.

---

1. conditione *aut* condicione *ABCDEΓ Torr.* contentione *F.* || 2. eius ciuitatis *Torr.* || 4. respondit] retulit *F.* || ceteros] cunctos *B.* || 5. uerbis] *add.* graecis *corr. D.* || 6. *ΤΙϹ ϹΟΦΙΑ ΤΙΡΩΤΟϹΠΑΝΤΩΝ ΤΟΥϹΟϹ ΤΡΙΠΟΔΑΩΙ Α. Graeca non intellecta similibus litteris Latinis scripta sunt in CEFΓ; omissa in BD.* *Ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδ' ἂν δῶ. Torr.*

1, 8 *indignum et alienum maiestate populi Romani uideri, eodem ipsum duci. Itaque id non passurum fieri;* ubi uulgo inuitis codicibus edebatur *Itaque id non se fieri passurum.* Longe uero insolentius in eadem constructione apud infinitiuos perfectae actionis subintelleguntur pronomina reflexiua aut demonstratiua, hoc loco de quo agimus, VIII, 4, 1, *eoque nomine tortus a domino admisisse id facinus constantissime adseuerauit.* IX, 5, ext. 3, *adfirmantem prospexisse quonam modo — caenaret.* Quibus locis quam facile praenomen *se*, quod editores aut e coniectura aut e recentioribus libris constanter suppleuerunt, propter praecedentem infinitiuorum terminationem excidere potuerit non ignoro. Sed confirmatur tradita scriptura cum permultis Liuianis et aliorum scriptorum exemplis (cf. Gronou. ad Liu. XL, 42, 2, Senec. ep. ad. Lucil. 1, 3), tum Valerianis quibusdam, quae hanc emendandi et addendi probabilitatem excludunt. Apud praesentis temporis infinitiuum omisit reflexiuum Val. VII, 3, 3, *remittere Scipio illam expeditionem edixit.* Cf. Corn. Nep. Dion. 6, 4, *Namque aperuisse uidebatur omnia in sua potestate esse uelle.* Senec. ad Lucil. I, 1, 4, *non possum dicere nihil perdere,* omisso *me.* Eiusdem licentiae apud infinitiuum perfecti passiui aliud exemplum non mihi suppeditat praeter Val. VI, 2, 8, ubi, cum priora exempla cum codicibus manuscriptis haec tradant, *Vidi Cn. Carbonem — obtestantem te aduersus omne fas ac nefas, cum in summo esset imperio, a te equite Romano trucidatum,* nescio sane an legendum sit *obtestantem se.*

Qua cognitione) Quod libri exhibent, *qua condicione,* neque ab alio adhuc explicatum est neque ego quid sibi uelit intellego. Non enim ipsa causa aut litis disceptatio hoc uocabulo denotatur, sed causae status ac natura, quae notio huic sententiae profecto non conuenit. Itaque Perizonius aut *contentione* aut *condictione* scribendum esse suspicatur. Vereor ne non recte, cum illud nimis a tradita scriptura discedat, hoc actionem ipsius litigantis significet, qua is rem ad se pertinentem petit, quae ad populum delata esse dici nequit. Ingeniose Lipsius emendandum esse coniecit *cognitione.* Cf. Val. VIII, 1, amb. 2, *Quam rem Dolabella ad se delatam Athenas ad Arei pagi cognitionem relegauit.* V, 8, 3, *cognitione suscepta domi consedit.* Quod, etiamsi parum accurate dicatur *qua cognitione* pro *eius causae cognitione,* recipere non dubitaui.

Τίς σοφίᾳ) Quemadmodum nos hunc uersum refecimus litterarum ductus in Bernensi codice cum maxime secuti, ita legitur in excerptis Vaticanis Diodori l. c.; nec aliter apud Diogenem Laertium, nisi quod ibi transpositis uocabulis *πάντων πρῶτος* scribitur et deinde *τούτου* pro *τούτῳ*. In scholio autem Aristophaneo male est *ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος τούτῳ τρίποδα δῶ*. Integrum responsum erat, *Ἔκγονε Μιλήτου τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς. Τίς σοφίᾳ* etc.

Tum Milesii consensu Thaleti mensam dederunt. Ille cessit ea Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii, deincepsque per omnium septem sapientium orbem ad ultimum ad Solonem peruenit, qui et titulum amplissimae prudentiae et praemium ad ipsum Apollinem transtulit.

Atque ut Theopompo quoque, Spartanorum regi, moderationis testimonium reddamus, [qui] cum primus instituisset ut Ephori Lacedaemone crearentur, ita fu*tur*ae regiae potestati oppositi, quemadmodum Romae consulari imperio tribuni plebis 8.

---

1. tam ille consenso thaleti *pr. A.* tum illi consensu thaleti *corr. A.* tibi miles io thaleti *B.* tunc miles io thaleti *(sed* io *in rasura) C.* tum illi milesio toleti *E.* At illi milesio talenti *F.* tum illi sachadeti *D.* tum illi sothadeti *Γ.* || eam *DEΓPar. et corr. AF, Torr. Vid. ad IIII.* 1, 7. || 2. uianti *pr. AD.* uitanti *B.* || Bias] is *DΓ.* || 3. sapientum *F.* || 4. prudentiae] sapientiae *Torr.* || proemium *A.* || 6. Atque — (7.) reddamus qui] Theopompus Spartanorum rex *Γ.* || 7. qui *om. FTorr.* || 8. lacedemonie *BDFΓ.* || darentur *F.* || ita] *add.* autem *Γ.* || furae *pr. A.* futuri *BCEF.* ephori *DΓ.* || potestati] *add.* sunt *Γ.* || 9. tribuni plebis] tr̃. p. *A.*

Tum Milesii) Facilius quidem codicis Bernensis scripturam *tum ille consenso*, unice certam, cum reliquorum testimonium ualde perturbatum sit, emendauit corrector eius libri, substituens *illi consensu*; sed quoniam minus bene ad populi uocabulum refertur *illi*, idemque pronomen statim sequitur, credibilius est Valerium scripsisse TV̄MILESI CONSENSV, unde et reliquorum codicum, qui in altera familia sunt, probabiliter explicantur corruptelae, in quibus omnibus miro casu uocis *consensu* (archet. *consenso)* priores duae syllabae interierunt.

8. Cf. Plut. Lycurg. 7.

[qui] cum primus) In ea transitus figura, quae fit per *atque (et, at, sed, uerum) ut* sequente referendi quodam aut transeundi uerbo, Valerio in primis frequentata (cf. I, 8, 2. II, 2, 6. II, 6, 9. III, 1, ext. 1. III, 2, ext. 8. III, 4, ext. 1. IIII, 1, 1. IIII, 5, 1. V, 1, 2. V, 3, 4. VI, 1, 13. VI, 1, ext. 1. VII, 7, ext. 1 etc.), per se apparet insequentem narrationem non posse a relatiuo ad nomen aliquod praemissae finalis sententiae referendo incipere, quo manca fieret oratio, deficiente omnino primario enunciato. Quapropter Lipsius probantibus Colero ac Vorstio in praecedentibus *atqui* pro *atque ut* legendum censet. Sed multo ueri similius est adiecisse relatiuum ante *cum* librarium, qui desideraret nexum inter has sententiae partes. Itaque recte omissum erat in prioribus exemplis. Non eodem iure grammatici paulo post alterum *cum* expunxerant in his, *atque illi cum uxor dixisset*, quod pluribus interpositis omnino repeti potuit. Quapropter hoc reuocaui.

futurae regiae) Codex Bernensis *furae* exhibuit, alterius generis archetypus, ut uidetur *furi*, unde altera eius familia satis mire effecit *ephori*, altera *futuri*, quod tacite receperunt priores editores, equidem, ne dicam de insolenti uerborum ordine, cum participio *oppositi* coniungi posse nego. Coniciat aliquis scribendum esse *ita fere;* sed sine dubio recte censor libri Danielini emendauit *futurae*. Neque enim futura regia potestas ea sola dicitur, quae antea omnino non erat, sed etiam quae aliqua ratione opponitur eidem praecedentium temporum potestati. Atque haec quidem narratio tota uersatur in discrimine inter priorem regiam dignitatem et inter futuram illam, minorem quidem sed diuturniorem. Quam ob causam ne pleonasmum, quod abundet *futurae* ac per se satis intellegatur, magnopere obiecerim Valerio.

sunt obiecti, atque illi cum uxor dixisset id egisse illum ut filiis minorem potestatem relinqueret, 'Relinquam', inquit, 'sed diuturniorem'. Optime quidem. Ea enim demum tuta est potentia, quae uiribus suis modum inponit. Igitur Theopompus regnum legitimis uinculis constringendo quo longius a licentia retraxit, hoc ad beneuolentiam ciuium propius admouit.

9. Antiochus autem a L. Scipione ultra Taurum montem imperii finibus summotus, cum Asiam prouinciam uicinasque ei gentes amisisset, gratias agere populo Romano non dissimulanter tulit, quod nimis magna procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur. Et sane nihil est tam praeclarum aut tam magnificum, quod non moderatione temperari desideret.

QVI EX INIMICITIIS IVNCTI SVNT AMICITIA AVT NECESSITVDINE.

II. Quae quoniam multis et claris auctoribus inlustrata est, transgrediamur ad egregium humani animi ab odio ad gratiam deflexum, et quidem cum laeto stilo persequamur. Nam si placidum

1. cum *om. Torr.* || 4. Igitur — (6.) admouit *om. Γ.* || Theopompus igitur legitimis regnum *Torr.* || 6. propius] *ante* ad beneuolentiam *Torr.* proprius *B et pr. A.* || admonuit *pr. A.* || 8. submotus *Par.* submotis *coni. Periz.* || 9. ademisset *E.* || romano populo *Γ.* || 10. modicus *pr. A.* modici *E.* || 13. QVI — (14.) NECESSITVDINE] De remissione iniuriarum *E.* De reconciliatione *Torr.* || inimicis *DF.* || AVT] uel *F.* || necessitate *C.* || 15. transgrediar *F.* || 16. ad *om. pr. D.* || egregium] *om. E et pr. D.* aegregium *A.* || animi] *add.* affectum quem *BE. add.* effectum quem *C. add.* affectum *in rasura D.* || deuexum *B.* || 17. et quidem] equidem *ABCDE.* || eum] cum *DFΓ* enim *E.* || prosequamur *BCDFΓ Torr. Cf. III, 2, init. III, 8, 1. VI, 2, init.* || si] sicut *DEFΓ.*

9. Cf. Cic. pro Deiot. 13, 36.

II. *humani animi ab odio ad gratiam deflexum)* Ante Pighium uulgo edebatur, *ad egregium humani animi affectum, quem ab odio ad gratiam deflexum.* Quae cum sensu carerent, uir ille doctissimus uoces *affectum quem* tamquam 'a sciolis perperam infarcitas' deleri iussit; neque tamen id reliquis grammaticis recte fieri persuasit. Nam Vorstius post *deflexum* excidisse opinabatur *uocare possis*, atque etiam Perizonius coniecit legendum esse *affectum, quippe ab odio ad gratiam deflexum.* Torrenio prae ceteris placuisse uidetur *affectum*, deleto tamen relatiuo pronomine *quem.* Docebit nunc collatio codicum meorum uerba a Pighio expuncta, non nisi in codicibus ad alterius familiae alterum genus pertinentibus inuenta, (neque enim olim erant in Berolinensi *D*,) ab archetypo omnino abfuisse. Quibus remotis sermo recte procedit. Vsus est Valerius

mare ex aspero caelumque ex nubilo serenum hilari aspectu sentitur, si bellum pace mutatum plurimum gaudii adfert, offensarum etiam acerbitas deposita candida relatione celebranda est.

M. Aemilius Lepidus, bis consul et pontifex maximus splen- 1.
dorique honorum par uitae grauitate, diutinas ac uehementes inimicitias cum Fuluio Flacco eiusdem amplitudinis uiro gessit. Quas, ut simul censores renuntiati sunt, in campo deposuit, existimans non oportere eos priuatis inimicitiis dissidere, qui publice summa iuncti essent potestate. Id iudicium animi eius et praesens actas comprobauit et nobis ueteres annalium scriptores laudandum tradiderunt.

Sicuti Liui quoque Salinatoris finiendarum simultatium in- 2.
lustre consilium ignotum posteritati esse noluerunt. Is namque etsi Neronis odio ardens in exilium profectus fuerat, testimonio eius praecipue adflictus, tamen postquam eum inde reuocatum ciues collegam illi in consulatu dederunt, et ingenii sui, quod erat acerrimum, et iniuriae, quam grauissimam acceperat, obliuisci sibi imperauit, ne, si dissidente animo consortionem imperii usurpare uoluisset, pertinacem exhibendo inimicum malum consulem ageret. Quae quidem mentis ad tranquilliorem habitum inclinatio in aspero ac difficili temporum articulo plurimum salutis urbi atque Italiae attulit, quia pari uirtutis inpetu conisi terribilis Punicas uires contuderunt.

---

2. sic bellum *BCDEFΓ et pr. A.* || offensarum — (3.) celebranda est *om. Γ.* || 4. bis *om. F.* || splendoremque *pr. A.* splendoreque *BCDF.* || 5. paruitate grauitate *pr. A.* parui grauitate *corr. A.* par grauitate uitae *Torr.* || 7. enunciati *corr. A. add.* I. P. renunciati *margo A.* creati *EF.* || 8. inimicitiis] odiis *Torr.* || 9. Id — (11.) tradiderunt *om. Γ.* || Id] ad *pr. A.* || cuius *F.* || 10. ut praesens *pr. A.* || 12. Sicuti] Sexti *ABDEF.* Sex. *Γ.* Sed ti. *pr. C.* Sed *corr. C.* || lini quoque *B.* quoque liuii *EF.* quoque liuius *Γ.* || Salinatoris — (13.) Is namque *om. Γ.* || saluatoris *B.* || simulatium *pr. A.* simultatum *BCETorr.* si nutationum *D.* simul tantum *F.* || 13. noluerunt] *ante* esse *E.* uoluerunt *D.* || 15. praecipuo *(typogr. error.) Torr.* || 16. consulatum *D.* || dederint *B.* || 18. ne] nam *B.* || consortium *CEF et in rasura B.* || 19. pertinacem se exhibendo *(litt.* cem se *in rasura) A.* || 20. Quae — (23.) contuderunt *om. Γ.* || 21. temporis *E.* || saluti urbis *B. add.* nostrae *corr. D.* || 22. impetu uirtutis *E.* || connisi *(A.)* connixi *F.* || terribiles *BCDEFTorr.* || 23. contunderunt *B.*

---

eodem nomine substantiuo *deflexus* VII, 3, init. *Est aliud factorum dictorumque genus a sapientia proximo deflexu ad uafritiae nomen progressum.*

1. Cf. Cic. de prou. cons. 9, 20. Liu. XL, 45 et 46. A. Gell. XII, 8.

2. Cf. Liu. XXVII, 35. Sil. Ital. XV, 597. Auct. de uir. ill. 50.

Sicuti Liui quoque) Erat is M. Liuius Salinator, consul a. u. c. 535, iterum 547. Vnde apparet quam peruerse libri manuscripti exhibeant *Sexti Liui.* Nam ipsum Valerium h. l. in praenomine ponendo errasse uix crediderim, cum et in Paridis huius exempli compendio absit praenomen et alibi constanter solo

3. Clarum etiam in Africano superiore ac Ti. Graccho depositarum inimicitiarum exemplum, siquidem ad cuius mensae sacra odio dissidentes uenerant, ab ea et amicitia et adfinitate iuncti discesserunt. Non contentus enim Scipio auctore senatu in Capitolio Iouis epulo cum Graccho concordiam communicasse, filiam quoque ei Corneliam protinus ibi despondit.

4. Sed huiusce generis humanitas etiam in M. Cicerone praecipua apparuit. Aulum namque Gabinium repetundarum reum summo studio defendit, qui eum in consulatu suo urbe expulerat, idemque P. Vatinium dignitati suae semper infestum duobus publicis iudiciis tutatus est, ut sine ullo crimine leuitatis, ita cum aliqua laude, quia speciosius aliquanto iniuriae beneficiis uincuntur quam mutui odii pertinacia pensantur.

5. Ciceronis autem factum adeo uisum est probabile ut imitari id ne inimicissimus quidem illi P. Pulcher dubitauerit. Qui incesti crimine a tribus Lentulis accusatus, unum ex his ambitus reum patrocinio suo protexit atque in animum induxit, et iudicem et praetorem et Vestae aedem intuens, amicum Lentulo agere, inter quae ille salutem eius foedo crimine obruere cupiens hostili uoce perorauerat.

6. Caninius autem Gallus reum pariter atque accusatorem ad-

1. §. 3. *om. Γ.* || 3. et amicitia] et *om. F.* || 6. quoque ei] quoque ei suam *in rasura A.* ei quoque *E. habet* ei *post* protinus *F.* || respondit *C.* || 7. Sed — (8.) Aulum namque] M. autem Cicero aulum *Γ.* || 8. aulumque namque *C.* || gauinium *EF et pr. A.* gaulnum *B.* animum *D.* || reputandarum *pr. A.* || rerum *EF.* || 9. urbem *D.* || 10. p. nacinium *D.* || 11. inditiis *B.* || tutus *Γ.* || 12. beneficiis] *litt.* iis *in rasura A.* beneficio *BF.* || 14. §. 5. *om. Γ.* || 15. inmitissimus *E.* || 17. iudic *(sic) B.* iudices *D.* || 18. praetorum *pr. A.* || Vestae] uestem *pr. C.* testem *E et corr. CF.* uestalem *D.* || eadem *pr. E.* || 19. quem *B.* || 20. praeorauerat *D.* || 21. §. 6. *om. Γ.* || Caninius] Caminius *E. add.* l. P. c. annius gallus *margo A. Sed habet* Caninius *Par.*

nomine et cognomine hunc uirum insignierit Valerius. Cf. II, 9, 6. III, 7, 4. IIII, 1, 9. VII, 2, 6. VII, 4, 4. IX, 3, 1. Probabiliter Aldus pro *Sexti* ex interpolatis libris, ut opinor, *Sicuti* recepit, quem secuti sunt recentiores huius operis editores.

3. Cf. Liu. XXXVIII, 53 et 57. A. Gell. XII, 8. Dio Cass. exc. 72. p. 30 Reim. In Paridis compendio haec ita leguntur, *Scipio, ut diximus, post intercessionem Ti. Gracchi* (cf. IIII, 1, 8.) *depositis inimicitiis protinus filiam ei suam Corneliam despondit.*

4. *Aulum namque Gabinium)* Cf. Cic. pro Rab. Post. 8, 19.

idemque P. Vatinium) Cf. Cic. epp. 1, 9, 4. De duobus iudiciis, quibus M. Tullius Vatinium defenderit, nihil omnino constat, sed de uno dumtaxat. Neque improbabiliter Drumannus (gesch. Roms VI, p. 36.) suspicatur Valerium de duplici iudicio falso retulisse, deceptum Ciceronis uerbis (in Vat. 14, 33) male intellectis.

6. *C. Antonii)* Ciceronis in consulatu collegae Cf. de hoc iudicio Cic. in Vat. 11, 27. id pro M. Cael. 31, 74. Drumann. gesch. Roms I, p. 538.

mirabilem egit, et C. Antonii, quem damnauerat, filiam in matrimonium ducendo et M. Colonium, a quo damnatus fuerat, rerum suarum procuratorem habendo.

Caeli uero Rufi ut uita inquinata, ita misericordia, quam 7.
Q. Pompeio praestitit, probanda. Cui a se publica quaestione prostrato, cum mater Cornelia fidei commissa praedia non redderet atque iste auxilium suum litteris implorasset, pertinacissime absenti adfuit. Recitauit etiam eius epistolam iudicio ultimae necessitatis indicem, qua impiam Corneliae auaritiam subuertit; factum propter eximiam humanitatem ne sub Caelio quidem auctore repudiandum.

DE ABSTINENTIA ET CONTINENTIA.

Magna cura praecipuoque studio referendum est quantopere III.
libidinis et auaritiae furori similis impetus ab inlustrium uirorum pectoribus consilio ac ratione summoti sint, quia ii demum penates, ea ciuitas, id regnum aeterno in gradu facile steterit, ubi minimum uirium ueneris pecuniaeque cupido sibi uindicauerit. Nam quo istae generis humani certissimae pestes penetrarunt,

1. matrimonio *D.* || 2. et *om. E.* || M. Colonium] *add.* I. P. ualerium maximum *margo A.* mecolonium *C.* || 4. §. 7. *om. Γ.* || 6. matre corneliae *pr. A.* matri corneliae *corr. A.* || 7. iste] ita *AF.* ista *B.* || 8. etiam] et *FTorr.* || iudicio *om. E.* || 9. subuertit] *add.* quod *F.* || 10. propter] *add.* nimiam et *margo D.* || 11. repudiandum] repuandum *pr. C. add.* est *corr. B.* || 14. similes *BDEFΓTorr. Vid. Lachm. ad Lucr. I,* 805. *p.* 56. || 15. ac] et *E.* || sunt *F.* || ii] *post* demum *Torr.* hii *BCDEΓ.* hi *F.* || 17. uirium *om. B.* || sibi] *add.* dominium *F.* || 18. quos *ABCΓ.* || istae] hee *EF.* || penetrarint *E.* penetrauerunt *F.* penetrauerint *Torr. add.* in eis *corr. A. add.* ibi *Torr.*

M. Colonium) Mira h. l. inter Valerii codices et Iulii Paridis epitomam discrepantia, cum quem illi M. Colonium efferant huic Valerius Maximus uocetur. Quorum fontium uter ueram retinuerit scripturam, cum neque rei neque hominis ulla notitia ad nos peruenerit, diiudicari uix poterit.

7. De hoc Q. Pompeio Rufo cf. Cael. ad Cic. epp. VIII, 1. 4. Drumann. II, p. 415.

uita inquinata) Cf. Vell. Pat. II, 68. Quint. X, 1, 115.

Cornelia) Filia haec erat L. Cornelii Syllae. Cf. Dio Cass. XL, 45.

iniuria dominatur, infamia flagrat, † linguis; contrarios his tam diris uitiis mores commemoremus.

1. Quartum et uicesimum annum agens Scipio, cum in Hispania Karthagine oppressa maioris Karthaginis capiendae sumpsisset auspicia, multosque obsides, quos in ea urbe Poeni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset, eximiae inter eos formae uirginem aetatis adultae et iuuenis et caelebs et uictor, postquam comperit inlustri loco inter Celtiberos natam nobilissimoque gentis eius Indibili desponsam, arcessitis parentibus et sponso inuiolatam tradidit. Aurum quoque, quod pro redemptione puellae allatum erat, summae dotis adiecit. Qua continentia ac munificentia Indibilis obligatus Celtiberorum animos Romanis adplicando meritis eius debitam gratiam retulit.

1. linguis] *punctis notatum et suprascriptum* quibus relictis *corr. A.* longius *D.* igitur *F.* quibus relictis *E.* Quibus longius relictis *Torr.* || contrarios] *add.* igitur *corr. D.* || his *om. Torr.* || 3. uigesimum *EF.* || agens annum *E.* || 4. kartagine *A.* || maiores *pr. A.* || kartaginis *A.* || 7. celebs *A.* || 8. celtibericos *BC.* || 9. eius] illius *F.* || indiueli *Par.* || disponsam *A et pr. C. add.* I. P. desponsam *margo A.* sponsam *B.* disponsatam *EF et corr. C.* desponsatam *Torr.* || accersitis *BCDEFT.* || 11. ac] et *F.* || 13. reddidit *F.*

III. † *linguis; contrarios his)* Posui supra scripturam omnium bonorum codicum consensu stabilitam, nisi quod cum prioribus grammaticis necessariam emendationem recentiorum librorum *quo penetrarunt* pro *quos penetrarunt* recepi. A quibus non modo nimium discedunt, sed ne sententiae quidem satisfaciunt quae Pighius introduxerat in uulgata exempla, *Quibus longius relictis contrarios tam diris uitiis mores commemoremus,* cum ante eum uulgo *igitur* circumferretur pro *linguis.* Certam traditae scripturae emendationem communicare nequeo. Suspicor tamen Valerium felicem harum uirtutum, de quibus acturus erat, relationem auspicatum tamquam ominis gratia praeposuisse sollemnem illam formulam *Fauete linguis!* qua saepenumero uelut praecones in sacrificiis poetae usi sunt splendidam et laetam materiam carminibus celebraturi. Cf. Hor. III carm. 1, 2 *Odi profanum uulgus et arceo. Fauete linguis; carmina non prius Audita musarum sacerdos Virginibus puerisque canto.* Ouid. fast. I, 71. *Prospera lux oritur. Linguis animisque fauete: Nunc dicenda bono sunt bona uerba die.* Quae formula, etiamsi alibi a solutae orationis scriptoribus adhibita non sit, quod equidem sciam, a Valerii tamen stilo nequaquam abhorret, quem cum in reliquis multum poetica licentia sibi arrogasse, tum hoc in primis loco uerborum quandam granditatem atque festiuitatem affectasse cernimus. Idem fere sensisse uidetur librarius codicis cuiusdam, quem inspexit Andreas Schottus, cum is suppleret *Fauentibus linguis contrarios* etc.

1. Cf. Liu. XXVI, 50. Polyb. X, 19. Front. strat. II, 11, 5. A. Gell. VI, 8. Sil. Ital. XV, 268. Auct. de uir. ill. 49.

Indibili) Liuius adulescentem, cui desponsa erat illa uirgo, Allucium appellat, idemque nomen apud Frontinum recte ei nunc restitutum esse arbitror. Indibilis autem Ilergetum rex erat. Cuius filias in Romanorum potestatem redactas eodem modo humaniter et uerecunde habuit Scipio. Ob eam clementiam patrem Indibilem cum aliis principibus suae gentis ad Romanos transiisse testantur Liu. XXVI, 49 et XXVII, 17. Polyb. X, 38. Quae cum ita sint, dubitari non potest quin Valerius aut memoriae lapsu aut eadem illa leuitate, qua fontes suos excutere solet, Indibilem cum Allucio confuderit.

Verum ut huius uiri abstinentiae testis Hispania, ita M. 2.
Catonis Epiros, Achaia, Cyclades insulae, maritima pars Asiae, prouincia Cypros. Vnde cum pecuniae deportandae ministerium sustineret, tam auersum animum ab omni uenere quam a lucro habuit, in maxima utriusque intemperantiae materia uersatus. Nam et regiae diuitiae potestate ipsius continebantur et fertilissimae deliciarum tot Graeciae urbes necessaria totius nauigationis deuerticula erant. Atque id Munatius Rufus Cypriacae expeditionis fidus comes scriptis suis significat. Cuius testimonium non amplector. Proprio enim argumento laus ista nititur, quoniam ex eodem naturae utero et continentia nata est et Cato.

Drusum etiam Germanicum, eximiam Claudiae familiae glo- 3.
riam patriaeque rarum ornamentum, et quod super omnia est, operum suorum pro habitu aetatis magnitudine uitrico pariter ac fratri Augustis, duobus rei publicae diuinis oculis, mirifice respondentem, constitit usum ueneris intra coniugis caritatem clausum tenuisse. Antonia quoque, femina laudibus uirilem familiae suae claritatem supergressa, amorem mariti egregia fide pensauit, quae post eius excessum forma *et* aetate florens *con*uictum socrus pro coniugio habuit, in eodemque toro alterius

1. abstinentia testis in hispania *A.* || 2. ephyros achaici *F.* || maritimae *BF.* || 3. prouinciae *F.* || Cypros] aptos *B.* || 4. aduersum *BF.* || 5. materia] *post* uersatus *Torr.* materia • *A.* m̃. *(sic) C.* misericordia *F.* || 8. diuerticula *DEFΓ. Vid. ad I, 7, ext.* 10. || 12. §. 3. *om. Γ.* || cladie *F.* || 13. clarum *DF.* ratum *E.* || 14. pro habitu] quod habitu *B.* prohibitum *F.* || 15. augusto *ABCDEF.* || 17. retinuisse *D.* || 18. amore *E.* || 19. excessum eius *E.* || et *om. ABCE.* || cuitum *pr. A.* coitum *corr. A.* cubitum *BC.* cubiculum *DEFTorr.*

2. Cf. Vell. Pat. II, 45. Plut. Cat. min. 37 et sqq. Auct. de uir. ill. 80.

3. ***uitrico pariter ac fratri Augustis)*** Augusti appellatio non magis ad fratrem Germanici, Tiberium, quam ad uitricum, diuum Augustum referri debet. Quapropter cum libri manuscripti et ueteres editiones tueantur singularem numerum ***Augusto***, necessario Pighius ***Augustis*** restituit. Causam corruptelae praebuisse opinor singulariter positum ***fratri***, quo cum pluralis numerus ***Augustis*** non recte coniungi uidebatur librariis.

conuictum socrus pro coniugio habuit) Edebatur uulgo ***cubiculum socrus*** e deterioribus aliquot libris, neque de uariante scriptura quicquam communicarunt priores grammatici. Quod non tam miror quam neminem adhuc istis ineptiis esse offensum. Potuit enim socrus cubiculum pro thalamo haberi ab Antonia, coniugii uicem quomodo obtinere potuerit, id sane equidem non intellego. Sed quid multa, cum manifesta sit praepostera interpolatio ab imperitis librariis non intellecta archetypi scriptura e proxime sequentibus ***(Hoc cubiculum talibus experimentis summam inponat)***, ut solent isti homines, misere repetita? Seruauit nobis archetypi scripturam liber Bernensis, ***cuitum*** exhibens, quod sine dubio ortum est e ***c̃uictum*** i. e. ***conuictum***. Eodem significatu Val. II, 7, 9 posuit ***Interdixit etiam ei conuictum hominum***, et Lucceius in ep. ad Cicer. V, 14, 4 ***ad conuictum nostrum redeas***. Recte autem Antonia uidua pro mariti consuetudine iam socrus contubernio usa esse dicitur.

adulescentiae uigor extinctus est, alterius uiduitatis experientia consenuit. Hoc cubiculum talibus experimentis summam inponat.

4. Deinceps et his uacemus, quorum animus aliquo in momento ponendo pecuniam numquam uacauit. Cn. Marcius, patriciae gentis adulescens, Anci regis clara progenies, cui Corioli, Volscorum oppidum, capti cognomen adiecerunt, cum editis conspicuae fortitudinis operibus a Postumo Cominio consule accurata oratione apud milites laudatus, omnibus donis militaribus et agri centum iugeribus et decem captiuorum electione et totidem ornatis equis, centenario boum grege argentoque, quantum sustinere ualuisset, donaretur, nihil ex his praeter unius hospitis captiui salutem equumque, quo in acie uteretur, accipere uoluit. Qua tam circumspecta animi moderatione nescias utrum maiore cum laude praemia elegerit an reiecerit.

5. M'. autem Curius, exactissima norma Romanae frugalitatis idemque fortitudinis perspectissimum specimen, Samnitium legatis

2. consenciit *D.* || 3. Deinceps — (4.) uacauit *om. Γ.* || et his] * * his *A.* ex hiis *BC.* his *F.* || 4. ponendi *ABCDEF. Correxit Vorstius.* || uacuit *BC et pr. A.* uacauerit *corr. F.* || Cn.] g *D.* g. enim *F.* || marcus *E et pr. F.* || 5. curioli *B.* coriolum *D.* currioli *Γ.* || 6. captiuum *Γ et pr. A.* captum *BCDEF et corr. A, Torr. add.* l' capti suum *margo A.* || adiecit *D Torr.* || 7. Postumio *Par. Cf. auct. de praen.* 2. || commino *D.* || 10. equis] *add.* et *Γ et corr. E.* || argentoque] que *om. E.* || quantum] quod *F.* || 11. ex his *om. Γ et pr. D.* || 12. salutem equumque] altum equum *Γ.* || noluit *E.* || 14. elegerit] meruerit *FTorr.* || 15. M. autem *ABCDEFΓPar. Torr. Manium eum fuisse monuit Torr. Cf. VI.* 3, 4. || 16. perfectissimum *D.* || samnitum *EF et corr. D, Torr. Incerta pr. D.*

4. Cf. Dion. Hal. VI, 94. Plut. Coriol. 10. Cass. Dion. exc. Vat. 6. Mai. coll. II, p. 528. Auct. de uir. ill. 19.

capti cognomen adiecerunt) Ferri nequit quod in plerisque libris manuscriptis legitur *captum*, cum sententia flagitet ut hoc adiectiuum cum nomine urbis, unde appellationem traxit Coriolanus, arte coniungatur, non cum appositione, qua illud nomen accuratius definitur. Aliam enim rem esse apparet, si T. Liuius (II, 33, 9) scripsit, *Ita fusi Volsci Antiates, Corioli oppidum captum.* Valerium autem *capti* posuisse documento praeterea est, optimorum quorundam librorum scriptura *captiuum*, quam pro archetypi *capti* librarium substituisse ueri simile est, quia illud non conuenire uidebatur praecedenti singulari numero *Volscorum oppidum*; cur e *captum* orta sit, probabilis causa suppeditat nulla. Lipsius, cum et ipse in uetere codice inuenisset *captiuum cognomen adiecerunt*, in eandem incidit coniecturam, in quam censor libri Danielini, legendumque esse proposuit *capti suum cognomen.* Atqui pronomen illud non modo abundat uerum praemissum nomini suo sententiae etiam aduersatur.

5. Cf. Cic. Cat. mai. 16, 55. Plut. apophth. (M'. Cur.) 2. Flor. I, 18, 22. Auct. de uir. ill. 33. Fabricio id dictum tribuit Front. strat. IIII, 3, 2.

perspectissimum specimen) A Pighio usque ad Torrenium edebatur *perfectissimum*, quod est in codice Berolinensi *D* et, ut puto, quamuis sileat collatio mea, in codice eiusdem familiae abbreuiato Guelferbytano. Nam e Cauchii libro id enotauerat Pighius. Sed recte Pighius monuit perspectum saepe idem ualere atque spectatum, exploratum, probatum, fieriqûe posse ut Valerius acumen

agresti se in scamno adsidentem foco eque ligneo catillo caenantem, quales epulas apparatus indicio est, spectandum praebuit. Ille enim Samnitium diuitias contempsit, Samnites eius paupertatem mirati sunt. Nam cum ad eum magnum pondus auri publice missum attulissent, benignis uerbis inuitatus ut eo uti uellet, uultum risu soluit et protinus 'Superuacuae', inquit, 'ne dicam ineptae legationis ministri, narrate Samnitibus M'. Curium malle locupletibus imperare quam ipsum fieri locupletem, atque istud ut pretiosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote, et mementote me nec acie uinci nec pecunia corrumpi posse.'

Idem cum Italia Pyrrum regem exegisset, nihil omnino ex praeda regia, qua exercitum urbemque ditauerat, adtigit. Decretis etiam *a* senatu septenis iugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis adsignationis modum non excessit, parum idoneum rei publicae ciuem existimans qui eo, quod reliquis tribueretur, contentus non esset. 6.

Idem sensit Fabricius Luscinus, honoribus et auctoritate omni ciuitate temporibus suis maior, censu par unicuique paucissimo. Qui a Samnitibus, quos uniuersos in clientela habebat, decem aeris et quinque pondo argenti *et* totidem seruos sibi missos in Samnium remisit, continentiae suae beneficio sine

---

1. aeque *A.* atque *EF Torr.* || catillino *pr. A.* catino *F et corr. D. Incerta pr. D.* || cenantem *A.* || 2. equales *D.* || iudicio *D.* || est] *om. D.* esset *E et in rasura C.* || 3. samnitum *EF et littera* u *in rasura D, Torr.* || eius] *ante* Samnites *B.* autem eius *E.* || auri pondus *Torr.* || 6. uultum] ∘ uultum *A.* et uultum *BCEFΓTorr* || risu] *post* protinus *B.* || et] *om. ABCD. post* protinus *F.* || 7. inepte dicam *F.* || narrare *B.* || samnibus *pr. A.* || m. curium *ABC DEFΓTorr.* || 8. fieri locupletem] locupletem esse *Γ.* || 9. istud *om. Γ.* || male *D.* malum *F.* || hominem *F.* || 10. fertote *F.* || nec in acie me *E.* || uinci *om. B.* || 12. exigisset *F.* || 13. quae *in rasura C.* || dictauerat *C.* || discretis *DΓ.* || 14. a *om. ABC et pr. D.* || 17. est *A.* || 18. lucinus *BEΓ et pr. AC.* lucinius *DF.* Luscinius *Par.* || 19. ciuitati *BCEF.* || 20. clientelam *corr. D.* || 21. quinque] XV *DΓ.* || et totidem] totidem *ABCD.* totidemque *EFΓTorr. add.* I. P. missum aurum et decem seruos *margo A.* || 22. missos] remissos *E.* || in *om. Γ.* || sanum *D.* sanium *E.*

---

quaesierit coniunctis duobus eiusdem originis uocabulis. Citauit Kappius simile exemplum Ciceronis (ad Att. XI, 1, 1), *Omnem spem habeo — in tua erga me mihi perspectissima beneuolentia.* Addo eiusdem pro Balb. 6, 16, *uirtus — experta atque perspecta.*

Idem cum Italia) Cf. Plin. h. n. XVIII, 4. XVI, 38. Colum. praef. et I, 3. Curium ipsum quaterna dena agri iugera uiritim populo diuisisse, sibi totidem constituisse scribit auct. de uir. ill. 33.

6. Cf. A. Gell. n. A. I, 14.

decem aeris) Offendit interpretes parua haec nummorum summa, cum

pecunia praediues, sine usu familiae abunde comitatus, quia locupletem illum faciebat non multa possidere, sed modica desiderare. Ergo domus eius quemadmodum aere et argento et mancipiis Samnitium uacua, ita gloria ex his * parta referta fuit. Consentanea repudiatis donis Fabricii uota extiterunt. Legatus enim ad Pyrrum profectus, cum apud eum Cineam Thessalum narrantem audisset quendam † Atheniensem, sed clarum sapientia, suadentem ne quid aliud homines quam uoluptatis causa facere uellent, pro monstro eam uocem accepit continuoque Pyrro et Samnitibus istam sapientiam deprecatus est. Licet Athenae doctrina sua glorientur, uir tamen prudens Fabricii detestationem quam Epicuri maluerit praecepta. Quod euentus quoque indicauit. Nam quae urbs [cum] uoluptati plurimum tribuit, imperium maximum amisit, quae labore delectata

2. sed] et *pr. D.* || 3. Ergo — (4.) referta fuit *om. Γ.* || 4. samnium *pr. A.* samnitum *EF et corr. D, Torr.* || his] is *pr. A.* iis *corr. A, add.* contemptis *ETorr.* || 5. Consentanea — (6.) enim] hic idem legatus *Γ.* || 6. eum] * * *A.* || chyneam *AD.* chineam *C.* cyneam *EΓPar.* || 7. narrantem] *om. F.* narrationem *E.* || sed *om. DFTorr.* || 8. suadere *Torr.* || ne aliquid *DΓ.* || 10. detestatus *D.* || 12. detestatione *Γ.* || epicurii *F.* || maluit *ABCDEFΓTorr.* || 13. iudicauit *pr. A.* || Nam quae] namq. *A.* namque *BCΓ.* nam cum *D.* nam *F.* || cum *om. DEΓTorr.* || plurimum] minimum *D.*

Hyginus apud Gellium l. c. grandem pecuniam Fabricio a Samnitibus dono oblatam esse tradiderit. Nec immerito. Nam et omnino uel simplicissimis illis temporibus satis modicum hoc donum est et aeris summa, si cum argento mancipiisque comparaueris, admoxum exigua. Quapropter Gronouius II de pec. uet. c. 5. decem milia aeris legi iubet. Quod non displicet. Probabile est enim interiisse in codicibus lineolam numero *X* suprascriptam, quo significarentur milia. Iulius autem Paris aurum Fabricio et decem, non quinque seruos missos esse scripsit.

*ex his * parta)* Non ex argento et mancipiis gloriam sibi peperit Fabricius sed ex repudiatis his muneribus. Desideratur igitur post *his* participium *contemptis* uel *spretis* uel simile aliquid, omissum quia librarius a litteris *is* in *his* ad eandem participii illius terminationem transilierat. Priores editores de defectu nihil admonentes omnes aeque *contemptis* inseruerant.

Consentanea repudiatis etc.*)* Cf. Cic. Cat. mai. 13, 43. Plut. Pyrrh. 20.

quendam † Atheniensem sed clarum) Vitiosam archetypi codicis scripturam, quam nos supra exhibuimus, nondum recte emendarunt grammatici. Nam quod hucusque ediderunt *quendam Atheniensem clarum sapientia suadere*, omni destitutum est similitudine ueri. Optime mihi Perizonius animaduertisse uidetur intercidisse uerbum *esse*, inserendum pro inepta particula *sed*. Mallem tamen equidem *quendam Athenis esse clarum sapientia suadentem*, non tam audacter quam uideri potest. Nam illud *sed* ortum puto ex ultima littera u. *Athenis* et compendio uerbi *esse* (*s* $\widetilde{ee}$.); et in hac scriptura mire consentiunt Iulius Paris et Cicero, e quo haec desumpsit memorabilium auctor. Vterque enim scripsit *esse quendam Athenis*, quod dicendi genus Valerio quoque usitatissimum est. Cf. I, 7, ext. 6, *Himerae quaedam non obscuri generis femina.* IIII, 5, ext. 2, *Athenis quidam ultimae senectutis.*

uir tamen prudens — maluerit) Praepostere, cum libri omnes finitum uerbum efferant *maluit*, prudenti uiro Vorstius et Helfrechtus Cineam, Kappius et Ha-

est, occupauit, et illa libertatem tueri non ualuit, haec etiam donare potuit.

Curî et Fabricî Q. Tuberonem cognomine Catum discipulum 7.
fuisse merito quis existimauerit. Cui consulatum gerenti cum Aetolorum gens omnis usus uasa argentea magno pondere et exquisita arte fabricata per legatos misisset, qui superiore tempore gratulandi causa ad eum profecti retulerant fictilia se in eius mensa uasa uidisse, monitos ne continentiae quasi paupertati succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire iussit. Quam bene Aetolicis domestica praetulerat, si frugalitatis eius exemplum posterior aetas sequi uoluisset! Nunc quo uentum est?

3. Curî — (4.) Cui] Q. tuberoni cognomine gatilio *Γ*. || Curî et Fabricî] C. fabritii *B*. || Q.] *add.* Aelium *Torr.* || Catum] gentilium *pr. A.* gatilium *BCDEF et corr. A.* || 5. et] etiam *F*. || 6. superiori *FΓTorr.* || 8. mensa *om. B.* || uasa *om. FPar. Vinc. Bell. sp. h. VI. (V.)* 9. || 9. succurrendum] consulendum *F*. || 10. praetulerant *B*. || eius exemplum] eiusemplum *A*. exemplum *B*. || 11. posteriorum *D*. || Nunc quo] Sed nunc eo *Γ*. || est] *add.* ut *Γ*.

sius Pyrrhum designari arbitrabantur, non animaduertentes sententiam ita enarratam neque cum praecedentibus *(Licet Athenae* etc.*)* neque cum sequentibus *(Quod euentus quoque indicauit)* cohaerere. Generaliter eam pronuntiandam fuisse unus intellexit Perizonius, qui scribendum esse coniecit *maluerit*, et explicat, 'omnis uir prudens praetulerit Epicuri praeceptis Fabricii detestationem'. Paulo post quod in optimis quibusque libris ante *uoluptati* inseritur *cum*, manifesta interpolatio est ad restituendam sententiam facta, postquam a *nam quae* solito mendo aberratum erat in *namque*.

7. Cf. Plin. h. n. XXXIII, 11.

Q. Tuberonem) Quae hoc loco de Q. Tuberone praedicantur Plinius de Cato Aelio refert. Et sane unus, quem eo cognomine usum esse constat, Sex. Aelius Paetus Catus erat, iuris peritissimus, consul a. u. c. 556 cum T. Quintio Flaminino, censor a. 560. Cf. Fasti Cap. p. 293 Grut. Liu. XXXII, 7. Enn. ap. Cic. Tusc. I, 9, 18. Varro. de Ling. Lat. VI, 3. Pomp. de orig. iur. dig. II, 2, 7. Seru. Sulpicius in reprehensis Scaeuolae cap. ap. A. Gell. IIII, 1, 20. Atque in eius historiam optime cadunt, ut docuit Perizonius anim. hist. p. 73 ed. Harl., quae de spretis Aetolicis diuitiis memoriae produntur, cum illo tempore Aetoli non modo societate coniuncti fuerint cum Romanis, uerum etiam una cum his bellum contra Philippum Macedonem gesserint. Itaque, siquidem pro scriptura librorum praeter Bernensem summo consensu *Gatilium* exhibentium recte Cati cognomen substitutum est, quod non dubito, Valerium in nomine hominis errasse confitendum erit. Sed Plinium quoque hallucinatum esse, quod Catum illum L. Aemilii generum diceret, cum is fuerit Q. Aelius Tubero (Val. Max. IIII, 4, 9. Plut. Paul. 28), recte animaduerterunt Merula ad Ennii l. c. p. 507 et Perizonius anim. hist. l. c.

fictilia se in eius mensa uasa) Dubito cum eodem Perizonio de ultima uoce, quae, cum paulo ante praecesserit, hoc loco abundans melius aliquanto subintellegeretur. Confirmat autem Perizonii suspicionem non tam Vincentius Bellouacensis, quippe cuius excerpta aeque ut codex Guelferbytanus alter ex archetypo quem diximus libro pendeant, in quo libro extabat suspecta uox, quam Iulii Paridis epitome, in qua omissa illa uoce scribitur legatos retulisse *se fictilia in eius mensa uidisse*. Fieri igitur potest ut *uasa*, in margine antiqui cuiusdam libri interpretationis causa appositum, non debitam sedem inter Valerii uerba occupauerit.

A seruis inpetrari uix potest ne eam supellectilem fastidiant, qua tunc consul non erubuit.

8. At Perse rege deuicto Paulus, cum Macedonicis opibus ueterem atque hereditariam urbis nostrae paupertatem eo usque satiasset, ut illo tempore primum populus Romanus tributi praestandi onere se liberaret, penates suos nulla ex parte locupletiores fecit, praeclare secum actum existimans, quod ex illa uictoria alii pecuniam, ipse gloriam occupasset.

9. Atque huic animi eius iudicio Q. Fabius Gurges, Numerius *Fabius* Pictor, Q. Ogulnius subscripserunt. Qui legati ad Ptolemaeum regem missi munera, quae ab eo priuatim acceperant, in aerarium, et quidem prius quam ad senatum legationem referrent, detulerunt, scilicet de publico ministerio nihil cuiquam praeter laudem bene administrati officii accedere debere iudicantes. Iam illud humanitatis senatus et attentae maiorum disciplinae indicium est. Data sunt enim legatis quae in aerarium reposuerant non solum patrum conscriptorum decreto sed etiam

1. uix] *ante* impetrari *Torr. post* potest *BF.* || possit *Γ.* || ne] ut *F.* || non fastidiant *F.* || qua] quam *F.* || 2. consul] *add.* uti *DΓ et corr. A. Torr. Vino. Bell. l. c.* || 3. At *om. Γ.* || perso *F.* perseo *Γ.* || 5. illo] eo *F.* || 6. liberasset *Γ.* liberarit *coni. Periz.* || 7. existimans actum *D.* || ex *om. Γ et pr. D.* || 9. Atque — iudicio *om. Γ.* || Numerius Fabius] cn. fabius *Par. et in rasura A. sed add.* numerius *margo A.* numerius (*omisso* Fabius) *BCEFΓ et pr. D.* g. numerius fabius *corr. D.* || 10. ogolnius *Γ et pr. A.* ugolnius *corr. A.* ogolinus *BD.* ogulinus *CE.* Vgulnius *Par.* || subscripserunt. Qui *om. Γ.* || legati * * ptolomeo *A.* || 11. rege *pr. A.* regi *corr. A.* || priuatim ab eo *E.* || 12. transferrent *Γ.* || 13. scilicet] *post* publico *Γ Torr.* || de] in *Γ.* || 15. Iam — (16.) indicium est *om. Γ.* || Iam] quam *E.* || 16. enim] autem *Γ.* || quod *B.* || 17. imposuerant *C.* reposuerunt *D.* deposuerant *F.*

qua tunc consul non erubuit.) Codices ad alterius familiae alterum genus pertinentes et qui saepissime cum his conspirat, Vincentius Bellouacensis e coniectura post *consul* inserierant *uti*, quod non debebant retinere editores. Frequenter enim inde ab Augusti temporibus erubescendi uerbo sextus casus subiungitur. Cf. Liu. XL, 14, 1. Ouid. V metam. 584; id. II fast. 168; id. Ibid. 352. Curt. IIII, 5, 4; Iustin. XXXVIII, 6, 7. Quint. inst. or. VI, 4, 8. Tac. Agric. 42.

8. Cf. Cic. de off. II, 22, 76. Plut. Paul. 28.

9. Cf. Dio. Cass. fragm. n. 147. Zonar. VIII, 6.

Numerius Fabius Pictor) Fabiae gentis significatio in hoc quoque nomine omnino necessaria est, cum proxima narratio incipiat *Fabiorum et Ogulni continentiae*. Quare illud nomen, non ab auctore, sed a librario propter similem terminationem praecedentis uocabuli, ut equidem opinor, omissum, Iulii Paridis epitome adiutus restitui. Male autem Paris et ex eo corrector libri Danielini Pictori praenomen Gnaei tribuunt. Procul dubio enim legati illi erant Q. Fabius Maximus Gurges, ter consul, a. u. c. 462, 478, 489, Numerius Fabius Pictor, consul a. 488, Q. Ogulnius Gallus, consul a. 485; Ptolemaeus uero is, cui Philadelpho cognomen erat, qui a. u. c. 481 per legatos Romanis de debellato Pyrrho rege gratulatus erat. Cf. Liu. epit. libr. XIIII. Eutrop. II, 15. Zonar. VIII, 6. Qui

populi permissu; † legata quaestores prompta uni cuique distribuerunt. Ita in isdem Ptolemaei liberalitas, legatorum abstinentia, senatus ac populi aequitas debitam probabilis facti portionem obtinuit.

Fabiorum et Ogulni continentiae Calpurnium Pisonem in consimili genere laudis aemulum fuisse res ipsa documento est. Consul, graui fugitiuorum bello a se liberata Sicilia, eos quorum praecipua opera usus fuerat imperatorio more donis prosequebatur. Inter quos filium suum aliquot locis proeliatum fortissime titulo trium librarum aureae coronae decorauit, praefatus non oportere a magistratu e publica pecunia erogari quod in ipsius domum rediturum esset, tantumque ponderis se testamento adulescenti legaturum promisit, ut honorem publice a duce, pretium priuatim a patre reciperet. 10.

Age, si quis hoc saeculo uir inluster pellibus haedinis pro stragulis utatur tribusque seruis comitatus Hispaniam regat et quingentorum assium sumptu transmarinam prouinciam petat, eodem cibo eodemque uino quo nautae uti contentus sit, nonne miserabilis existimetur? Atqui ista patientissime superior Cato tolerauit, quia illum grata frugalitatis consuetudo in hoc genere uitae cum summa dulcedine continebat. 11.

1. permissi *C.* || legata] eaque legatis *corr. A. Torr.* atque legata *DΓ.* legatis *F.* || prompte *corr. A, Torr.* prompta manu *in rasura B.* || 2. idem *F.* hisdem *Γ.* || 3. populi] *add.* Romani *Torr.* || 5. Fabiorum — (6.) documento est] Calphurnius Piso *Γ.* || ogulini *C.* ogolnii *D.* ogolini *E et altero* o *in rasura B.* egolini *F.* || calfurnium *F.* || 6. documento] indicio *D.* || 9. locis aliquot *Torr.* || 11. e] de *DΓ.* || 14. a patre priuatim *E Torr.* || 15. illuster *BCDΓ.* illustris *EF Torr. Vid. ad IIII, 1, 5.* || 16. utebatur *D.* || 17. quingentarum *E.* || sumptum *pr. A.* || 19. mirabilis *EFΓ.* || atq. ista *(sic) A.* || tolerauit cato *B.* || 20. uitae genere *DΓ.* || 21. cum] con *pr. A.*

homines, cum aetate longe praecesserint Paulum Aemilium, inepte a Valerio illius animi iudicio subscripsisse dicuntur.

† *legata quaestores prompta)* Scripturae bonorum librorum testimonio satis firmae emendationem inuenire nondum potui. Nam quod temptauit corrector libri Bernensis et ab eo acceperunt recentiores grammatici, *eaque legatis*, cum a traditis litteris nimis abhorret, tum moleste iteratam habet legatorum denotationem. Ne Perizonii quidem coniectura *(sed etiam populi permissu ea quaestores* etc.) aliquo numero satisfacit. Itaque, donec meliora docebor, illud *legata* a librario quodam profectum esse arbitror, ascriptum ut explicaretur *prompta*, et ut significarentur regis munera, quae illis ineptus homo a rege legata esse putauerit. Desideratur autem eo loco *quo facto* uel aliud eiusdem significatus uocabulum.

10. Cf. Plin. h. n. XXXIII, 2 in fin.

11. Cf. Plin. h. n. XIIII, 13, 14. Front. strat. IIII, 3, 1. Plut. apophth. (Cat. mai. 27.) et comp. Arist. cum Cat. Idem in uita Catonis c. 6 eum, cum Sardiniam prouinciam obtinuisset, eodem continentiae genere usum esse narrat. Sed cf. Festus u. Nauitas p. 169 Müll.

12. Multum a prisca continentia spatio annorum posterior Cato descendit, utpote in ciuitate iam diuite et lautitia gaudente natus. Is tamen, cum bellis ciuilibus interesset, filium secum trahens duodecim seruos habuit, numero plures quam superior, temporum diuersis moribus pauciores.

13. Exultat animus maximorum uirorum memoriam percurrens. Scipio Aemilianus post duos inclitos consulatus totidemque suae praecipuae gloriae triumphos septem seruis sequentibus officio legationis functus est. Et, puto, Karthaginis ac Numantiae spoliis conparare plures potuerat, nisi operum suorum ad se laudem manubias ad patriam redundare maluisset. Itaque, cum per socios et exteras gentes iter faceret, non mancipia eius sed uictoriae enumerabantur, nec quantum auri et argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret aestimabatur.

14. Continentia uero etiam in uniuersae plebis animis saepenumero cognita est, sed abunde erit, ex his duo exempla longe inter se distantium saeculorum retulisse. Pyrrus, inpetus sui terrore soluto ac iam Epiroticis armis languentibus, beniuolentiam populi Romani mercari, quia uirtutem debilitare nequiuerat, cupiens, paene totum regiarum opum apparatum in urbem nostram transtulerat. Ceterum cum et magni pretii et uarii generis a legatis eius tam uirorum quam feminarum apta usui munera circa domos ferrentur, nulla cuiquam dono ianua patuit, Tarentinaeque petulantiae animosus magis quam efficax defensor haud scio maiore cum gloria huius urbis moribus *an armis* repulsus sit.

---

1. spatio] *om. B.* spatium *C et pr. AE.* || 2. discedit *Torr.* || in ciuitate] inuitate *pr. A.* ciuitate *BCE.* || lautitia] licentia *DΓ.* || 4. duodecim] VII *CE.* || superior] *add.* si *F.* || 6. Exultat — percurrens *om. Γ.* || 8. triumphus septum *pr. A.* || 9. kartaginis *A.* || 10. comperare *F.* || 13. numerabantur *BCEFTorr.* || 14. secum pondus *F.* || existimabatur *BCE.* || 15. Continentia — (17.) retulisse *om. Γ.* || uero *om. F.* || in uniuersae] inuersae *pr. A.* in uniuersis *CEF.* || 18. pirroticis *F.* || 21. transtulit *BCEFTorr.* || cum et] et cum *C.* || 22. acta *F.* || 23. ferrentur *E.* || dono] domo *E.* || 24. magis *om. F.* || 25. moribus an armis] moribus moribus *pr. A.* moribus *BC.* armis an moribus *DEΓ et corr. A.* moribus quam bello *F.* || repulsus sit] repulsit *B.*

---

12. Plut. Cat. min. 9 quindecim seruos eum comitatos esse tradidit.

13. Plut. apophth. (Scip. min.) 14 et Athenaeus VI, c. 105, p. 273 quinque seruos, auctor de uir. ill. 58 duos tantum commemorat.

14. Cf. Liu. XXXIIII, 4. Plut. Pyrrh. 18. Zonar. VIII, 4.

moribus an armis repulsus sit) Desiderabatur in archetypo alterum disiunctiuae interrogationis membrum, pro quo in illo codice fortasse eodem modo ut in Bernensi male repetitum erat *moribus*. Dubitari uix potest quin recte

In illa quoque procella, quam C. Marius et L. Cinna rei publicae inflixerant, abstinentia populi Romani mirifica conspecta est. Nam cum a se proscriptorum penates uulgi manibus diripiendos abiecissent, inueniri nemo potuit, qui ciuili luctu praedam peteret. Vnus enim quisque se ab his perinde ac si a sacris aedibus abstinuit. Quae quidem tam misericors continentia plebis tacitum crudelium uictorum conuicium fuit.

Ac ne eiusdem laudis commemorationem externis inuidea- Ext. 1.
mus, Pericles Atheniensium princeps, cum tragoediarum scriptorem Sophoclea in praetura collegam haberet atque is publico officio una districtus pueri ingenui praetereuntis formam inpensioribus uerbis laudasset, intemperantiam eius increpans, dixit praetoris non solum manus a pecuniae lucro sed etiam oculos a libidinoso aspectu continentis esse debere.

Sophocles autem aetate iam senior, cum ab eo quidam 2.
quaereret an etiam nunc rebus ueneriis uteretur, 'Di meliora', inquit. 'Libenter enim istinc tamquam ex aliqua furiosa profugi dominatione.'

---

1. rei publicae] ro. p. *(sic)* *F.* || 2. influxerant *C.* inflixerat *E.* afflixerat *F.* || 4. potuit nemo *Torr.* || 5. "enim 'quisque *(sic)* *A.* quisque enim *DΓ.* || perinde *om. F.* || ac si * a *A.* tamquam a *D.* ac a *Torr.* || 6. Quae — (7.) fuit *om. Γ.* || 8. At *F.* || commemoratione exteris *E.* || 10. sophoclẽ * *(lineola ˆ a corr.)* *A.* sophoclen *E.* Sophoclem *FTorr.* || atq. is *(sic) pr. A.* at is *C et corr. A.* acis *B.* ac his *E.* ac *F.* et is *DΓ.* || 11. praetereuntis ingenui pueri *Torr.* || 12. eius] ei *B et pr. A. Vt nos etiam Par.* || 13. praetori *BCDΓTorr. Vt nos etiam Par.* || 14. aspectu] impetu *F.* || continentes *DEFΓTorr.* || 15. autem *om. F.* || 16. ueneris *F et pr. A.* uenereis *EΓTorr.* || 17. ex] ab *F.* || aqua *pr. A.* || furioso *B.*

---

omissa uerba restituerit emendator libri Bernensis. Locus dumtaxat lacunae incertus est, cum sententiae aeque conueniat *armis an moribus* et *moribus an armis*. Ex altero tamen hoc librarium ita aberrasse, quemadmodum erratum esse diximus, aliquanto est ueri similius. Quare praetulimus quod uulgo edebatur emendatoris illius coniecturae.

In illa quoque procella) Cf. Vell. Pat. II, 22, 5.

perinde ac si a sacris aedibus) Particula *si* in uulgatis editionibus deleta erat, ita ut *ac* concurreret cum uocabulo per uocalem litteram incipiente, quod fieri non posse docuimus ad III, 2, ext. 6. Quapropter illud *si* recte reuocasse mihi uideor iubentibus libris manuscriptis, etiamsi simile exemplum nunc quidem non suppeditet, ubi simplex nomen sine uerbo in comparando per *perinde ac si* annectatur atque ex aequo ponatur alii. Expectares enim aut *ab his perinde atque a sacris aedibus abstinuit* aut *ab his perinde ac si sacrae aedes essent abstinuit*. Mihi quidem Valerius neglegentius paulo ita scripsisse uidetur, ut actio, quae desideratur, ex uerbo *abstinuit* repetenda sit *(abstinuit perinde ac si a sacris aedibus abstineret)*.

Ext. 1. Cf. Cic. de off. I, 40, 144. Plut. Pericl. 8. Stob. serm. 17.

2. Cf. Cic. Cat. mai. 14, 47. Plat. de rep. I, p. 329 B. Amm. Marc. XXV, 4, 2.

3. Aeque abstinentis senectae Xenocraten fuisse accepimus. Cuius opinionis non parua fides erit narratio, quae sequetur. In peruigilio Phryne, nobile Athenis scortum, iuxta eum uino grauem accubuit, pignore cum quibusdam iuuenibus posito an temperantiam eius corrumpere posset. Quam nec tactu nec sermone aspernatus, quoad uoluerat in sinu suo moratam, propositi inritam dimisit. Factum sapientia imbuti animi abstinens. Sed meretriculae quoque dictum perquam facetum. Deridentibus enim se adulescentibus, quia tam formosa tamque elegans poti senis animum inlecebris pellicere non potuisset, pactumque uictoriae pretium flagitantibus, de homine se cum iis, non de statua pignus posuisse respondit. Potestne haec Xenocratis continentia a quoquam magis uere magisque proprie demonstrari quam ab ipsa meretricula expressa est? Phryne pulchritudine sua nulla parte constantissimam eius abstinentiam labefecit; quid rex Alexander, diuitiis quatere potuit? Ab illo quoque statuam et quidem aeque frustra temptatam putes. Legatos ad eum cum aliquot talentis miserat. Quos in academiam perductos solito sibi, id est modico apparatu et admodum paruulis copiis excepit. Postero die interrogantibus cuinam adnumerari pecuniam uellet, 'Quid uos', inquit, 'hesterna caena non intellexistis ea me non

1. xenocratem *uel* xenocratẽ *BCDEΓTorr.* zenocratem *F.* || 2. sequetur] *litterae* etur *in rasura A.* sequitur *EFΓTorr.* || 3. phyrne *ACD.* phirne *BΓ.* phirine *E.* || 4. an *om. B.* || 6. uoluit *F.* || morari *(litt.* ri *in rasura) A.* || irritam propositi *Torr.* || 9. quia] *om. A.* quod *Γ.* || tam] tamque *A.* || formosam *A.* fumosa *C.* || tamque] atque *F.* || 10. inlecebris *om. Γ.* || pelicere *pr. A.* pollicere (*ante* illecebris) *D.* || pactumque] factaeque *Γ.* || 11. his *ACDEF.* || 12. posuisse pignus *E.* || hoc zenocritis *F.* || 14. Phryne — (17.) putes *om. Γ.* || phirne *B.* phunae *C.* phyrne *D.* phirine *E.* || nulla] ull'a *B. add.* in *D. add.* ex *FTorr. Cf. Ouid. Her.* 7, 110. || 15. rex] rerum *C.* || 16. deuitiis *pr. A.* diuitiis eum *DE.* diuitiis cum *F.* an diuitiis eum *Torr.* || quater *F.* || et quidem] equidem *ABCDEF.* || 17. Legatos ad eum] Ad eundem rex alexander legatos *Γ.* || 18. achademia *D.* || 19. paruulis admodum *Γ.* || 20. cuinon *B.* || 21. esterna *Γ.* externa *EF.* || coena *(A).*

3. Cf. Diog. Laert. IIII, 7. Acron uero ad Hor. serm. II, 3, 250 non Phrynae id, sed Laidi tribuit.

diuitiis quatere potuit?) Veneta et Aldina exempla uno, recentiora inde a Pighio edita duobus uerbis auctiora sunt. Exhibent enim illa *diuitiis eum quatere potuit?* haec *an diuitiis eum quatere potuit?* Quorum alterum *(an)* nullus meorum librorum agnoscit, neque dubitauerit quisquam quin recte interrogandi particula in his omittatur. Sed ne pronomine quidem demonstratiuo opus est, si obiectum uerbi abstinentiam Xenocratis, non ipsum Xenocratem putaueris, quod fieri potest, si hanc sententiam cum praecedenti coniunxeris.

Legatos ad eum) Cf. Cic. Tusc. V, 32, 91. Plut. Alex. 14. id. de fort. Alex. 10. Diog. Laert. IIII, 8.

indigere'? Ita rex philosophi amicitiam emere uoluit, philosophus regi suam uendere noluit.

Alexander uero, cognomen inuicti adsecutus, continentiam 4.
Diogenis Cynici uincere non potuit. Ad quem cum in sole sedentem accessisset hortareturque ut, si qua praestari sibi uellet, indicaret, quemadmodum erat in crepidine conlocatus, sordidae appellationis sed robustae uir praestantiae, 'Mox,' inquit, 'de ceteris. Interim uelim a sole mihi non obstes.' Quibus uerbis illa nimirum inhaesit sententia, Alexander Diogenen gradu suo diuitiis pellere temptat, celerius Dareum armis.

Idem Syracusis, cum holera ei lauanti Aristippus dixisset, 'Si Dionysium adulari uelles, ista non esses', 'Immo', inquit, 'si tu ista esse uelles, non adularere Dionysium'.

DE PAVPERTATE.

Maxima ornamenta esse matronis liberos, apud Pomponium IIII.
Rufum collectorum libro sic inuenimus: Cornelia Gracchorum

1. Ita — (2.) noluit *om. Γ.* || itaque *corr. D.* || rex] rerum *C.* || 2. suam regi *F.* || 3. inuicti] *ante* cognomen *D.* inuictus *CΓ.* || continentiam — (4.) Ad quem cum] cum ad diogenē *Γ.* || 4. Cynia *B.* || 5. praestari] *post* uellet *Torr.* || 7. praestanti *F.* || 8. uelim] *post* mihi *Torr.* uellem *D.* uolo *F.* || obstares *D.* || 9. nimium *A.* minimum *C.* || diogenem *aut* diogenē *BDEFΓTorr.* || 10. darium *BDEFΓTorr.* || armis] *add.* expugnet *Γ.* || 11. ollera *E.* olera *Torr.* || 12. dionisium *A.* || adulare *ABCDEFΓTorr.* Γ adulari *inter lineas Γ.* || esses] esset *C.* ederes *F.* || 13. tu ita *C.* || esse] edere *F.* || adulare *pr. A.* adulares *BCD EFΓTorr.* adulareris *Γ inter lineas et Par.* || dyonisium *A.* || 14. Liber IIII de paupertate *Γ.* || 15. Maximo ornamento *DΓ.* || pompeium *E.* || 16. collectorem *D.* || librorum *ACDF et pr. B.* || inueniemus *A.* || corneliam *BCDF et pr. A.* || graci *E.*

4. Cf. Cic. Tusc. V, 32, 92. Plut. de exil. 15. Diog. Laert. VI, 38.

adulari — adularere) Apparet utroque loco auctorem eadem huius uerbi uti debuisse forma aut actiua aut passiua. Equidem, licet actiuam certissimum alterius familiae testimonium confirmet, tamen passiuam praeferendam esse duxi, quae non minore cum similitudine ueri altero loco e libri Bernensis et, ni fallor, archetypi quoque uestigiis eruitur. Credibile est enim Valerium scripsisse *adularere*, librarios inde fecisse *adulare*, quemadmodum IIII, 6, 1 pro *extinguerere* posuerunt *extinguere*. Maxime uero me mouit, quod ut ceteri antiquiorum saeculorum scriptores, ita Valerius constanter *adulari* actiua significatione dixit, non *adulare* (Cf. III, 3, 1. IIII, 7, ext. 2. VI, 3, ext. 2. cett.), et Iulius Paris bis hoc ipso loco, de quo agimus. Recepi igitur coniecturam temptatam a correctore libri Bernensis, *adularere*, eique accomodaui priorem formam.

IV. *apud Pomponium Rufum collectorum libro)* Fieri potest ut Valerius non totum illud Pomponii opus, sed singuli libri significauerit numerum,

mater, cum Campana matrona apud illam hospita ornamenta sua pulcherrima illius saeculi ostenderet, traxit eam sermone, * e schola redirent liberi, et 'Haec', inquit, 'ornamenta sunt mea'. Omnia nimirum habet qui nihil concupiscit, eo quidem certius quam *qui* cuncta possidet, quia dominium rerum conlabi solet, bonae mentis usurpatio nullum tristioris fortunae recipit incursum. Itaque quorsum attinet aut diuitias in prima felicitatis parte aut paupertatem in ultimo miseriarum statu ponere, cum et illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus sit referta et huius horridior aspectus solidis et certis bonis abundet? Quod melius personis quam uerbis repraesentabitur.

1. Regio imperio propter nimiam Tarquinii superbiam finito

1. matrem *BCDF et pr. A.* || cum *om. Γ.* || campanam matronam *Γ et pr. A.* || illam] se *Γ.* || hospitatam *F.* hospitam *Γ.* || 2. sua] *ante* ornamenta *C.* sua * *A. (litt.* s *in fine erasa esse uidetur.)* sua ei *BE.* || saeculi] *ante* illius *E.* oculis *coni. Lipsius.* || ostendentem sermone traxit *Γ.* || eam] ea *C.* illam *D.* || sermone] *add.* dum *BCDE. add.* quousque *FΓTorr.* || 3. Haec *om. B.* || mea sunt *Torr.* || 5. quam qui] qui *om. pr. A.* quo *BCDE.* quam quiuis *Γ.* || cuncto *E.* || solet] *add.* bona mens praefertur diuitiis *E.* || 6. tristitioris *pr. B.* || recepit *F.* 7. prima] patria *pr. F.* patriam *corr. F.* || 8. ponere] *ante* aut paupertatem *Γ.* || 9. refecta *CE.* || 10. orridior *A.* || solidis] pluribus *Γ.* || bonis *om. Γ.* || abundetur *E.*

utque is deprauatus transierit in genitiui terminationem, quae male uoci *libro* adhaesit; namque e *libro uus* uel *libro us* facillime oriri potuit *librorum*. Res eo magis est incerta, quod non solum de opere illo, cuius argumentum Valeriano simile fuisse uidetur, sed ne de auctore quidem Pomponio Rufo ulla ad nostra tempora peruenit notitia. I. G. Vossii suspicionem (de hist. Lat. III, p. 222,) recte refutatam a Torrenio sciens praetermitto.

*traxit eam sermone, * e schola)* Quaenam potissimum temporalis particula ante *e schola* exciderit non satis constat. In uulgatis exemplis edebatur *quousque e schola redirent*. Sed aeque sententiae conuenit *dum*, quod suppleuerat Vincentius Bellouacensis spec. hist. VI, (V,) 95, et *donec*, quod post *sermone* propter litterarum similitudinem intercidisse uel maxime probabile est.

eo quidem certius quam qui cuncta) Relatiuum, in archetypo codice omissum post *quam*, non abesse posse docent quae in sequentibus inter se opponuntur, rerum dominium et bona mens, quorum alterum est cuncta possidentium, altera nihil concupiscentium. Quod cum primus intellexisset emendator libri Bernensis, secuti sunt recentiores librarii et grammatici. Alii quia praecesserat *eo quidem certius*, desiderantes quod illi *eo* responderet, *quam* inepte mutarunt in *quo*. Sententia, quam post *eo* incipere expectares per *quo*, ea causalem formam hoc loco induit *(quia dominium rerum conlabi solet)* eodem modo ut §. 3, *sed eo lautius Fabricius, quod patellam suam corneo peduculo sustineri uoluit* et IIII, 8, 1, *eo quidem maiore cum commendatione, quod proni studii certius indicium est supra uires niti* etc. Miror igitur Perizonium, quod maluit legere aut *et quidem certius quam qui*, aut *eo quidem certius quo tuta possidet*. Quarum coniecturarum haec, praeterquam quod malorum dumtaxat aliquot codicum testimonio nititur, propter illepidam tautologiam reicienda est, cum nihil inter se differant certa habere et tuta possidere.

1. Cf. Liu. II, 16. Dion. Hal. V, 48. Plut. Publ. 23. Appul. apol. p 435. Amm. Marc. XIIII, 6, 11. Auct. de uir. ill. 15.

consulatus initium Valerius Publicola cum Iunio Bruto auspicatus est. Idemque postea tres consulatus acceptissimos populo Romano gessit et plurimorum ac maximorum operum praetexto titulum imaginum suarum amplificauit, cum interim fastorum illud columen patrimonio ne ad exequiarum quidem inpensam sufficiente decessit; ideoque publica pecunia ductae sunt. Non adtinet ulteriore disputatione tanti uiri paupertatem scrutari. Abunde enim patet quid uiuus possederit, cui mortuo lectus funebris et rogus defuit.

Quantae amplitudinis Menenium Agrippam fuisse arbitremur, 2. quem senatus et plebs pacis inter se faciendae auctorem legit? Quantae scilicet esse debuit arbiter publicae salutis. Hic, nisi a populo conlatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecuniae inops decessit ut sepulturae honore caruisset. Verum id- circo perniciosa seditione diuidua ciuitas manibus Agrippae in unum contrahi uoluit, quia eas pauperes quidem sed sanctas animaduerterat. Cuius ut superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur, ita extincti hodieque amplissimum est patrimonium, Romana concordia.

In Gaii uero Fabricii et Q. Aemilii Papi principum saeculi 3. sui domibus argentum fuisse confitear oportet. Vterque enim patellam deorum et salinum habuit; sed eo lautius Fabricius,

---

1. Iunio] niuio *D.* || 2. acceptissime *Γ.* || 3. practextu *BCDE Torr. Vid. ad II,* 10, *init.* || 4. faustorum *B.* || 5. culmen *Γ.* || 6. fuciente *F.* || deductae *D.* || 8. uiuus] nimis *C.* || cui] cum *Γ.* || 9. rogus] focus *C.* || 10. Menenium] *post* Agrippam *Torr.* m. nenium *D.* m. menium *F.* meninium *E.* || arbitramur *B.* || 11. inter] in *ABCDFΓ et pr. E.* || elegit *FΓ.* || 12. quantus *D.* || 13. funeratus] *add.* non *D.* || 17. animaduerteret *B.* || Cuius] ne *pr. B.* sane *corr. B.* || censo *corr. A.* || 18. deferreretur *E.* || ita] *add.* et *D.* || hodieque] • hodio quae *pr. A.* || est] *ante* amplissimum *Γ. post* patrimonium *E.* || 20. §. 3. *om. Γ.* || 21. argentum] *add.* non *D.* || 22. laucius *A.* lautior *Torr.*

---

2. Cf. Liu. II, 33. Dion. Hal. VI, 96. Plin. h. n. XXXIII, 10, 48. Appul. apol. l. c. Senec. ad Helu. 12. Quadrantibus collatis a populo eum sepultum esse refert auct. de uir. ill. 18.

Hic, nisi a populo) Notandus, non emendandus est peruersus uerborum ordo in his, quae sic poni debebant, *Hic ita pecuniae inops decessit ut, nisi a populo conlatis — sextantibus funeratus esset, sepulturae honore caruisset.* Obseruabatur initio alia eiusdem sententiae forma auctoris animo, *Hic nisi a populo conlatis sextantibus funeratus esset, propter inopiam sepulturae honore caruisset;* sed inter scribendum oblitus initii in alteram illam, quam supra posui, incidit et utramque puerili ista neglegentia, quam saepius iam castigauimus, miscuit. Vid. ad I, 5, 9. II, 1, 5.

3. Cf. Plin. h. n. XXXIII, 12.

quod patellam suam corneo peduculo sustineri uoluit. Papus quoque satis animose, qui cum hereditatis nomine ea accepisset, religionis causa abalienanda non putauit.

4. Illi etiam praediuites, qui ab aratro arcessebantur, ut consules fierent, uoluptatis causa sterile atque aestuosissimum Pupiniae solum uersabant, deliciarumque gratia uastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant. Immo uero, quos pericula rei publicae imperatores adserebant, angustiae rei familiaris, quid cesso proprium nomen ueritati reddere? bubulcos fieri cogebant.

5. Atilium autem qui ad eum arcessendum a senatu missi erant ad imperium populi Romani suscipiendum semina spargentem uiderunt. Sed illae rustico opere adtritae manus salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessumdederunt, quaeque modo arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt, nec fuit his rubor eburneo scipione deposito agrestem stiuam aratri repetere. Potest pauperes con-

1. pediculo *DEFPar. et corr. AB, Torr.* || sustineri] sinestri *pr. E.* || 2. nominis *A.* || 3. regionis *C.* || abaligenanda *A.* alienandae *E.* || 4. §. 4. *om. Γ.* || acersebantur *EF.* || 5. sterilem *ABCDF.* || puppiniae *C et pr. A.* papiniae *D. Cf. IIII*, 8, 1. || 6. gratia] grati *ACE.* ygnari *B.* || 8. rei publicae] p. r. *D.* || 9. ueritati] *ante* proprium *F.* || bibulcos *F.* || 11. Attilius *B.* acilium *F.* || autem *om. Γ.* || accersendum *BCEF.* || 12. semen aspergentem *ABCE.* aspergere (*omisso* semen) *F.* || 15. quique *pr. C.* || iugum *om. F.* || 16. iis *Torr.* || rubore *D.* rubori *Γ.* || 17. agrestem *om. F.* || aestiuam *AB.* stinam *D.* || pauperum *A. add.* l' pauperes *margo A.*

peduculo) Non ausus sum damnare scripturam optimorum quorumque codicum testimonio confirmatam, praesertim cum animal eiusdem appellationis modo pediculus, modo peduculus dictum sit, et alia quoque uocabula, quae a pedo deriuantur *u* litteram in ea syllaba habeant, ut *pedulis*.

4. Cf. Plin. h. n. XVIII, 3. Luc. Phars. I, 169.

5. Cic. pro Rosc. Amer. 18, 50 et Paris in compendio huius exempli Atilium, ut consul fieret, ab aratro arcessitum scribunt. Honorem ei tribuendum incertum reliquit Plin. h. n. XVIII, 3. At dictatorem eum factum esse tradunt Seru. ad VI Aen. 845 et Claudian. de quart. cons. Honor. 415, quibuscum facere uidetur Valerius. Cf. etiam Cic. pro Sest. 33, 72.

semina spargentem) Semen aspergentem, quod optimi libri exhibent, de serente dici non posse uidetur, nisi addatur *terrae* uel *sulcis*. Emendationem haud dubie ueram recepit ea codicum familia, ad quam pertinent *D* et *Γ*, quamque merito secuti sunt recentiores grammatici. *Semen spargentem* habet Cic. pro Rosc. Amer. l. c.

nec fuit his rubor) Editiones ante nostram omnes inde a Pighiana *nec fuit his rubori*, quae usitata est locutio. At optimorum codicum scripturam retinendam fuisse haec exempla probabunt, Ouid. a. am. III, 167 *Nec rubor est emisse palam.* Tac. Germ. 13, *Nec rubor inter comites aspici.* Ouid. met. XIIII, 18, *Pudor est promissa precesque Blanditiasque meas contemptaque uerba referre.* Minus bene Torrenius comparauit Liuii IIII, 35, 11, *minorem quippe ruborem fore in iuris iniquitate, quam si per indignitatem ipsorum praeterentur.*

solari Atilius, sed multo magis docere locupletes quam non sit necessaria solidae laudis cupidini anxia diuitiarum conparatio.

Eiusdem nominis et sanguinis Atilius Regulus, primi Punici belli *qua* gloria, qua clades maxima, cum in Africa insolentissimae Karthaginis opes crebris uictoriis contunderet ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognosset, consulibus scripsit uilicum in agello, quem septem iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemque nanctum mercenarium amoto inde rustico instrumento discessisse, ideoque petere ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset unde uxor ac liberi sui alerentur. Quae postquam senatus a consulibus accepit, et agrum Atili ilico colendum locari et alimenta coniugi eius ac liberis praeberi resque, quas amiserat, redimi publice iussit. Tanti aerario nostro uirtutis Atilianae exemplum, quo omnis aetas Romana gloriabitur, stetit. 6.

---

2. cupidini] *om. F.* cupido nimis *Γ et (litt.* o nimis *in rasura) A.* || 4. qua gloria] qua *om. ABCDEFΓTorr.* || qua clades] *om. Γ.* qua glades *pr. A.* cladesque *BCDETorr.* et clades *F.* || maxima *om. Γ.* || 6. res bene gestas imperium in annum *F.* || imperium] *ante* in proximum *Γ.* || 7. cognosceret *BD EFTorr.* cognouisset *CPar. Vid. ad II,* 10, 8. || uilicum] *sic APar. Cf. IIII,* 1, *ext.* 1. || 8. nactum *BCDEFΓ et corr. A. Torr. Cf. Mai. ad Cic. de rep. I,* 10, 15. *et quae exempla congessit Osann. ad h. l. At* nactus *est II,* 4, 5 *et V,* 4, 3. || 9. admoto *F.* amisso *Γ.* || 11. ac] et *F.* || 12. et agrum *om. B.* || Atili] Atilii *DΓTorr.* aedili *ABCEF.* || 13. resque] isque *C et pr. A.* hisque *F.* || 14. Tanti — (15.) stetit. *om. Γ.* || atilinae *B.*

---

6. Cf. Liu. ep. libr. XVIII. Front. strat. IIII, 3, 3. Senec. ad Helu. 12. Appul. apol. p. 435. Auct. de uir. ill. 40.

qua gloria qua clades maxima) Non peculiare codicis Bernensis mendum esse *gloria qua clades*, sed conspirasse in eadem scriptura alterius familiae alteram partem (x'), cum abbreuiator Guelferbytanus complura uerba omiserit, intellegitur e Lipsii uetere codice et ex editione sine anno et loco, qua usus est Kappius, ad idem genus pertinentibus, quippe qui exhibeant *gloria quia clades*, quod acutius et uerius uisum esse Lipsio ualde miror. In altera autem familia ipsa illa codicum discrepantia, cum alii *cladesque*, alii *et clades* efferant, certum interpolationis indicium haberi potest. Quod si uerum est, apparet archetypi scripturam *gloria qua clades* praeposito altero *qua* emendandam esse, quemadmodum emendatam in codice quodam reperisse se testatur Andreas Schottus obs. hum. III, 32. Librarii autem has particulas, ab aliis scriptoribus non ita frequenter, a Valerio saepius adhibitas, in hoc quidem opere nusquam fere intactas reliquerunt. Vid. ad II, 1, init.

agrum Atili ilico colendum locari) Notabilis archetypi codicis scriptura *agrum aedili ilico* iam dandi casu redarguitur, qui apud iubendi uerbum locum omnino non habet. Neque etiam operarum locatio aedilium erat sed quaestorum et censorum. Contra Atilii nomen uel propter sequentia *(coniugi eius ac liberis)* desiderari recte Torrenius animaduertit. Itaque confidenter coniecturam in alterius familiae altera parte temptatam probaui, receptam a Pighio e codice Cauchiano, cum Aldus edidisset *agrum alii uillico colendum locari.*

7. Aeque magna latifundia L. Quinti Cincinnati fuerunt. Septem enim iugera agri possedit, ex hisque tria, quae pro amico ad aerarium obsignauerat, multae nomine amisit. Poenam quoque pro filio Caesone, quod ad causam dicendam non occurrisset, huius agelli reditu soluit. Et tamen ei quattuor iugera aranti non solum dignitas patris familiae constitit sed etiam dictatura delata est. Anguste se habitare nunc putat cuius domus tantum patet quantum Cincinnati rura patuerunt.

8. Quid Aelia familia, quam locuples? Sedecim eodem tempore Aeli fuerunt, quibus una domuncula erat eodem loci, quo nunc sunt Mariana monumenta; et unus in agro Veiente fundus, minus multos cultores desiderans quam dominos habebat, inque Maximo et Flaminio spectaculi locus. Quae quidem loca ob uirtutem publice donata possidebant.

9. Eadem gens nullum ante scripulum argenti habuit quam Paulus Perse deuicto Q. Aelio Tuberoni genero suo quinque pondo argenti ex praeda donaret. Taceo enim, quod princeps

---

1. Aeque] Que *E.* || quingenti *F.* || 2. iugera enim *C.* || pro amico *om. F.* || ad *om. C.* || 3. assignauerat ad aerarium *F.* || multae *BD.* || 4. filio] *add.* suo *punctis notatum C.* || ceso *C.* || cucurrisset *D.* || 5. reditus *EΓ.* redditus *BCDF.* || iugera *om. Γ.* || 6. familias *EΓ.* || 7. angusto *C.* || 9. aemilia *DΓ.* || locuplex *CDEF.* || sexdecim *(A)Torr.* 7 c vi *pr. B.* 7 • vi *corr. B.* sedecem *F.* || 10. aemilii *DΓ.* || erat *om. F.* || loco *F.* || 11. maria *A.* || uegente *F et pr. A.* uehientano *Γ.* || 12. multos] *sic DΓPar. et pr. A.* multo *BE et corr. A, Torr. et ante* minus *CF.* || haberet *E.* || 13. maximo] *add.* circo *E.* || locus] loca *corr. A.* || Quae *om. C.* || 15. scrupulum *BCDEFTorr. Vt nos AΓPar.* || argenti] *om. B.* • • auri *in rasura A.* auri *Par.* || 16. Perse] *add.* rege *Torr.* || quinque pondo] *add.* l. p. v Libras *margo A.* pondo *om. DΓ.* || 17. argenti] auri *Par. et in rasura A.* argenteos *DΓ.* || enim *om. Γ.*

---

7. Cf. Liu. III, 13 et 26. Dion. Hal. X, 8. Plin. h. n. XVIII, 3.

8. Cf. Plut. Aem. Paul. 5 et 28.

minus multos cultores) Recentiores grammatici ante me omnes *minus multo* posuerant, quamuis Lipsius monuisset sensum flagitare ut *multos* legeremus. Etenim cum primaria comparatio non inter desiderandi et habendi uerba fiat, sed inter cultores et dominos, gradus comparationis aduerbio insigniri non potuit. Neque recte Vorstius uulgatam scripturam ita defendit, tamquam *minus multo* cultoribus pauciores cultores significaret. Perizonius maluit *minus multo cultorum*, nescio an non Latine. Sed Lipsii coniectura nunc optimorum codicum et Paridis auctoritate confirmatur.

9. Cf. Plin. h. n. XXXIII, 11. Plut. Aem. Paul. 28.

quinque pondo argenti) Discedit ab hoc auctore Iulius Paris, auri quinque libras Tuberoni donatas esse referens, quod corrector libri Bernensis et in margine notauit et in ipsa uerba, genuinis radendo deletis, induxit. Sed de auro cum Valerio consentiunt Plutarchus et Plinius, quorum tamen hic male de Q. Aelio Cato scribit. Vid. ad IIII, 3, 7.

Taceo enim, quod princeps) Cf. Plut. ibid. 5.

ciuitatis filiam ei nuptum dedit, cuius pecunia tam ieiunos penates uidebat. Qui ipse quoque adeo inops decessit ut, nisi fundus, quem unum reliquerat, uenisset, unde uxor eius dotem reciperet non extitisset. Animi uirorum et feminarum uigebant in ciuitate, eorumque bonis dignitatis aestimatio cunctis in rebus ponderabatur. Haec imperia conciliabant, haec iungebant affinitates, haec in foro, haec intra priuatos parietes plurimum poterant. Patriae enim rem unus quisque, non suam augere properabat, pauperque in diuite quam diues in paupere imperio uersari malebat. Atque huic tam praeclaro proposito illa merces reddebatur, quod nihil eorum, quae uirtuti debentur, emere pecunia licebat, inopiaeque inlustrium uirorum publice succurrebatur.

10. Itaque cum secundo Punico bello Cn. Scipio ex Hispania senatui scripsisset, petens ut sibi successor mitteretur, quia filiam uirginem adultae iam aetatis haberet, neque ei sine se dos expediri posset, senatus, ne res publica bono duce careret, patris sibi partes desumpsit, consilioque uxoris ac propinquorum Scipionis constituta dote, summam eius ex aerario erogauit ac puellam nuptum dedit. Dotis modus XL milia aeris fuit. Quo non solum humanitas patrum conscriptorum sed etiam habitus ueterum patrimoniorum cognosci potest. Namque adeo fuerunt arta, ut † Taccia Caesonis filia maximam dotem ad uirum $\overline{X}$

1. pecunia * *A. post* ieiunos *Torr.* || ieiunos] *Explicit hoc uocabulo codex Vindobonensis B.* || penates] *ante* pecunia *Γ. ante* tam ieiunos *Torr.* || 2. Quin *Torr.* || 3. unde] *post* dotem *Torr.* || 4. recipet *E.* || 5. eorumque] que *om. C.* || bonis *om. D.* || 7. foro] *add.* haec in curia *Torr.* || 12. inopiae quae *A.* || 13. Cn. Scipio] aemilianus scipio *D. g.* scipio *F.* || 14. successor sibi *DFΓ.* || 16. res *om. C.* || 18. summa cuius *F.* || 19. nuptam *pr. A.* nuptui *F.* || Quo] quum *(sic) A.* In quo *Torr.* || 21. patrimoniorum] patrum *F.* || 22. arta fuerunt *F.* || tuccia *Par. et corr. A.* actia *D.* accia *Γ.* tacia *E.* Tatia *Torr.* || censoris *F.* || $\overline{X}$ *sic AΓ.* X *CFPar.* X milia *DE Torr.*

Qui ipse quoque adeo inops) Cf. Liu. epit. libr. XLVI. Auct. de uir. ill. 56. *haec in foro,)* Post haec uerba Aldus intruserat *haec in curia*, unde uulgata exempla hucusque circumferebant *haec in foro, haec in curia, haec intra priuatos parietes.* Sed uu. *haec in curia* 'in mss. tredecim' abesse Torrenius adnotauerat, equidem in nullo meorum librorum inueni. Quare superuacuam interpolationem remoui.

10. Cf. Amm. Marc. XIIII, 6, 11. Zonar. IX, 3. De P. Cornelii Africani filiabus a senatu dotatis loqui uideri Senecam quaest. nat. I, 17 adnotauit Glareanus, eundemque Africanum, ut mea quidem fert opinio, Valerius postea in mente habuit, cum scriberet senatum Fabricii Luscini Scipionisque filias ab indotatis nuptiis uindicasse. Front. strat. IIII, 3, 4 huius Gnaei quoque Scipionis complures filias a senatu collocatas commemorat.

ut † Taccia Caesonis filia) Intactum reliqui archetypi mendum, quoniam emendatio ualde est incerta. Dubito enim uel de Paridis scriptura *Tuccia*, quamuis Tucciae Vestalis uirginis nomen notissimum sit, quia Caesones, quod

aeris attulisse uisa sit, et Megullia, quia cum quinquaginta milibus aeris mariti domum intrauit, Dotatae cognomen inuenerit. Idem senatus Fabricii Luscini Scipionisque filias ab indotatis nuptiis liberalitate sua uindicauit, quoniam paternae hereditati praeter opimam gloriam nihil erat quod acceptum referrent.

11. Marcus autem Scaurus quantulam a patre hereditatem acceperit in primo libro eorum, quos de uita sua † transcripsit, refert. Ait enim sibi sex sola mancipia totumque censum quinque atque triginta milium nummum relictum. In hac ille pecunia futurus senatus princeps nutritus est spiritus.

Haec igitur exempla respicere, his adquiescere solaciis debemus, qui paruulos census nostros numquam querellis uacuos esse sinimus. Nullum aut admodum parui ponderis argentum, paucos seruos, septem iugera aridae terrae, indigentia domesticae inpensae funera, inopes dotum filias, sed egregios consulatus, mirificas dictaturas, innumerabiles triumphos cernimus. Quid ergo modicam fortunam quasi praecipuum generis humani malum

1. negullia *Par. et corr. A.* mergullia *F.* || cum] tum *C et pr. A.* tunc *F.* || quingentis *CDEFΓ. Vt nos etiam Par.* || 3. luscinii *DEΓ.* lucinii *F.* || 4. patriae *F.* || 5. referret *CEF.* | 6. Marcus — (10.) spiritus *om. Γ.* || quantulum *C et pr. A.* || 7. scripsit *Torr.* || 8. sex] ex *pr. A.* decem *CDETorr. et ante* sibi *F. Vt nos Par.* || quinque atque triginta] XXX *Par. Vid. ad II*, 9, 6. || 9. nummorum *Par.* || 10. spiritus *om. F.* || 11. igitur] nos *Γ.* ergo *D.* || solaciis] *sic A. Cf. Lachm. ad Lucr. VI.* 4. *p.* 348. || 13. Nullum — (16.) cernimus *om. Γ.* || 14. indigena *F.* || domestica impensa *CDEFTorr. Cf. IIII*, 6, *ext.* 3. || 15. aegregios *A.* || 17. ergo] enim *Γ.* || medicam *pr. A.* mediam *corr. A, Torr.* mendicam *CDEF. om. Γ.*

equidem sciam, non erant antiquis illis temporibus nisi inter Duellios, Fabios, Quintios. Quod si ita est, haud inscite Perizonius coniecit Valerium fortasse Fabiam posuisse, quae, cum scriberetur *Fauia*, facile in Tacciam transire potuit, eamque in suo Valerii codice inuentam Iulius Paris mutauerit ex ingenio in Tucciam. Nihili sane est, quod hucusque uulgo circumferebatur, *Tatia*.

Idem senatus Fabricii Luscini) Cf. Senec. ad Helu. 12.

11. Cf. Auct. de uir. ill. 72.

de uita sua † transcripsit.) Quid sibi uelit illud *transcripsit* equidem non magis perspicio quam cur, si Valerius simplici scribendi uerbo usus sit, librarii compositum alienissimum ab hoc loco substituerint. Quam ob rem ne emendatio quidem certa in promptu est. Ad similitudinem ueri proxime accedere uidetur *conscripsit*. Commemorantur tres M. Scauri de uita sua libri ad L. Fufidium a Cicerone Brut. 29, 112 et a Tacito Agric. 1. Cf. Suringar de autobiographis Rom. p. 4.

modicam fortunam) Quod plerique libri manuscripti tradunt, *mendicam fortunam*, non solum praecedentibus exemplis non conuenit, neque enim Publicolarum, Aemiliorum, Fabriciorum modicae tantum facultates merito illis obicerentur, qui re uera mendica fortuna usi fata increparent, sed ne sequenti quidem sententiae *(quae ut non abundantibus, ita fidis uberibus* etc.). Sine dubio illud *mendicam* ortum est ex male emendata archetypi scriptura *medicam*.

diurnis conuiciis laceramus, quae ut non abundantibus, ita fidis uberibus Publicolas, Aemilios, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros hisque paria robora uirtutis aluit. Exurgamus potius animis pecuniaeque adspectu debilitatos spiritus pristini temporis memoria recreemus. Namque per Romuli casam perque ueteris Capitolii humilia tecta et aeternos Vestae focos, fictilibus etiam nunc uasis contentos, iuro nullas diuitias talium uirorum paupertati posse praeferri.

DE VERECVNDIA.

A qua tempestiuus ad uerecundiam transitus uidetur. Haec V. enim iustissimis uiris praecepit ut priuatas facultates neglegerent, publicas quam amplissimas esse cuperent, digna cui perinde atque caelesti numini templa extruantur araeque consecrentur, quia parens est omnis honesti consilii, tutela sollemnium officiorum, magistra innocentiae, cara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore fauorabilem prae se ferens uultum.

Sed ut a laudibus eius ad facta ueniamus, a condita urbe 1.

1. diuturnis *corr. A, Torr. Cf. VI*, 9, 8. || commiciis *D.* || 2. aelios *E.* || Scauros *om. Γ.* || 6. humilima *F.* || etiam] et *F.* || 7. nunc] *om. D.* num *corr. A.* || iuro] uiros *F.* || 10. A qua] Eque *F.* || 12. esse *om. C.* || 13. atque *om. Γ.* || extruantur templa *Torr.* || araeque] atque *F.* || 16. omnique tempore *D.* || fauorabili ẽ *(sic) C.* || ferens] referens *ACE.* || 17. a condita — *(p. 352, 10.)* coegerunt *om. Γ.*

quam melius profecto corrector libri Bernensis mutauit in *mediam* (hoc est mediocrem) *fortunam*. Verum et probabilius ad litteras et ad sententiam aptius est quod Andr. Schottus (obs. hum. III, 52.) in codice suo repperit, *modicam*, cum non tam interfuerit commemorari condicionem ab inopia et a diuitiis aequaliter remotam, ea autem est media fortuna, quam tenues et diurno tantum uictui sufficientes facultates, i. e. modicas. Itaque recte hoc ceteris praetulerunt Vorstius et Perizonius.

V. *prae se ferens uultum)* Torrenius, cum e quattuor libris enotasset quod sane in optimis codicibus a me inuentum est, legendum esse suspicabatur aut *prae se praeferens* aut simpliciter *praeferens*, omisso *prae se*, comparans Vell. Pat. II, 27, 3, *uictoris magis quam morientis uultum praeferens*. Atque ita archetypi mendum iam correxerat Vincentius Bellou. spec. hist. VII (VI), 124 et spec. doctr. V, 91. Sed praepositio, quae ferendi uerbo adhaesit, sine dubio orta est e praecedenti *se*, quocum propter similitudinem litterarum *r* et *s* saepissime a librariis confusa est. Itaque cum uulgatis exemplis tritam Valerio locutionem recepi.

1. Cf. Liu. XXXIIII, 44 et 54. Ascon. in Corn. p. 68 et seqq. Orell.

usque ad Africanum et Ti. Longum consules promiscuus senatui et populo spectandorum ludorum locus erat. Numquam tamen quisquam ex plebe ante patres conscriptos in theatro spectare sustinuit. Adeo circumspecta ciuitatis nostrae uerecundia fuit. Quae quidem certissimum sui documentum etiam illo die exhibuit, quo L. Flamininus extrema in parte theatri constitit, quia a M. Catone et L. Flacco censoribus senatu motus fuerat, consulatus iam honore defunctus, frater etiam T. Flaminini, Macedoniae Philippique uictoris. Omnes enim transire eum in locum dignitati suae debitum coegerunt.

2. Confregit rem publicam Terentius Cannensis pugnae temerario ingressu. Idem delatam ab uniuerso senatu et populo dictaturam recipere non sustinendo pudore culpam maximae cladis redemit, effecitque ut acies deorum irae, modestia ipsius moribus imputaretur. Itaque titulo imaginis eius speciosius non recepta dictatura quam aliorum gesta ascribi potest.

3. Nos autem ad praeclarum uerecundiae opus transgrediamur. Magna cum inuidia fortuna praetoriis comitiis Africani superioris filium Cn. Scipionem et scribam Cicereium in campum deduxerat, utque nimis inpotens sermone uulgi carpebatur, quod tanti uiri sanguinem clientelamque comitiali certamine confuderat. Ceterum crimen eius in suam laudem Cicereius conuertit.

---

1. promiscuis *E.* || 4. circumspecta] circuminspecta *pr. A.* inspecta *C.* || nostrae ciuitatis *Torr.* || 6. flaminius *E.* flamineus *F.* || 7. qua *AE.* qui *CD.* || motus] *om. pr. A. ante* senatu *corr. A. add.* l. P. motus senatu *margo A.* || 8. t. flaminii *EF.* emi. flaminii *D.* || 9. macedonicae *F.* || uictores *pr. A.* || omnis *F.* || eum transire *F.* || 11. Confregit — (12.) Idem] Terentius temerario pugnae cannensis ingressu confracta r. p. *I.* || Terentius] tarentius *F. add.* Varro *Par. Torr.* || 12. ingressus *C.* || delatam] *add.* sibi *(I) Torr.* || populo] *add.* postea *I.* || 13. sustinendo] sustinuit quo *I.* || 14. efficitque *E.* || acres *corr. D.* || et modestia *E.* || 15. impetaretur *A.* || 16. scribi *F.* || 17. Nos — transgrediamur *om. I.* || autem] enim *F.* || transgrediatur *pr. A.* || 19. cycereum *D.* citerium *E.* cicereum *F.* C. Cicereum *eum appellat Par.* || 22. in suam laudem] *post* Cicereius *F.* || citherius *E.* cicereus *F.*

Quae quidem certissimum) Cf. Plut. Cat. mai. 17. id. Flamin. 19.

a M. Catone — senatu motus) Cf. II, 9, 3.

2. *delatam ab uniuerso senatu et populo dictaturam)* Dictaturam Terentio oblatam et ab eo recusatam esse nullus ueterum scriptorum memoriae prodidit praeter Valerium hoc loco et III, 4, 4, quod num uere retulerit ualde dubito, quia Liuium id neque ignorasse credibile est, neque, si compertum habuisset, silentio praeteriturum fuisse, cum XXII, 61, 14 et XXV, 6, 7 commemoraret honores post fugam Cannensem auctori eius a senatu populoque Romano habitos, inter quos erat imperium in omnes annos prorogatum, quod fortasse cum dictatura confuderit Valerius.

3. Cf. Val. III, 5, 1.

Nam ut uidit omnibus se centuriis Scipioni anteferri, templo descendit, abiectaque candida toga conpetitoris sui suffragatorem agere coepit, ut scilicet praeturam melius Africani memoriae concederet quam sibi uindicaret. Nec maximum esse uerecundiae pretium! Scipio tunc honorem adeptus est, sed [si] Cicereio magis gratulati sunt.

Ac ne protinus comitiis abeamus, consulatum petens L. 4. Crassus, cum omnium candidatorum more circum forum supplex populo ire cogeretur, numquam adduci potuit ut id praesente Q. Scaeuola, grauissimo et sapientissimo uiro, socero suo, faceret. Itaque rogabat eum ut a se, dum ineptae rei inseruiret, discederet, maiorem uerecundiam dignitatis eius quam candidae togae suae respectum agens.

---

1. namque *E.* || 2. adiectaque *C et pr. A.* || conpetitoris sui suffragatorem] competiorem *F.* || suffragatorem] *add.* se *corr. A.* suffragacionem *D.* || 3. scilicet] scipionis *E.* || 4. Nec — (6.) gratulati sunt *om. F.* || Nec] *add.* non *F.* || maximum esse] minimum est *corr. A, Torr.* || 5. praetium *A.* || sed *om. FTorr.* || si *om. DEFTorr.* || Cicereio] citerio *E.* cicereo *F. add.* tamen *Torr.* || 6. magistratus lati sunt *ACDEF.* || 7. Ac — abeamus *om. F.* || m. petens crassus *in rasura D.* potens l. grassus *F.* || 11. seruiret *F.* deseruiret *Par. Torr.* || 12. discerct *pr. A.* || 13. respectu *corr. A.*

Nec maximum esse uerecundiae pretium!) Haec uerba et quae sequuntur in bonis certe codicibus non adeo corrupta mihi esse uidentur quam uulgo credita sunt. Vulnus enim omnium longe grauissimum, iam archetypo codici illatum, recentiores librarii et recte senserunt et probabiliter sanarunt, pro *magistratus lati sunt* scribentes *magis gratulati sunt*, quod in uulgata exempla introductum ab Aldo, tamquam certissimam coniecturam retinui. Deinde manifestum est in his, quae hucusque edebantur *Cicereio tamen*, in bonis codicibus leguntur *sed si Cicereio*, condicionalem particulam, quae ut locum non habet, ita facillime ex insequenti syllaba nasci potuit, item recte a recentioribus librariis deletam esse. Reliqua, in quibus grammatici cum correctore libri Bernensis adeo ab antiqua scriptura discesserunt ut huic ne similia quidem remanerent, intacta mihi relinquenda esse uidentur. Quid enim, si uerba *nec maximum esse uerecundiae pretium*, uulgo arbitrarie admodum mutata in *nec minimum est uerecundiae pretium*, ea exclamandi figura posita putemus, quae plerumque accusatiuo cum infinitiuo, addita interrogandi particula *ne*, sed interdum etiam sine illa particula exprimitur? Sic Cic. epp. XIIII, 1, 1, *Te ista uirtute, fide, probitate, humanitate in tantas aerumnas propter me incidisse!* id. in Verr. V, 44 *Illam clementiam mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem inhumanitatemque esse conuersam!* Cf. Zumpt. art. §. 613. Madu. §. 399. Nos diceremus 'und sollte die belohnung der bescheidenheit nicht sehr gross sein'! Ita enim hoc loco *pretium* dictum est, ut idem ualeat atque praemium, de quo significatu cf. Boetticher lex. Tac. u. *pretium*. Rhetorice igitur circumscripsit Valerius hanc sententiam, consentaneum fuisse maximum praemium uerecundiae eius tribui, ideoque praeturam Scipioni datam esse, ipso Cicereio suffragante, sed Cicereio omnes magis etiam gratulatos esse quam praetori.

4. Cf. Cic. de or. I, 24, 112.

5. Pompeius autem Magnus Pharsalica acie uictus a Caesare, cum postero die Larissam intraret oppidique illius uniuersus populus obuiam ei processisset, 'Ite', inquit, 'et istud officium praestate uictori'. Dicerem non dignus qui uinceretur, nisi a Caesare esset superatus; certe modestus in calamitate. Nam quia dignitate sua uti iam non poterat, usus est uerecundia.

6. Quam praecipuam in Gaio quoque Caesare fuisse et saepenumero apparuit et ultimus eius dies significauit. Conpluribus enim parricidarum uiolatus mucronibus inter ipsum illud tempus, quo diuinus spiritus mortali discernebatur a corpore, ne tribus quidem et uiginti uulneribus quin uerecundiae obsequeretur absterreri potuit. Siquidem utraque togam manu demisit, ut inferior pars corporis tecta conlaberetur. In hunc modum non homines expirant, sed dî inmortales sedes suas repetunt.

Ext. 1. Quod sequitur externis adnectam, quia ante gestum est quam Etruriae ciuitas daretur. Excellentis in ea regione pulchritudinis adulescens nomine Spurinna, cum mira specie conplurium feminarum inlustrium sollicitaret oculos ideoque uiris ac parentibus earum se suspectum esse sentiret, oris decorem uulneribus confudit deformitatemque sanctitatis suae fidem quam formam inritamentum alienae libidinis esse maluit.

---

1. autem *om. Γ.* || parsalica *pr. A.* pale pharsali *Par.* || 2. Larissam] larisae *C. add.* I. P. lassam *margo A*; *sed habet* Larissam *Par.* || 4. dignum *Γ.* || a Caesare] accusare *F.* || 5. superatus] *ante* esset *Torr.* uictus *Γ.* || 6. dignitate] calamitate *C.* || 7. Quam — (9.) enim] Caesar conpluribus *Γ.* || caesare quoque *EF.* || se numero *C.* || 8. signauit *D.* || 10. secernebatur *EF.* || tribus] milibus *D.* || 11. uerecondiae *pr. A.* || 12. utramque toga manum *C.* utraque manu togam *F.* togam utraque manu *Γ.* || dimisit *CDEFΓ.* remisit *Par.* || 14. expierant *pr. A.* || 15. Quod — (16.) daretur *om. Γ.* || antea *F.* || 16. in *om. F.* || ea regione] Etruria *Γ.* || 17. Spurina *Torr.* || 20. confodit *Par.* || deformitatisque *F.*

---

5. Cf. Lucan. Phars. VII, 720. Cass. Dio. XLII, 2. p. 306 Reim.

Pharsalica acie uictus) Obiter moneo, quod in Iulii Paridis huius exempli compendio legatur, *Pompeius magnus pale Pharsali uictus*, non 'hellenismon' esse *πάλῃ*, ut opinabatur Ang. Maius, sed uitiosam scripturam pro *Palaepharsali* (Altpharsalus), quo oppidi eius nomine usi sunt Hirtius b. Alex. 48, 1. Liuius XLIIII, 1, 5. Eutropius VI, 20.

6. Cf. Suet. Caes. 82.

Ext. 1. *oris decorem uulneribus confudit)* i. e. turbauit et ita sustulit. Torrenius, cum in recentioribus quibusdam libris *confodit* inuenisset, quod in Paridis quoque compendio legitur, confundendi uerbum illo significatu positum defendit comparatis Val. VIII, 7, ext. 7, *(sanguine suo artis suae liniamenta confudit.)*; Curt. VIII, 3, 13; Lucan. Phars. VII, 575. Mihi quidem res, quae explicanda erat Valerio, accuratius aliquanto librorum quam Paridis scriptura denotari uidetur, quamuis ne haec quidem inepta sit. Cf. Liu. XXIIII, 7, 5.

Athenis quidam ultimae senectutis, cum spectatum ludos in 2.
theatrum uenisset eumque nemo e ciuibus sessum reciperet, ad Lacedaemoniorum legatos forte peruenit. Qui hominis aetate moti canos eius et annos adsurgendi officio uenerati sunt sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt. Quod ubi fieri populus aspexit, maximo plausu alienae urbis uerecundiam conprobauit. Ferunt tunc unum e Lacedaemoniis dixisse 'Ergo Athenienses quid sit rectum sciunt, sed id facere neglegunt.'

DE AMORE CONIVGALI.

A placido et leni adfectu ad aeque honestum, uerum aliquanto VI.
ardentiorem et concitatiorem pergam, legitimique amoris quasi quasdam imagines non sine maxima ueneratione contemplandas lectoris oculis subiciam, ualenter inter coniuges stabilitae fidei opera percurrens, ardua imitatu, ceterum cognosci utilia, quia excellentissima animaduertenti ne mediocria quidem praestare rubori oportet esse.

Ti. Gracchus anguibus domi suae mare *ac* femina adpre- 1.
hensis, certior factus ab aruspice mare dimisso uxori eius, femina ipsi celerem obitum instare, salutarem coniugi potius quam sibi partem augurii secutus, marem necari, feminam dimitti iussit, sustinuitque in conspectu suo se ipsum interitu serpentis

2. ad] a *pr. A.* || 3. homines *CEF.* || aetatem *Γ.* || 4. moti] modica *EF.* reueriti *Γ.* || officio] effecto *C.* || 5. inter] *add.* se *DΓ.* || ubi] *post* fieri *D.* ut *F.* || 7. fertur *D.* feruntque *E.* || unum] uirum *F.* || 10. A *om. F.* || leui *EF.* || 11. attenciorem *E.* || 13. oculis lectoris *F.* || ualenter] ualencia quidem *E.* || coniugii *Γ.* || stabilitatae *ACEFΓ.* stabilita *D.* || fida *E.* || 14. imitatu • *A.* || ceterum] *in rasura A.* || quia] qui *pr. A.* || 15. mediocra *F.* || 16. esse] *om. D. ante* oportet *F.* || 17. C. gracchus *pr. C.* || domui *Par.* || mari *Par.* || hc] *om. A.* et *Γ. Vt nos Par.* || adprehensis] *om. F.* deprehensis *Par.* || 18. marc — femina] arthe demisso si femina necaretur uxori eius si mas *Γ.* || 19. • ipsi *A.* et ipsi *E.* || salutem *E.* || 20. augurii partem *Γ.* || 21. se in conspectu suo *F.* || ipsum] *om. F. add.* in *corr. D.*

2. Cf. Cic. Cat. mai. 18, 63.

VI, 1. Cf. Cic. de diu. I, 18, 36. II, 29, 62. Plut. Ti. Gracch. 1. Plin. h. n. VII, 36. Auct. de uir. ill. 57.

occidi. Itaque Corneliam nescio utrum feliciorem dixerim, quod talem uirum habuerit, an miseriorem, quod amiserit. O te, Thessaliae rex Admete, crudelis et diri facti crimine sub magno iudice damnatum, qui coniugis tuae fata pro tuis permutari passus es, eaque, ne tu extinguerere, uoluntario obitu consumpta lucem intueri potuisti, et certe parentum prius indulgentiam temptaueras!

2. Vilior Graccho iniquae fortunae uictima, quamuis senatorii uir ordinis, C. Plautius Numida, sed in consimili amore par exemplum. Morte enim uxoris audita, doloris inpotens pectus suum gladio percussit. Interuentu deinde domesticorum inceptum exequi prohibitus colligatusque, ut primum occasio data est, scissis fasceis ac uulnere diuolso, constanti dextra spiritum luctus acerbitate permixtum ex ipsis praecordiis et uisceribus hausit, tam uiolenta morte testatus quantum maritalis flammae illo pectore clausum habuisset.

3. Eiusdem ut nominis, ita amoris quoque M. Plautius. Nam cum imperio senatus classem sociorum sexaginta nauium in Asiam reduceret Tarentumque appulisset atque ibi uxor eius Orestilla, quae illuc eum prosecuta fuerat, morbo pressa decessisset, funerata ea et in rogum imposita inter officium unguendi et osculandi stricto ferro incubuit. Quem amici, sicut erat, togatum et calceatum corpori coniugis iunxerunt, ac deinde sub-

2. habuit *EF.* || O te — (6.) temptaueras *om. Γ.* || te *om. F.* || 3. amete *F.* || duri *CD.* || fati *DF et corr. A.* || crimen *D.* || 5. tu ne *F.* || extinguere *F et pr. AE.* contingerere *C.* extingueris *Torr.* || uoluntaria *CF.* || 6. prius parentum *Torr.* || temptaueras] *add.* femineo animo impar inuentus *margo D, Torr.* || 8. Vilior — quamuis *om. Γ.* || senatori *C.* || 9. plaucius *A.* plancius *E.* || sed — (10.) exemplum *om. Γ.* || 10. enim *om. Γ.* || 12. collegatusque *pr. A.* || 13. fasciis *DEΓTorr.* fascibus *F. Cf. tamen VI, 2, 7.* || ac] at *C.* et *Torr.* || diuolso] *sic corr. A.* diuolsa *pr. A.* diuulso *reliqui.* || dextera *CDEFΓTorr.* || 14. permistum *F.* || uiceribus *pr. C.* || 17. ut nominis ita] nominis et *Γ.* || quoque *om. Γ.* || 18. sociorem *pr. A.* || 21. ea • *A.* || et] atque *Torr.* || ungendi *CEFΓTorr.* || 23. calciatum *CDEFΓ.*

indulgentiam temptaueras!) Verba, quae in uulgatis exemplis inde a Veneto anni 1478 haec excipiebant, *femineo animo impar inuentus,* sed non extant in editione Moguntina nec in ea, qua usus est Kappius, quamuis interpolationis non prae se ferant speciem nec omnino habeant quo offendant, tamen, cum in omnibus nostris codicibus et, ut opinor, in plerisque Torrenianis (non in octo tantum) aeque desiderentur, a recentiore homine apposita esse credamus oportet, cui fortasse praecedens sententia nimis breuis atque incompta uidebatur. Quare eieci quibus, si qua est fides librorum manuscriptorum, sedes inter antiqua Valerii uerba non debetur, quaeque abesse optime possunt. Ceterum tamquam re uera Admetus parentum uoluntarium pro se obitum postulasset, fabulam composuerunt Euripides Alcestide et Hyginus fab. 51 et 251.

iectis facibus utrumque una cremauerunt. Quorum ibi factum sepulcrum Tarenti etiam nunc conspicitur, quod uocatur *ΔΥΟ ΦΙΛΟΥΝΤΩΝ*. Nec dubito quin, si quis modo extinctis sensus inest, Plautius et Orestilla fati consortione gestientes uultus tenebris intulerint. Saneque ubi idem et maximus et honestissimus amor est, aliquanto praestat morte iungi quam distrahi uita.

Consimilis adfectus Iuliae, C. Caesaris filiae, adnotatus est. 4. Quae cum aediliciis comitiis Pompeî Magni, coniugis sui, uestem cruore respersam e campo domum relatam uidisset, territa metu ne qua ei uis esset adlata, exanimis concidit, partumque, quem utero conceptum habebat, subita animi consternatione et graui dolore corporis eicere coacta est, magno quidem cum totius terrarum orbis detrimento, cuius tranquillitas tot ciuilium bellorum truculentissimo furore perturbata non esset, si Caesaris et Pompeî concordia communis sanguinis uinculo constricta mansisset.

---

1. Quorum — (5.) intulerint *om. Γ.* || 2. sepulcrum] sepulchrum est *C et pr. A.* || Tarenti] *delendum censuit Lipsius.* || uocatur] notat *E.* || *ΔΥΟ ΦΙΛΟΥΝΤΩΝ*] *sic A Par. των γοφιλογητον C. των φιλοντω(?) in rasura E. om. DF. ΤΩΝ ΦΙΛΟΥΝΤΩΝ Torr.* || 3. sensibus *F.* || 4. plancius *E.* || facti *F.* || 5. intulerunt *CEF et pr. D.* || Saneq. *(sic) pr. A.* Sane *FΓ et corr. A, Torr.* || 6. coniungi *F.* || uita distrahi *Torr.* || 7. Consimilis — est. Quae] Iulia c. caesaris filia *Γ.* || aduocatus *D.* || 8. aedilitiis *(A).* || sui coniugis *F.* || 9. domi *F.* || metu territa *F.* || 10. uis ei *C.* || adlatam *A.* illata *CD.* || 12. coacta est] *add.* atque ita expirauit *margo D, Torr. add.* I. P. atque ita expirauit *margo A.* || 13. cuius *om. D.*

---

3. *Saneque) Saneque* hoc loco eodem modo positum est, ut saepissime in hoc opere *et sane.* Annectit enim nouum argumentum, quo ipse scriptor comprobat atque confirmat factum antea relatum. Vid. ad III, 8, ext. 2. Itaque causa nulla erat cur Torrenius illud *saneque* ortum putaret ex *sane quam.*

4. Cf. Plut. Pomp. 53. App. ciu. II, 19. Cass. Dio. XXXIX, 32.

eicere coacta est.) Iulius Paris, cum cognitum haberet Iuliam, Pompeii uxorem, in puerperio mortuam esse, postquam retulit eam propter subitam animi consternationem eiecisse partum utero conceptum, ipse de suo adiecit *atque ita expirauit.* Quae uerba, ex hoc compendio a correctore codicis Bernensis in margine eius libri ascripta et inde in deteriores aliquot codices translata, recepta sunt in omnibus editionibus Moguntina recentioribus, quamuis manifestum sit ea a Valerio non esse profecta. Primum enim Iuliam non eo abortu, de quo hoc loco mentionem fecit scriptor, obiisse constat, quod disertis uerbis testatur Plutarchus l. c. (*ἔτυχε μὲν ἡ κόρη κύουσα, θεασαμένη δὲ καθημαγμένην τὴν τήβεννον, ἐξέλιπε, καὶ μόλις ἀνήνεγκεν· ἐκ δὲ τῆς ταραχῆς ἐκείνης καὶ τοῦ πάθους ἀπήμβλωσεν. — Αὖθις μέντοι κυήσασα καὶ τεκοῦσα θῆλυ παιδίον, ἐκ τῶν ὠδίνων ἐτελεύτησε, καὶ τὸ παιδίον οὐ πολλὰς ἡμέρας ἐπέζησε.* Cf. Dio Cass. XXXIX, 64. Filium tum ex ea natum esse tradunt Velleius II, 47 et Suetonius Caes. 26.) Deinde si genuina essent uu. *atque ita expirauit*, ad haec, ut recte animaduertit Torrenius, referenda essent sequentia *magno quidem cum — detrimento* etc.; quo facto communis sanguinis uinculum illud non de infante, sed de ipsa matre Iulia intellegeretur, quae qua ratione ita appellari potuerit equidem non perspicio. Bene igitur iam Gudius incongruam interpolationem remouendam esse censuerat, quod tamen praeter Torrenium et ipsum haesitantem omnes aeque neglexerunt.

5. Tuos quoque castissimos ignes, Porcia, M. Catonis filia, cuncta saecula debita admiratione prosequentur. Quae cum apud Philippos uictum et interemptum uirum tuum Brutum cognosses, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitasti, muliebri spiritu uirilem patris exitum imitata. Sed nescio an hoc fortius, quod ille usitato, tu nouo genere mortis absumpta es.

Ext. 1. Sunt et alienigeni amores iusti obscuritate ignorantiae non obruti, e quibus paucos attigisse satis erit. Gentis Cariae regina Artemisia uirum suum Mausolum fato absumptum quantopere desideraue*rit*, leue est post conquisitorum omnis generis honorum monumentique usque ad septem miracula prouecti magnificentiam argumentari. Quid enim aut eos colligas aut de illo inclito tumulo loquare, cum ipsa Mausoli uiuum ac spirans sepulcrum fieri concupierit eorum testimonio, qui illam extincti ossa potioni aspersa bibisse tradunt?

2. Hypsicratia quoque regina Mitridatem coniugem suum effusis caritatis habenis amauit, propter quem praecipuum formae suae decorem in habitum uirilem conuertere uoluptatis loco habuit. Tonsis enim capillis equo se et armis adsuefecit, quo facilius laboribus et periculis eius interesset. Quin etiam uictum a Cn. Pompeio per efferatas gentes fugientem, animo pariter et cor-

---

1. Tuos — (2.) Quae] Forti a m. catonis filia *Γ*. || Portia *(A.)* || 2. animi ratione *D*. || prosequuntur *C*. || 3. suum *Γ*. || Brutum *om. F*. || cognosceres *E*. cognosset *Γ*. cognouisset *Par. Vid. ad II*, 10, 8. || 4. quia — carbones *om. C*. || 5. dubitauit *Γ*. || 6. Sed] et *Γ*. || tu] *om. pr. A*. haec *Γ*. || 7. adsumpti *(litt. ti in rasura) A*. || es] *om. A*. est *Γ*. || 8. Sunt — (9.) erit *om. Γ*. || amoris *AC F*. || 9. ex *E*. || 10. arcemisia *C*. artemissa *F*. || mâsoelium *E*. mausulum *F*. || adsumptum *pr. A*. assumptum *C*. || quanto opere *Γ*. || 11. desiderauit *ACDΓ*. desiderarit *Torr*. || leua *pr. A*. || 12. monumentique] que *om. E*. || 14. loquar *D*. loquere *F*. || mansoelii *E*. || 15. sepulchrum *pr. A*. || cupierit *F*. || 16. ponione *pr. A*. potione *DΓ*. || asperse *pr. A*. || 17. hypsicratea *C et pr. A*. hisicratea *D*. ipicratea *F*, hipsicratea *EΓTorr*. || mytridatem *A*. || 18. quam *CF*. quod *E*. || 19. conuertere *om. E*. || 22. offeratas *pr. A*.

---

5. Cf. Plut. Brut. 53. App. ciu. IIII, 136 p. 345. Polyaen. strat. VIII, 32. Mart. ep. I, 43. Dio. Cass. XLVII, 49 p. 526 Reim. Zonar. X, 20 p. 508.

Ext. 1. Cf. Cic. Tusc. III, 31, 75. A. Gell. X, 18.

uiuum ac spirans sepulcrum) Notabiliter errauit Paris, cum sententiam male intellectam hoc compendio redderet, *ipsa uero se cum Mausolo uiua ac spirans conponi iussit.*

2. Cf. Plut. Pomp. 32. Eutrop. VI, 12.

Hypsicratia) Cum uulgo ederetur *Hipsicratea*, nos eam nominis formam reposuimus, quae insigniter confirmatur consensu Plutarchi et Paridis, quem in emendando corrector quoque libri Bernensis secutus est.

pore infatigabili secuta est. Cuius tanta fides asperarum atque difficilium rerum Mitridati maximum solacium et iucundissimum lenimentum fuit. Cum domo enim et penatibus uagari se credidit, uxore simul exulante.

Verum quid Asiam, quid barbariae inmensas solitudines, 3. quid latebras Pontici sinus scrutor? cum splendidissimum totius Graeciae decus, Lacedaemon praecipuum uxoriae fidei specimen tantum non nostris ostentet oculis, plurimis et maximis patriae suae laudibus admiratione facti conparandum.

Minyae, quorum origo ex inclito sociorum Iasonis numero Lemniorum in insula concepta per aliquot saeculorum uices stabilis in sede manserat, † a Pelasgicis expulsi ramis, alienae opis indigentes excelsa Taygetorum montium iuga supplices occupauerunt. Quos Spartana ciuitas respectu Tyndaridarum, namque in illo nobilis famae nauigio destinatum sideribus par fratrum fulserat, deductos inde legibus conmodisque suis inmiscuit. Sed hoc tantum beneficium in iniuriam bene meritae urbis regnum adfectantes uerterunt. Igitur publicae custodiae

1. infatigabilis *F.* || asperum *pr. A.* || ac *E.* || 2. solatium *A.* solamentum *Γ. Cf. IIII*, 4, 11. *V*, 3, 2. || iocundissimum *EF.* || 4. uxore simul exulante *om. F.* || 5. Verum — (9.) conparandum *om. Γ.* || barbaree *D.* barberie *F.* || 7. lacedemo • *A.* lacedemo *CF.* || uxori *pr. A.* uxoris *corr. A.* || 8. tantum non] • • • *A.* nunc *D.* || nostris] *add.* se *D.* || 9. laudabilis *F.* || 10. minyae *(litt.* mi *et* y *in rasura) A.* || 11. Lemniorum] *post* insula *Γ.* leniorum *E.* || 12. stabili • *A.* stabili *Torr.* || a] et *F.* || pelasgis *ΓTorr.* || ramis] armis *E, corr. C et in rasura A, Torr.* remis *Γ.* || 13. indigi *Torr.* || 14. occupauerant *(Γ)Torr.* || 15. destinatus *ACD FΓ.* || par] per *(sed punctis notatum) A.* uterque *Γ.* || 16. fluxerat *F.* || deductor *AD.* || commiscuit *DΓ.* miscuit *F.* || 17. in iniuriam] iniuria *F.* || 18. publica custodia *Γ.*

3. Cf. Herod. IIII, 145 et 146. Plut. de mul. uirt. p. 198 ed. Tauchn.

† *a Pelasgicis expulsi ramis*) Malui archetypi mendum notare quam parum uerisimilem et ualde incertam uulgatorum exemplorum emendationem (*a Pelasgis expulsi armis*) retinere, in qua, ut reliqua mittam, nimis profecto languet ultima uox. Poterat scribi deleta praepositione *Pelasgicis expulsi armis*, sed praeterquam quod adiectiui illa forma et ipsa ualde dubia est, quippe quae uno dumtaxat Plinii loco, quod equidem sciam, inuenta est, IIII hist. nat. 7, 14, ubi tamen optimi codd. Leidensis et Riccardianus Graecum nomen *Pelasgicon Argos* tradunt, quis tandem crediderit librarios a notissimo armorum uocabulo in ramos fuisse aberraturos? Vereor equidem ne grauius uulnus sententiam perturbauerit quam uulgo uisum est, omissis nonnullis, quibus Valerius ignem a supplicibus Minyis in Taygeti montis iugo incensum significauerit, de quo igne narrauit Herodotus l. c., quem in singulis paene dixerim uerbis hic scriptor secutus est. Ita enim Herodotus, *ἱζόμενοι δὲ ἐν τῷ Τηϋγέτῳ πῦρ ἀνέκαιον. Λακεδαιμόνιοι δὲ ἰδόντες ἄγγελον ἔπεμπον* et paulo post *πέμψαντες τοδεύτερον εἰρώτεον τί θέλοντες ἥκοιέν τε ἐς τὴν χώρην καὶ πῦρ αἴθοιεν.* Suspicatus sum aliquando Valerium scripsisse *a Pelasgis expulsi, ramis incensis* (uel *collectis atque incensis* etc.), librarium simili terminatione utriusque uocabuli deceptum alterum, ut fieri solet, omisisse. Sed omnino nihil certi.

inclusi capitali adseruabantur supplicio. Quod cum uetere instituto Lacedaemoniorum nocturno tempore passuri essent, coniuges eorum inlustris ibi sanguinis, uelut adlocuturae perituros uiros, inpetrato a custodibus aditu, carcerem intrauerunt, commutataque ueste per simulationem doloris uelatis capitibus eos abire passae sunt. Hoc loco quid aliud adiecerim quam dignas fuisse quibus Minyae nuberent?

DE AMICITIA.

VII. Contemplemur nunc amicitiae uinculum potens et praeualidum neque ulla ex parte sanguinis uiribus inferius, hoc etiam certius et exploratius, quod illud nascendi sors, fortuitum opus, hoc unius cuiusque solido iudicio inchoata uoluntas contrahit. Itaque celerius sine reprehensione propinquum auersere quam amicum, quia altera diremptio non utique iniquitatis, altera utique leuitatis crimini subiecta est. Cum enim deserta sit futura uita

1. Quod] qui *F.* || 3. inlustris ibi] illustrissimi *DΓ.* illustris *F.* || aloquiturae *F.* || perituros] merituros per *C.* || 4. auditu *E.* || 6. quam] quas *C.* || 7. moenia *pr. A.* menie *C.* minie *DEF.* myniae *Γ.* || nubetur *F.* || 8. *Inscriptionem om. A et pr. C. add.* I. P. DE AMICITIA *margo A.* De uinculo amicitiae *corr. C.* de amicitia et sinceritate *D.* De amicitiae uinculo *Torr.* || 9. Conplectemur *E.* || 10. nec *F.* || 11. istud *Γ.* || 12. incohata *E.* incoacta *Torr.* || 13. auertere *AΓ.* auersare *corr. E.* quis desrere *D.* || quam amicum] antequam amicum poterit *D.* || 14. qui *pr. A.* || diremptio non] directione *CDF et pr. A.* dilectione *corr. A.* dilectioni *Γ.* direpcioni *E.* diremptio *Torr.* || utique *(priore loco)*] utiquam *corr. A. om. Torr.* || utique leuitatis] non leuitatis *D.* || 15. crimen *D.* || futura sit *Γ.*

VII. *altera diremptio non utique iniquitatis)* Constat archetypi codicis scripturam hanc fuisse, *altera directione utique iniquitatis, altera utique leuitatis* etc. Quae uerba mire torserunt cum librarios tum enarratores, qui unum illud recte intellexerunt in *directione* latere diremptionis uocabulum, in ceteris hallucinantur. Iam uero apparet necessario hanc sententiam flagitari, non utique esse iniquum qui propinquum deseruerit, neque enim, ut exemplo utar, increpandum esse qui propinquum inhonesto uitae genere usum respuerit, cum artiore uinculo teneamur nullo quam fortuita nascendi sorte. Contra qui amicum deprecetur, etiam si recte id fecerit, utique leuitatis crimini inhaerere, cum ipsa illa diremptione declaret se antequam amicum sibi elegerit leuiter ac temere de pretio hominis iudicasse. Etenim cum amicitiae propria ac libera unius cuiusque contrahantur uoluntate, omnino non eligendum fuisse quem postea propter mores spernere oportuerit. Quam sententiam equidem lenis-

hominis, nullius amicitiae cincta praesidio, tam necessarium subsidium temere adsumi non debet, semel autem recte adprehensum sperni non conuenit. Sincerae uero fidei amici praecipue in aduersis rebus cognoscuntur, in quibus quidquid praestatur totum a constanti beneuolentia proficiscitur. Felicitatis cultus maiore ex parte adulationi quam caritati erogatur; certe suspectus est perinde ac plus semper petat quam impendat. Accedit huc, quod infractae fortunae homines magis amicorum studia desiderant uel praesidii uel solacii gratia. Nam laeta quidem et prospera negotia, utpote cum diuina suffragatione foueantur, humana minus indigent. Tenacius igitur eorum nomina posteritatis memoria adprehendit, qui aduer*sos ca*sus amicorum non deseruerunt quam qui prosperum uitae cursum comitati sunt. Nemo de Sardanapalli familiaribus loquitur; Orestes Pylade paene amico quam Agamemnone notior est patre. Siquidem illorum amicitia in consortione deliciarum et luxuriae contabuit, horum durae atque asperae condicionis sodalicium ipsarum miseriarum experimento enituit. Sed quid externa attingo, cum domesticis prius liceat uti?

---

1. cuncta *pr. A.* iuncta *corr. A.* cinta *E.* || 3. ami *pr. A.* hami *corr. A. add.* l' animi *margo A.* || praecipuae *pr. A.* || 4. quicquid *corr. A.* || 5. beneuolentia *(AΓ.)* beniuolentia *CDEF.* || 6. erogatus, certe *Torr.* || 7. ac] *add.* si *Torr. Cf. VIII,* 1, *damn.* 1. || semper plus *FΓ.* || 9. praedii *C.* || solatii *A.* || gratia] causa *D.* || 11. igitur] igni *F.* || potestas *A. sed* posteritatis *margo A.* || 12. aduersus *pr. A.* aduersum *corr. A.* aduersa *DΓ.* || casus] *om. ADΓ. post* amicorum *CEFTorr.* || 14. sardanapaoli *F.* || 15. agamennone *A.* || patre notior est *Torr.* || 16. luxoriae *A.* || 17. duae *C.* || atque] et *E.* || aspera *C.* || condiciones *C.* || sol * * dadicium *(litt.* 1 *inducta) A.* salatium *C.* solatium *ETorr.* solatio *F.* || 18. expedimento *A.*

---

sima mutatione restituisse mihi uideor. Credibile est enim librarium solito errore confudisse negationem *non* cum *ne*, idque deinde coniunctum cum praecedenti *diremptio* causam extitisse corruptelae. Grammatici deleto priore *utique* gradationis particulam uoci *leuitatis* addendam putarunt, Torrenius *et*, Perizonius *etiam* uel *quoque*, quod soloece Kappius pro altero *utique* substituit. Quorum coniecturis id unum oppono, propinquitatis diremptionem neque omnino iniquitatem semper continere neque a Valerio continere dici potuisse, quippe qui ipse eam sine reprehensione fieri posse confessus sit.

aduersos casus amicorum) Aberat *casus* ab archetypo codice, quem recte sine dubio ea tantum exhibuisse coniecimus, quae olim in Bernensi legebantur, *qui aduersus amicorum non deseruerunt.* Illa notio probabiliter in alterius familiae altera parte suppleta, sed falso loco inserta est post *amicorum.* Orta enim lacuna est, quod librarius ab ultima syllaba uocis *aduersos* in similem terminationem u. *casus* transilierat. Aliter certe illud *aduersus*, quod Bernensi libro traditur, explicari uix poterit.

Sardanapalli) Sic cod. Bern. Probauit hanc scripturam Ang. Maius ad Cic. de rep. III, 36 ascriptis Hieronym. prolog. ad II in Abacuc et schol. ad

1. Inimicus patriae fuisse Ti. Gracchus existimatus est, nec inmerito, quia potentiam suam saluti eius praetulerat. Quam constantis tamen fidei amicum etiam in hoc tam prauo proposito C. Blossium Cumanum habuerit operae pretium est cognoscere. Hostis iudicatus, ultimo supplicio adfectus, sepulturae honore spoliatus beniuolentia tamen eius non caruit. Nam cum senatus Rupilio et Laenati consulibus mandasset ut in eos, qui cum Graccho consenserant, more maiorum animaduerterent, et ad Laelium, cuius consilio praecipue consules utebantur, pro se Blossius deprecatum uenisset familiaritatisque excusatione uteretur, atque is dixisset, 'Quid si te Gracchus templo Iouis optimi maximi faces subdere iussisset, obsecuturusne illius uoluntati propter istam, quam iactas, familiaritatem fuisti'? 'Numquam istud', inquit, 'Gracchus imperasset'. Satis, immo etiam nimium! Totius namque senatus consensu damnatos mores defendere ausus est. Verum quod sequitur multo audacius multoque periculosius. Conpressus enim perseueranti interrogatione Laeli in eodem constanti gradus stetit, seque etiam hoc, si modo Gracchus annuisset, facturum respondit. Quis illum sceleratum putasset fuisse, si tacuisset? Quis non etiam sapientem, si pro necessitate temporis locutus esset? At Blossius nec silentio honesto nec prudenti sermone salutem suam, ne qua ex parte infelicis amicitiae memoriam desereret, tueri uoluit.

---

1. patriae fuisset gracchus *pr. A.* patriae fuisse gracchus *C et corr. A.* fuisse patriae gracchus *E.* patriae est graccus existimatus fuisse *F.* || 2. potentiam *om. F.* || eius *om. F.* || 4. blosium *ACEFΓTorr. Vt nos etiam Par.* || habuit *E.* || est *om. Γ.* || 7. rutilio *ACDEFΓPar. Vid. ad II, 7, 3.* || lenati *A.* leanti *F.* || cons. *ACFΓ.* consuli *D. om. E.* || 8. animaduertent *pr. A.* || 10. Blossius] *sic h. l. A, ut Cic. Plut. Par.* || 12. uoluntati illius *Torr.* || 13. pro propter *C.* || quam iactas] qua accusaris *D.* || fuisses *DΓTorr. Cf. Madu. art.* §§. 342 *et* 348 *a.* || 14. inequid istud *F.* || 15. damnatum more *Γ.* || 16. multoque] multo *E.* || 18. constantiae *(Γ)Torr. Vid. praef. p.* 36. || 19. factorum *F.* || 21. At] ac *D.* || blosius *ACDEFΓTorr.* || honesto silentio *Γ.* || 23. tueri uoluit] *ante* ne qua ex *Γ.*

Iuu. sat. X, 362, quo loco nescio an parum recte Osannus sola metrica ratione litteram *l* geminatam esse docuerit.

1. Cf. Cic. Lael. 11, 37. Non a Laelio, sed a Scipione Nasica interrogatum esse Blossium refert Plut. Ti. Gracch. 20.

si modo Gracchus annuisset) Perizonius forte *innuisset* legendum esse coniecit; praeter necessitatem. Est enim saepius *annuere* nutu pronam uoluntatem significare, nutu approbare, fauere, quae notio optime huic loco conuenit. Cf. Cic. pro Quint. 5, 18, *simul atque sibi hic adnuisset, numeraturum se dicebat.*

In eadem domo aeque robusta constantis amicitiae exempla 2.
oboriuntur. Prostratis enim iam et perditis C. Gracchi consiliis rebusque, cum tota eius conspiratio late quaereretur, desertum omni auxilio duo tantum amici, Pomponius et Laetorius, ab infestis et undique ruentibus telis oppositu corporum suorum texerunt. Quorum Pomponius, quo is facilius euaderet, concitatum sequentium agmen in porta Trigemina aliquandiu acerrima pugna inhibuit, nec uiuus pelli potuit, sed multis confectus uulneribus transitum super cadauer suum eis, credo etiam post fata inuitus, dedit. Laetorius autem in ponte Sublicio constitit et eum, donec Gracchus transiret, ardore spiritus sui saepsit, ac ui iam multitudinis obrutus conuerso in se gladio celeri saltu profundum Tiberis petiit, quamque in eo ponte caritatem toti patriae Horatius Cocles exhibuerat, unius amicitiae adiecta uoluntaria morte praestitit. Quam bonos Gracchi, si aut patris aut materni aui sectam uitae ingredi uoluissent, habere milites potuerant! Quo enim impetu, qua perseuerantia animi Blossius et Pomponius et Laetorius trophaea ac triumphos eorum adiuuissent, furiosi conatus tam strenui comites, sinistris quidem auspiciis amicitiae condicionem secuti, sed quo miseriora, hoc certiora fideliter cultae nobilitatis exempla!

Lucius autem Rheginus, si ad debitam publico ministerio 3.
sinceritatem exigatur, posteritatis conuicio lacerandus, si amicitiae fido pignore aestimetur, in optimo laudabilis conscientiae portu relinquendus est. Tribunus enim plebis Caepionem in carcerem coniectum, quod illius culpa exercitus noster a Cimbris et Teu-

---

1. robusta] *post* amicitiae *F.* || 2. suboriuntur *DΓ.* obruuntur *E.* oriuntur *F.* || enim *om. F.* || deperditis *F.* || t. gracci *D.* || 4. lectorius *EF. Licinium eum uocat Plut. l. c.* || 5. oppositum *C.* || 7. aliquamdiu *Torr.* || 8. uiuus] nimis *CD.* || 9. eis] *ante* super *ΓTorr.* || 10. lectorius *EFΓ.* || stetit *E.* || 11. et cum] etiam *C.* || saepsit] *sic A.* sensit *C.* praescripsit *D.* scripsit *F.* || ac] at *CE.* || 12. ui iam] uiam *F.* || 14. adiecta amicitiae *E.* amicitiad adiecta *F.* || 15. bonus *pr. C.* || gracchus *C.* || 16. aui materni *F.* || sectam] *om. pr. D.* senectam *margo D.* || uitae *om. F.* || 17. potuerunt *Γ.* || 18. lictorius *E.* lectorius *FΓ.* || trophaea ac] *om. Γ.* trophea ac *A.* || 19. furiosum *C.* || 20. haec *F.* || 22. autem *om. Γ.* || Reginus *Par.* || si ad — (25.) relinquendus est *om. Γ.* || 23. conuitio *pr. A.* || 25. enim *om. Γ.* || coepionem *A.* || 26. theutonicis *F.*

---

2. Cf. Vell. II, 6, 6. Plut. C. Gracch. 16, 17. Auct. de uir. ill. 65. Oros. V, 12.

in eadem domo) Induxerunt haec uerba Paridem ut hoc exemplum ad eundem Tiberium Gracchum referret, de quo superius erat relatum. Incipit enim compendium, ***Eundem hunc Gracchum omnium auxilio priuatum.***

tonis uidebatur deletus, ueteris artaeque amicitiae memor publica custodia liberauit, nec hactenus amicum egisse contentus, etiam fugae eius comes accessit. Pro magnum et inexuperabile tuum numen, amicitia! Cum ex altera parte res publica manum iniceret, ex altera tua illum dextera traheret, et illa ut sacrosanctus esse uellet exigeret, tu exilium indiceres, adeo blando uteris imperio, supplicium honori praetulit.

4. Admirabile hoc opus tuum, sed quod sequitur aliquanto laudabilius. Recognosce enim quousque Volumni constantem erga amicum suum caritatem sine ulla rei publicae iniuria eueneris. Qui ortus equestri loco, cum M. Lucullum familiariter coluisset eumque M. Antonius, quia Bruti et Cassii partes secutus fuerat, interemisset, in magna fugiendi licentia exanimi amico adhaesit, hucusque in lacrimas et gemitus profusus, ut nimia pietate causam sibi mortis arcesseret. Nam propter praecipuam et perseuerantem lamentationem ad Antonium pertractus est. Cuius postquam in conspectu stetit, 'Iube me', inquit, 'imperator, protinus ad Luculli corpus ductum occidi. Neque enim absumpto illo superesse debeo, cum ei infelicis militiae auctor extiterim'. Quid hac fidelius beniuolentia? Mortem amici hostis odio leuauit, uitam suam consilii crimine astrinxit, quoque illum miserabiliorem redderet, se fecit inuisiorem. Nec difficiles An-

3. proch *D.* proh *EΓ.* || 6. esse] ē (*i. e.* est) *C.* || utens *C.* || 8. Admirabile — (11.) equestri loco] Equestri loco ortus t. uolumnius *Γ.* || 9. T. Volumnii *Torr.* || 10. iniuriae ceris *(?) A.* || 14. hucusque] que *om. pr. E.* || ut — (15.) arcesseret *om. pr. D.* || 15. causas *in rasura A.* || sibi — propter] *in rasura A.* || accerseret *E.* accesserit *Γ.* || 16. perductus *F.* || 17. in conspectum *CD et in rasura A.* || stetit — (22.) miserabiliorem] *in rasura A.* || 18. perductum *FTorr.* || 19. assumpto *EF.* || ei] et *C.* || 21. consilio *C.* || crimini *Γ.* || astrixit *DF.* || quoque] quo *D.* || 22. mirabiliorem *CF.* admirabiliorem *E.*

3. *publica custodia liberauit)* Repugnant his quae Valerius VI, 9, 13 retulit, Q. Caepionem in carcere trucidatum corpusque eius in Gemonias scalas abiectum esse, contra reliquorum scriptorum consensum, qui omnes Caepionem huic iudicio fuga se subtraxisse tradiderunt. Cf. Cic. de or. II, 47 et 48. id. pr. Balb. 11, 28. Liu. epit. libr. LXVII. Plut. Lucull. 1. Strab. IIII, 1, 13 p. 188 Cas., ubi in codicibus male Scipio pro Caepione circumfertur. Vid. commentarium nostrum ad Val. l. c.

4. *Volumni)* Titi praenomen, e codice Cauchiano, i. e. abbreuiato Guelferbytano, nomini praepositum a Pighio, seruarunt recentiora exempla, cum id omnino sit incertum. Ceteri enim libri manuscripti cum compendio Iulii Paridis praenomen reticent.

M. Lucullum) Hic Lucullus, cum filius eius fuerit Luculli, qui bello Mithridatico excelluit (cf. Vell. Pat. II, 71, 2.), Drumannus (gesch. Roms IIII, p. 175) aut Valerium aut librarios in praenomine hominis errasse, ponendumque fuisse Lucium Lucullum suspicatur. Quod mihi non persuasit. Neque enim

tonii aures habuit, ductusque quo uoluerat, dexteram Lucullí auide osculatus, caput, quod abscisum iacebat, sublatum pectori suo adplicauit ac deinde demissam ceruicem uictori gladio praebuit. Loquatur Graecia Thesea, nefandis Pirithoi amoribus suscribentem, Ditis se patris regnis commisisse. Vani est istud narrare, stulti credere. Mixtum cruorem amicorum et uulneribus innexa uulnera mortique inhaerentem mortem uidere, haec sunt uera Romanae amicitiae indicia, illa gentis ad fingendum paratae, monstro similia mendacia.

Lucius quoque Petronius huiusce laudis consortionem me- 5. rito uindicat. Pari enim inclitae amicitiae auso par gloriae portio adserenda est. Admodum humili loco natus ad equestrem ordinem et splendidae militiae stipendia P. Caelî beneficio peruenerat. Cui gratum animum, quia laeta in materia exhibere non contingerat, in ea, quam unicam fortuna esse uoluit, cum

1. quoque uoluerat ductus *Γ*. || Luculli dextram *Torr.* || 2. abscisum quod *F.* || sullatum *C.* || 3. applicuit *Γ*. || submissam *DΓ*. dimissa *F.* || ceruice *F.* || uictoris *DE Torr. Vid. praef. p.* 36. || 4. theseam *D.* theseum *Γ*. || piritoi *A.* perithei *D.* pyrithei *F.* perithoi *Γ*. || 5. patris se *Γ*. || istud *om. Γ*. || 6. mistum *F.* || 7. innexa] inhesa *F.* || mortemque morti inhaerentem *Torr.* || haec sunt uera *om. D.* || 9. monstro *om. D.* || 10. quoque *om. Γ*. || patronius *CΓ*. || huiusce — (12.) adserenda est *om. Γ*. || consortium *F.* || 11. uindicauit *E.* || paria *A.* || etenim *Torr.* || inclytae *corr. A.* inclito *C et corr. D.* || ausu *CEF et corr. D, Torr.* || 12. afferenda *D.* auferenda *Torr.* || humili admodum *Γ*. || 13. splendida *DFΓ*. || publi coeli *A.* publico eli *C.* publico clii *F.* Tiberium Coelium *eum uocat Par.* || 14. cuius *F.* || in laeta *Torr.* || 15. unicam] iniquam *corr. A. Torr.* || fortunam *pr. A.*

num omnino maximus natu filius hic Lucullus fuerit satis constat, neque si constaret necessario inde colligeretur, quod et ipse Drumannus concessit, cum cognominem patri fuisse. Ceterum Marci praenomen Paridis quoque auctoritate stabilitur.

5. *Pari enim)* Sic omnes codices praeter Bernensem, qui *paria enim* exhibet. Quae si archetypi quoque scriptura fuerit, non male Pighius e codd. Atrebatensi et Susiano receperit *pari etenim*, cum litterae *a* figura non ita multum discrepet a compendio copulae *et*. At mihi quidem illud *paria* peculiare Bernensis libri mendum esse uidetur, profectum a librario, qui accusatiuum desiderarit, pendentem a participio, quod putabat, *auso*. Sic autem recte liber Danielinus et alter Berolinensis; *ausum* enim, quod ante Vergilium nemo dixit teste Seruio ad Aen. XII, 351, inde ab Augusti aeuo frequenter poetae et paulo post etiam prosae orationis auctores substantiue usurparunt, (cf. Plin. h. n. II, 108, 112. Tac. ann. XIII, 47. auct. de Caesar. 3.) licet idem Seruius ad Aen. II, 535 in prosa dici posse neget. Ante nos *auso* et, quod libri nostri omnes confirmant, *asserenda* ediderat Helfrechtus.

in ea, quam unicam fortuna esse uoluit.) Proba haec sententia est. Petronius, quia laetam gratum exhibendi animum occasionem nactus non erat, eam arripuit, quam solam fortuna obtulit. Hanc tristem fuisse ex oppositione illa facile intellegitur. Itaque non uideo cur priores grammatici aeque omnes spreuerint scripturam librorum testimonio firmissimam, *quam unicam*, substituentes pro ea *quam iniquam*, quod a correctore libri Bernensis inuentum est,

multa fide praestitit. Erat ab Octauio consule Placentiae praepositus Caelius. Qua Cinnano exercitu capta et senior iam et graui ualitudine adfectus, ne in potestatem hostium ueniret, ad auxilium dexterae Petronii confugit. Quem is ab incepto consilio frustra conatus abstrahere, in isdem perseuerantem precibus interemit, caedique eius suam iunxit, ne eo iacente, per quem omnia dignitatis incrementa adsecutus fuerat, superesset. Ita alterius fato uerecundia. alterius pietas causam praebuit.

6. Iungendus Petronio Ser. Terentius est, quamquam ei, sicut cupierat, pro amico suo perire non contigit. Incepto namque egregio, non inrito euentu aestimari debet, quia, quantum in illo fuit, et ipse extinctus est et D. Brutus periculum euasit mortis. Qui fugiens a Mutina, ut ad se interficiendum ab Antonio missos equites aduenisse cognouit, quodam in loco iustae poenae debitum spiritum tenebris furari conabatur, eoque iam facta inruptione Terentius, fideli mendacio obscuritate ipsa suffragante. Brutum se esse simulauit, et corpus suum trucidandum equitibus obiecit. Verum cognitus a Furio, cui Brutianae ultionis officium mandatum fuerat, nece sua amici supplicium discutere non potuit. Sic inuitus fortuna cogente uixit.

---

1. erant *E.* || ab] b *(sic) C. om. Γ et pr. E.* || 2. Cinnano] *add.* I. P. cassiano *margo A.* cumano *pr. E.* al' ciniano *supra lineam E.* a Cinnano *Torr.* || senio *D.* || 4. dextrae *Torr.* || patronii *Γ.* || 5. eisdem *corr. D.* || perseuerantiae *Γ.* || 6. iunxit] uixit *C.* || quem *om. C.* || 7. dignitatis] *add.* suae *F.* || Ita — (8.) praebuit *om. Γ.* || 8. alterius fato uerecundia] *om. pr. A.* alterius fato magnanimitas *margo A, sed ultima uox in rasura.* || 9. Petronio] postremo *F.* || est] *ante* Petronio *Torr.* || 10. non *om. pr. A.* || 12. euasit mortis] *transposuit suprascriptis lineolis ('— '—) corr. A.* mortis euasit *(Γ) Torr.* || 14. penae *A.* || 15. funerari *Γ et pr. A.* || eaque *F.* || 17. equitibus] militibus *F.* || 18. obiecit] dedit *E.* || brutanae *F et corr. D.* || 20. uixit] iussit *F.*

Accedit quod, si *iniquam* posueris, incommoda, paene dixerim inepta certa illa ac definita demonstratio est, quae fit per *in ea*, cum omnino generalem expectes.

Qua Cinnano exercitu capta) a. u. c. 667. Cf. Liu. epit. libr. LXXX. App. ciu. I, 66. Flor. III, 21, 9.

6. *spiritum tenebris furari conabatur,)* Lipsius *spiritum furari* parum apte dictum iudicans, propter bonorum librorum scripturam *funerari* legendum esse coniecit *foenerari*. 'Lucrari uidelicet', inquit, 'et producere ad tempus latibulo illo spiritum Brutus uolebat.' Quod tamen nec uoluit Brutus nec si uoluisset ita Latine exprimeretur, cum interim furari subtrahendi notione usitatissimum sit. Citauit Perizonius Stat. silu. IIII, 4, 29 *exue curis Pectus et assiduo tenet furare labori*, quo uersu Statius Vergilii illud (V Aen. 845), *Pone caput fessosque oculos furare labori*, imitatus esse uidetur. Cf. Sil. It. XIIII, 561 et X, 74. Senec. Agam. 914.

Verum cognitus) De exitu D. Bruti cf. Val. IX, 13, 3. Drumann gesch. Roms I, p. 357.

Ab hoc horrido et tristi pertinacis amicitiae ad laetum et 7.
serenum uultum transeamus, atque inde eam euocatam, ubi omnia lacrimis, gemitu, caedibus fuerant referta, in eo, quo dignior est, felicitatis domicilio conlocemus, gratia, honore abundantissimisque opibus fulgentem. Orere igitur ab illa, quae sanctorum umbris dicata esse creditur, sede hinc Decime Laeli, illinc M. Agrippa, alter uirorum, deorum alter maximum amicum et certa mente et secundis ominibus sortiti, totumque beatae turbae gregem, qui uestro ductu ueneranda sincerae fidei stipendia laudibus et praemiis onustus peregit, in lucem uobiscum pertrahite. Vestros enim constantis animos, uestra strenua ministeria, uestram inexpugnabilem taciturnitatem proque dignitate

1. tristis *pr. A.* || 2. inde eam] in eam *pr. A.* hinc eam *corr. A.* ab eo *Γ.* eam inde *(F)Torr.* || 5. fulgente *CDEF.* || Orere — *(p. 368, 4.)* operata *om. Γ.* || oriri *EF.* ordiamur *D.* Prodite *Torr.* || 6. sed * *A.* cede *C.* || decimi *ACEF et in rasura D.* || lelli *AC.* lelii *F.* || 7. agrippae *ACDF.* || alter uirorum] alterum uirorum *CDEF et corr. A.* || deorum alterum *ACDEF.* alter deorum *Torr.* || 8. et secundis] et *om. E.* || 11. protrahite *Torr.* || constantes *CDEFTorr.*

7. *Orere igitur)* Optimos codices secutus, a quibus deteriores non ita multum discrepant, restitui quod edebatur ante Pighium *Orere igitur*, cum is e pessimis libris Susiano ac Pulmanniano recepisset *Prodite igitur*. Metaphora inter tot alias, quas sibi permisit Valerius, non ineptissima ducta est a sole uel stellis orientibus. Hortatur autem fulgentissima illa sidera, Laelium et Agrippam, ut relicta umbrosa sede in lucem prodeant. Singularis uerbi numerus duobus personis adiunctus non offendit, cum personae illae addito discrimine aliquo seiungantur atque inter se opponantur, quo facto uerbum singulariter ad alterutram referri posse notum est. Notanda autem imperatiui forma tertiae coniugationis.

Decime Laeli) Haec et sequentia omnia librarius nescio quis foede confudit ac turbauit, uocatiuum casum *Laeli* genitiuum esse arbitratus eique et Decimi praenomen et Agrippae nomen accomodans, deinde *alter — alter* ad *amicum* referens, cum pertineant ad Laelium et Agrippam. Mansit tamen prius *alter* incorruptum in libro Bernensi. Quae cum recte a Pighio ex interpolatis libris emendata sint, inemendabilis restat ipsius Valerii error, quippe qui Gaio Laelio, nam is erat Scipionis amicus, perperam Decimi praenomen tribuit, deceptus fortasse, ut uisum est Torrenio, quod multi inter Laelios Decimi praenomine utebantur. Similiter Laelius et Scipio cum Agrippa et Augusto comparantur a Velleio Paterculo II, 127, 1.

uobiscum pertrahite) Torrenius, cum 'in octo mss. et Moguntina editione' repperisset *pertrahite*, praeferendum tamen censet *protrahite*. Scio res, quae occultae ac latentes in lucem prodire cogantur, protrahi dici, eoque uerbo Valerium saepissime usum esse, (sic I, 5, 8 *ut rapacissimi uictoris insolentiam dicti tumore protraheret*, quod mire augendi notione interpretatur Forcellinius; III, 8, 6 *nescio quibus tenebris protractum portentum*. II, 5, 3. II, 6, 3. IX, 4, 1,). Sed quidni pertrahendi quoque uerbum sententiae conueniat, summo librorum consensu commendatum? Intendit praepositio simplicem trahendi notionem neque quicquam addit quod alienum sit ab hoc loco. Quare non alia significatione hoc exemplo *protrahere* dictum esse opinor atque I, 1, 21. I, 7, ext. 8. V, 3, ext. 3. VI, 9. ext. 7.

et salute amicorum perpetuam excubationem, † testationem beniuolentiam et rursus harum rerum uberrimos fructus posterior intuens aetas in excolendo iure amicitiae qua libentius qua etiam religiosius erit operata.

Ext. 1. Haeret animus in domesticis, sed aliena quoque benefacta referre Romanae urbis candor hortatur. Damon et Phintias. Pythagoricae prudentiae sacris initiati, tam fidelem inter se amicitiam iunxerunt, ut, cum alterum ex his Dionysius Syracusanus interficere uellet atque is tempus ab eo, quo priusquam periret domum profectus res suas ordinaret, impetrauisset, alter uadem se pro reditu eius tyranno dare non dubitaret. Solutus erat periculo mortis qui modo gladio ceruices subiectas habuerat. Eidem caput suum subiecerat cui securo uiuere licebat. Igitur omnes et in primis Dionysius nouae atque ancipitis rei exitum speculabantur. Adpropinquante deinde finita die nec illo redeunte, unus quisque stultitiae tam temerarium sponsorem damnabat. At is nihil se de amici constantia metuere praedicabat. Eodem autem momento et hora *a* Dionysio constituta, eam qui acceperat superuenit. Admiratus amborum animum tyrannus sup-

1. testatiorem *corr. A, Torr.* || 3. intueris *F.* || amicitiae iure *F.* || quam libentius quam *DE et corr. A.* quam libentius tam *Torr. Vid. ad II, 1, init.* || 4. ligiosius *F.* || operta *pr. E.* || 5. Haeret — quoque] Et licet animus in domesticis haereat et aliena tamen *Γ.* || 6. pithias *C.* phitias *E.* phytias *F.* pinchias *D.* pinthias *ΓPar. Vt nos etiam Cic. l. c.* || 7. pithagoricae *A.* || se *om. Γ.* || 8. uixerant *D.* iniunxerunt *E.* || dyonisius *A.* || 11. dubitauit *ACDEFΓ Vinc. Bell. spec. hist. IIII,* 26. dubitarit *Torr. Quod correxi e Par.* || erat] ergo *C.* || 12. ceruices gladio *Torr.* || 14. dyonisius *A.* || 15. deinde] iam *F.* || finita] ficta *F.* definita *(Γ) Torr.* || ullo *F.* || 17. se de] sed *pr. A.* || 18. autem] *add.* modo *D.* || a *om. CDE et pr. A.* || dyonisio *A.* || constituta * *A.* || qui eam *D ΓTorr.* || 19. superuenerat *F.*

† *testationem beniuolentiam)* Sic omnes codices. Emendationem uitiosae scripturae a correctore libri Bernensis temptatam et receptam in uulgatis editionibus, *testatiorem*, probauit Torrenius, hanc ea sententiam effici ratus, licet constantes fuerint eorum animi, strenua ministeria, inexpugnabilis taciturnitas, perpetua excubatio, tamen his omnibus testatiorem et excellentiorem fuisse beniuolentiam. Quae comparatio neque illis uerbis exprimi potuit nulla addita comparatae rei denotatione, cum certe in hac sententia scribendum fuisset *et his omnibus* (uel simile aliquid) *testatiorem beniuolentiam*, neque, si potuisset, ad rem pertineret. Quid enim illud est, quod beniuolentiae affectus ipse testatior fuisse dicitur quam officia, quibus comprobatur ille affectus? Ne Lipsii quidem et Perizonii coniecturae *(testationem beniuolentiae* et *testatiorem beniuolentia)* satisfaciunt. Equidem cum maxime adiectiuum desidero, quo accuratius definiatur beniuolentia, quemadmodum sunt quae reliquis nominibus apponuntur. Vellem igitur maiorem probabilitatem haberet *testatam beniuolentiam.* Nunc me non expedio.

Ext. 1. Cf. Cic. de off. III, 10, 45.

deinde finita die) Nota locutio est *finire diem* pro *certam constituere diem.*

plicium fidei remisit, insuperque eos rogauit ut se in societatem amicitiae tertium sodalicii gradum ultima culturum beniuolentia reciperent. Hascine uires amicitiae? mortis contemptum ingenerare, uitae dulcedinem extinguere, crudelitatem mansuefacere, odium in amorem conuertere, poenam beneficio pensare potuerunt. Quibus paene tantum uenerationis quantum deorum inmortalium caerimoniis debetur. Illis enim publica salus, his priuata continetur. Atque ut illarum aedes sacra domicilia, harum fida hominum pectora quasi quaedam sancto spiritu referta templa sunt.

Quod ita esse rex Alexander sensit. Darei castris, in qui- 2.
bus omnes necessarii eius erant, potitus, Hephaestione gratissimo sibi latus suum tegente ad eos adloquendos uenit. Cuius aduentu mater Darei recreata, humi prostratum caput erexit Hephaestionemque, quia et [in] statura et forma praestabat, more

---

2. sobadicii *pr. A.* sola *CF.* solatii *Γ.* || 3. Hascine — (9.) templa sunt] *om. h. l. Γ, sed in* §. 2 *post uu. (p.* 370, 7.*)* comite suo partitus est *sequuntur haec* O stupendas amicitiae uires, mortis contemptum ingenerare, uitae *etc. usque ad (*13.*)* templa sunt. || Hascine] *sic CE et pr. A.* haccine *corr. A.* heccine *DF.* Hae sane *Torr. Cf. Cic. Verr. V,* 25, 62. || 5. odia *Γ.* || pensare] *add.* regem super humana elatum militi suo coequare *Γ*, *quae pertinent ad proximum exemplum transpositum in hoc codice, ut supra dixi.* || 6. quantum] quam *F.* || 8. domicilia] *add.* sic *DΓ. add.* ita *Torr. Vid. ad III,* 2, 19. || 9. quodam *CEF Torr.* || 10. Quod — sensit] Alexander rex *Γ.* || darii *DEΓ Torr.* || castris in quibus] quibus castris *F.* || 11. potius *pr. C.* || 12. latus] datis *pr. A.* || auentu *E.* || 13. darii *DEΓ Torr.* || prostrata *corr. D.* || Ephestionemque *A.* || 14. et in] ei et *corr. A, Torr.* ei et in *corr. D.* etiam in *E. om. F.* || praestabatur *F.*

Cf. Plin. II h. n. 53, 54. Suet. Octau. 101. Itaque non necessaria erat mutatio uerbi in *definita*, quamuis non negauerim praepositionem *de* facillime excidere potuisse post *deinde*, quemadmodum paulo post praepositio *a* male a librario omissa est propter praecedens *hora*.

2. Cf. Diod. Sic. XVII, 37, p. 188. Curt. III, 12, 16. Arrian. II, 12, 6. *et [in] statura et forma)* Sic boni codices summo consensu et Vincentius Bellouacensis spec. hist. V, 35, cum uulgo ederetur *ei et statura et forma*, quod arbitrarie primus temptauit corrector libri Bernensis. Praestare alicui in aliqua re optimi scriptores dixerunt, ubi de perficiendis rebus extra hominem positis locuti sunt. Cf. Varr. ap. Non. IX, 20 *qui primus in alterutra re praestet alios.* Cic. de inu. II, 1, 1, *Crotoniatae, qui eum* (Zeuxin) *muliebri in corpore pingendo plurimum aliis praestare saepe accepissent.* id. de or. I, 50, 217. *Platonem omnes in illis artibus praestantissimum fuisse fateantur.* Ingenii uero aut corporis qualitates, quibus aliquis aliis praestat, cum praepositione *in* coniunctas non memini legisse, cum interim simplicis ablatiui innumera sunt exempla. Et praeterea, cum statura et forma h. l. non unam notionem efficiant, seiunctae particulis *et — et*, eandem praepositionem alteri quoque nomini addi oporteret *(et in statura et in forma)*, quod fieret parum probabiliter. Itaque non possum quin illud *in* a librario additum esse credam, cui haec dicendi ratio trita fuerit. Datiuum certe pronominis, quem equidem nulla auctoritate munitum omnino deleui, nemo facile desideraueri.

Persarum adulata tamquam Alexandrum salutauit. Admonita deinde erroris per summam trepidationem excusationis uerba quaerebat. Cui Alexander, 'Nihil est', inquit, 'quod hoc nomine confundaris; nam et hic Alexander est.' Vtri prius gratulemur? qui hoc dicere uoluit an cui audire contigit? Maximi enim animi rex, et iam totum terrarum orbem aut uictoriis aut spe conplexus, tam paucis uerbis se cum comite suo partitus est. O donum inclitae uocis, danti pariter atque accipienti speciosum! Quod priuatim quoque merito ueneror, clarissimi ac disertissimi uiri promptissimam erga me beniuolentiam expertus. Nec meo tuo ne parum conueniat mihi Pompeium meum instar esse Alexandri, cum illi Hephaestio suus alter fuerit Alexander. Ego uero grauissimo crimini sim obnoxius, constantis et benignae amicitiae exempla sine ulla eius mentione transgressus, cuius in animo uelut in parentum amantissimorum pectore laetior uitae meae status uiguit, tristior adquieuit; a quo omnium commodorum incrementa ultro oblata cepi; per quem tutior aduersus casus steti; qui studia nostra ductu et auspiciis suis lucidiora et alacriora reddidit. Itaque paui inuidiam quorundam optimi amici iactura, uidelicet quia fructu torseram, non quidem meo merito, gratiam meam, quantacumque fuit, cum his qui ea uti uoluerunt partitus. Verum nulla tam modesta felicitas est, quae malignitatis dentes uitare possit. Et quo secessu quosdam fu-

4. confunderis *D.* || Vtri — (7.) partitus est] *transposuit haec post u.* (8.) speciosum *Γ*, *sed habet ibi* Vtri enim prius. || 5. uoluerit *pr. A.* noluit *E.* || contingit *F.* || enim] quippe *Γ.* || 6. et iam] etiam *ACDEF Torr. Correxit Perizonius, et sic Γ.* || 8. O donum — (10.) expertus *om. pr. E.* || inclytae *corr. A.* || ac *E.* et *F.* || 9. Quod priuatim — (*p.* 371, 6.) uiderit *om. Γ.* || 10. mutuo *C.* || 12 illi] et illi *coniecit Periz.* || ergo *D.* || 13. grauissimo *om. F.* || sum *E.* || 14. ulla *om. F.* || 15. pectorum *pr. A.* || lectior *F.* || uitae mestatus *pr. A.* || 16. commodorum] *post* incrementa *Torr.* accommodorum *F.* || 17. ultra *pr. A.* || tutor *C.* || 18. lucidiora *om. pr. C.* || 20. quia] quod *F.* || fructum *ADF.* || 21. fuerit *F.* || qui ea] quieta *pr. A.*

qui hoc dicere uoluit) Fateor me non plane intellegere illud *uoluit*, neque percepisse umquam, quo modo ad hanc rem pertineat regis dicendi uoluntas. Suspicor autem Valerium, hoc quoque loco dicendi genere usum, quo nimium quantum delectatus est, scripsisse *qui hoc dicere ualuit*, i. e. qui adeo magnanimus erat, ut praeclara illa ederet uerba. Sic III, 1, 1 composuit *spolia rapere ualuit*, III, 2, 4 *imitari Romulum ualuit*, II, 7, 6 *ad hoc peragendum imperium paternae uocis ministerio sufficere ualuisti* etc., quibus locis perpetua in deterioribus codicibus librariorum fluctuatio est inter uerba *ualere* et *uelle*. Sed etiam in optimis quibusque libris IX, 3, 4 *diuidere uoluit* legitur pro *diuidere ualuit*.

Pompeium meum) Cf. praef. p. 4 et seqq.

geris aut quibus infulis misericordiae permulseris, ne alienis malis perinde ac bonis suis laetentur et gestiant? Diuites sunt aliorum iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus. Sed illi quatenus alienis incommodis suorum adhuc expertes insultent, optima uindex insolentiae, uarietas humanae condicionis uiderit.

DE LIBERALITATE.

Nostrum opus pio egressu ad proprium dolorem prouectum in suum ordinem reuocetur, liberalitatisque conmemorationi uacemus. Cuius duo sunt maxime probabiles fontes, uerum iudicium et honesta beniuolentia. Nam cum ab his orietur, tunc demum ei ratio constat. Dono autem ipsi gratiam et magnitudo quidem sua, sed efficaciorem aliquanto opportunitas conciliat. Accedit enim pretio rei inaestimabile momentum occasionis. VIII. 1.

Quae Fabio Maximo tot ante saecula paruam pecuniae summam erogatam ad hoc usque tempus laudabilem fecit. Captiuos ab Hannibale interposita pactione nummorum receperat. Qui cum a senatu non praestarentur, misso in urbem filio fundum, quem unicum possidebat, uendidit, eiusque pretium Hannibali protinus numerauit, si ad calculos reuocetur, paruum, utpote septem iugeribus et hoc in Pupinia addictis redactum, si animo

2. et] ac *Torr.* || 3. aliorum] alienis *F.* || 4. quantus *F.* || 8. Nostrum — (9.) liberalitatisque] Nunc liberalitatis *Γ.* || propriam *CEF.* || dolorem] *sic D et ut uidetur pr. A.* ardorem *(sed litt.* ard *in rasura) corr. A.* rem *CEF.* || prouentu *F.* || 9. in *om. C.* || libertatisque *A.* || 10. sunt duo *F.* || 11. oritur *DΓTorr.* || tunc] tum *CE.* || ei demum *F.* || 12. gratia *AE.* || 13. efficacius *D.* || aliquando *pr. A.* || consiliat *D.* || 15. fabium maximum *EF et corr. A, Torr.* m. fabium *Γ.* || parua * *A.* paruae *E.* ob paruam *Torr.* || summa* erogata* *A.* || 17. a * hannibale *Γ.* || 19. quam *F.* || unicum] *add.* I. P. similiter *margo A.* unicam *F.* || protinus hanibali *F.* || 20. paruulum *F.* || 21. hoc *om. F.* || puppiniam *Γ et pr. A.* puppinia *D et corr. A.* punia *C.* pupina *F. Cf. IIII,* 4, 4.

VIII. *et magnitudo quidem sua, sed efficaciorem)* Pighius codices Pulmanni ac Susii secutus copulam *et* tamquam superuacuam deleri iussit, cui Vorstius recte oblocutus est, cum diceret *et* h. l. esse pro *etiam.* Nam inter alias res magnitudo quoque sua dono gratiam conciliat, sed maiorem opportunitas. Quam sententiam Valerius insequentis exempli respectu inseruit.

1. Cf. Liu. XXII, 23. Plut. Fab. Max. 7. Auct. de uir. ill. 43.

animo erogantis) Quod omnes fere libri tradunt, *praerogantis*, in hoc nexu intellegi nequit. Etenim paucis illis, ubi legitur, ICtorum locis pecuniam prae-

erogantis, omni pecunia maius. Se enim patrimonii quam patriam fidei inopem esse maluit, eo quidem maiore cum commendatione, quod proni studii certius indicium est supra uires niti quam uiribus ex facili uti. Alter enim quod potest praestat,
2. alter plus etiam quam potest. Itaque eiusdem temporis femina, Busa nomine, regionis autem Apulae ditissima, merito quidem liberalitatis testimonium receperit, sed excellentes opes suas Fabianis rei familiaris angustiis non conparauerit. Nam etsi circa $\overline{X}$ ciuium nostrorum, Cannensis proelii reliquias, benignissime intra Canusina moenia alimentis sustentauit, saluo tamen statu fortunarum suarum munificam se populo Romano praestitit; Fabius in honorem patriae paupertatem inopia mutauit.
3. In Quinto quoque Considio saluberrimi exempli nec sine paruo ipsius fructu liberalitas adnotata est. Qui Catilinae fu-

1. praerogantis *ACEF*. prorogantis *Γ*. || pecuniam *pr. A*. || maius] mariu *F*. || patriae *D*. || 2. eo] et *E*. || cum] * * *Γ. om. Torr.* || 3. stadii *F*. || 4. facile *F*. || 5. etiam plus *EF Torr.* || §. 2 *om. Γ*. || Itaque] Ita *E*. || 6. bussa *E*. || autem *om. F*. || epulae *pr. C*. apuliae *D Torr.* apulee *EF*. || 8. comprobauerit *E*. || 9. X *AEF et pr. C*. decem milia *D et corr. C. Torr.* || benignissimi *pr. A*. benignissimis *corr. A*. || 10. canusiam *F*. || moenia *om. pr. E*. || 11. populo Romano] r. p. *F*. || 12. Fabius] *add.* quoque *corr. D*. || honore *A et pr. D*. || 13. §. 3 *om. Γ*. || 14. catelinae *pr. A*. catalinae *F*.

rogare denotat erogare pecuniam antequam praestitum sit quod pro ea dare facere oportet, idque nunc 'praenumerando' soluere dicere solemus. Cf. Vlp. XIX dig. 2, 19. cod. Iust. X, 31, 20. Inepte prorsus Rutgersius I uarr. lectt. 18 praepositionem ortam existimat e compendio *P. R.*, i. e. populo Romano. At ne Torrenius quidem probabilius pro ea adiectiuum *pio* substituere conabatur. Non dubito quin auctor, eodem composito usus quo supra, scripserit *erogantis*; causam corruptelae nondum perspexi. Neglegentius autem Valerius, cum sententiam incepisset *si ad calculos reuocetur*, his opponit *si animo erogantis*, ubi *animum* ponendum esse falso coniecit Lipsius. Vidit Torrenius in altera oppositionis parte e priore uerbo *reuocetur* supplendum esse *aestimetur* uel *censeatur*.

2. Cf. Liu. XXII, 52.

Itaque eiusdem temporis) Recte Perizonius animaduertit coniungendum esse hoc exemplum cum priore, cui instituta comparatione opponitur pariter atque illa, quae IIII, 6, 1 de Admeto, IIII, 7, 4 de Theseo, III, 2, 22 de Cynaegiro externa inter Romana exempla narrantur. Aliter enim eodem iure externis hoc inserere debuisset auctor, quo illud de Spurinna iuuene IIII, 5, ext. 1, de Iubellio Taurea III, 2, ext. 1, de Blassio III, 8, ext. 1 aliaque nonnulla in externis collocauit.

regionis autem Apulae) Ita posui optimos codices Bernensem et Berolinensem secutus, cum uulgo *Apuliae* ederetur. Eodem modo dixit *Picenae regionis* V, 3, 4, *Sabinae regionis* II, 4, 5, *Atticae regionis* V, 3, ext. 3 et V, 6, ext. 1. Paulo post cum in archetypo excidisset lineola supra *X*, millenarium numerum indicans, grammatici addiderant *milia*. Ceterum Liuius quattuor tantum milia militum et ducentos equites post Cannensem cladem Canusium perfugisse tradidit.

3. *In Quinto quoque Considio)* Meminit huius Q. Considii Galli Cicero in XII epp. 26, 1. ad Att. I, 12, 1. II, 24, 4. in Verr. I, 7, 18.

rore ita consternata re publica ut ne a locupletibus quidem debitae pecuniae, propter tumultum pretiis possessionum deminutis, solui creditoribus possent, cum centies atque quinquagies sestertii summam in fenore haberet, neque de sorte quemquam debitorum suorum neque de usura appellari a suis passus est, quantumque in ipso fuit, amaritudinem publicae confusionis priuata tranquillitate mitigauit, opportune mirificeque testatus se nummorum suorum, non ciuilis sanguinis esse feneratorem. Nam qui nunc praecipue negotiatione delectantur, cum pecuniam domum cruentam retulerunt, quam inprobando gaudio exultent cognoscent, si diligenter senatus consultum, quo Considio gratiae actae sunt, legere non fastidierint.

Queri mecum iam dudum populus Romanus uidetur, quod, 4.
cum singulorum munificentiam consecter, de sua taceam. Ad summam enim eius laudem pertinet quem animum regibus et urbibus et gentibus praestiterit recognosci, quod omne praeclari facti decus crebra memoria in se ipso reuirescit. Asiam bello captam Attalo regi muneris loco possidendam tradidit, eo excelsius et speciosius urbi nostrae futurum imperium credens, si ditissimam atque amoenissimam partem terrarum orbis in beneficio quam in fructu suo reponere māluisset. Ipsa uictoria donum felicius, quia multum occupasse inuidiam habere potuit, tantum tribuisse gloria carere non potuit.

Illius uero Romanae liberalitatis caelestem spiritum nullae 5.
litterae satis dignis laudibus prosequentur. Philippo enim Macedoniae rege superato, eum ad Isthmicum spectaculum tota

2. diminutis *DF Torr.* || 4. sestercii *A.* sextercii *EF.* || faenore *APar. Cf. II,* 6, 11. *VIII,* 2, 2. || quamquam *C.* || 5. a suis appellari *Torr.* || 7. se] *post* sanguinis *Torr.* || 8. faeneratorem *A.* || Nam] Iam *Torr.* || 9. negotiationi *A.* || cruentam domum *Torr.* || 10. retulerint *Torr.* || gladio *pr. A.* || 11. recognoscent *Torr.* || consilio *CF.* || 13. Queri — (17.) reuirescit *om. Γ.* || iam dudum] *om. pr. D.* iam *corr. D.* || 14. consectetur *pr. C.* || 16. et gentibus *om. E.* || praestitit *CDF.* || cognosci *corr. D.* || quod] quia *in rasura D, Torr.* || 17. renitescit *E.* || 18. loco] *add.* pl's. r. (*i. e.* populus Romanus) *Γ.* || possidendam] *ante* muneris *F.* || 19. urbis *(Γ) Torr.* || credens futurum imperium *F.* || 20. ac *F.* || 21. maluissent *Γ.* || 22. quia] qm̄ (*i. e.* quoniam, *sed* n̄ *in rasura) A.* || inuidiam] *post* habere *Torr.* || habere potuit] habuit *C.* || 23. tantum — non potuit *om. C et pr. D.* || 24. uerae *pr. A.* uere *corr. A.* || 25. Macedonum *Par. Torr.* || 26. rege] *ante* Macedoniae *F.* || ichimum *F.* isthimcum *Γ.* id tam mirum *Par. D et in rasura A.*

4. *Asiam bello captam Attalo*) Cf. Cic. pro Sest. 27, 58. Atquin Eumeni, non Attalo data est Asia cis Taurum, de quo Ciceronis et Valerii errore uid. commentarium nostrum ad V, 2, ext. 3.

5. Cf. Polyb. XVIII, 29. Liu. XXXIII, 32. Plut. Flamin. 10.

Graecia conuenisset, T. Quintius Flamininus tubae signo silentio facto per praeconem haec uerba recitari iussit: S. P. Q. R. et T. Quintius Flamininus imperator omnes Gracciae urbes, quae sub dicione Philippi regis fuerunt, liberas atque inmunes esse iubet. Quibus auditis maximo et inopinato gaudio homines perculsi, primo ueluti non audisse se quae audierant credentes obticuerunt. Iterata deinde pronuntiatione praeconis, tanta caelum clamoris alacritate conpleuerunt ut certe constet aues, quae superuolabant, adtonitas pauentesque decidisse. Magni animi fuisset a tot captiuorum capitibus seruitutem detraxisse, quot tunc nobilissimis et opulentissimis urbibus populus Romanus libertatem largitus est. Ad cuius maiestatem pertinet non solum quae ipse benigne tribuit sed etiam quae alio tribuente sensit commemorari. Vt enim illic commemoratae, ita hic redditae laudis commendatio est.

Ext. 1. Hiero, Syracusarum rex, audita clade, qua Romani apud Thrasymenum lacum erant adflicti, CCC milia modium tritici et CC hordei aurique ducenta et XL pondo urbi nostrae muneri misit. Neque ignarus uerecundiae maiorum nostrorum, ne nollent

1. gratia * *A.* || quintus *CDEFPar. et pr. A.* || flaminius *EPar.* flamineus *F.* || turbae *C.* || 3. quinctius *A.* quintus *CDEFPar.* || flaminius *EPar.* flamineus *F.* || 4. dicione] actione *F.* || regis philippi *EF.* || liberat *corr. D.* || 6. ueluti *om. F.* || audeꝛ *pr. A.* audieꝛ *corr. A.* audierunt *CEF.* || 7. tantam *A.* || 8. compullerunt *E.* || certo *FΓTorr.* || 9. cecidisse *E.* || Magni animi] magis cum *F.* || fuisse *ACDEF.* fuit *Γ.* || 10. traxisse *E.* || quot — (14.) commendatio est *om. Γ.* || quot] *in rasura E.* quod *CDF et pr. A.* quid quod *corr. A.* || tunc *om. E.* || 11. et] atque *D.* || populus romanus urbibus *D.* || 12. Ad] id *F.* || quae ipse] quod *E.* || 13. quod alio *E.* || Vt enim — (14.) commendatio est *om. DF.* || 14. commendationest *pr. A.* commendaciones *CE.* || 15. syracusanus *CEF.* syracusanorum *ΓTorr. Cf. VII, 4. ext.* 1. || 16. thrasymennum *APar.* transimenum *DEF.* || modium] m * * * *(suprascripto o) corr. A. incerta pr. A.* modia *D. om. Par.* || et CC] *sic F et pr. A.* et $\overline{cc}$ *corr. A.* $\overline{xx}$ *pr. C.* et $\overline{xx}$ *corr. C.* et cccc *D.* ducenta *(omisso* et) *E.* ducenta milia *(omisso* et) *ΓTorr.* et ducenta *Par.* || ordei *A.* || 17. XL] * l *A.* || munere *(ultima litt. in rasura) A.* numari (?) *D.* || 18. nostrorum] *in rasura A.* || ne] ne id *in rasura A, sed* id *punctis notatum.* quod illi *E.* quia *Γ.*

Vt enim illic) Recte enarrat Perizonius ita loqui Valerium in transitu ad externa, quia ipse ut Romanus insequenti exemplo reddat laudem Hieroni, cum supra commemorauerit laudem populi Romani. At manet nihilo minus incommoda oppositio inter commemoratam et redditam laudem, cum et ipsum illud reddere laudem nihil aliud sit quam commemorare externam liberalitatem. Quo cum accedat ut parum uenuste iterum in commemorandi uerbum inciderit, sine dubio melius pro *commemoratae* scripsisset *meritae.* Neque tamen ideo sollicitandum puto ueterum librorum testimonium. Saepius enim iam uidimus Valerium in perpetuo illo contortae atque artificiosae orationis studio non semper ab inconcinnitate et neglegentia cauisse.

Ext. 1. Cf. Liu. XXII, 37, qui Victoriam auream pondo trecentum uiginti missam esse refert. Iul. Paris contra ex pondo CCL eam factam dicit.

accipere, in habitum id Victoriae formauit, ut eos religione motos munificentia sua uti cogeret, uoluntate mittendi prius, iterum prouidentia cauendi ne remitteretur liberalis.

Subnectam huic Acragantinum Gillian, quem propemodum 2. ipsius liberalitatis praecordia constat habuisse. Erat opibus excellens, sed multo etiam animo quam diuitiis locupletior semperque in eroganda potius quam in corripienda pecunia occupatus, adeo ut domus eius quasi quaedam munificentiae officina crederetur. Illinc enim publicis usibus apta monumenta extruebantur; illinc grata populi oculis spectacula edebantur; illinc epularum magnifici apparatus labentique annonae subsidia oriebantur. Et cum haec uniuersis, priuatim alimenta inopia laborantibus, dotes uirginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum incursu quassatis erogabantur. Hospites quoque cum urbanis penatibus tum etiam rusticis tectis benignissime excepti, uariis muneribus ornati dimittebantur. Quodam uero tempore D simul Gelensium equites ui tempestatis in possessiones suas conpulsos aluit ac uestiuit. Quid multa? Non mortalem aliquem, sed propitiae fortunae benignum esse diceres sinum. Ergo quod Gillias possidebat omnium quasi commune patrimonium erat, pro cuius salute et incrementis cum Acragantina ciuitas tum etiam uicinae

---

1. firmauit *F.* || 2. sua *om. Torr.* || cogeret uti sua *F.* || uoluntatem *pr. A.* || 4. agrigentinum *CEFPar. et corr. A, Torr.* agragantinum *Γ.* || Gillian] *sic pr. A et corr. C.* callian *Par. et corr. A.* gallian *pr. C.* gilliam *DEFTorr.* gyllium *Γ.* || 7. corripienda] contrahenda *Torr.* || 9. illic enim *F.* || munimenta *E.* || 10. populi] pupillis *ACD.* publicis *Γ et Ioann. Saresb. Policr. VIII, 4, p. 540 ed. Lugd.* — *add.* l' pupillorum *margo A.* || 11. latentique *CF.* || 12. hoc *F.* || inopia *om. F.* || 14. cum] tum *DEΓTorr. Vid. ad II, 2, 8.* || 16. gellecium *E.* || 17. ac] et *DΓ.* || 18. Quid multa *om. Γ.* || 19. benignissimum *E.* || 20. omnium] *post* erat *F.* || communem *pr. A.* || 21. cum] tum *ACDEFΓTorr. Vid. ad II, 2, 8.* || agragentina *D.* agragantina *Γ.* agrigentina *CEF et corr. A, Torr.* || etiam *om. F.*

---

2. Cf. Timaeus ap. Diod. Sic. XIII, 83 p. 608. Athen. I, 3. Suid. u. *Ἀθηναῖος.*

Acragantinum Gillian) A Diodoro Gellias uocatur, eademque forma sine dubio Athenaeo et Suidae, quorum libri *Τελλίαν* produnt, et fortasse etiam Valerio Maximo reddenda est. Iul. Paridis compendium et ex eo interpolatum Bernense exemplar Calliam cum appellant. Ceterum Graeca forma *Acragantinum*, quam eiusdem codicis Bernensis antiqua scriptura et hoc loco seruauit et paulo post, usus etiam est Lucretius I, 716, ubi Lachmannum cum Marullo recte *Acragantinus* posuisse credo, qui adnotauit Silligium in Plin. n. h. XXXV §. 62, 64, 179 scripsisse *Agragentinum*. Idem Silligius urbis nomen III, 8, 14, 89 e codice Riccardiano edidit *Agragas*. Dubito num recte.

regiones uotis excubabant. Conloca e contraria parte arcas inexorabilibus claustris obseratas, nonne praestantiorem aliquanto existimes illam inpensam quam hanc custodiam?

1. conloca a e *(sed* e *in rasura) A.* collocato *(omisso* c*) CEF.* colloco e *DΓ.* Colloca ex *Torr.* || 2. obsecratas *C.* obseruatas *F.* || existimem *Γ.*

Conloca e contraria parte) Quod nos posuimus est ab emendatore libri Bernensis, cum in archetypo fuerit *conlocato*, omissa praepositione *e*, quae nullo modo abesse potest. Cogitauerit aliquis scribendum esse *conloca tu*; sed apud indefinitum subiectum, quale est in his imperatiuis et in altera coniunctiui persona (*existimes*), nescio an pronomen constanter omiserint ueteres scriptores. Error mihi natus esse uidetur e *conlocate*, illud e *conloca e*.

VALERI MAXIMI

FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM

LIBER QVINTVS.

DE HVMANITATE ET CLEMENTIA.

Liberalitatis quas aptiores comites quam humanitatem et cle- I.
mentiam dederim, quoniam idem genus laudis expetunt? Quarum
prima inopia, proxima occupatione, tertia ancipiti fortuna prae-

1. VALERI — (3.) QVINTVS] VALERI (Valerii *C*) MAXIMI FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM LIB̄ IIII EXPL̄ INCIPIT LIBER V. *AC.* Explicit liber quartus incipit lib. quintus *DF.* Valerii maximi uiri clarissimi expl. lib. IIII incipit quintus *F. om. Γ.* || 2. ET DICTORVM] DICTORVMQVE *Torr.* || 4. ET] AVT *AF.* || 5. Liberalitati • *A.* Liberalitati *DE.* || 6. quoniam] quia *D.*

1. *Liberalitatis quas aptiores comites)* Edebatur ante nos *Liberalitati.* De genitiuo illo dubitari posse concedo; reici optimis quibusque libris confirmatum non licebit. Poterat enim et coniunctis substantiuis haec efferre Valerius, quemadmodum Cicero scripsit II de fin. 9, 27 *Qualis ista philosophia est, quae non interitum adferat prauitatis?* uel quemadmodum dixerunt *imperium abrogare alicuius,* praesertim cum dandi uerbum interdum absolute positum sit pro referre, citare, nominare. Cf. Cic. Verr. III, 77, 180. Coniunctorum nominum, quorum alterum dandi casu uerbo potius adiungi expectares, multa exempla congessit Madvigius ad Ciceronis II de fin. l. c. p. 195. Quibus durius esse hoc, de quo agimus, nolim infitiari; sed uidentur sibi talia permisisse ueteres scriptores negligentia quadam et celeritate scribendi. Aliter certo ne illud quidem defendi poterit, quod Liuius III, 59, 1 composuit, *inhibito salubriter modo nimiae potestatis,* cum proprie potestatis modus non inhibeatur, ut recte animaduertit Madvigius. Itaque retinui quod traditum est codicibus.

prima inopia, proxima occupatione) Non iniuria ablatiui illi insolentissimi, *inopia, occupatione, ancipiti fortuna* dubitationem excitarunt Guyeto et Perizonio, qui tamen dandi casum substituendum esse parum probabiliter coniecerunt; Torrenio parum negotii praebuerunt, monenti praepositionem *in* subintellegi posse et citanti I, 5, ext. 2 *omnibus proeliis* et ibi I, 5, 7 *Philippensi acie* et IIII, 2, 7 *iudicio*, quod uult esse pro *in iudicio*, cum sit manifesto tertius casus, nec si esset sextus, ad hanc rem pertineret. Atqui uel puerulis nunc notum est temporis denotationes adiectiuo aut pronomine adiecto, praesertim si eo certum tempus describatur, ablatiuo casu sine praepositione *in*

statur, cumque nescias quam maxime probes, eius tamen commendatio praecurrere uidetur, cui nomen ex ipso numine quaesitum est.

1. Ante omnia autem humanissima et clementissima senatus acta referam. Qui, cum Karthaginiensium legati ad captiuos redimendos in urbem uenissent, protinus his nulla pecunia accepta reddidit iuuenes, numerum duum milium et septingentorum

1. nesciam *D.* || probem *D.* || 2. procurrere *C.* || 4. acta senatus *F.* || 5. kartaginiensium *A.* || 7. numerum] *post* milium *D.* numero *EF.* || duorum *E.* || et *om. F.*

efferri solere. Itaque ne illis quidem exemplis h. l. utar, compositis in commentario nostro ad V, 2, 1, quibus Valerius ad statum denotandum condicionemque, qua quis uersatur, simplicem ablatiuum insolenter posuit omissa praepositione, quia in his quoque adiectiuum accedit et status denotatur personae actioni subiectae, quod fit etiam VIII, 13, ext. 1, ubi insolentius scriptum est *nihil omnino ex his operibus, quae adulescens sustinere adsueuerat, quo minus senectute ageret, omisit.* Cf. Madu. gramm. §. 276. n. 2. p. 248. Quorum neutrum in hoc exemplum cadit. Restat ut contra receptam ueterum consuetudinem sextum casum positum statuamus in describendo tempore indefinito, quemadmodum aliquotiens uerba *bello, pace* et alia nonnulla adhibentur sine praepositione, ubi nos dicimus in kriegs- in friedenszeiten. Cf. Cic. de off. II, 5, 16. Liu. VIII, 35. Sic Valerius VII, 3, ext. 6 *comitiis* nullo apposito adiectiuo scripsit pro *in comitiis.* Non minorem offensionem habet occupationis uocabulum, quod ab Ascensio mire per *praeuentione, oppressione* explicatum, suspectum erat Guyeto, tacentibus ceteris enarratoribus praeter Torrenium. Is, 'Quid ni', inquit, '*occupatione* intellegamus *in negotiis?* humanus enim est qui eam caritatem in omni negotio alteri praestat, quam homo homini debet'. Et denotat sane occupatio habitum animi grauioribus curis et negotiis districti atque solliciti. Cf. Caes. b. c. III, 22, 4, *magnarum initia rerum, quae occupatione magistratuum et temporum sollicitam Italiam habebant.* Liu. X, 45, 3. Qua notione si neque omnes humanitatis praestandae occasiones comprehenduntur neque discrimen inter clementiam et humanitatem satis accurate exponitur, uide ne ea culpa non tam librariis quam Valerio tribuenda sit, qui in primis in his capitum prooemiis leuibus eiusmodi distinctionibus delectatus est, neque omnino in sequentibus exemplis clementes actus ab humanis discreuit. Mendum si esset, equidem certe nec causam ullam perspicerem nec remedium haberem corruptelae.

cui nomen ex ipso numine) Facile apparet eam uirtutem, cuius commendatio praecurrere dicitur, liberalitatem esse, de qua praecedenti capite egerat, cuique tamquam comites adiunguntur nunc humanitas et clementia, atque adeo numen, a quo illa appellationem traxerit, Liberi patris significari. Quam ob causam male Glareanus et Colerus, de humanitate Valerium cogitasse arbitrati, pro *numine* legi iusserunt *homine.* Sed multo peruersius Kappius de clementia interpretatus, eam nomen a Clementia dea accepisse reliquis enarratoribus persuasit. Fateor ne illam quidem liberalitatis deriuationem a Libero patre lepidissimam esse, quamuis nihil impediat quominus Valerii eam credamus; hoc neutiquam potuit pronuntiare, clementiae nomen a dea Clementia quaesitum esse. Neque etiam, ut supra monuimus, huius commendatio praecurrit, sed liberalitatis. Verum iam dudum ueteres interpretes, Omnibonus Leonicenus Oliuerius, Ascensius, alii perspexerant.

1. *duum milium et septingentorum quadraginta trium)* Hunc numerum unde hauserit Valerius nescio. Neque tamen dubito quin de captiuis secundi Punici belli fine Poenus sine pretio redditis cogitauerit, de quibus Liuius XXX, 43

quadraginta trium † expletissimos rerum. Tantum hostium exercitum dimissum, tantam pecuniam contemptam, tot Punicis iniuriis ueniam datam! Ipsos legatos obstipuisse arbitror ac secum dixisse 'O munificentiam gentis Romanae deorum benignitati aequandam! O etiam nostram legationem supra uota felicem! nam quod beneficium numquam dedissemus, accepimus.'

Illud quoque non paruum humanitatis senatus indicium est. Syphacem enim, quondam opulentissimum Numidiae regem, captiuum in custodia Tiburi mortuum publico funere censuit efferendum, ut uitae dono honorem sepulturae adiceret.

1. quadraginta trium] XLV *Par.* || expletissimos rerum] explentes uerum *(litt.* ntes uerum *in rasura) A.* explentes. Verum *Torr.* explentes uero *D.* explectissimos rerum *E.* expletissimis rerum *Γ.* || exercitum hostium *F.* || 2. tot] et tot *E.* || 3. obstupuisse *DEFΓ Torr. Cf. VI,* 2, 10. || 4. O] e *D.* || deorum] dicere *F.* || 5. O] et *D.* || nostram *om. F.* || uota] *add.* nostra *F.* || 6. beneficium quod *F.* || 7. parum *C et pr. A.* || 8. sipacem *C et pr. A.* syfacem *corr. A* || enim] *om. F.* etiam *Γ.* || 9. in custodia *om. Γ.* || 10. offerendum *F.*

retulit. Sed hic ducentos tantum fuisse scripsit. Vereor igitur ne auctor plus iusto in maius extulerit rem, quam, si tantam comprobasset senatus clementiam, alios scriptores silentio praetermissuros non fuisse persuasum habeo.

† *expletissimos rerum)* Defendit hanc archetypi codicis scripturam, quae certe olim in Bernensi quoque libro erat, Perizonius, mutato tamen cum recentioribus quibusdam libris *numerum* in *numero*, eaque significari putat captiuos nequaquam spoliatos fuisse, sed rebus necessariis instructissimos. Quam explicationem omnes deinde acceperunt Valerii enarratores. Equidem quominus assentiar duae cum maxime obstant causae. Primum enim *expletissimos rerum*, siquidem omnino Latine dici potest, longe aliud significet necesse est quam *instructissimos rebus*. Deinde ablatiuus *numero*, cum aduerbiorum more apponitur numeralibus, numquam eorum casum ita afficit, ut genitiuus poni possit pro eo casu, quem flagitat sententiae constructio. Quapropter saltem scribendum fuisset *numero duo milia et septingentos quadraginta tres*. Quae cum ita sint, ipsa illius numeri forma adducor ut genuinum putem *explentes*, quod iam in Bernensi codice recentior manus corrigendo effecit, uel potius prisca scribendi ratione *explentis*. Idque egregie confirmat Iulii Paridis epitome, quae leuiter tantum discrepans exhibet *captiuos — — reddidit numerum ↀ ↀ DCCXLV explentis*. Quod autem illud *explentes* Perizonio displicet et uehementer frigere uidetur, cum de numero tam exacte definito loquatur auctor, oblitus est plane similis exempli Valeriani II, 5, 3, *pars capitali iudicio damnatae centum et septuaginta numerum expleuerunt*. Iam uero quid in sequentibus litteris *simos rerum* lateat non habeo dicere. Aduersatiuam particulam *uerum*, quae item a correctore libri Bernensis profecta, in impressa exempla recepta est a Pighio, ferri non posse recte perspexit Perizonius. Desidero equidem sententiam, a qua pendeant accusatiui illi *tantum hostium exercitum dimissum*, *tantam pecuniam contemptam* etc., qui uulgo a uerbo *obstipuisse* regi credebantur, cum id infima demum aetate actiuorum more cum accusatiuo aut accusatiuo cum infinitiuo coniunctum esse uideatur. Cf. Tert. carm. de iudicio dom. 360. Cassiod. uar. II. 39. Sine dubio noua sententia incipit uerbis *Ipsos legatos obstipuisse arbitror*, absolute positis ut VI, 2, 10 *Obstipuerunt tot legiones*. Verborum, de quibus probabiliter supplendis me desperare praedixi, haec fere fuerit sententia, *Fidem excedit ueritatis tantum hostium exercitum dimissum*.

Syphacem enim) Cf. Liu. XXX, 45, 4.

Consimilique clementia in Persa usus est. Nam cum Albae, in quam custodiae causa relegatus erat, decessisset, quaestorem misit, qui eum publico funere efferret, ne regias reliquias iacere inhonoratas pateretur.

Hostibus haec et miseris et fato functis officia [regibus] erogata, illa amicis et felicibus et uiuis tributa sunt. Confecto Macedonico bello Musochanes Masinissae filius cum equitibus, quos in praesidium Romanorum adduxerat, ab imperatore Paulo ad patrem remissus, tempestate classe dispersa Brundisium aeger delatus est. Quod ubi senatus cognouit, continuo illo quaestorem ire iussit, cuius cura et hospitium adulescenti expediretur et omnia, quae ad ualitudinem opus essent, praeberentur inpensaeque liberaliter cum ipsi tum toti comitatui praestarentur, naues etiam ut prospicerentur, quibus se bene ac tuto cum suis in Africam traiceret. Equitibus singulas libras argenti et quingenos sestertios dari imperauit. Quae tam prompta et tam

1. consimilique] que *om. C et pr. E.* || Perse *Torr. Vid. ad I,* 5, 3. || in qua *DEΓ Torr.* || 3. reliquias regias *Torr.* || 5. Hostibus — (6.) sunt *om. Γ.* || haec et] haec *F.* || regibus] *sine uncis Torr.* || 6. irrogata *F.* || 7. musophanes *Par. et litt.* phanes *in rasura A.* musachanes *CDΓ.* musacanes *EF.* Musicanes *Torr.* || Masinissae] *add.* regis *D.* || 8. quos] equos *F.* || 9. brondusium *C.* brundisium *EFΓ Torr. Vt nos Par. Cf. III,* 7, 9. *VI,* 6, 5. *IX,* 8, 2. || 10. illuc *D.* || 12. praeberent *CE.* || 13. cum] tum *CDEFΓ.* || comitati *Γ.* || 14. ut] ei *corr. A.* || 15. quingentos *EF.* quinquagenos *Γ.* || 16. sextercios *EΓ.* sexternos *F.*

Consimilique clementia in Persa) Cf. Diod. exc. Phot. 2. p. 516. ap. Dind. II, 2, p. 37. Plut. Paul. 37.

officia [regibus] erogata) Regibus suspectum erat Perizonio et Torrenio, nec 'praeter rem', ut iudicat Kappius, sed optimo profecto iure. Neque enim inter omnes illas diuersarum condicionum denotationes, quarum singulae singulis opponuntur, *(hostibus — amicis; miseris — felicibus; fato functis — uiuis),* ad unam tantummodo fato functorum referri poterat regiae dignitatis significatio, quae aeque certe ad miseros pertineret, neque si ad omnes istas condiciones retuleris, quod in hac uerborum positione fieri necesse est, cum *hostibus* conuenit *regibus*, ne dicam de eo quod male ita senatus erga Karthaginienses clementia hoc loco non comprehenderetur. Itaque non dubito quin recte de glossa senserit Perizonius, qua deleta omnia multo melius procedunt. Atque idem illud *regibus* mire eodem modo septimo quoque huius capitis exemplo ab interprete additum inter Valerii uerba irrepserat.

Confecto Macedonico bello) Cf. Liu. XLV, 14.

Musochanes) Hanc nominis terminationem in Bernensi quoque codice fuisse antequam e Paridis compendio interpolaretur e consensu reliquorum librorum colligitur. In prioribus autem duobus syllabis primaria Bernensis et Paridis testimonia tam insigniter conspirant, ut ab his quidem discedere non liceat, quamuis in XLII et XLV Liuii, qui solus praeter Valerium, quod sciam, de hoc Masinissae filio mentionem fecit, constanter Misagenes nunc uocetur.

naues etiam ut prospicerentur) Nescio quid summum Perizonium adduxerit ut ante *equitibus*, quod statim sequitur, omnino copulam *et* inserendam esse diceret, quo facto parum concinna oriretur constructio *Naues ut prospicerentur et equitibus singulas libras argenti dari imperauit.* Verba *naues etiam ut prospi-*

exquisita patrum conscriptorum humanitas efficere potuit ut, etiamsi expirasset adulescens, aequiore animo desiderium eius pater toleraret.

Idem senatus, cum *ad gratulandum* sibi Prusian, Bithyniae regem, Perse *deuicto* uenire audisset, obuiam illi P. Cornelium Scipionem quaestorem Capuam misit censuitque ut ei domus Romae quam optima conduceretur et copiae non solum ipsi sed etiam comitibus eius publice praeberentur. In eoque excipiendo tota urbs unius humani amici uultum habuit. Itaque qui amantissimus nostri uenerat, duplicata erga nos beniuolentia in regnum suum reuersus est.

Ne Aegyptus quidem Romanae humanitatis expers fuit. Rex eius Ptolemaeus a minore fratre regno spoliatus petendi auxilii gratia cum paucis admodum seruis squalore obsitus Romam uenerat ac se in hospitium Alexandrini pictoris contulerat. Id

1. ut *om. pr. D.* || 2. si adolescens etiam expirasset *F.* || 4. ad gratulandum] *sic Par. D et margo A. om. ACEFΓ.* || brusyan *C.* brusiam *E.* prisina *F.* prusiam *ΓTorr.* || bythiniae *A.* || 5. rex *F.* || deuicto] *om. CEF et pr. A. Vt nos etiam Par.* || 6. domus ei *Torr.* || 7. qua *C.* || 9. urbis *pr. A.* || humani amici] anni humani *F.* || habuit] induit *Γ.* || 10. amatissimus *F.* || euenerat *F.* || 12. Ne Aegyptus — (13.) Rex eius] Rex Aegypti *Γ.* || Ne] Nec *ETorr. Vid. ad II.* 1, 4. || 13. eius] enim *Torr.* || ptholomaeus *AE.* ptolomeus *CDFΓ.* || a maiore *(typogr. errore) Torr.* || 14. uenerat romam *Γ.* || 15. ac] at *C.*

cerentur eodem modo a praecedentibus, *illo quaestorem ire iussit*, pendent atque altera illa finalis sententia, quae tamen relatiuam formam induit, *cuius cura — praestarentur*, adeo ut liqueat perperam in uulgatis exemplis plene ante *naues* orationem esse distinctam.

Idem senatus, cum) Cf. Polyb. XXX, 16. Liu. XLV, 44.

ad gratulandum) Haec uerba et quod sequitur, *deuicto*, exciderant in archetypo. Defectum reconcinnauit Paridis compendio adiutus corrector libri Danielini, a quo recentiores aliquot libri utrumque supplementum acceperunt, solum alterum, quod miror, abbreuiator Guelferbytanus, nisi is coniectura potius in ueram scripturam incidisse putandus est. Cf. tamen praef. p. 95.

P. Cornelium Scipionem) L. Cornelius Scipio uocatur a Liuio. Neque improbabiliter Pighius in annalibus a. 586 hunc L. Scipionis Asiatici filium fuisse suspicatur Valeriique librarios in praenomine lapsos esse censet. Alterum hoc uix crediderim, cum Paridi quoque Publius sit. Fieri uero potest ut ipse Valerius errauerit, cuius neglegentiam in praenominibus ponendis saepius iam castigauimus.

Rex eius Ptolemaeus) Fuisse hunc Ptolemaeum Philometorem recte adnotauerat Glareanus. Sine dubio enim Valerius Liuianam huius facti relationem secutus est, quam nobis deperditam esse magnopere dolendum est. Cf. Liu. epit. libr. XLVI. Diod. Sic. exc. Vales. XXXI, p. 584 et exc. Vat. ap. Ang. Mai. coll. II, p. 84 ap. Dind. uol. III, p. 96. At Drumannus, gesch. Roms V, p. 128 e Polybii XXXI, 18, 25—27, et XXXII, 1 minorem fratrem, Ptolemaeum Physconem, qui Cyrenas obtinuerat, cum Cyprum quoque sibi dari desideraret, senatum Romae ipsum adiisse et ab eo contra maiorem fratrem adiutum esse refert; Philometorem numquam Romam profectum, numquam a senatu restitutum esse. Suspicatur autem ab epitomatore Liuii et a Valerio fratrem minorem cum maiore esse confusum, regnumque, de quo illi decer-

postquam senatui relatum est, accersito iuuene quam potuit accurata excusatione usus est, quod nec quaestorem illi more maiorum obuiam misisset nec publico eum hospitio excepisset, eaque non sua neglegentia, sed ipsius subito et clandestino aduentu facta dixit, et illum e curia protinus ad publicos penates deduxit hortatusque est ut depositis sordibus adeundi ipsius diem peteret. Quin etiam curae habuit ut ei munera per quaestorem cotidie darentur. His gradibus officiorum iacentem ad regium fastigium erexit effecitque ut plus spei in auxilio populi Romani quam metus in sua fortuna reponeret.

2. Atque ut ab uniuersis patribus conscriptis ad singulos ueniam, L. Cornelius consul primo Punico bello, cum Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissime dimicans Hanno dux Karthaginiensium occiderat, corpus eius e tabernaculo suo amplo funere extulit, nec dubitauit hostis exequias ipse celebrare, eam demum uictoriam et apud deos et apud homines minimum inuidiae habituram credens, *quae* quam plurimum humanitatis habuisset.

---

1. arcessito *Torr.* || 3. eum] cum *F.* || recepisset *F.* || 4. clamdestino *A. Cf. Vel. Long. p.* 2237. || 7. uti munere *pr. A.* uti munera ei *corr. A.* uti munera *CDEFΓ.* ut munera ei *Torr.* || quotidie per quaestorem *Torr.* || 11. Atque *om. D.* || 12. albiam *E.* olbinam *F.* oluiam *Par.* || 13. oppidum] *ante* Olbiam *F.* || cepisset] petisset *Par.* || Anno *A.* || 15. ipse] *ante* hostis *F.* || eam] *in rasura D.* tam *ACF.* || 17. quae quam] quam *CΓ et pr. A.* cum *corr. A.* quae *EF et in rasura D. Torr.*

---

tassent, Cypriacum fuisse. Mihi quidem persuasum est de alia fratrum Ptolemaeorum contentione locutum esse Polybium, de alia Liuium, Valerium, Diodorum. Nam illa, quae Polybius libro XXXI exposuerat, a Liuio tradita erant libro XLVII. Cfr. epitom. eius libri. Altera senatus disceptatio cadere uidetur in annum 591 a. u. c., altera in annum 600.

ut ei munera) Codex archetypus *uti munera.* At personae, cui munera dari uoluerit senatus, significatio omitti non potuit. Itaque facillima mutatione pronomen restitui, quod recentiores librarii et editores, cum omnino necessarium esse perspicerent, minus probabiliter suppleuerant post *munera.*

2. Cf. Sil. Ital. VI, 671.

L. Cornelius) Cons. a. 495. a. u. c. Cf. Liu. epit. libri XVII. Flor. II, 2, 15. Eutrop. II, 20. Oros. IIII, 7.

eam demum uictoriam — quae quam plurimum) Boni libri *tam demum uictoriam — quam plurimum*, unde Pighius fecerat *tum demum uictoriam — cum plurimum.* Neque aliter teste Torrenio editio Moguntina. At multo probabilius Perizonius e codice suo *eam demum uictoriam — quae plurimum* scribi iussit, quod inde a Torrenio omnes receperunt editores. Ipse Torrenius probata Perizonii sententia adiecit 'Nisi quis forte malit *eam demum, quae quam plurimum.* Quod tamen necesse non est'. Quae Torrenii coniectura adeo uera atque certa mihi uisa est, ut de recipienda non dubitauerim. Relatiuum enim *quae,* quod ille suppleuit, quam facile excidere poterat ante *quam?* Quo facto, ut esset cui responderet illud *quam*, inepte librarius demonstratiuum, quod praecesserat, *eam* mutauerat in *tam.*

Quid de Quintio Crispino loquar, cuius mansuetudinem po- 3.
tentissimi adfectus, ira atque gloria quatere non potuerunt? Badium Campanum et hospitio benignissime domi suae exceperat et aduersa ualitudine correptum adtentissima cura recreauerat. A quo post illam nefariam Campanorum defectionem in acie ad pugnam prouocatus, cum et uiribus corporis et animi uirtute aliquanto esset superior, monere ingratum quam uincere maluit. Nam, 'Quid agis', inquit, 'demens, aut quo te praua cupiditas transuersum rapit? Parum habes publica impietate furere, nisi etiam priuata lapsus fueris? Vnus uidelicet tibi Romanorum Quintius placet, in quo sceleste exerceas arma, cuius penatibus et honoris uicissitudinem et salutem tuam debes! At me foedus amicitiae diique hospitales, sancta nostro sanguini, uestris pectoribus uilia pignora, hostili certamine congredi tecum uetant. Quin etiam si in concursu exercituum fortuito umbonis mei inpulsu prostratum agnouissem, applicatum iam ceruicibus tuis mucronem reuocassem. Tuum ergo crimen sit hospitem occidere uoluisse, meum non eris hospes occisus. Proinde aliam qua occidas dexteram quaere, quoniam mea te seruare didicit'. Dedit utrique caeleste numen debitum exitum, siquidem in eo proelio Badius obtruncatus est, Quintius insigni pugna clarus euasit.

Age, M. Marcelli clementia quam clarum quamque memo- 4.
rabile exemplum haberi debet? qui captis ab se Syracusis in

---

2. atque] itaque *C.* || Badium] ludium *C.* || 3. benignissime] *post* suae *Γ.* || domo sua *F.* || 4. coniectum *F.* || 6. et animi] et *om. pr. A.* || 9. habens *pr. A.* || publica impietate] pauca in patria *F.* || 10. fuerit *pr. A.* || uidelicet] *post* Romanorum *Torr.* || tibi *om. E.* || 11. placet quintius *Γ.* || scelesta *E.* || arma exerceas *Γ.* || 12. et honoris] *om. E.* et honoribus *F.* || 13. sanguine *F.* || uestris] nostris *C.* || 15. occursu *F.* || 17. ergo] igitur *D.* || 18. erit *FΓ et corr. AE.* || 19. dedicit *C.* didicerit *F.* || 20. celeste *A.* || debitum] dignum *Γ.* || siquidem] ea quidem *F.* || 21. Badius] ludius *corr. C.* || 24. haberi] esse *Γ.* || a se *DEFΓTorr.*

---

3. *Quid de Quintio Crispino)* Parum accurate haec Valerius e Liuii XXV, 18 descripsit, qui Crispinum a Badio ad singulare certamen, non tamen in acie prouocatum, primum quidem in hospitem pugnam recusasse, deinde iniuriis ab illo lacessitum imperatoris permissu iniisse narrat. Tum Badium humero uulneratum et equo delapsum priusquam opprimeretur parma atque equo relicto ad suos aufugisse.

meum non eris) Ea sine dubio archetypi scriptura erat, quae mutari non debuerat, probata a Perizonio similibus exemplis Ouid. trist. IIII, 4, 25 *Quo uereare minus ne sim tibi crimen inimicus*, et Liu. XLV, 42 *Obsides datos crimen, non criminis defensionem esse.*

4. Cf. Cic. Verr. II. 2, 4. Plut. Marc. 19. Sil. Ital. XIIII, 670. Dio Cass. fragm. 52.

arce earum constitit, ut urbis modo opulentissimae, tunc adflictae fortunam ex alto cerneret. Ceterum casum eius lugubrem intuens fletum cohibere non potuit. Quem si quis ignarus uiri aspexisset, alterius uictoriam esse credidisset. Itaque, Syracusana ciuitas, maxima clade tua aliquid admixtum gratulationis habuisti, quia si tibi incolomem stare fas non erat, leniter sub tam mansueto uictore cecidisti.

5. Quintus uero Metellus Celtibericum in Hispania gerens bellum, cum urbem Centobrigam obsideret et iam admota machina partem muri, quae sola conuelli poterat, disiecturus uideretur, humanitatem propinquae uictoriae praetulit. Nam cum Rhoetogenis filios, qui ad eum transierat, Centobrigenses machinae ictibus obiecissent, ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur, quamquam ipse Rhoetogenes negabat esse in-

1. tunc] tam *E.* || 3. uir *ACDEFΓTorr.* || 5. in maxima *Γ. Vid. ad V*, 2, 1. || sua *pr. A.* || 6. incolumen *(A)CDEFΓTorr. Vid. uar. script. I*, 1, *ext.* 1. || 8. in hispaniam *AC et ante* Celtibericum *F.* || gerens — (9.) Centobrigam *om. F.* || 9. centobricam *ACDEΓTorr.* || 10. solam *pr. A.* solo *D.* || dissecturus *E.* disgeturus *F.* || 11. rethogenis *ACΓTorr.* retogenis *E.* retogeri *D.* thetogenis *F. Vt nos Par. Vid. ad III*, 2, *ext.* 7. || 12. filius *pr. A.* || transfugerat *D.* transierant *E.* || centobricenses *ACDEFΓTorr.* || 14. quamquam] quam *pr. A.* quanquam *corr. A.* || rethogenes *ADEΓTorr.* thetogenes *CF.*

ignarus uiri) Recepi primus Lipsii egregiam et, ut mihi quidem uidetur, omnino necessariam coniecturam. Vix enim *ignarus uir*, quod omnes exhibent libri, significare potest, ut opinabatur Torrenius, uirum, qui ignorabat Marcellum, sed non expressa re, cuius uir ille ignarus fuerit, generalem potius notionem haberet, quemadmodum in Sallustii illo (Cat. 51, 27,) *ubi imperium ad ignaros aut minus bonos peruenit.* At prae ceteris illud dicendum erat, in falsam hanc opinionem incidere potuisse, qui Marcellum ignoraret, lacrimas in urbis ruinis tunc profundentem. Id ipsum efficitur Lipsiana emendatione. Librarii, cum non intellegerent genitiuum *uiri*, adiectiuo eum adaptarunt. Similiter prorsus Valerius loquitur, V, 4, ext. 6 *captis — a Cyro Sardibus cum unus e numero Persarum ignarus uiri* (Croesi) *in caedem eius concitato impetu ferretur* etc. Minus bene Freinshemius (ad Curt. V, 31, 13) *ignarus ueri* legendum esse coniecerat.

5. *urbem Centobrigam)* L. Florus II, 17 ad idem hoc, ut uidetur, humanitatis documentum respiciens, Metellum Contrebiam memorabili exemplo cepisse, sed Nertobrigae maiore cum gloria pepercisse scripsit. Nertobriga autem aliunde quoque nota est. Cf. Plin. h. n. III, 1, (3,) 14. Erant igitur qui eiusdem oppidi diuersa nomina statuerent Centobrigam et Nertobrigam, alii librariorum mendum in Valeriano illo nomine deprehendisse sibi uisi sunt. Quorum neutrum uerum puto. Sine dubio diuersa oppida sunt, neque profecto mirum, si alii scriptores eandem rem alio loco factam esse tradiderunt. Itaque librorum scriptura retinenda, unam si exceperis litterulam. Nam cum codices nostri omnes tradant *Centobricam* et paulo post *Centobricenses*, permagnus numerus Hispaniensium oppidorum in *briga* terminantium demonstrat utroque loco pro altero *C* ponendum fuisse *G*. Scribebatur enim *Segobriga* et *Segobrigenses, Augustobriga, Artobriga, Flauiobriga, Mirobriga, Talabriga, Lacobriga,* etc. Cf. G. Humboldt, prüfung der untersuchungen üb. d. urbewohner Hispaniens, pp. 88, 89, 142. Scio in nonnullis ex illo genere fluctuari codices inter *brigam* et *bricam*,

pedimento quominus etiam per exitum sanguinis sui expugnationem perageret, ab obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto etsi non unius ciuitatis moenia, omnium tamen Celtiberarum urbium animos cepit, effecitque ut ad redigendas eas in dicionem populi Romani non multis sibi obsidionibus opus esset.

6. Africani quoque posterioris humanitas speciose lateque patuit. Expugnata enim Karthagine circa ciuitates Siciliae litteras misit, ut ornamenta templorum suorum a Poenis rapta per legatos recuperarent inque pristinis sedibus reponenda curarent. Beneficium dis pariter atque hominibus acceptum!

7. Huic facto par eiusdem uiri humanitas. A quaestore suo hastae subiectos captiuos uendente, puer eximiae formae et liberalis habitus missus est. De quo cum explorasset Numidam esse, orbum relictum a patre, educatum apud auunculum Masinissam, eo ignorante inmaturam aduersus Romanos ingressum militiam, et errori illius ueniam dandam et amicitiae regis fidissimi populo Romano debitam uenerationem tribuendam existimauit. Itaque puerum anulo fibulaque aurea et tunica laticlauia Hispanoque sagulo et ornato equo donatum, datis qui eum pro-

---

2. ab obsidione] per obsidionem *CEΓ*. || decessit *C*. dicessit *Γ*. || 4. effectusque *F*. || 5. sibi multis *E*. || 7. posterioris] superioris *F*. || 8. enim] namque *DΓ*. || Siciliae ciuitates *EF Torr*. || 9. ornamenta templorum] ornamentorum *Γ*. || 10. reciperarent *Par*. || 11. atque] et *F*. || 12. uiri] aui *Torr*. || suae *corr. D*. || 14. est missus *D*. || 16. ingressus *AF*. || 17. illius errori *Γ*. || 19. anulo] *sic AΓ. (Reliqui cum Torr.* annulo.) || 20. et ornato] et *om. E*. || donatum *in rasura A*. donato *D*.

---

at formam longe frequentissimam h. l. insigniter confirmat Iul. Paris, exhibens *Centobrigam*.

6. Cf. Cic. Verr. IIII, 33, 73.

7. Cf. Liu. XXVII, 19.

Huic facto par eiusdem uiri humanitas) Eandem hanc humanitatem, quam Valerius ad posteriorem Scipionem Aemilianum refert, nam de eo dicebatur praecedenti exemplo, eam Liuius maiori P. Cornelio Scipioni tribuit. In quibus quam foede errauerit Valerius, praesertim cum singula propemodum uerba a Liuio mutuatus sit, eo patet, quod Masinissam ante mortuum constat quam Scipionis Aemiliani ductu et auspiciis bellum gerebatur. Nam quo tempore a morituro rege arcessitus est Scipio, ut hereditatem inter filios eius diuideret, eo in Africa militabat sub M'. Acilio. Cf. Val. V, 2, ext. 4. Neque etiam tum, cum remittebatur captus puer Massiua, ad Scipionis Romanorumque amicitiam se applicauerat Masinissa, quod tamen factum esse Valerius h. l. indicat uu. *amicitiae regis fidissimi populo Romano debitam uenerationem tribuendam existimauit.* Quo magis improbandi sunt qui Pighium secuti ex uno codice Campensi nullius omnino fidei receperunt *Huic facto par eiusdem aui humanitas*, et ut peccati culpam a Valerio defenderent, ne Latine quidem loquentem fecerunt. Quis enim umquam *eiusdem aui humanitatem* dixit de humanitate, quam

sequerentur equitibus, ad Masinissam misit, eos uictoriae maximos fructus ratus, diis ornamenta templorum, hominibus [regibus] sanguinem suum restituere.

8. Lucii etiam Pauli in tali genere laudis memoria adprehendenda est. Qui cum Persen parui temporis momento captiuum ex rege ad se adduci audisset, occurrit ei Romani imperii decoratus ornamentis, conatumque ad genua procumbere dextera manu adleuauit et Graeco sermone ad spem exhortatus est. Introductum etiam in tabernaculum lateri suo proximum in consilio sedere iussit, nec honore mensae indignum iudicauit. Proponatur in conspicuo acies, qua prostratus est Perses, et harum rerum, quas retuli, contextus, utro magis spectaculo delectentur homines dubitabunt. Nam si egregium est hostem abicere, non minus tamen laudabile infelicis scire misereri.

---

v c

1. remisit *E Torr.* || eos] *add.* igitur *Torr.* || 2. ratos * * siorna * tum * omnibus regi * sanguinem *A (sed litt.* i *in* u. sic *et* tum *in rasura,)* || rati Romani diis *Torr.* || templorum] *om. Γ. ante* ornamenta *Torr.* || ornamenta] *add.* rerum *Γ.* || hominibus *om. Torr.* || regibus] *sine uncis Torr.* || 4. Lucii — (5.) est. Qui] l. etiam paulus *Γ.* || etiam *om. F.* || 5. persem *A C D E Torr.* persẽ *Γ.* persam *F. Vt nos Par. Vid. ad I,* 5, 3. || 6. ei] enim *F.* || 7. procumbere] prouolui *F.* || dexteram *pr. A.* dextra *Torr.* || 8. manum *pr. A.* || alienauit *F.* || 9. conuiuio *D.* || 10. mensae] iñ se *C.* || 12. retuli *om. F.* || 13. abiecere *pr. A.* || 14. tamen *om. F.* || infelicis cire *pr. A.* infelici scire *C D F Γ.*

---

auus eiusdem hominis praestitit? Miror cum maxime Perizonium, quem ut Pighio assentiretur commouit initium huius exempli, cum Valerium, si ad eundem Scipionem, de quo supra dixerat, hanc quoque humanitatem referre uoluisset, potius scripturum fuisse crederet *par eiusdem uiri alia* uel *illa humanitas.* Tradita uerba, si non pulcherrima, praesertim post initium praecedentis exempli, at certe non tam peruersa sunt, quin genuina putari possint. Intellegitur enim per se denotari hanc, quae sequatur, humanitatem. Praeterea auctorem in utroque exemplo de eodem cogitasse uiro luce clarius demonstrat sententia, qua finiuit hanc historiam, *eos uictoriae maximos fructus ratus, diis — restituere.* Pighius nimirum ibi ex eodem libro edidit *Eos igitur uictoriae maximos fructus rati Romani, diis templorum ornamenta regibus sanguinem suum restituere*, quae affatim illius libri pretium denotabunt. Agnouerat cum Glareano Valerii errorem Torrenius, remouerat Pighianas interpolationes Kappius, probante Hasio; tamen nuperrime eas reuocauit Helfrechtus.

hominibus [*regibus*] *sanguinem suum restituere.)* E litura libri Bernensis, quam supra enotaui, necessario colligitur eadem h. l. olim in praestantissimo illo codice atque in reliquis omnibus fuisse, *hominibus regibus sanguinem*, si exceperis leuem corruptelam, *omnibus* pro *hominibus*, Danielini libri, ut uidetur, propriam. Iam uero editores deleta uoce *hominibus* ineptam plane effecerunt oppositionem inter deos et reges, quae manifesto esse debebat inter deos et homines. Itaque omnino *regibus* eiciendum erat, quod sine dubio interpres quidam ascripserat ad *hominibus*, ut indicaret intellegendam esse eam humanitatem, quam Masinissae regi praestitisset Scipio.

8. Cf. Liu. XLV, 7. Plut. Aem. Paul. 26. Diod. Sic. exc. Vat. XXVI—XXX n. 26 ap. Mai. coll. II, p. 78. Flor. II, 12. Eutrop. IIII, 7. Auct. de uir. ill. 56.

Haec L. Pauli humanitas admonet me ne de Cn. Pompei 9.
clementia taceam. Regem Armeniae Tigranem, qui et per se magna cum populo Romano bella gesserat et infestissimum urbi nostrae Mithridatem Ponto pulsum uiribus suis protexerat, in conspectu suo diutius iacere supplicem passus non est, sed benignis uerbis recreatum diadema, quod abiecerat, capiti reponere iussit, certisque rebus imperatis in pristinum fortunae habitum restituit, aeque pulchrum esse iudicans et uincere reges et facere.

Quam praeclarum tributae humanitatis specimen Cn. Pom- 10.
peius! quam miserabile desideratae idem euasit exemplum! Nam qui Tigranis tempora insigni regio texerat, eius caput, tribus coronis triumphalibus spoliatum, in suo modo terrarum orbe nusquam sepulturae locum habuit, sed abscisum a corpore, inops rogi nefarium Aegyptiae perfidiae munus portatum est, etiam ipsi uictori miserabile. Vt enim id Caesar aspexit, oblitus hostis soceri uultum induit ac Pompeio cum proprias tum et filiae suae lacrimas reddidit. Caput autem plurimis et pretiosissimis odoribus cremandum cura*uit*. Quod si non tam mansuetus animus diuini principis extitisset, paulo ante Romani imperii columen habitum, sic mortalium negotia fortuna uersat! inhumatum iacuisset. Catonis quoque morte Caesàr audita et se illius gloriae inuidere et illum suae inuidisse dixit, patrimoniumque eius liberis ipsius incolome seruauit. Et hercule diuinorum Caesaris operum non parua pars Catonis salus fuisset.

1. Haec — (2.) taceam] Cn pompeius *Γ*. || 2. armoeniae *A*. arminiae *C*. || tigranen *E*. || et qui *Γ*. || 3. magna] *post* Romano *F*. || infelicissimum *Γ*. || urbi • *A*. urbis *CF*. || 4. mitridatem *Á* initridate *C*. *Sic constanter cod. A. Cf. I,* 8, *ext.* 13. *IIII*, 6, *ext.* 2. *V*, 2, *ext.* 2. *VI*, 9, 6. *VIII*, 7, *ext.* 16. *VIII*, 15, 8 *etc.* || praetexerat *D*. || 5. diu *FΓ*. || supplicem *om. F*. || 6. adiecerat *C*. || 8. aeque *om. F*. || et uincere] et *om. F*. || 10. Quam praeclarum — (21.) inhumatum iacuisset *om. Γ*. || 11. miserabilem *pr. A*. || desideratae *om. F*. || idem] quidem *F*. || 12. trigranis *C*. || 13. suo modo] summo *E*. || 14. numquam *AC*. || locum sepulturae *F*. || 15. rogina farium *pr. A*. regi nefarium *C*. || 17. cum] tum *CD EFTorr. Vid. ad IIII*, 8, *ext.* 2. || properas *A*. || et] • *A*. etiam *corr. D, Torr.* || 18. preciosis *E*. || 19. curat *ACD. Vid. ad VI*, 2, *ext.* 2. || 20. imperii Romani *E*. || 21. sicut *D*. || 22. quoque *om. Γ*. || 24. incolume *CDEΓTorr.* incolumen *F*.

9. Cf. Cic. pro Sest. 27, 58. Plut. Pomp. 33. id. de fort. Alex. 2. p. 336. App. Mithrid. 114. Dio Cass. XXXVI, 35. p. 107 Reim. Eutrop. VI, 3, alii.

10. Cf. Plut. Caes. 48. id. Pomp. 80. App. ciu. II, 86. p. 238. Lucan. Phars. IX, 1038. Dio Cass. XLII, 8. p. 310 Reim. Auct. de uir. ill. 77. Eutrop. VI, 21. Oros. VI, 15. Zonar. X, 10.

Catonis quoque) Cf. Plut. Cat. min. 72. id. Caes. 54. App. cie. II, 99. p. 490. Dio Cass. XLIII, 12, p. 348. Reim. Zonar. X, 10.

11. Marci etiam Antoni animus talis humanitatis intellectu non caruit. Marci enim Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidit, quoque honoratius cremaretur, inici ei suum paludamentum iussit, iacentem hostem deposito aestimans odio. Cumque interceptum a liberto paludamentum conperisset, ira percitus protinus in eum animaduertit, hac ante praefatione usus, 'Quid? tu ignorasti cuius tibi uiri sepulturam conmisissem'? Fortem piamque eius uictoriam Philippii campi libenter uiderunt, sed ne ista quidem generosissimae indignationis uerba inuiti audierunt.

Ext. 1. Commemoratione Romani exempli in Macedoniam deductus morum Alexandri praeconium facere cogor, cuius ut infinitam gloriam bellica uirtus, ita praecipuum amorem clementia meruit. Is dum omnes gentes infatigabili cursu lustrat, quodam loci niuali tempestate oppressus senio iam confectum Macedonem

---

1

1. Antonii etiam *(omisso praenomine)* *F.* || intellectu * * caruit *corr. A.* || 2. sepeliendi *F.* || 3. honoratissime *E.* || paludamentum suum *FΓ.* || 4. hostem] non hostem sed ciuem *DTorr.* || existimans *EF.* || intercepto *A.* || 5. conperisse *pr. A.* comperuisset *F.* || pronus *pr. A.* || 6. ante] autem *Γ.* || 7. commendassem *D.* || Fortem — (9.) audierunt *om Γ.* || 8. philippicampi libenter *A.* philippicam dii libenter *CDF et (litt. cam dii in rasura) E.* Philippicam libenter dii *Torr.* || 10. in *om. D.* || 11. praeconum *F.* || 13. dum] cum *F.* || lustrat *om. A.* || loci *DΓPar.* || 14. niuali] *post* tempestate *Torr.* nibali *pr. A.*

---

11. Cf. Plut. Anton. 22.

iacentem hostem deposito aestimans odio.) Notabilem remoui interpolationem, cum uulgo haec ita constituerentur, *iacentem non hostem, sed ciuem deposito aestimans odio.* In quibus *aestimans* saltem mutandum fuerat in *existimans*, quod tamen praeter Perizonium nemo sensisse uidetur. Verba a nobis deleta quam sint nullius auctoritatis abunde eo patet, quod in uno dumtaxat e nostris libris (in deteriore Berolinensi) leguntur. Traditae autem scripturae sensus hic est, Antonius Bruto illam humanitatem exhibuit, quod animo perpendebat atque reputabat quantus ille uir fuisset et ita de uirtutibus abiecti hostis deposito odio sine ira ac studio iudicabat.

Philippii campi libenter uiderunt.) Priores editores alterius familiae scripturam secuti sunt, a Danielini libri testimonio ita discrepantem, ut appareat illam pro huius et archetypis codicis mendo e coniectura non adeo probabili positam esse. Sine dubio autem pro *philippicampi* legendum est *Philippii campi*, qua camporum illorum appellatione Manilius quoque usus est I, 906 *(arma Philippeos implerunt agmine campos)*, et altera illa terminatione Velleius II, 86, 2 *(in campis Philippiis.)* Itaque in I quoque Valerii, 7, 1, ubi uulgo edebatur *in campis Philippicis*, cum libri mei omnes tradant *philippis*. Bernensis *philipphis*, restitui *in campis Philippiis*. Notum enim est geminatum *i* in codicibus manuscriptis saepissime una littera efferri. Iam uero quod ipsi Philippii campi libenter Antonii uictoriam uidisse et generosam illam uocem audiuisse dicuntur, ei qui nouerit hunc scriptorem non modo mirum non uidebitur, sed reputanti peruersum illud eius studium, quo res mutas atque exanimes sensu praeditas sibi finxerit, magis etiam commendabit emendationem nostram. Cf. VI, 9, 8, *Portus ipsos — tantam in eodem homine uarietatem status admiratos arbitror* et q. sqq.

Ext. 1. Cf. Curt. VIII, 4, 15. Front. strat. IIII, 6, 3.

militem, nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi et propinqua igni sede sedens animaduertit. Factaque non fortunae, sed aetatis utriusque aestimatione descendit, et illis manibus, quibus opes Darii adflixerat, corpus frigore duplicatum in suam sedem imposuit. Id ei salutare futurum, quod apud Persas capital extitisset, solium regium occupasse. Quid ergo mirum est, si sub eo duce tot annis militare iucundum ducebant, cui gregarii militis incolomitas proprio fastigio carior erat? Idem non hominum ulli, sed naturae fortunaeque cedens, quamquam uiolentia morbi dilabebatur, in cubitum tamen erectus dexteram omnibus qui eam contingere uellent porrexit. Quis autem illam osculari non curreret, quae iam fato oppressa maximi exercitus conplexui humanitate quam spiritu uiuidiore suffecit?

Non tam robusti generis humanitas, sed et ipsa tamen me- 2.
moria prosequenda Pisistrati Atheniensium tyranni narrabitur. Qui, cum adulescens quidam amore filiae eius uirginis accensus in publico obuiam sibi factam osculatus esset, hortante uxore ut ab eo capitale supplicium sumeret, respondit 'Si eos qui nos amant interficiemus, quid his faciemus, quibus odio sumus'?

---

1. militem Macedonem *Torr.* || ipsi *F.* || 2. igni] illi *C.* || sede] *ante* igni *EF.* sedem *A.* || utriusque aetatis *D.* || 4. affluxerat *C.* || complicatum *D. Cf. praef. p.* 36. || 5. posuit *E.* || futurum] facturus *Γ. add.* dicens *corr. D, margg. A et E, Torr.* || capitale *DEFΓTorr.* || 6. ergo] igitur *D.* || 7. iocundum *CDEFΓ.* || 8. incolumitas *corr. A cum reliquis et Torr.* || hominum] omnium *C.* || 9. illi *D et pr. A.* || fortunaque *C.* || 10. labebatur *C.* dilaberetur *F.* || dextram *Torr.* || 11. autem] enim *E.* || 13. quam *om. F.* || inuidiore *DF.* || sufficit *C.* || 14. Non tam — (16.) Qui] Pisistratus atheniensium tyrannus *Γ.* || 17. exortante *E.* || 19. interficimus *DEFΓTorr. Cf. Madv. gramm.* §. 339. *not.* 1.

Id ei salutare futurum, quod) Satis insolenter uerbum hoc loco omissum est, e quo pendeat accusatiuus ille cum infinitiuo. Subintellegi saepius in oratione, quam obliquam uocant, dicendi uel putandi notionem, si haec in praecedenti aliquo uerbo aut locutione lateat, omnibus notum est. Cf. Zumpt. gramm. §. 620. Itaque minus haec offendissent, si praemisisset *corpus frigore duplicatum in suam sedem imponi iussit.* Huius insolentiae pauca admodum exempla sunt. Similiter tamen Liuius XLIIII, 36, 14 in narratione celeriter decurrente satis dure in obliquam orationem transiit, cum scriberet *Conticuit adulescens; haud dubie uidere aliqua impedimenta pugnae consulem, quae sibi non adparerent.* Quare non licebat contra omnium librorum manuscriptorum fidem retineri illud *dicens*, quod inde a Gryphianis curis, ni fallor, inserebatur uulgo post *futurum*. Nam antea pro eo in plerisque Valerii exemplis uideo fuisse *ducens*.

2. Plutarchus (apophth. Pisistr. 3) Thrasybulum hunc adulescentem appellat. Cf. Diod. Sic. exc. Vat. n. 33 ap. A. Mai. coll. II, p. 28, ap. Dind. III. p. 30.

Minime digna uox cui adiciatur eam ex tyranni ore [de humanitate] manasse.

In hunc modum filiae iniuriam tulit, suam multo laudabilius. A Thrasippo amico inter caenam sine fine conuicio laceratus ita et animum et uocem ab ira cohibuit, ut putares satellitem a tyranno male audire. Abeuntem quoque, ueritus ne propter metum maturius se conuiuio subtraheret, inuitatione familiari coepit retinere. Thrasippus, concitatae temulentiae impetu euectus, os eius sputo respersit, nec tamen in uindictam sui ualuit accendere. Ille uero etiam filios suos uiolatae patris maiestati subuenire cupientis retraxit. Posteroque die Thrasippo supplicium a se uoluntaria morte exigere uolente, uenit ad eum dataque fide in eodem gradu amicitiae mansurum, ab incepto reuocauit. Si nihil aliud dignum honore memoriae gessisset, his tamen factis abunde se posteritati commendasset.

1. cui] ei *F.* || de humanitate *om. Torr.* || 3. In hunc — laudabilius *om. Γ.* || 4. Idem a trasippo *DΓ.* || inter caenam *om. F.* || 5. animam *D.* || putare *C.* || a tyranno] a *om. pr. A.* || 6. audiri *D.* || 7. a conuiuio se *F.* || 8. trasippus *A.* || euectu *pr. A.* eiecto *corr. A.* euictus *Par.* || 9. tamen] tum *EF.* || uoluit *F.* || 10. maiestatis *A.* || 11. cupientes *CDEFΓTorr.* || Postero quoque *Torr.* || 12. uolenti *ACF.* || 13. amicitiae] *add.* se *CEF. Vid. ad IIII, 1, ext. 7.* || 14. honore *om. pr. D.* || his tamen factis *om. F.*

eam ex tyranni ore [de humanitate] manasse) Ita cum omnes libri manuscripti exhibeant, quos ego contuli, atque etiam Vincentius Bellouacensis spec. hist. IIII, (III,) 18 et doctr. V, 43, Pighius auctoritate, ut ait, trium codicum, Cauchiani, Gemblacensis, Pulmanniani motus deleuit uu. *de humanitate*. Vereor ne eius, quod recte fecerit, parum sinceram ueramque defensionem atque confirmationem quaesierit, de codicum illorum testimonio mentitus. De Cauchiano certe scio falso esse relatum. Erant autem suspecta illa uerba iam in archetypo exemplo. Nihilo minus nunc neminem spero fore quin agnoscat in his ineptam prorsus interpolationem. Quam tamquam genuinam defendere conatus, mire sane argutatur Torrenius. 'Ita locutum esse tyrannum de humanitate et significasse quantum illi debeatur'. At illud Pisistrati dictum, si humanum, nequaquam tamen de ipsa humanitate erat pronunciatum. Ingeniosius quam probabilius Perizonius, ut mittam alios, legendum esse coniecit *eam ex tyranni ore dicti humanitatem manasse*. Nempe *dicti* in libris manuscriptis per compendium *dc̃i* efferri solere, quod facile in praepositionem *de* transire potuerit. Sed hoc compendio decimo saeculo librarii nondum usi sunt, corruptela illa multo antiquior est. Quem diuersum diuersis temporibus scribendi morem in explicandis et transformandis compendiis hodie quoque a grammaticis coniecturarum studiosis plane neglegi saepe miratus sum. Equidem illud *de humanitate* persuasum habeo ortum esse e marginali nota antiqui cuiusdam libri, quam ascripserit uir nescio quis doctus ad denotandum argumentum aut uni huic exemplo aut omnibus, quae illo codicis folio comprehensa erant, subiectum. Quod notarum genus interdum interpolationum causam praebuisse notabili maxime exemplo docui in commentariis ad VII, 3, 4. De reiciendis his uerbis, quae tamen in uulgatis editionibus inde a Pighiana omittuntur, solus mecum consentit Hasius.

A Thrasippo amico) Cf. Senec. de ira III, 11.

Aeque mitis animus Pyrri regis. Audierat quodam in con- 3.
uiuio Tarentinorum parum honoratum de se sermonem habitum. Accersitos qui ei interfuerant percunctabatur an ea quae ad aures ipsius peruenerant, dixissent. Tum ex his unus 'Nisi', inquit, 'uinum nos defecisset, ista quae tibi relata sunt prae his quae de te locuturi eramus lusus ac iocus fuisset'. Tam urbana crapulae excusatio tamque simplex ueritatis confessio iram regis conuertit in risum. Qua quidem clementia et moderatione adsecutus est ut et sobrii sibi Tarentini gratias agerent et ebrii bene precarentur.

Ab eadem altitudine humanitatis legatis Romanorum ad redimendos captiuos castra sua petentibus, quo tutius uenirent, Lyconem Molosson obuiam misit; quo honoratius exciperentur,

1. audiuit *D.* || quosdam *CDFΓ et pr. A, Torr.* apud quosdam *E et corr. A.* || 2. Tarentinorum in conuiuio *Torr.* || se] *om. pr. A.* eo *F.* || sermonem] *ante* de se *CD.* sermone *A.* || habuisse *ΓTorr.* || 3. arcessitos *Torr.* || interfuerunt *ACDEF. Vt nos etiam Par.* || percontabatur *Torr.* || ad aures] aduersus *C.* || 4. ipsius] suas *F.* eius *ΓTorr.* || Tum] cui *E.* tunc *FΓ.* || 5. nobis *ACDEF ΓTorr.* || his] eis *Par.* iis *Torr.* || 6. fuissent *CEFPar. et corr. AD. Torr. Cf. Zumpt. gramm.* §. 369. || 7. crapulae *om. F.* || tamque] tam *F.* || 9. et ut *D.* || sobri *A.* || ebri *A.* || 13. moloson *E.* molosen *F.* molossum *ΓPar. Torr.* || ortatius *pr. A.* ornatius *CEF et corr. A.*

3. Cf. Quint. inst. or. VI, 3, 10. Plut. Pyrrh. 8. Dio Cass. exc. Vat. ap. Mai. coll. II, p. 178.

quodam in conuiuio) Boni codices et Vinc. Bellou. spec. doctr. V, 43 *quosdam in conuiuio Tarentinorum — — sermonem habitum,* in quibus apparet mendosum esse aut *quosdam* aut *habitum.* Mutauerat hoc e coniectura in *habuisse* abbreuiator Guelferbytanus, quod, cum antea uulgo ederetur *apud quosdam,* auctore Pighio receptum est in recentioribus exemplis. Contra pro illo non male *quondam* scribi iussit Lipsius, sed ueri similius Freinshemius *quodam,* quod probarunt editores inde a Vorstio. Atque omnes conuiuas aeque in regem conuicia iactasse putari e sequentibus liquet *(Arcessitos qui ei interfuerant* etc.) Itaque reposui *quodam,* quamuis Paris in suo Valerii codice *quosdam* legisse uideri potest, cuius compendium sic emendo, *Pyrrhus cum audisset in conuiuio a Tarentinis se laceratum, arcessitos* (cod. Vat. et A. Maius *arcessit) eorum quosdam, qui interfuerant conuiuio, an ita se res haberet interrogauit.*

uinum nos defecisset) Sic cum accusatiuo Val. VII, 2, ext. 1. Dandi casus cum hoc uerbo coniunctus poetis recentioribus relinquendus esse uidetur. Cf. Drak. ad Sil. VIII, 661. Heins. ad Ou. am. I, 8, 93. Stat. Achill. I, 445. Nam Caesari b. G. III, 5, 1 et b. c. II, 41, 7 uel inuitis melioribus libris recte accusatiuum restituit comparatis b. G. II, 10, 4 et V, 33, 1 Nipperdeius, qui huius quoque loci mendum sensit, coniecturam, *nobis defuisset* scribendum esse, non mihi persuasit. Neque enim omnino uinum illis defuerat. Atque alteram emendationem nihilo difficiliorem commendat Paridis compendium.

quo honoratius exciperentur, ipse cum ornatu † equitatum) Quod emendator libri Bernensis et alterius familiae altera pars pro archetypi mendo *ortatius* posuerunt, *ornatius,* propter sequentia *cum ornatu* ferri uix potest. Praeterea ualde dubito num Latine quis ornate excipi dicatur pro eo quod est honorifice. Recte igitur in uulgatis exemplis iam dudum *honoratius* substitutum esse opinor,

ipse cum ornatu † equitatum extra portam occurrit, secundarum rerum prouentu non corruptus, ut officii prospectum in iis deponeret, qui tum maxime armis cum eo dissidebant.

4. Cuius tam mitis ingenii debitum fructum ultimo fati sui tempore recepit. Nam cum diris auspiciis Argiuorum inuasisset urbem, abscisumque eius caput Alcyoneus, Antigoni regis filius, ad patrem, propugnatorem † laborans, laetus uelut aliquod felicissimum uictoriae opus adtulisset, Antigonus correpto iuuene, quod tanti uiri subitae ruinae inmemor humanorum casuum effuso gaudio insultaret, humo caput sublatum causea, qua ue-

1. ornato *corr. A, Torr.* || equitatu *corr. A, Torr.* equitum *CF.* militum *E.* equitatuum *DΓ.* || 2. prouectu *C.* || non] adeo non *D et corr. A.* non adeo *Torr.* || profectum *F.* || iis deponeret] isdem poneret *A.* his (*aut* hiis) deponeret *CE FΓ.* || 3. tunc *F.* || cum eo armis *Γ.* || 4. fructum] strictum *A et pr. E.* strictim *CF.* || fati *om. A.* || 5. diri auspicii *CF.* || 6. caput eius *Torr.* || 7. propugnatione *Torr.* || laborans] *om. Γ et pr. D.* laborantem *Torr.* || laetus] laeterat laetus *A.* || 8. correcto *F.* || 9. casuum] *ante* immemor *D.* casu *pr. A.* || 10. insultasset *F.* || gausea *ACDEΓ et corr. F.* gasea *pr. F.* causia *Torr.*

quod codices ad alteram eius familiae partem pertinentes tradunt. Cf. II, 10, 2. V, 1, 11. Magis in sequentibus haereo, ubi uitiosam archetypi scripturam notaui. Emendatio enim, quae facillime obuia, nec per se spernenda, a correctore in libro Bernensi temptata et inde in alios quoque libros translata est, *cum ornato equitatu*, eam ualde nunc suspectam reddit Vaticanum huius exempli compendium. Etenim cum Paris seruatis Valerii uerbis scripserit *ipse cum ornatu regio extra portam occurrit*, nescio an illud *ornatu* retinendum sit, reliqua maiore uitio quam uulgo uisum sit, fortasse aliquot uerborum laborent defectu. Quod si ita est, genuinam auctoris compositionem in hunc fere modum restitui credo, *ipse cum ornatu regio et electo equitatu extra portam occurrit.*

secundarum rerum euentu non corruptus ut) Deteriores quidam libri *adeo non corruptus*, quod profectum est a correctore codicis Bernensis. Itaque non transponendum erat quod ille interpolauerat, *adeo*, sed omnino delendum. Editores scilicet non meminisse uidentur corrumpi dici qui promissis uel acceptis bonis commoueantur et seducantur ut praue faciant. Cf. IX, 6, 1.

4. Cf. Plut. Pyrrh. 34. Iustin. XXV, 5.

diris auspiciis) Cf. Plut. l. c. 32.

ad patrem propugnatorem † laborans) Tacite Pighius Ascensii et R. Stephani exempla secutus *propugnatione laborantem* posuerat, quod ne uno quidem codice manuscripto confirmatur, cum Moguntina, Aldinae, aliae editiones *propugnatorem laborans* exhiberent, quemadmodum et olim in archetypo codice legebatur et nunc in plerisque libris est. Exercuerunt ingenia in restituendis his uerbis uiri docti, quorum tamen sententiam omni numero aptam perpauci tantum, emendationem facilem nemo repperit. Nam cum Vorstius u. *laborans* cum aliquot libris (famil. x'.) delendum censuisset, Kappius mire id ipsum de festinando et celeriter accurendo inusitatius paulo dictum esse perhibuit. Torrenius coniecit *ad patrem propugnatorem aduolans;* multo melius, si quid uideo, Perizonius, sed ne ipse quidem, si litterarum ductus respicias, probabiliter *ad patrem propugnatorem laborantium.* Desideratur certe genitiuus, quo accuratius definiatur illud *propugnatorem*, quod absolute positum esse uix potest. Quare adducor ut credam Valerium scripsisse *ad patrem propugnatorem laborantis* i. e. Argiuorum urbis.

latum caput suum more Macedonum habebat, texit, corporique Pyrri redditum honoratissime cremandum curauit. Quin etiam filium eius Helenum captiuum ad se pertractum et cultum et animum regium gerere iussit, ossaque ei Pyrri aurea inclusa urna Epirum in patriam ad Alexandrum fratrem portanda dedit.

5. Campani autem exercitum nostrum cum consulibus apud Caudinas furcas sub iugum a Samnitibus missum, nec inermem tantum sed etiam nudum urbem suam intrantem, perinde ac uictorem et spolia hostium prae se ferentem uenerabiliter excepe-runt, protinusque consulibus insignia honoris, militibus uestem, arma, eques, commeatum benignissime praestando et inopiam et deformitatem Romanae cladis mutarunt. Quo animo si pro imperio nostro aduersus Hannibalem quoque usi fuissent, truculentis securibus materiam saeuiendi non praebuissent.

6. Facta mentione acerrimi hostis, mansuetudinis eius operibus, quam Romano nomini praestitit, locum qui inter manus est finiam. Hannibal enim Aemilii Pauli apud Cannas trucidati quaesitum corpus, quantum in ipso fuit, inhumatum iacere passus

---

4. gerere regium *Torr.* || ei — inclusa *om. pr. D.* || ei] *om. F. post* Pyrri *margo D, Torr.* || urna inclusa *Γ et margo D, Torr.* || 5. Epirum] e pyrrum *pr. A.* epyrum *corr. A.* || 6. §. 5 *om. Γ.* || consule *EF.* || 10. protinusque] que *om. F.* protinus quoque *C.* || consul *C et pr. A.* consuli *D et corr. A.* || insigni *C.* || militibus] similibus *C.* || 12. mutauerunt *E.* || 13. usi *om. F.* || 14. materiem *CE.* || 15. Facta — (17.) finiam *om. Γ.* || teterrimi *F.* || 17. enim] romanorum acerrimus hostis *Γ.* || apud] qd' (*i. e.* quod) *C.* || 18. corpus quaesitum *FΓ.*

---

5. Cf. Liu. IX, 6.

6. *Aemilii Pauli apud Cannas trucidati quaesitum corpus)* Cf. Liu. XXII, 52. *quantum in ipso fuit,)* Ingeniose Perizonius animaduertit uideri auctorem significasse his uerbis corpus Aemilii a quaerentibus non esse inuentum. Et sane ne ego quidem, nisi ita interpreteris, quid sibi uelit illud *quantum in ipso fuit* satis intellego. Neque obstat huic opinioni quod infra et Paulus et Gracchus et Metellus sepulti dicuntur. Itaque cum Liuius consulem conquisitum sepultumque secundum quosdam auctores retulerit, Perizonius Valerium in animo habuisse suspicatur quod de C. Flaminio traditum sit, post pugnam apud lacum Thrasymenum ab Hannibale ad funerandum frustra quaesito. (Cf. Liu. XXII, 7. Val. I, 6, 6, *Consulis obtruncati corpus ab Hannibale quaesitum, qui, quantum in ipso fuerat, Romanum sepelierat imperium.)* Quae coniectura prae ceteris mihi uidetur probabilis. Potest uero etiam fieri ut Valerius ita composuerit, quod consulis corpus non inuentum quidem crederet, sed collatis in unum aceruum omnibus cadaueribus (non solum Poenorum, ut est apud Liuium,) una cum ceteris a militibus ignaris esse sepultum, atque ita Hannibalem, quantum in ipso fuisset, inhumatum iacere corpus passum non esse. Vtut haec se habent, neque enim in re tam obscura pro certo quicquam affirmare ausim, de cadauere Aemilii secundum Valerii relationem non inuento a quaerentibus Perizonio necessario assentior,

non est. Hannibal Ti. Gracchum Lucanorum circumuentum insidiis cum summo honore sepulturae mandauit et ossa eius in patriam portanda militibus nostris tradidit. Hannibal M. Marcellum in agro Bruttio, dum conatus Poenorum cupidius quam consideratius speculatur, interemptum legitimo funere extulit, Punicoque sagulo et corona donatum laurea rogo imposuit. Ergo humanitatis dulcedo etiam in efferata barbarorum ingenia penetrat toruosque et truces hostium mollit oculos ac uictoriae insolen-

1. Hannibal] Ipse *Γ*. || 3. reportanda *F*. || Hannibal] idem *Γ*. || 4. brutio *A*. *Cf. I*, 6, 9. *I*, 8, 6. || cupidus *E*. cupide *F*. || 5. funere] iure *ACDEFΓTorr*. || 6. aurea *FPar*. || 7. in efferata] inferata *Γ et pr. A*. || 8. orbosque *ACDEFΓ Vinc. Bell. spec. hist. VII, (VI)* 125, *doctr. V*, 4. *Correxit Pigh. e cod. Cauchiano, ut ait.* || uictoria *DΓ*.

Hannibal Ti. Gracchum) Cf. Liu. XXV, 17.

Hannibal M. Marcellum) Cf. Cic. Cat. mai. 20, 75. Liu. XXVII, 28. Longe plura, quae occiso Marcello acciderint, refert Plutarchus Marc. 30. Combusto enim cadauere ossa argentea cista inclusa ab Hannibale aurea imposita corona ad filium Marcelli missa esse. Facto autem impetu in comitantes a Numidis quibusdam, pretiosarum illarum rerum cupidis, inter pugnandum dissipatos periisse cineres. Atque haec quidem memoriae prodita ait Plutarchus a Cornelio Nepote Valerioque Maximo. Liuium contra et Caesarem Augustum scripsisse de ossibus Marcelli ad filium Romam perlatis. De Cornelio Nepote et Caesare equidem nihil contendam. De Valerio Maximo certe non minus quam de Liuio fallitur Plutarchus. Neque enim ille perditorum neque hic Romam translatorum cinerum mentionem facit. Vnus, quantum equidem scio, ex his qui nobis supersunt, cum Plutarcho consentit auctor de uir. ill. 45, cum dicat ossa Marcelli Romam remissa a praedonibus intercepta periisse. Cf. praef. p. 44, Periz. anim. hist. c. 9. p. 376. Harl.

in agro Bruttio) Vid. ad I, 6, 9.

legitimo funere extulit) Libri omnes *iure* pro *funere*. Equidem quomodo legitimo iure Hannibal Marcellum sepeliuisse dici potuerit nescio. Neque enim Torrenio crediderim idem esse quod uulgo dicatur iusta alicui facere, idem legitimo iure aliquem efferre; sed multo minus cum Kappio fecerim, *legitimo iure* explicanti 'uti dignitas Marcelli et leges postulabant; ius enim significare condicionem'. Senserunt mecum Pighius, teste Colero, nam ipse Pighius in sua editione nihil adnotauit, et Perizonius, quorum uterque *funere* legendum esse suspicabatur. Quam coniecturam, cum insigniter nunc confirmauerit Paridis huius exempli compendium, haud cunctanter recepi.

corona donatum laurea rogo imposuit.) Plutarchus Marc. 30. scripsit *καὶ τὰ λείψανα συνθεὶς εἰς κάλπην ἀργυρᾶν, καὶ χρυσοῦν ἐμβαλὼν στέφανον, ἀπέστειλε πρὸς τὸν υἱόν*. Quocum mire de corona consentit Iulius Paris *(legitimo funere extulit, Punico sagulo et corona aurea donatum)*. Neque tamen ideo probanda Freinshemii (ad Curt. V, 13, 31) et Schotti (ad Corn. Nep. fragm. p. 173) coniectura apud Valerium quoque legendum esse *aurea*. Nemo enim librarius ab *aurea corona* in *lauream* aberrauerit, cum interim contrarium fieri potuerit facillime, quemadmodum factum est in codice Guelferbytano *F*. Itaque, si quid mutandum, Paridi potius restituenda *corona laurea*. Praeterea, cum Plutarchus de corona egerit cineribus Marcelli imposita, Valerius de corona, qua redimitum cadauer rogo traditum fuerit, ut non inscite animaduertit Kappius, aut diuerso fonte Valerium et Plutarchum usos esse, aut ab eodem fonte alterutrum paululum discessisse necessario colligitur.

tissimos spiritus flectit. Nec illi arduum ac difficile est inter arma contraria, inter destrictos conminus mucrones placidum iter reperire. Vincit iram, prosternit odium hostilemque sanguinem hostilibus lacrimis miscet. Quae etiam Hannibalis admirabilem uocem pro funeribus Romanorum ducum arbitria statuentis expressit. Quin aliquanto ei plus gloriae Paulus et Gracchus et Marcellus sepulti quam oppressi attulerunt, siquidem illos Punico astu decepit, Romana mansuetudine honorauit. Vos quoque, fortes ac piae umbrae, non paenitendas sortitae estis exequias. Nam ut optabilius in patria, ita speciosius pro patria conlapsae supremi officii decus infelicitate amissum uirtute recuperastis.

---

1. spiritus *om. Γ.* || flexit *F.* || ulli *Γ.* || atque *F.* || 2. districtos *ACDEFΓTorr.* || conminus] eo minus *F.* cominus *CDEFΓTorr. Cf. VIII.* 15, 5. *Beda de orthogr. p.* 2331. *Fronto diff. serm. p.* 469 *Mai. Corte ad Sall. Cat.* 60, 3. *Zumpt. ad Curt. III.* 26, 4. || placidum iter] inter placidum *F.* || 4. misci *Γ.* || Quae] ⁎ q̄ *(sic) A.* atque *CDFΓ.* || admirabilem Annibalis *Torr.* || 5. duci *CΓ et pr. A.* ducis *F.* || 6. statuentem *(litt.* em *in rasura) D.* statuenti *E.* || Quin] quia *ACDEFΓ.* Quare *Torr.* || plus ei *F.* || et Gracchus] et *om. Torr.* || 8. astatu *pr. A.* haustu *C.* hastu *pr. Γ.* || Vos quoque] uosque *D.* || 9. fores *E.* || sortiti *CDEFΓ et pr. A.* || 10. patriae ac conlapsae *pr. A.* patria collapsae *corr. A.* patria collapsi *Γ.* || 11. recuperatis *CF et pr. A.*

Quae etiam Hannibalis admirabilem) In codice archetypo olim *at quae etiam* fuisse uidetur, non *atque etiam*, quod alteram familiam inter nostros occupauit. Compendium enim *q̄*, quod superest in codice Bernensi, relatiuum *quae* denotat, numquam affixum *que*. Sed *atque etiam* ne ferri quidem hoc loco potest, quoniam illis, quae paulo ante de effectibus humanitatis in uniuersum dicuntur, non poterant adiungi tamquam noua res et ex aequo poni quae de unius Hannibalis humanitate praedicantur. Sine dubio auctor, postquam commemorauit humanitatis effectus, ad unum Hannibalis exemplum respiciens, humanitatem in illo quoque uim suam exercuisse dicere debebat. Quod recte iam sensit emendator libri Bernensis, cum restitueret *quae etiam*. Quem sequuntur recentiores editores.

Quin aliquanto ei plus) Ita correxi quod mendose in libris manuscriptis legebatur *quia aliquanto*. Mendose inquam, quia in his, quod maiorem aliquanto laudem Hannibal humanitate quam uictoriis suis assecutus esse dicitur, nullo modo causa inesse potest, cur humanitas Hannibalis admirabilem illam uocem expresserit. Eadem de causa, ut taceam de probabilitate emendationis, ne a sententia quidem satisfacit quod in uulgatis exemplaribus circumferebatur, *quare*. Itaque una litterula mutata *(Quin aliquanto)* hunc effeci sententiae nexum, non solum admirabile fuisse clemens illud Hannibalis dictum, uerum etiam gloriosius aliquanto ipsis uictoriis; has enim Punico dolo partas esse, illud e mansuetudine eius proprie Romana fluxisse.

DE GRATIS.

II. Gratas uero animi significationes et ingrata facta libuit oculis subicere, ut uitio ac uirtuti iusta merces aestimationis ipsa comparatione accederet. Sed quoniam contrario proposito sese distinxerunt, nostro quoque stilo separentur, prioremque locum obtineant quae laudem quam quae reprehensionem merentur.

1. Atque ut a publicis actis ordiar, Marcium patriae * conantem admotoque portis urbis ingenti Volscorum exercitu funus ac tenebras Romano imperio minantem Veturia mater et Volumnia uxor nefarium opus exequi precibus suis passae non sunt. In quarum honorem senatus matronarum ordinem benignissimis decretis adornauit. Sanxit namque ut feminis semita uiri cederent, confessus plus salutis rei publicae in stola quam in armis fuisse, uetustisque aurium insignibus nouum uittae discrimen adiecit. Permisit quoque iis purpurea ueste et aureis uti segmentis. Super haec aedem et aram Fortunae muliebri eo loco,

2. Gratas uero ingratasque animi significationes et facta libuit *Torr.* Gratas uero animi significationes et ingratas libuit *coniecit Periz.* || 3. subobicere *pr. A.* obicere *corr. A.* || ac] et *E.* || 5. stilo] concilio *F.* || 6. quae laudem quam quae] quam laudem quamquam *pr. A.* qui laudem quam qui *CF et corr. D.* || 7. Marcium — (*p.* 397, 2.) testando *om. Γ.* || Marcium] *add.* Coriolanum *D Torr.* || patriae] patriae interitum *CDEF.* patriam oppugnare *Torr.* || 8. funus] fumum *E.* || 9. minitantem *EF Torr.* || neturia *D.* uecturia *F.* || uolumia *F.* || 10. uxor *om. pr. D.* || 11. honore *ACDE.* || 12. sansit *C.* || 14. uitae *ACD.* || 15. his *ACD EF Torr.* eis *Par.* || tegimentis insuper *F.* || 16. haec] *om. F.* hoc *in rasura D.* || muliebriae *A.* || eo *om. A et pr. D.*

1. *Marcium)* Cf. Liu. II, 40. Dion. Hal. VIII, 55. Plut. Coriol. 37. Auct. de uir. ill. 19; alii.

*patriae * conantem)* Notaui lacunam, quamuis plurimorum codicum consensus tueatur scripturam a Kappio, Helfrechto, Hasio receptam, *patriae interitum conantem*, quae num Latina sit ualde dubito. Neque enim *rem conari* dici posse uidetur, nisi ea res actionem contineat quandam subiectae personae. Ita nemo facile probauerit *conari mortem* pro eo quod est *caedem conari.* eademque causa est, cur VII, 3, ext. 4 *excidium* e Paridis compendio pro archetypi mendo *exitium* recipiendum erat. Quapropter miror uiros doctos non offendisse in illo interitus conatu, nisi forte offendit Perizonius, qui legendum esse coniecerat *interitum cogitantem.* Nihilo magis placet, quod uulgo ante Kappium edebatur, *patriam oppugnare conantem,* quia, ut recte animaduertit Lipsius, non oppugnare conatus est Marcius, sed re uera oppugnauit. Archetypi iam eam lacunam fuisse colligo ex interpolationibus, quae in aliis libris aliae sunt temptatae *(patriae bellum inferre conantem, patriae interitum perficere conantem, patriam oppugnare conantem).* Quid potissimum exciderit pro certo affirmari nequit. Scripserit fortasse auctor *patriã euertere conantem* uel *patriae expugnationẽ conantem.*

ut feminis semita uiri cederent,) De honoribus, quos Valerius feminis habitos esse refert, tacent supra citati scriptores, id unum commemorantes,

quo Coriolanus exoratus fuerat, faciendam curauit, memorem beneficii animum suum exquisito religionis cultu testando.

Quem secundi etiam Punici belli tempore exhibuit. Cum enim a Fuluio Capua obsideretur ac duae Campanae mulieres beniuolentiam erga Romanos dimittere ex animis noluissent, Vestia Oppia mater familiae et Cluuia Facula meretrix, quarum altera cotidie pro salute exercitus nostri sacrificauit, altera captis militibus Romanorum alimenta subministrare non destitit, urbe illa oppressa, senatus his et libertatem et bona restituit, et si quid amplius praemii petissent, libenter se daturum adseuerauit. Vacasse tanto gaudio patribus conscriptis duabus humillimis feminis referre gratiam, nedum tam prompte retulisse mirandum.

1. faciendum *EF.* || 3. Quem — exhibuit *om. Γ.* || Quem] quod *F.* || belli Punici *(E) Torr.* || tempore *om. F.* || 4. enim *om. Γ.* || obsederetur *F.* || 5. uoluissent *A Γ et pr. DE.* || 6. uescia *Par. et in rasura A.* uestigia *CDEFΓ.* || oppia • *in rasura A.* oppida *CDFΓ.* opida *E.* Opidia *Torr.* || familias *corr. A. Torr.* || cluuia *CD.* diuinia *E.* || 7. nostri exercitus *Torr.* || 8. ministrare *CEF.* || 10. amplius] aliud *F.* || 11. Vacasse — (12.) mirandum *om. Γ.* || in tanto *Torr.* || patres conscriptos *D.* || humilibus *Torr.* || 12. tam *om. E.* || prompte retulisse] propter se tulisse *ACDF.* prae se tulisse *E Torr.*

templum aedificatum esse Fortunae mulebri. Itaque notatu dignum, unum qui praeter Valerium, quod equidem sciam, mentionem fecerit de hac lege, qua cautum fuisse dicitur ut uiri feminis semita cederent, Plutarchum (Romul. 20) ad longe antiquiora tempora eam referre. Is enim latam esse hanc legem perhibet, cum diremptum esset mulierum interuentu bellum, quod raptus Sabinarum uirginum contraxerat.

Quem secundi etiam Punici belli) Cf. Liu. XXVI, 33. 34.

Vestia Oppia) Librarii cuiusdam culpa in omnibus nostris codicibus appellationes in nominum propriorum locum substitutae sunt, *uestigia oppida* pro *Vestia Oppia.* Ita enim Liuiani libri, a quibus non multum discrepant Paridis codex Vaticanus et Bernensis liber ex illo emendatus, exhibentes *uescia oppia.* In altero Cluuiae nomine propter consensum eiusdem Paridis et omnium Valerianorum librorum nescio an Facula Liuio quoque reddenda sit pro Faucula. Faculam hanc mulierem certe aliquot inter Liuianos quoque codices appellant.

Vacasse tanto gaudio patribus conscriptis) Satis dure ablatiui *tanto gaudio* sine praepositione efferuntur, quae in omnibus deest manuscriptis codicibus, quos ipse contuli, et in duodecim Torrenianis. Editores *in* ante *tanto* e deterioribus libris suppleuisse uidentur. Vereor ut recte. Similiter enim Valerius ad insigniendum statum, quo quis uersatur, ablatiuo sine praepositione usus est VII, 4, 3, *Misertus est tunc profecto Iuppiter Romanae uirtutis, — cum summa alimentorum inopia proici praesidia inopiae cerneret,* ubi editores item inuitis codicibus adiecerunt *in* ante *summa.* Neque alia ratio est in his V, 1, 4, *Itaque, Syracusana ciuitas, maxima clade tua aliquid admixtum gratulationis habuisti,* ubi solus abbreuiatus Guelferbytanus inter meos *in maxima clade.* Ablatiuos autem absolute positos hoc loco non pendere ab admiscendo uix est quod moneam. Atque multo etiam insolentius ne adiectiuo quidem addito in eadem re designanda, neque tamen uitiose, ut mihi quidem uidetur, V, 1, init. legitur *Quarum prima inopia, proxima occupatione, tertia ancipiti fortuna praestatur,* ubi uide quae adnotauimus.

tam prompte retulisse) Edebatur uulgo *nedum tam prae se tulisse*, sensu parum commodo, cum omnes melioris notae libri exhiberent *tam propter se*

2. Quid illa quoque inuentute Romana gratius, quae consulibus Nautio et Minucio ultro nomina sua militari sacramento obtulit, ut Tusculanis, quorum fines Aequi occupauerant, praesidium ferrent, quia paucis ante mensibus constantissime et fortissime imperium populi Romani defenderant? Ergo quod auditu nouum est, ne patriae grata uoluntas cessasse uideretur; exercitus se ipse conscripsit.

3. Magnum grati populi specimen in Q. Fabio Maximo enituit. Nam cum quinque consulatibus salutariter rei publicae admi-

1. quae] *in rasura A.* || 2. naucio *in rasura A.* nuntio *CΓ.* mincio *DE.* quintio *F.* C. Nautio *Torr.* || 3. aequii *D.* equiculi *F.* || 5. Romani populi *Torr.* || 7. conscripsit] conduxit *in rasura A.* com. sit *(sic) C.* conbussit *Γ.* || 8. §. 3 *om. Γ.* || populi] *add.* romani *E.* || in *om. F.*

tulisse, unde egregie Torrenius ueram scripturam eruit, *tam prompte retulisse,* quam recipere non dubitaui. Adhaeserat enim prima uocis *retulisse* praecedenti uocabulo *(prŏpte)*, unde natum est illud *propter*, quod ipsum causa extitit, cur postea praepositio *re* transiret in accusatiuum *se.* Lipsius coniecerat legendum esse *properiter*, quod nescio an Valerii aetate non fuerit in usu. Poterat igitur et melius et probabilius *propere.* Sed longe praeferenda Torrenii emendatio. Sic V, 1, 1 legitur *tam prompta et tam exquisita patrum conscriptorum humanitas.*

2. *Nautio et Minucio consulibus)* Prioris consulis nomen in omnibus codicibus mendose scriptum recte emendauit Pighius (cf. Liu. III, 26. Dion. Hal. X, 23.), cum antea ederetur *Quintio et Minucio.* Nouam confirmationem nunc affert Paridis epitome, e qua correctum est Bernense exemplar. Ceterum si Valerius hac narratione respexit ad rem a Liuio III, 31 expositam *(trepidi nuntii ab Tusculo ueniunt, Aequos in agro Tusculano esse. Fecit pudorem recens eius populi meritum morandi auxilii)*, quemadmodum mihi quoque uidetur, confitendum erit errasse auctorem. Facta enim erant de quibus Liuius ibi disserult T. Romilio, C. Veturio consulibus, triennio post Nautii et Minucii consulatum. Consentit cum Liuio Dionysius X antiq. 43, addens insuper multos e plebe tum renitentibus frustra tribunis sua sponte consulibus delectum habentibus sese obtulisse. Potest tamen fieri ut Valerius aliud bellum, quod C. Nautio, L. Minutio consulibus gestum erat contra Sabinos et Aequos in mente habuerit, de quo Liuius III, 26 haec tradidit, *Tum plebs benigne arma cepit. Reclamantibus frustra tribunis magni duo exercitus scripti.* Potuit, inquam, fieri eo magis, quod hoc quoque bellum conflatum erat propter iniurias Tusculanis, Romanorum sociis, ab Aequis illatas, ut testatur Dionysius X antiq. 22. Notabilis autem Liuii et Dionysii discrepantia est de tempore, quo uoluntaria plebs stipendia uel contra intercessionem tribunorum meruerit.

conscripsit) Hoc uerbum non erat ita exaratum in codice archetypo, quod indicant menda Berolinensis praestantioris *(com. sit)* et abbreuiati Guelpherbytani *(conbussit)*. Nam Bernensis libri primaria scriptura sub litura iam euanuit. Probo tamen recentiorum librorum coniecturam. Nam *conduxit*, quod a correctore libri Bernensis profectum in alios nonnullos transiit, de Romano milite, qui mercede sane non militauerit, ferri non posse recte mihi Torrenius animaduertisse uidetur.

3. Cf. Plut. Fab. Max. 27.

in Q. Fabio Maximo) Hoc et sequens exemplum necessario ad eundem Fabium referri debent propter uerba (§. 4.) *Fabio autem etiam incolumi summa cum gloria gratia relata est*, quae, nisi eidem Fabio iam mortuo opponantur, sensu carent. Neque certe audiendus est hoc loco Perizonius, qui priora haec

nistratis decessisset, certatim aes contulit, quo maior ac speciosior funeris eius pompa duceretur. Eleuet aliquis praemia uirtutis, cum animaduertat fortes uiros felicius sepeliri quam uiuere ignauos.

Fabio autem etiam incolomi summa cum gloria gratia re- 4.
lata est. Dictatori ei magister equitum Minucius scito plebis, quod numquam antea factum fuerat, aequatus, partito exercitu separatim in Samnio cum Hannibale conflixerat. Vbi temere inito certamine, pestiferum habiturus exitum subsidio Fabii conseruatus et ipse eum patrem appellauit et ab legionibus suis patronum salutari uoluit, ac deposito aequalis imperii iugo magisterium equitum, sicut par erat, dictaturae subiecit, imprudentisque uulgi errorem gratae mentis significatione correxit.

Tam hercule probabiliter quam Q. Terentius Culleo, prae- 5.
toria familia natus et inter paucos senatorii ordinis splendidus, optimo exemplo Africani superioris currum triumphantis, quia captus a Karthaginiensibus ab eo fuerat recuperatus, pilleum capite gerens secutus est. Auctori enim libertatis suae tamquam patrono accepti beneficii confessionem spectante populo Romano merito reddidit.

---

2. eius funeris *Torr.* || pompei *C.* || 5. Q. fabio *Γ.* || autem — relata est *om. Γ.* || autem *om. F.* || etiam *om. E.* || incolumi *corr. A cum reliquis et Torr.* || 6. ei] enim *E. om. Γ.* || minutius *A.* || 7. ante *pr. E.* || separatim exercitu *Γ.* || 9. exitium (*sed alterum* i *puncto notat.*) *A.* || 10. ab] ob *pr. A.* a *EFΓTorr.* || 11. aequalis] salutaris *E.* || magisteriom *pr. A.* || 14. §. 5 *om. Γ.* || hercle *Torr.* || quamq. terentius *(sic) A.* quem q. terentius *pr. D.* || 16. qui captos *F.* || 17. recuperatis *pr. A.* || 18. tamquam] iamque *EF.* || 19. confessionem] censionem *E.*

---

de Fabio Rulliano, eo qui primus Maximi cognomen in familiam intulit, interpretatus, sequentia illa de Verrucoso siue Cunctatore narrari opinabatur. Significare enim *Fabio etiam incolomi* 'non praecise superiorem illum, sed alium quemcumque Fabium, Fabiae gentis hominem, resque adeo notas referri, ut omnes facile scire possent de quo Fabio loqueretur'. Pighius temerarie, ut solet, si qua historiae repugnare uidebantur, §. 4 *Fabio alteri etiam incolumi* legendum putabat. Recte autem iam Oliuerius de Fabio Verrucoso, quem et ipsum quinque saluberrimis consulatibus functum esse constat, utrumque locum interpretatus erat. Iam uero eandem rem de Rulliani funere memoriae prodidit auctor de uir. ill. 32. Nescio sane an recte. Vix enim Liuium tale quid de cunctatore illo silentio praetermissurum fuisse crediderim, cum de morte eius ageret (XXX, 26). Itaque si errauerit Valerius et duos Fabios communi nomine deceptus confuderit, ut mihi quidem uidetur, participem erroris habet Plutarchum l. c., qui Fabium Verrucosum non publice quidem elatum esse scribit, *ἰδίᾳ δ' ἑκάστου τὸ σμικρότατον αὐτῷ τῶν νομιμίων ἐπενεγκόντος, οὐχ ὡς δι' ἔνδειαν προσαρκοῦντος, ἀλλ' ὡς πατέρα τοῦ δήμου θάπτοντος.*

4. Cf. Liu. XXII, 25—29. Plut. Fab. 9. Auct. de uir. ill. 43.

5. Cf. Liu. XXX, 45. XXXVIII, 55. Plut. apophth. (Scip. mai. 6, 7.) Quint. decl. 9, 20.

6. At Flaminini de Philippo rege triumphantis currum non unus, sed duo milia ciuium Romanorum pilleata comitata sunt, quae is Punicis bellis intercepta et in Graecia seruientia cura sua collecta in pristinum gradum restituerat. † Geminarum ea decus imperatoris, a quo simul et deuicti hostes et conseruati ciues spectaculum patriae praebuerunt. Illorum quoque salus dupliciter omnibus accepta fuit, et quia tam multi et quia tam grati exoptatum libertatis statum recuperauerunt.

7. Metellus uero Pius pertinaci erga exulem patrem amore tam clarum lacrimis quam alii uictoriis cognomen adsecutus, non dubitauit consul pro Q. Calidio praeturae candidato supplicare populo, quod tribunus plebis legem, qua pater eius in ciuitatem restitueretur, tulerat. Quin etiam patronum eum domus et familiae suae semper dictitauit. Nec hac re de principatu, quem procul dubio obtinebat, quicquam decerpsit, quia non hu-

1. §. 6 *om. Γ.* || flamini *C.* flaminii *EF.* flaminii quinci *D.* Flaminium *eum Par. quoque uocat.* || 3. is] *om. A.* hiis *EF.* || 4. Geminarum ea] *sic C.* geminum r. ea (*litt.* um r. ea *in rasura*) *A.* geminium ea res *D.* geminauerunt *E.* geminum ea re *F.* Geminatum ea re *Torr.* || 5. decus] *in rasura A.* || 7. fuit quia tam multi quam grati *E.* || 9. uero *om. Γ.* || erga] circa *DΓ.* || 10. lacrimis] latinis *E.* || aliis *F.* || 11. praetore *ACDEFΓ. Correxit Pighius.* || 12. quod] quam *D.* || qua * *A.* || 13. ciuitate *E.* || 14. dictauit *pr. C.* || Nec] ne *AE.* || 15. decerpsit] *in rasura A.* arcessit *CF.* accersiit *DΓ.* decessit *E.*

6. Cf. Liu. XXXIIII, 52. Plut. Flamin. 13. Oros. IIII, 20.

† *Geminarum ea decus imperatoris)* Ante Pighium uulgo edebatur *geminum ea re decus,* pro quibus ille e duobus nullius fidei exemplis, Wincheliano et Coloniensi, *geminatum ea die decus* posuerat. Omnis emendatio ualde anceps esse debet, cum litura in Bernensi codice ne archetypi quidem scripturam certe cognosci permittat. Suspicor tamen eam seruatam esse in proximo ab illo codice Berolinensi *C*, quocum et Mediceus primus, non plane spernendus testis, inter Torrenianos consentit, quippe e quorum scriptura *Geminarum ea decus* facillime uarii librariorum interpolandi conatus explicentur. Quod si uerum est, scripserit fortasse Valerius *Geminarunt ea* (sc. duo milia ciuium etc.) *decus,* aut *Geminatum ita decus.* Nam Torrenii illud *Geminatum ea re,* etiamsi ferri potest, nulla tamen commendatur ueri similitudine. Kappius de interpolatione ceterorum librorum mecum sentiens, uu. *Geminatum ea* ita interpretatus est, tamquam in pronomine *ea* subaudiretur *cura*, quae tamen, in praecedentibus ad solum colligendi officium spectans, non potuit per se dici geminasse imperatoris decus. Praeterea etiam de pronomine *is* ante *Punicis bellis* dubitari potest, quod cum omisisset Pighius, pro librorum ueterumque editionum scriptura *his*, recepit Torrenius. Dubito, quia abest a codice Bernensi, nec sane desideratur. Sed fortasse ipsum illud *his* non intellectum causam praebuit, cur omnino omitteretur.

7. Cf. Cic. pro Planc. 29, 69. App. ciu. I, 33, p. 174. Dio. Cass. exc. Peir. p. 638. ap. Reim. p. 44.

quicquam decerpsit) Libri tantum non omnes mendose *arcessit* aut *accersiit*, pauci quidam, ut Guelferbytanus *E. decessit.* Vnde Lipsius scribi iussit *abscessit*, Vorstius *decessit*, quae, si tamen Latine hoc significatu atque nexu posita, at certe insolentia sunt. Recte procul dubio probauit Perizonius quod

mili, sed grato animo longe inferioris hominis maximo merito eximiam summittebat dignitatem.

Nam Gaii quidem Marii non solum praecipuus sed etiam 8.
praepotens gratae mentis fuit impetus. Duas enim Camertium cohortes, mira uirtute uim Cimbrorum sustinentis, in ipsa acie aduersus condicionem foederis ciuitate donauit. Quod quidem factum et uere et egregie excusauit dicendo inter armorum strepitum uerba se iuris ciuilis exaudire non potuisse. Et sane id tempus tunc erat, quo magis defendere quam audire leges oportebat.

C. Marii uestigia ubique L. Sylla certamine laudis subse- 9.
quitur. Dictator enim priuato etiam Pompeio et caput adaperuit et sella adsurrexit et equo descendit, eaque se libenter facere in contione praedicauit, memor ab eo duodeuiginti annis nato

3. Nam] Iam *(A)Torr.* || 5. sustinentes *DEFTorr.* || 7. et uere] uere *E.* || 9. legem *D.* || 11. §. 9. *om. F.* || 12. enim] *add.* in *A.* || Pompeio etiam priuato *Torr.* || etiam] et *A. om. CDEF.* || 13. surexit *E.* || se *om. F.* || 14. concione *(A).*

a correctore libri Danielini inuentum est, *decerpsit.* Nam et detrahendi minuendique notio, proprie decerpendo exprimitur (cf. Cic. pro Marc. 2, 7; id. II de or. 56, 229.), neque adeo infrequens in ipso hoc uerbo similis corruptela. Ita III, 7, 1 omnes mei codices pro *discerpsit* tradunt *discessit* et IX, 7, 4 praestantior inter Berolinenses *discerserunt* pro *discerpserunt*, quod ipsum in Bernensi libro recentiore manu exaratum est.

8. Cf. Plut. Mar. 28. id. apophth. (Mar. 5).

Nam Gaii quidem Marii) Si in Bernensi codice extat quod equidem legisse mihi uisus sum, silet enim collatio mea, quodque liquide confirmat Coleri de eodem libro testimonium, *Iam* pro *Nam*, librarium errasse, genuinam scripturam in altera familia seruatam esse crediderim. Vix enim particulae *iam* et *quidem* inter se congruunt, quarum illa simpliciter adnectit, haec ita Marium ex aliis eiusdem generis hominibus eximit, ut aliqua ratione illis opponatur. Itaque Valerius, qui frequentauit illud *iam* in conectendis exemplis, numquam tamen apposuit *quidem*, quod saepius legitur post *nam*. Cf. III, 5, 4, *Nam Quinti quidem Hortensi*. III, 6, 5, *Nam Papirius quidem Masso*.

9. Cf. Sall. fragm. hist. V, 9. p. 244. Gerl. Plut. Pomp. 8. id. Crass. 6. Zonar. X, 1.

priuato etiam Pompeio) Sic dedi Bernensis codicis uestigia secutus. In quo cum aberratum sit ab *etiam* in *et*, facile intellegitur cur id in reliquis libris omnino exciderit. Inseruerat *etiam* iam Pighius, sed ordinem uerborum sine ulla causa mutauerat *Pompeio etiam priuato*. A Valerio autem leuiter hoc loco discrepat Iulius Paris, idem non de dictatore, sed de censore Sylla referens, cum tamen Sylla numquam censura functus sit.

ab eo duodeuiginti annis nato) Ablatiui apud participium *natus* ad insigniendum annorum numerum positi, nisi comparatio quaedam accedat exempla inueniri negat Maduigius (bemerk. üb. verschied. puncte des syst. d. Lat. gramm. p. 81.) Neque mihi suppeditant praeter hoc unum. Nam in comparando *(maior, amplius — natus)* aliam ablatiui rationem esse dilucide demonstrauit Maduigius. Itaque non huc pertinent exempla Corn. Nep. Hann. 3, 2, *minor V et XX annis natus imperator factus est*, et, quod ex optimis co-

partes suas exercitu paterno adiutas. Multa insignia Pompeio, sed nescio an hoc quicquam admirabilius contigerit, quod magnitudine beneficii sui obliuisci Syllam coegit.

10. Sit aliquis in summo splendore etiam sordibus gratis locus. M. Cornuto praetore funus Hirti et Pansae iussu senatus locante, qui tunc libitinam exercebant, cum rerum suarum usum tum ministerium suum gratuitum polliciti sunt, quia hi pro re publica dimicantes occiderant, perseuerantique postulatione extuderunt ut exequiarum apparatus sestertio nummo ipsis praebentibus addiceretur. Quorum laudem † adiecta lege condicio auget magis quam extenuat, quoniam quidem quaestum contempserunt nulli alii rei quam quaestui uiuentes.

---

2. mirabilius *D.* || 4. etiam] et *E.* || gratus *F et corr. A.* || 5. M. Cornuto] *praenomen om. pr. D.* || hyrci *C.* hirci *E.* yrci *F.* || 6. libitanam *A.* || cum] tum *DEFΓ. Vid. ad II*, 2, 8. || 8. extulerent *pr. A.* extulerunt *D et corr. A.* excuderunt *F.* extruderunt *pr. Γ. Vid. ad I*, 7, *ext.* 2. || 9. exsequiarum *(A).* || apparatui *DΓ.* || numum *Γ.* || praebendus *coniecit Periz.* || 10. adduceretur *A.* adiceretur *E.* || 11. quidam *C.* || contraxerunt *F.* || 12. alii *om. pr. E.*

---

dicibus recipere debebat Zumptius, Cic. Verr. II, 49, 122, *minor triginta annis natus.* Nolui tamen ideo discedere ab omnium librorum testimonio, cum praesertim defensionem habeat in simili dicendi genere, *uixit XVIII annis*, quo ablatiuo ad definiendum temporis spatium saepissime pro accusatiuo usus est Valerius, (cf. V, 1, ext. 1. VIII, 7, ext. 4. VIII, 13, 3. VIII, 13, ext. 1 et 4 cett.) et in eo, quo inferioris aeui scriptores composuerunt *fossa lata (alta) duobus pedibus.* In ipso annorum numero erroris Valerium arguit Drumannus gesch. Roms IIII, p. 324, cum Cn. Pompeius anno 671, quo tempore bello ciuili Syllae adiuuisset partes, tertium et uicesimum, non duodeuicesimum egisset annum. Cf. Vell. II, 29, 1. Plut. Pomp. 6. Zonar. X, 1. Nec iniuria adeo miratur Velleius II, 53, 4 de morte Cn. Pompeii disserens, quod in aetate tanti uiri paene aequales scriptores quinquennium fefellerit.

10. † *adiecta lege condicio)* Quae codicibus traduntur omni sensu carent. Neque etiam Kappii obscuras ambages intellego explicantis 'condicionem hoc loco non esse statum uespillonum, sed determinationem, quam constituerit senatus tamquam legem a uespillonibus obseruandam'. Confugiendum erit ad coniecturas. Quarum habet speciem ueri primo saltem aspectu quam Lipsius probante Perizonio proposuit, *abiecta lege condicio*, ut significetur infamia, quam turpi sordidoque quaestu sibi contraxerint libitinarii. Res ipsa satis nota est. Cfr. interpr. ad Iuu. sat. III, 32. Sed obstat, ut recte animaduertit Torrenius, quod moribus magis Romanorum in contemptu habiti quam lege aliqua notati fuisse uidentur, quemadmodum erant histriones, lenones, alii. Et profecto gratum eorum animum magis etiam admirabilem reddere potuit non tam legibus ablecta condicio quam quae omnium hominum solido iudicio spernebatur. Itaque Torrenius, cum e Perizoniano libro ei enotatum esset *laudem adiecta laude*, scribendum proposuit *Quorum laudem adiecta laudi condicio auget* i. e. 'si post commemorationem illius laudabilis facti addatur illud factum a uespillonibus, hominibus in sordido quaestu uitam agentibus'. Quae tamen neque probabilia sunt, neque satis accuratam condicionis denotationem habent, quam desideramus. Mihi quidem *abiecta* recte a Lipsio inuentum esse uidetur, quod recepissem, si simul *lege* deleri licuisset, de quo ualde dubito.

Pace cinerum suorum reges gentium exterarum secundum Ext.
hunc tam contemptum gregem referri se patientur, qui aut non
adtingendus aut [non] in ultima parte domesticorum exemplorum
conlocandus fuit. Sed dum honesti etiam ab † infimis estis
editi memoria non intercidat, licet separatum locum obtineant,
ut nec his adiecti nec illis praelati uideantur.

Darius priuatae adhuc fortunae amiculo Sylosontis Samî 1.
delectatus, curiosiore contemplatione fecit ut ultro sibi et quidem
a cupido daretur. Cuius muneris quam grata aestimatio animo
eius esset adlapsa regno potitus ostendit. Totam namque urbem

3. non in ultima] *sic pr. A, sed* non *punctis notat. corr. A.* in ultima *(omissò* non) *Γ.* non nisi in ultima *CDEFTorr.* || exemplorum domesticorum *F.* || 4. honesti] *add.* actus *in rasura D, Torr.* || etiam ab infimis] *in rasura D.* || estis] sunt *in rasura D. om. Torr.* || 5. editi memoria] *in rasura D.* || intercidant *Torr.* || 6. is abiecti *F.* || 7. Darius] *sic litt.* i *in paenultima h. l. A.* || adhuc priuatae *D.* || solosontis *F.* || 8. curiore *pr. A.* curiosa *CEF.* || quidem * cupido *A.* || 10. delapsa *C.* || petitus *pr. A.* potius *F.*

Ext. *aut non adtingendus aut [non] in ultima parte)* Apparet archetypi scripturam hanc fuisse, *aut non adtingendus aut non in ultima parte domesticorum exemplorum conlocandus.* Quae cum uitiosa sint, alterius familiae altera pars ante *in ultima parte* suppleuit *nisi.* Quod receptum in uulgatis exemplaribus, mihi quidem non ita placuit. Etenim si factum aliquod non nisi in ultima domesticorum exemplorum parte collocandum fuisse dicebatur, omnino disiunctione illa opus non erat, *aut non adtingendus aut non nisi* etc., cum alterum hoc sufficeret atque illud includeret. Cum disiunctione concinnius utique dicendum *qui aut non adtingendus aut in ultima parte — conlocandus erat.* Atque id ipsum in altera eius familiae parte abbreuiator Guelferbytanus, in codice Bernensi corrector, homines haud sane insciti, temptarunt deleta negatione *non.* Quam equidem seclusi, interpositam fortasse a librario quodam propter sequentia *ut nec his adiecti nec illis praelati uideantur,* quae profecto hominem istum in eam adducere potuerunt suspicionem, necessario dici debere illud exemplum non in ultima domesticorum parte collocandum fuisse. Atque adeo probabilior etiam haec coniectura est, qua delendum *non,* quam altera illa, qua *nisi* excidisse putatur.

Sed dum honesti etiam ab † infimis estis editi) Conspirant omnes mei codices atque etiam, ut puto, Berolinensis alterius primaria scriptura cum plerisque Torrenianis, editione Moguntina eaque, qua usus est Kappius, in uerbis supra a me positis, quibus quin archetypi testimonium contineatur dubitari non potest, cum interim facile intellegatur *actus,* quod in deterioribus quibusdam inseritur post *honesti,* mutatumque *estis* in *sunt* nihil nisi librariorum coniecturas esse, non probabiliores quam Lipsii haec, *honesti etiam ab infimae sortis editi memoria non intercidat,* uel Torrenii, *honesti actus etiamsi ab infimis sint editi memoria non intercidant,* in qua ne Latine quidem res memoria intercidere dicuntur, cum ipsa rerum memoria intercidat. Nam in Liuii II, 8, quem citauit Torrenius, *credo, quia nulla gesta res insignem fecerit consulatum, memoria intercidisse,* sine dubio legendum *memoriam intercidisse.* Cf. Senec. de benef. III, 1. Suspicor equidem Valerium scripsisse *Sed dum honesti etiam ab inhonestis editi memoria non intercidat,* et acumen eum quaesiuisse contrariis notionibus compositis eodem prorsus modo ut II, 6, 15, *honesta nimirum tam inhonesto uinculo coniugia iuncturae.*

1. Cf. Herod. III, 139 et seqq. Strab. XIIII, 17, p. 638. Ael. u. h. IIII, 5 Iulian. ep. 29.

et insulam Samiorum Sylosonti fruendam tradidit. Non enim pretium rei aestimatum, sed occasio liberalitatis honorata est, magisque a quo donum proficisceretur quam ad quem perueniret prouisum.

2. Mitridates quoque rex magnifice gratus apparuit, quoniam pro Leonico, acerrimo salutis suae defensore, a Rhodiis nauali pugna excepto omnes hostium captiuos permutauit, satius esse existimans ab inuisissimis circumiri quam bene merito gratiam non referre.

3. Liberalis populus Romanus magnitudine muneris, quod Attalo regi Asiam dono dedit. Sed Attalus etiam testamenti aequitate gratus, qui eandem Asiam populo Romano legauit. Itaque nec huius munificentia nec illius tam memor beneficii animus tot uerbis laudari potest, quot amplissimae ciuitates uel amice datae uel pie redditae sunt.

4. Ceterum nescio an praecipue Masinissae regis pectus grati animi pignoribus fuerit refertum. Beneficio enim Scipionis et

1. samniorum *E.* samorum *F.* || sylosunti *C.* || enim] *add.* ei *DΓ.* || 2. est honorata *Torr.* || 3. magisque] que *om. Γ.* || proueniret *F.* || 4. peruisum *Γ.* || 8. iniustissimis *C.* || circumueniri *DE Torr.* circuiri *F. Cf. Ter. Phorm. IIII.* 3. 9. *Mart. ep. VIII.* 59. 14. || 10. §. 3. *om. Γ.* || populi Romani magnitudo *D.* || 11. dedit — etiam *om. F.* || dedit dono *Torr.* || 14. quod *F.* || ciuitates uel] ciuitatis uae *A.* ciuitates suae *D.* ciuitati uel *CEF.* || 15. amico *corr. D.* || data *C.* || pia *C.* || reddita *CEF.* || sint *F.* || 16. praecipue *om. F.* || gratiosi *Γ.* || 17. Scipionis] *add.* et Romanorum amicitia *ΓTorr.*

3. Cf. Liu. ep. libr. LIX. Vell. II, 4, 1. Strab. XIII, p. 624. Plut. Ti. Gracch. 14. Flor. II, 20 alii.

quod Attalo regi Asiam dono dedit.) Valerius, cum IIII, 8, 4 traderet Asiam bello captam Attalo regi muneris loco esse concessam, haud dubie deceptus est Ciceronis errore pro Sest. 27, 58, (cf. A. Gell. XII, 13, 26.) confundentis, ut recte adnotatum est a grammaticis, Attalum II cum Eumene fratre, cui maior pars Asiae, antea Antiocho subiecta, dono data erat a Romanis. Cf. Liu. XXXVIII, 39. Polyb. XXII, 1—7. Neque enim facile Meier cuiquam persuadebit opinionem suam, qui Ciceronem defendere conatus, Attalos non solum ipso hoc nomine praeditos, uerum unumquemque ex Attali primi posteris appellatos esse statuit. Cf. 'Pergamenisches reich' in Ersch et Gruber encyclop. p. 375. Iam uero Eumenes ille, qui acceperat Asiam, regnum reliquit fratri Attalo II et tutelam filii Attali. Hic denique Attalus, tertius eius nominis, populum Romanum heredem scripsit. Cf. Strabo et Polyb. ll. cc. Apparet igitur Valerium hoc loco alium insuper addidisse errorem, cum eundem putaret Attalum cui donata esset Asia, eundem qui eam legasset Romanis, et confudisse ultimum hunc Pergami regem cum patruo suo; falsos uero etiam esse Torrenium et qui eum expilarunt Valerii enarratores, cum adnotarent Attalum, qui accepisset Asiam, auum fuisse eius, qui hanc prouinciam Romanis reliquisset.

Beneficio enim Scipionis et persuasu) Non tantas haec uerba Valerii editoribus praebuissent difficultates, si Colerus de antiqua libri Bernensis scriptura quam de recentiore eius interpolatione referre maluisset. Etenim, cum olim

persuasu regni modo liberalius auctus, memoriam incliti muneris ad ultimum uitae finem, longa etiam a dis inmortalibus senectute donatus, constantissima fide perduxit, adeo ut eum non solum Africa sed etiam cunctae gentes scirent amiciorem Corneliae familiae atque urbi Romanae quam sibimet † si superesse. Ille, cum graui Karthaginiensium bello premeretur ac uix tutelae imperii sui sufficeret, tamen Scipioni Aemiliano, quia nepos Africani erat, bonam magnamque partem Numidici exercitus, quam Lucullo consuli, a quo ad auxilia petenda missus fuerat, in Hispaniam duceret, promptissima mente tradidit, praesentique

1. persuasu] persua *pr. A.* peruasi *corr. A. Torr.* persei *Γ.* || regnis *Γ.* || modo *om. Γ.* || liberius *ACDEKapp.* uberius *F.* liberaliter *ΓTorr.* || actus *pr. A.* || memoria *A.* || inclyti *corr. A.* || 2. longa — (3.) donatus *om. Γ.* || 3. eum *om. pr. E.* || 4. amictiorem *A.* amiciciorem *DEF.* || 5. si] ipsi *Γ et corr. A, Torr.* ipsi si *D.* || superesse] *sic A.* superesset *CDEF.* semper esse *Γ.* semper fuisse *Torr.* || 6. bello cartaginentium *F.* || 7. sui imperii *F.* || scipione *D.* || de aemiliano (*sed* de *punctis notat.*) *A.* die aemiliano *C.* || 8. africano *ACDΓ.* || 9. quam] quae *A.* ut *D.* quem *Torr.*

exaratum in eo fuerit *et persua regni*, intellegitur excidisse ultimam syllabam uocis *persuasu*, idque iam in archetypo codice factum esse demonstrat praepostera abbreuiatoris Guelferbytani emendatio *et persei regni*, orta ex illo *persua regni*. Ab eodem abbreuiatore post Scipionis nomen inculcata sunt haec, *et Romanorum amicitia*, quae aliena a reliquis codicibus, sed a Pighio e Cauchiano recepta, manserunt etiam in Torreniano exemplo. Mansit item illud *peruasi regni*, quod ab emendatore libri Bernensis profectum probauerat Colerus, cum tamen, ut concedam Valerio insolens et inferiore demum aeuo usitatum uocabulum, alienissimum sit a proposito auctoris, beneficia Scipionis laudibus extollentis, Masinissae uastatum regnum donatum esse dici. Alii alia temptarunt, *perampli, peruasti*, Perizonius *p. r. (populi Romani) iussu*, donec Kappius genuinam, ut mihi quidem uidetur, scripturam recepit, qua recte iam explicauerat Torrenius significari Scipionem non solum auctorem muneris illius extitisse, uerum etiam in senatu suasorem.

liberalius auctus) Liberius, quod codices manuscripti tantum non omnes circumferunt et editiones, ubi sola liberalitatis et munificentiae denotatio desideratur, ferri non potest. Neque etiam in illo Vergilii georg. I, 128, *ipsaque tellus Omnia liberius nullo poscente ferebat*, idem significat *liberius* atque *liberalius*, *largius*, ut existimat Forcellinius, sed dictum est de libera et incoacta terrae uoluntate. Itaque omnino aut *uberius* legendum est, quod coniecerunt librarius codicis Guelferbytani alterius et Perizonius, aut *liberalius*, quod mihi similius ueri uidetur. Saepissime enim in his libris archetypum exemplum eo deprauatum erat, quod aliquot litterae in mediis uerbis interciderant.

quam sibimet † si superesse.) Editiones ante Pighium emissae *quam sibimet semper fuisse*, Pighius *quam sibimet ipsi semper fuisse*. Quae retenta in recentioribus editionibus non habent quo offendant, si sententiam spectaueris, si ueri similitudinem emendationis, non satisfaciunt, cum interim ne intellegatur quidem praesens tempus *(semper esse)* in hoc nexu, *perduxit, adeo ut — scirent*. Mihi quidem quo diutius considero Valerii dicendi consuetudinem, eo magis probatur Torrenii suspicio, inter alias cunctanter prolata, duobus suppletis litteris scribendum esse *quam sibimet ipsi superesse*, eoque significari Masinissam regem ad tantam aetatem produxisse uitam et quasi superstitem esse, amiciorem urbi Romanae Corneliaeque familiae quam sibimet ipsi. Talis certe

periculo respectum pristini beneficii anteposuit. Ille, cum iam aetate deficiente magnas regni opes quattuor et quinquaginta filiorum numero relinquens in lectulo laberetur, M'. Manilium, qui proconsul Africam obtinebat, litteris obsecrauit ut ad se Scipionem Aemilianum sub eo tunc militantem mitteret, feliciorem mortem suam futuram ratus, si in conplexu dexterae eius supremum spiritum ac mandata posuisset. Ille aduentum Scipionis fatis suis praecurrentibus haec uxori liberisque praeceperat, unum in terris populum Romanum et unam in populo Romano Scipionis domum nosse; integra omnia Aemiliano reseruare; eum diuidendi regni arbitrum haberent; quod is statuisset perinde *atque* testamento cautum inmutabile ac sanctum optinerent. Tot

1. aetate iam *F.* || 3. numerum *D Torr.* || m. manilium *A C E F Γ Torr.* m. maulmium *D.* || 4. procons. *(per compendium) A E.* proconsule *Torr.* || 6. dextrae *Torr.* || 8. suis *om. E.* || praecepit *E.* || 9. terris] *add.* patrem *F.* || 10. nosce *E et litt.* ce *in rasura C.* || 11. arbitrium *F.* || statueret *D.* || 12. atque] *om. C F et pr. A.* ut *corr. A.* si *D.* ac *E Torr.* ac si *Γ.* || sanctum et immutabile *F.* || tot tamque] totamque *A.* totaque *C.* totque *F.*

relatio ad ea, quae supra de longa eius senectute dicta erant, in his uerbis latere uidetur. Sed nihil affirmauerim pro certo, praesertim cum ne haec quidem notio uerbi *superesse* adeo frequens sit.

Ille, cum iam aetate deficiente) Cf. Liu. epit. libr. L. App. Pun. 105, p. 48. Eutrop. IIII, 11. Zonar. IX, 27.

quattuor et quinquaginta filiorum numero) Dandi casum, optimis codicibus stabilitum, iniuria reiecerunt Torrenius et Kappius, quod non omnibus illis, sed tribus tantum (App. l. c. Sall. Iug. 5.) aut quinque (Polyb. XXXVII, 3) legitimis regnum reliquisset Masinissa; neque enim de minutis his rebus semper accurate refert Valerius. Quid quod de solo regno relinquendo ne loquitur quidem, sed de magnis regni opibus? Verum haec leuia; grauius argumentum inde repeto, quod filiorum commemoratio omnino alienissima esset ab hoc loco, nisi de heredibus cogitasset Valerius, quibus ut diuideret regni opes arcessitus erat Scipio. Itaque sine dubio illorum numero istas opes relictas esse scripserat. Eutropius quoque IIII, 11, in numero filiorum discrepans a Valerio, ita refert, *Masinissa — XLIIII filiis relictis, Scipionem diuisorem regni inter filios esse iussit.*

in lectulo laberetur) Perquam mire hoc dictum de homine moribundo. Quare non male Perizonius legendum esse coniecit *in lectulo dilaberetur*, comparans uerbum V, 1, ext. 1 eodem significatu positum de Alexandro, *quamquam uiolentia morbi dilabebatur.* Quod equidem longe praefero recentiorum quorundam librorum scripturae, probatae a Torrenio, *in lectulum laberetur.* Nescio tamen an defendi possit bonorum librorum conspirans testimonium. Similiter certe tabescendi et deficiendi notione hoc uerbum posuit Tac. VI ann. 50, *labi spiritum nec ultra biduum duraturum.*

M'. Manilium) Constanti errore codices cum Valerii tum aliorum auctorum hunc L. Marcii Censorini in consulatu collegam Marcum Manilium appellant, cum fuerit Manius. (Cf. App. Pun. 75. Drak. ad Liu. epit. libr. XLIX.) Consulatum gesserat a. u. c. 605, prorogatoque imperio insequenti quoque anno Africam prouinciam obtinuerat.

perinde atque testamento cautum) Manifestum est excidisse in archetypo codice post *perinde* copulatiuam particulam *ac, atque, ut* uel aliam ex eodem

tamque uariis rebus se Masinissa infatigabili pietatis serie ad centesimum extendit annum. His et horum similibus exemplis beneficentia generis humani nutritur atque augetur. Hae sunt eius faces, hi stimuli, propter quos iuuandi et emerendi cupiditate flagrat. Et sane amplissimae et speciosissimae diuitiae sunt, feliciter erogatis beneficiis late posse censeri. Quorum quoniam religiosum cultum instituimus, nunc neglectum suggillandi gratia, quo sit gratior, referemus.

DE INGRATIS.

Vrbis nostrae parentem senatus, in amplissimo dignitatis gradu ab eo conlocatus, in curia lacerauit, nec duxit nefas ei uitam adimere, qui aeternum Romano imperio spiritum ingenerauerat. Rude nimirum illud et ferox saeculum, quod conditoris sui cruore foede maculatum ne summa quidem posteritatis dissimulare pietas potest. III. 1.

Hunc ingrate lapsae mentis errorem consentanea ciuitatis nostrae paenitentia sequitur. Virium Romanarum et incrementum 2.

3. generi *F.* || augetur atque nutritur *D.* || 4. facies *AΓ.* || propter] per *E.* || emerendi] emendandi *E.* || 5. fraglat *A.* flagratur *F.* || 7. sigillandi *F.* || 8. inferemus *D.* || 10. §. 1. *om. Γ.* || parentem] *add.* 1. P. romulum sen. immemor beneficiorum in c. discerpsit *margo A.* || 11. ne *C.* || 14. fede *A. Vid. Lachm. ad Lucret. I, 84. p. 23.* || ne] non ẽ. *C.* || 16. Hunc — (17.) sequitur *om. Γ.* || ingratum *CEF et corr. A. Torr.* || lapsae] laxe *F.* || nostrae ciuitatis *Torr.* || 17. potencia *E.* || romanorum *E.*

genere. Nam *et*, quod facillime sane inter litteras *e* et *t* intercidere potuit, quodque cum *perinde* compositum frequentauit Tacitus, locum non habet nisi coniunctis subiectis, i. e. ubi *perinde* absolute positum aduerbiorum more uerbo aut adiectiuo subiungitur, copula uero illa duo substantiua conectit, ut apud Tac. XVI. ann. 13, *seruitia perinde et ingenua plebes raptim extingui.* Eadem causa est, cur ne sine copula quidem absolute hoc loco *perinde* dici potuit. Valerius, qui saepissime hoc uocabulo utitur, constanter *ac* aut *atque* apposuit, ut horum alterutrum eligendum sit. Praetuli *atque*, quia alterum illud statim sequitur, et aliquando uerisimilius est excidisse *atque* post uocem in eandem litteram exeuntem.

ad centesimum extendit annum) Consilio a Valerio annorum numerum auctum esse recte adnotauit Torrenius. Nonagenarium enim eum decessisse testantur Polyb. XXXVII, 3; Plin. h. n. VII, 14. App. Pun. 106. Suidas, alii; anno uitae XCVII mortuum scribit Eutropius IIII, 11; maiorem nonaginta annis Liuius epit. libr. L et ipse Valerius VIII, 13, ext. 1.

1. Cf. Liu. I, 16. Dion. Hal. II, 56. Plut. Rom. 27. Flor. I, 1, 17; alii.

2. Cf. Liu. V, 32. Plut. Cam. 12. Dion. Hal. exc. Vat. Mai. coll. II, p. 479; alii.

ingrate lapsae mentis errorem) Vt nos codices Bernensem et alterum Berolinensem secuti edidimus, ita Torrenius legendum esse coniecerat, quippe

laetissimum et tutela certissima, Furius Camillus, in urbe incolomitatem suam tueri non ualuit, cuius ipse salutem stabilierat, felicitatem auxerat. A Lucio enim Apuleio tribuno plebis tamquam peculator Veientanae praedae reus factus duris atque, ut ita dicam, ferreis sententiis in exilium missus est, et quidem eo tempore, quo optimo iuuene filio spoliatus solaciis magis adleuandus quam cladibus onerandus erat. Sed inmemor patria tanti uiri maximorum meritorum exequiis filii damnationem patris iunxit. At, inquit, aerario abesse tribunus plebis querebatur quindecim milia aeris. Tanti namque poena finita est. Indignam summam, propter quam populus Romanus tali principe careret!

Priore adhuc querella uibrante alia deinceps exurgit. Africanus superior non solum contusam et confractam belli Punici armis rem publicam, sed paene iam exanguem atque morientem Karthaginis dominam reddidit. Cuius clarissima opera iniuriis pensando, ciues ignobilis eum ac desertae paludis accolam

1. latissimum *E.* || caruilius *F.* || urbem *D.* || incolumitatem *corr. A cum reliquis et Torr.* || 3. et felicitatem *D.* || A Lucio enim] siquidem a l. *Γ.* || apulio *F.* || 4. ut *om. E.* || 5. et quidem] equidem *ACDΓ.* || 6. filio iuuene *F.* || solaciis] *sic A. Cf. IIII*, 4, 11. *Lachm. ad Lucr. VI*, 4. *p.* 348. || allemandus *D.* alleuiandus *E.* || 7. honerandus *pr. A.* honorandus *F.* || 9. tribunus plebis] tr̃. pl̃. *A.* tribunus plus *F.* || querebant *Γ.* || 10. quindecim milia] x̄ *Γ.* || namque] enim *F.* || est *om. Γ.* || 12. Priore — exurgit *om. Γ.* || priori *E.* || ad haec *F.* || quaerella *pr. A.* || 15. Karthaginis — Cuius *in rasura A.* || 16. ciues] uici *in rasura A.* ciuitatis *CEF.* ciues uici *Torr.*

cui *ingratae* enotatum esset e cod. Vltraiectino primo et Mediceo secundo; uituperaturque iniuria eo nomine a Kappio, qui ingratum errorem eum esse dixit, quem commisisse nollemus, et cuius recordatio iniucunda nobis esset. Sed quisnam haec ita intellexerit, ubi de ingratis potissimum agitur? Itaque etiamsi *ingratum* legas, tamen de ingrato animo explices oportet. Sed aduerbium, quod erat in archetypo, utique praeferendum est. Ceterum recte Torrenius contra Ascensium et Gudium *Hunc ingrate lapsae mentis errorem* de pulso Camillo, non de Romuli caede enarrat, et addit *Hunc (quem relaturus sum) errorem*, eumque paenitentiam secutam esse dici, quia, quem ingrati eiecissent, postea reuocassent.

At, inquit, aerario abesse) Male Lipsius legendum censuit *inquis*, male Torrenius populum Romanum subiectum esse putat. Solent enim hoc uerbo absolute posito incertoque subiecto induci aduersationes, quas scriptor, cum facile obici sibi intellegat, ipse sibi opponit et refellit. Cf. Gronou. ad Liu. XXXIIII, 3, 9. Madu. gramm. §. 485 b. not. 5.

Africanus superior etc.) Cf. Liu. XXXVIII, 53. Senec. ep. 86. Auct. de uir. ill. 49.

ciues ignobilis eum ac desertae paludis accolam) Primaria codicis Bernensis scriptura sub litura extincta est, in qua nunc legitur *uici*. Si spatium liturae consideramus, dubitari uix potest quin antiqua scriptura conspirauerit cum alterius familiae altera parte *(x')*, exhibente *ciues*, unde quod altera eius familiae pars *(x'')* tradidit, *ciuitatis*, e coniectura natum esse liquet. Est uero omnino necessarius pluralis subiecti numerus propter uerbum *fecerunt*. Librariis,

fecerunt. Eiusque uoluntarii exilii acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, sepulcro suo inscribi iubendo 'Ingrata patria ne ossa quidem mea habes'. Quid ista aut necessitate indignius aut querella iustius aut ultione moderatius? Cineres ei suos negauit, quam in cinerem conlabi passus non fuerat. Igitur hanc unam Scipionis uindictam ingrati animi urbs Romana sensit, maiorem mehercule Coriolani uiolentia. Ille enim patriam metu pulsauit, hic uerecundia. De qua [re] ne queri quidem, tanta uerae pietatis constantia! nisi post fata sustinuit.

Talia passo, credo, quae fratri eius accidere solacio esse potuerunt. Cui rex Antiochus deuictus et Asia imperio populi Romani adiecta speciosissimusque triumphus ut peculatus reus fieret et in carcerem duci iuberetur causam praebuit.

Nihilo uirtute posterior Africanus auo minor, sed ne exitu

1. uoluntariam *CEF.* || tacitam *F.* || 2. sepulchro *pr. A.* || nec *F.* || 4. suos ei *F.* || 6. Roma *Torr.* || 7. metu patriam *DEFΓTorr.* || 8. re *om. Torr.* || ne] non *C.* nec *F.* || tanta] *add.* est *Torr.* || 9. post] prius *F.* || facta *F.* || 10. solatio *(A.) Cf. IIII. 4, 11. V, 3, 2.* || 11. anthiocus *A.* || 12. adicta *pr. F.* || 13. et] ac *E.* || 14. auo] aut *ACDE.* at *F.* auunculo *Γ. om. Torr.* || minor] minor fuit *ante* posterior *Torr.* || sed ne] aut *D.* ne in *F.*

ut equidem existimo, difficultatem praebuit adiectiuum *ignobilis* cum palude coniunctum, quo adiectiuo nonnisi habitata loca designari putasse uidentur, quare pro *ciues* alii *ciuitatis*, alii *uici* substituerunt. Paludis uero ignotae ac desertae accola dicitur propter uillam prope Liternum (cf. II, 10, 2), quod stagnosum uocat Sil. Ital. VI, 654. Pighius, cum in editionibus ueteribus ante Aldum fuisset *uici ignobilis*, in Aldinis *ciuitatis ignobilis*, male pro eo posuerat *ciues uici ignobilis*, quod manserat usque ad Kappium, qui primus scripturam a nobis supra exhibitam et a Perizonio quoque probatam restituit.

De qua [re] ne queri quidem) Non habet illud *re* quo referatur. Nam secundum grammaticam rationem pertineret ad id, quod Scipio patriam uerecundia pulsasse dicitur, atque adeo ineptam efficeret sententiam. Equidem persuasum habeo interpolatum esse *re* a librario quodam, qui non intellegeret relatiuum pertinere ad patriam, de qua Scipio queri noluerat nisi post mortem. Itaque recte iam Aldus spuriam uocem expunxerat.

Cui rex Antiochus deuictus etc.) Cf. Liu. XXXVIII, 55. Auct. de uir. ill. 53.

Nihilo uirtute posterior Africanus etc.) Cf. Liu. epit. libr. LIX. Cic. pro Mil. 7, 16. Vell. II, 4. Plut. Rom. 27. alii.

posterior Africanus auo minor) Libri tantum non omnes *Africanus aut minor*. Vnde editores delerunt *aut* et post *minor*, quod transposuerunt etiam ante *posterior*, praeter necessitatem inseruerunt *fuit*. Possis sane suspicari recte expunctum esse illud *aut*, tamquam adiectum a librario, qui eandem aetatis significationem inesse in uerbis *posterior* et *minor*, atque hunc posteriorem siue minorem Africanum nec uirtute nec exitu L. Scipione Asiatico feliciorem dici putaret. Debebat igitur *siue* ponere. Sed probabiliore emendatione ipse archetypi corruptelae succurrisse mihi uideor, qui una litterula mutata *auo* scripsi pro *aut*. Magis enim sententiae nexui conuenit comparationem fieri inter utrumque Scipionem Africanum quam inter Africanum posteriorem et Asiaticum, quia cum utroque Scipione Africano paulo post comparatur Scipio Nasica.

quidem felicior. Duabus enim urbibus, Numantia atque Karthagine, imperio Romano imminentibus ex rerum natura depulsis, raptorem spiritus domi inuenit, mortis punitorem in foro non repperit.

Quis ignorat tantum laudis Scipionem Nasicam toga quantum armis utrumque Africanum meruisse, qui pestifera Ti. Gracchi manu faucibus oppressam rem publicam strangulari passus non est? Sed is quoque propter iniquissimam uirtutum suarum apud ciues aestimationem sub titulo legationis Pergamum secessit, et quod uitae superfuit ibi sine ullo ingratae patriae desiderio peregit.

In eodem nomine uersor, necdum Corneliae gentis querellas exhausi. Namque P. Lentulus, clarissimus et amantissimus rei publicae ciuis, cum in Auentino C. Gracchi nefarios conatus et aciem pia ac forti pugna magnis uulneribus exceptis fugasset, proelii illius, quo leges, pacem libertatemque in suo statu retinuerat, hanc mercedem tulit ne in urbe nostra moreretur. Siquidem inuidia et obtrectatione conpulsus legatione a senatu libera impetrata habitaque contione, qua a dis inmortalibus petiit ne umquam ad ingratum populum reuerteretur, in Siciliam profectus est, ibique perseueranter morando compotem se uoti fecit. Quinque igitur deinde Cornelii totidem sunt notissima ingratae patriae exempla.

---

1. numantia ∘ *A.* numantiam *F.* || kartagine ∘ *A.* cartaginem *F.* || 3. spiritus] *add.* sui *punctis notatum E.* || 5. quantum] quam *F.* || 7. strangilari *A.* || 8. his *F.* || 9. successit *F.* || 11. pergit *pr. A.* || 13. exausi *pr. A.* || et amantissimus *om. F.* || 14. ciuis cum] qui tum *E.* || aduentuno *pr. A.* aduentino *corr. A.* auentinum *D Γ.* aduentum *F.* || conatus *om. F.* || 16. legem *E.* || 18 a senatu] sane tum *A.* 19. libera] *add.* et *F.* || 21. perseuerans *F.* || uoti se *F.* || 22. Quinque — (23.) exempla *om. Γ.* || deinde] *post* Cornelii *E.* demum *D Torr.* || totidem] tot *E.*

Quis ignorat etc.) Cf. Plut. Ti. Gracch. 21. (Cic. pro Flacc. 31, 75.)

P. Lentulus) Cf. Cic. Phil. VIII, 4, 14. id. in Cat. IIII, 6, 13. De populi ingrato in eum animo aliunde nihil constat, non magis quam de uoluntario eius secessu in Siciliam.

Quinque igitur deinde Cornelii) Torrenius, editionem Moguntinam et deteriores aliquot libros manuscriptos secutus, *demum* posuerat pro archetypi *deinde*, cum Pighius ancipitem uocem omnino eiecisset, adnotaruntque uiri docti frequenter a librariis alterum cum altero esse confusum. Quod uellem probassent exemplis ex antiquioribus codicibus desumptis, a quibus alienum est compendium *deiñ (deinde)*, quod causam huius confusionis praebuisse credi posset. Itaque ueri similitudine plane caret ista emendatio. Quid, quod ne sententiae quidem conuenit, cum contrarium prorsus dicendum fuerit, *quinque iam Cornelii*, quia auctor non quod tam pauci, sed quod tam multi sunt miratur? Sed ne illud *deinde* quidem intellegitur, nisi positum sit pro *denique* aut pro *deinceps*, quae sola huic sententiarum nexui apta esse uidentur. Cuius tamen

Atque horum quidem secessus uoluntarii; Ahala uero, cum magister equitum Sp. Maelium regnum adfectantem occidisset, custoditae libertatis ciuium exilio suo poenas pependit.

Ceterum ut senatus populique mens in modum subitae tem- 3.
pestatis concitata leni querella prosequenda est, ita singulorum ingrata facta liberiore indignatione proscindenda sunt, quia potentes consilii, cum utrumque ratione perpendere liceret, scelus pietati praetulerunt. Quo enim nimbo, qua procella uerborum impium Sextili caput obrui meretur, quod C. Caesarem, a quo cum studiose tum etiam feliciter grauissimi criminis reus defensus fuerat, Cinnanae proscriptionis tempore profugum, praesidium suum in fundo Tarquiniensi cladis condicione inplorare, beneficii iure repetere coactum, a sacris perfidae mensae et altaribus nefandorum penatium auulsum truculento uictori iugulandum tradere non exhorruit? Finge accusatorem eius fortuna publica in supplicis nomen conuersum tam luctuosam illam opem genibus adnixum orasse, crudeliter tamen repulsus uideretur, quia etiam quos iniuriae inuisos faciunt, gratiosos miseriae reddunt. Verum Sextilius non accusatorem, sed patronum saeuissimae inimici uiolentiae suis manibus obiecit, si metu mortis, uita indignus, si praemii spe, dignissimus morte.

---

1. Atque — (3.) pependit *om. Γ.* || Atque] at *E.* || uoluntarii] *ante* secessus *E.* uoluntariis *F.* || hala uero *EF.* hailanero *C.* || 2. magistrum *ACD.* || melium *ACEF. Torr.* elium *D. Vt nos Par.* || 3. custodiae *CDEF et pr. A.* || liberatisque *F et pr. A.* libertatisque *CD.* || 4. §. 3. *om. Γ.* || 5. leui *DEF.* || 6. dignatione *pr. A.* || prosequenda *D.* || sunt *om. D.* || 7. ratione] idem *F.* || 9. caesaro *C.* || 10. cum] tum *DEF.* || 11. fuerit *F.* || profugium *F.* || 12. condictione *F.* || 13. iura *D et corr. A.* || perfidiae *AF.* || 14. penatum *DF.* || 15. exhorruit] erubuit *E.* || 16. suppliciis *AC et pr. E.* || illum *corr. A. Torr.* || 18. quia] qui *pr. A.* quin *CEF.* || gratiose *C.* || 21. indignus] dignus *CE.* || morte dignissimus *FTorr.*

---

significatus, per se non improbabilis, cum alia exempla non inueniantur, uereor ne librarii cuiusdam error sit, *deinde* male exarantis pro *denique*.

Ahala uero) Cf. Liu. IIII, 13, 14. Cic. pro dom. 32, 86.

magister equitum Sp. Maelium) Vitiorum duorum ex archetypo codice in reliquos tantum non omnes translatorum, *magistrum* et paulo post *custodiae libertatisque*, alterum recte sustulit Ascensius, alterum corrector libri Bernensis *(custoditae libertatis)*, adiutus Paridis epitome, in qua est *custodita libertate ciuium exilio suo poenas pendit (*leg. *pependit)*. Librarii cuiusdam stupore factum est, ut cum littera *t* in *custoditae* excidisset, adeo ut duo genitiui, qui putabantur, concurrerent, alteri *(libertatis)* adderetur *que*.

3. Cf. Cic. de or. III, 3, 10.

genibus adnixum orasse) Torrenius, quod adnitendi uerbum 'plerumque intentam operam et summum studium aliquid perficiendi significaret', dubitabat num Valerius scripsisset *genibus adfixum* (i. e. genibus Sextilii ita aduolutum

4. Sed ut ad alium consentaneum huic ingrati animi actum transgrediar, M. Cicero C. Popilium Laenatem, Picenae regionis, rogatu M. Caeli non minore cura quam eloquentia defendit, eumque causa admodum dubia fluctuantem, saluum ad penates suos remisit. Hic Popilius postea, nec re nec uerbo a Cicerone laesus, ultro M. Antonium rogauit ut ad illum proscriptum persequendum et iugulandum mitteretur, inpetratisque detestabilis ministerii partibus gaudio exultans Caietam cucurrit et uirum, mitto quod amplissimae dignitatis, certe † salubritati studio praestantis officii priuatim sibi uenerandum, iugulum praebere iussit, ac protinus caput Romanae eloquentiae et pacis clarissimam dexteram per summum et securum otium amputauit, eaque sarcina tamquam opimis spoliis alacer in urbem reuersus est. Neque enim scelestum portanti onus succurrit illud se caput ferre, quod pro capite eius quondam perorauerat. Inualidae ad hoc monstrum

1. Sed ut — (2.) transgrediar *om. Γ.* || huic] ut hic *F.* || 2. t. pompilium *D.* || Picenae] *add.* I. P. picentis *margo A.* || 5. Popilius] *om. Γ.* pupilius *A.* || 6. prosequendum proscriptum *E.* proscriptum sacramentum persequendum *F.* || 7. delectabilis *C.* || 8. gaietam *F.* || omitto *DFΓTorr.* || quod] quem *F.* || 9. salubritati] *sic pr. A.* salubritatis *CFΓ et corr. A.* salubritatis eius auctorem *partim in margine partim in rasura D.* salutis eius auctorem *ETorr.* || studio] *add.* etiam *DTorr.* || 11. clarissimam] clementissimam *E.* || dexteram] *add.* et *F.* || 13. enim] *om. F.* ei *E.* || 14. portanti onus selestum *CE.* scelestum onus portanti *DΓ.* || 15. quodam *F.*

ut ea firmiter complecteretur.) Quae ratio mutandae scripturae nulla est. Similiter Tac. III ann. 61 Latonam oleae adnisam dixit, et Columella de r. r. V, 4, 1 uites adnixas pedaminibus. Cf. Verg. Aen. IX, 229.

4. Cf. Liu. epit. libr. CXX. Plut. Cic. 48. App. ciu. IIII, 19. p. 305. M. Senec. suas. 6. id. controu. III, 17. L. Senec. de tranq. anim. 15. Dio. Cass. XLVII, 11. p. 333 B. p. 498 Reim.

certe † salubritati studio praestantis officii). Manifesto apparet archetypi libri eam scripturam fuisse, quam supra cum mendi nota posui. Vnde nimium quantum discedunt priores editiones recentiorumque grammaticorum coniecturae. Nam cum uulgo legeretur *certe salutis eius auctorem, studio etiam praestantis officii*, Perizonius deleto *etiam*, quod aberat a codice suo, aut uulgatam scripturam retinendam aut legendum *studiose pro tantis officiis* iudicabat. Torrenius propius accedens ad archetypi testimonium *certe salubris artis studio et praestantis officii*. Liquet autem Valerium haec dixisse, Ciceronem Popilio praeter dignitatem cunctis notissimam priuatim quoque uenerandum fuisse propter salubrem illam operam, aliquando in eximio defensionis officio positam. Itaque scripserit fortasse, quemadmodum coniecisse uideo Fr. Fabricium in uita Ciceronis ann. 64, *certe salubri studio praestantis officii*, adeo ut expunctis quattuor litteris in fine u. *salubritati* nihil mutandum sit. Quas litteras ortas puto e *tari*, quod in antiquo quodam libro syllabae *bri* superscriptum fuerit ad significandam uariam scripturam *salutari* pro *salubri*. Saepenumero enim ita interlineares emendationes in describendo cum ipsis Valerii uerbis conexae singularium prorsus mendorum causam praebuerunt. Cf. quae adnotauimus III, 7, 9 ad uu. *quo tam pleno* et V, 4, ext. 5 ad uu. *ultimam iam solitudinis*.

suggillandum litterae, quoniam qui talem Ciceronis casum satis digne deplorare possit, alius Cicero non extat.

Quo te nunc modo, Magne Pompei, attingam nescio. Nam 5.
et amplitudinem fortunae tuae, quae quondam omnes terras et omnia maria fulgore suo occupauerat, intueor et ruinam eius maiorem esse quam ut manu mea adtemptari debeat memini. Sed tamen nobis quoque tacentibus Cn. Carbonis, a quo admodum adulescens de paternis bonis in foro dimicans protectus es, iussu tuo interempti mors animis hominum non sine aliqua reprehensione obuersabitur, quia tam ingrato facto plus L. Syllae uiribus quam propriae indulsisti uerecundiae.

Ac ne nostra confessis alienigenae urbes insultent, Kartha- Ext. 1.
ginienses Hannibalem, qui pro illorum incolomitate et uictoria tot imperatores totque exercitus nostros trucidauerat, quot gregarios milites hostium si occidisset magnae gloriae foret, conspectu suo summouere animum induxerunt.

Neminem Lycurgo aut maiorem aut utiliorem uirum Lace- 2.
daemon genuit, utpote cui Apollo Pythius oraculum petenti respondisse fertur nescire se utrum illum hominum an deorum numero adgregaret. Huic tamen neque uitae summa sinceritas neque constantissimus erga patriam amor neque leges salutariter excogitatae auxilio esse potuerunt quominus infestos ciues experiretur. Saepe enim lapidibus petitus, aliquando foro eiectus,

1. sugillandum *(A.)* sigillandum *F. Cf. II, 3, 1. V, 2, ext.* 4. || litterae] nocere *F.* || 3. §. 5. *om. Γ.* || 6. quam] quod *F.* || 7. nobis tamen *Torr.* || c. m. carbonis *C.* || 9. suo *F.* || 10. obuersabitur] *ante* non sine aliqua *Torr.* obseruabitur *CDEF et pr. A.* || sillae *A.* || 12. At *Torr.* || nostra *om. D.* || 13. incolumitate *corr. A cum reliquis et Torr.* || uictoria] gloria *F.* || 14. totque] tot *F.* || nostrorum *E.* || 15. si occidisset] occidisse *(omisso* si*) CE.* || conspectu] *sic A CΓ et pr. DE.* e conspectu *corr. D Torr.* a conspectu *corr. E.* ex conspectu *F. Vid. ad I, 5, 1.* || 16. in animum *CEF Torr.* animo *DΓ.* || duxerunt *pr. A.* || 17. ulteriorem *F.* || lacedemon *A.* lacedaemonia *DΓ.* || 18. pitius *pr. A.* pithius *corr. A.* || 19. illud *A.* illorum *F.* || deorum an hominum *F.* || 20. summae *A et post* sinceritas *E.* || 21. salutariter] *ante* leges *F.* salubriter *E.* || 23. aliqua *F.* || foro eiectus oculo] furore eiectus publico *ADEΓ.* furore eiectus publice furore *C.* eiectus furore publico furore *F.* furore publico eiectus *Torr.*

5. Cf. Liu. epit. libr. LXXXIX. Plut. Pomp. 10. App. ciu. I, 96. p. 197. Oros. V, 21. Val. VI, 2, 8.

Ext. 1. Cf. Liu. XXXIII, 47. Corn. Nep. Hann. 7.

2. Cf. Plut. Lycurg. 11. Stob. serm. 17 et 92. Ael. u. h. XIII, 23.

aliquando foro eiectus, oculo etiam priuatus) Codices, qui nullas alias perpessi sunt interpolationes quam quae archetypum librum infecerunt, haec ita tradunt, *aliquando furore eiectus publico etiam priuatus ad ultimum* etc., unde nescio quis nugator, publico furori priuatum, ut uidetur, opponendum ratus, in plerosque alterius familiae libros induxit illud *furore eiectus publico* (uel *publice*) *furore*

oculo etiam priuatus, ad ultimum ipsa patria pulsus est. Quid aliae faciant urbes, ubi etiam illa, quae constantiae et moderationis et grauitatis eximiam sibi laudem uindicat, tam ingrata aduersus tam bene meritum extitit?

3. Detrahe Atheniensibus Thesea, nullae aut non tam clarae Athenae erunt. Siquidem ille uicatim dispersos ciues suos in [suam] unam urbem contraxit, separatimque et agresti more

1. priuatus] *add.* oculo *margo A, margo E, D Torr.* priuato *F.* || 2. faciunt *F.* || 3. uindicat tam] uindicatam *A.* || 5. theseam *D.* || 6. ille uicatim] *sic Γ.* ille . . uicatim *A.* ille locanti *F.* ille locatim *CDE.* || 7. suam *om. Torr.* || unam *om. E.* || separatimque] passimque *(litt. passim in rasura) A.* separatique *F.*

etiam priuatus. Sed inter iniurias in Lycurgum congestas praecipuam fuisse quod oculo priuaretur omnes testantur quos supra citaui scriptores, adeo ut recte ad *priuatus* emendator in margine libri Bernensis suppleuerit *oculo*, adiutus nimirum Iulii Paridis compendio, cuius uerba haec sunt, *lapidibus a ciuibus petitus, pulsus foro ita ut oculum amitteret, nouissime exulauit.* Iam uero Torrenius in Valerianis uerbis merito loci significationem desiderat, unde eiectus sit Lycurgus. 'Nam', inquit, 'cum simpliciter dicatur *furore eiectus publico*, unde, quaeso, ex communi loquendi consuetudine eiectus intelligetur nisi ex ciuitate? Sed tunc addi non poterat *ad ultimum ipsa patria pulsus est*'. Itaque egregie conicit uir doctissimus legendum esse *aliquando foro eiectus furore publico, etiam oculo priuatus*, Plutarchi comparans uerba τέλος δὲ βαλλόμενος ὑπὸ πολλῶν ἐξέπεσε τῆς ἀγορᾶς δρόμῳ, confirmatque fori commemorationem Iulius Paris. At nemo non uidet satis mire in hac tantummodo occasione commemorari publicum furorem, cum idem ille effecerit ut lapidibus peteretur Lycurgus, estque multo ueri similius latere fori uocabulum in illo *furore* quam omnino excidisse. Scribendum igitur est, si quid iudico, *aliquando foro eiectus.* Quod si uerum est, restat superuacuum et molestum *publico.* Neque enim quisquam priuatum nouerit forum, cui opponatur publicum. Sed nullus equidem dubito quin pro eo substituendum sit *oculo*, quod hunc certe locum obtinere debet et post alterum illud peccatum (*furore*) facillime transire poterat in *publico.* Ita demum haec uerba et Paridis testimonio et iustae orationis normae conueniunt.

patria pulsus est) Voluntarium exilium ipsum sibimet imposuisse Lycurgum satis notum est. Valerius haec contra historiae fidem narrare, quo magis cum proposito congruerent quoque acerbius sentiretur ingratus Lacedaemoniorum animus, non duxit nefas. Cf. praef. p. 27.

3. Cf. Plut. Thes. 35.

Siquidem ille uicatim dispersos) Codices mei tantum non omnes et plerique Torreniani tradunt *locatim dispersos*, quod aduerbium, quamuis alias nondum inuentum sit, probarunt Salmasius (exercit. Plin. p. 139.) Vorstius, Torrenius, receperunt Kappius, Helfrechtus, Hasius, explicantque 'per loca dispersos', cum interim Lipsius *pagatim* legendum esse coniecit. Iam uero liber Bernensis et ipsam genuinam scripturam suppeditat et corruptelae causam patefacit. Siquidem in eo litterae duae finales u. *ille* per dittographiam quam uocare solent repetitae cum sequenti *uicatim* coaluerunt, ut fieret *leuicatim.* Colliguntur haec e duarum litterarum, quam supra indicauimus, rasura, comparata cum scriptura editionis Moguntinae, cuius singularia testimonia saepenumero ad codicem Bernensem referenda sunt. Exhibet enim illa cum Torrenianis aliquot libris *leucatim.* Itaque *leuicatim* in archetypo fuisse consentaneum est, et inde ortum illud *locatim.* Significat autem *uicatim dispersos* idem quod de eadem re disserens Isocrates (laud. Hel. 17) σποράδην καὶ κατὰ κώμας, Plutarchus (Thes. 24) σποράδας ὄντας uocat. Cf. Liu. IX, 13, 7. Plin. h. n. VI, 26, 30, 117.

in [suam] unam urbem) Ita, si uncos ademeris, omnes mei codices et edi-

uiuenti populo amplissimae ciuitatis formam atque imaginem inposuit. Idem saeua potentissimi regis Minois imperia uixdum aetate pubescente reppulit. Idem effrenatam Thebarum insolentiam domuit. Idem opem liberis Herculis tulit et quidquid ubique monstri aut sceleris fuit uirtute animi ac robore dexterae comminuit. Huius tamen summoti ab Atheniensibus Scyros, exule minor insula, ossa mortui cepit.

Iam Solon, qui tam praeclaras tamque utiles Atheniensibus leges tulit, ut, si his perpetuo uti uoluissent, sempiternum habituri fuerint imperium, qui Salaminam uelut hostilem arcem ex propinquo saluti eorum inminentem recuperauit, qui Pisistrati tyrannidem primus uidit orientem, solus armis opprimi debere palam dictitare ausus *est*, senectutem Cypri profugus exegit, neque ei in patria, de qua optime meruerat, humari contigit.

Bene egissent Athenienses cum Miltiade, si eum post trecenta milia Persarum Marathone deuicta in exilium protinus misissent ac non in carcere et uinculis mori coegissent. At,

1. imagine *C.* || 2. Idem] *add.* etiam *D.* || minonis *(alterum* n *in rasura) D.* minoris *F.* || uixdum] uix tamen *D.* || 3. thebanorum *DΓ.* || 4. quicquid *corr. A.* || 5. dextrae *Torr.* || 6. schiros exulis *E.* || 8. Iam *om. Γ.* || tamquam *C.* || 10. Salamina *Torr.* || arcem] arte *F.* || 12. orientem] *add.* et *corr. D, Torr.* || 13. est] *om. ACEF et pr. D.* || 14. eij enim *corr. D.* || de *om. A.* || 15. contingit *F.* || 16. mulciade *D.* || trecenta] XXX^ta *F.* || 17. protinus *om. E.* || 18. At] ut *ACDEFΓ.* Sed ut *Torr.*

ditiones Aldina priores, quod Torrenius explicat 'in eam urbem solam, quam ipse inhabitabat', quaeque inde etiam *Θήσεως πόλις* uocata sit. Sed praeterea quod ita mire sua urbs opponitur aliis, quae ne erant quidem urbes, sed uici, et quod nimis profecto illepidum est repetitum pronomen *suus*, nescio an dicendum fuerit in hac sententia *in unam suam urbem*. Itaque illud *suam* aut corruptum est reponendumque pro eo *illam* uel *eam*, aut, quod mihi ueri similius aliquanto uidetur, ascriptum in antiquo quodam libro tamquam uaria scriptura pro *unam*, non debitum inter ipsa Valeriana locum occupauit.

effrenatam Thebarum insolentiam domuit) Cf. Ouid. heroid. II, 71. Stat. Theb. XII, 779.

Iam Solon etc.) Cf. Plut. Sol. 25 et 32. Diog. Laert. I, 62.

solus — dictitare ausus est) Vulgatae editiones inuitis codicibus duas suppleuerunt uoces, *et* ante *solus* et *est* post *ausus*, alteram praeter necessitatem, cum propter oppositionem, quae fit per *primus* et *solus*, haec enuntiata *ἀσυνδέτως* componi licuerit, alteram recte. Neque enim quisquam facile *est* post *ausus* subintellexerit, neque simplex participium locum habet, quia, ex aequo posita utraque sententia, altera alterius formam induere debebat. Sensit mecum abbreuiator Guelferbytanus, qui omissa copula, *est* suppleuit post *ausus*. Librorum scripturam et copulam et uerbum *est* omittentium probarunt Torrenius et Kappius.

Bene egissent cum Miltiade etc.) Cf. quos infra V, 4, ext. 2 citaui scriptores.

trecenta milia) Cf. Nipperd. ad Corn. Milt. 5, 4. p. 10 ed. mai.

At, puto, hactenus saeuire) Languidam esse hanc sententiam neque satis

puto, hactenus saeuire aduersus optime meritum abunde duxerunt. Immo ne corpus quidem eius sic expirare coacti sepulturae prius mandari passi sunt quam Cimo filius eius eisdem se uinculis constringendum traderet. Hanc hereditatem paternam maximi ducis filius et futurus ipse aetatis suae dux maximus solam se creuisse, catenas et carcerem, gloriari potuit.

Aristides etiam, quo totius Graeciae iustitia censetur, continentiae quoque eximium specimen, patria iussus excedere est. Felices Athenas, quae post illius exilium inuenire aliquem aut uirum bonum aut amantem sui ciuem potuerunt, cum quo tunc ipsa sanctitas migrauit!

Themistocles eorum, qui ingratam patriam experti sunt, celeberrimum exemplum, cum illam incolomem, claram, opulentam, principem Graeciae reddidisset, eo usque sensit inimicam, ut ad Xerxis, quem paulo ante destruxerat, non debitam sibi misericordiam perfugere necesse haberet.

Phocion uero, his dotibus, quae ad † pariendum hominem

1. actenus *A.* || optime] bene *F.* || 2. nec *F et corr. C.* || siout *F.* || expiare *Γ.* || 3. cimon *ACEFΓ et post* eius *Torr. Vt nos Par. Vid. ad IIII.* 1. *ext.* 3. || eius] *om. C.* eius * * *A.* eiusdem *EFΓ.* || eisdem *om. F.* || 4. uinculis se *Torr.* || 6. creuisse] sortitum fuisse *E.* creuisset *F.* adisse *Γ.* || 7. quo] qui *Γ.* || totius] citius *D.* || iustitiae *Γ.* || continentiae quoque] continentiaeque *Γ.* || 8. excedere iussus *Γ Torr. Vt nos etiam Par. Vid. ad III.* 3. 1. || 9. athenae *F.* || 10. ciuem] *add.* non *Γ.* || 11. sanctitas ipsa *Γ.* || 12. themistodes *(sic saepius) D.* || 13. incolumem *(A) cum reliquis et Torr. Vid. uar. script. p.* 119, 4. || 14. ac principem *D.* || 15. ad Xerxis] arxerxis *pr. A.* xerxis *om. pr. C.* adextris *F.* || quam *F.* || misericordiam sibi *F.* || 16. perfugere — (17.) uero] *in rasura A.* || 17. his] iis *E.* || pacandum *Torr.*

cohaerere cum praecedentibus, si cum codicibus scribamus *Vt puto hactenus.* senserat Pighius, qui tamen male ante *ut* aduersatiuam particulam *sed*, ante *duxerunt* negationem *non* interpolauit. Emendationem adeo probabilem ut de recipienda non dubitauerim proposuit Perizonius, qui *ut* mutauit in *at.* Dictum autem est *εἰρωνικῶς.* Quae loquendi ratio confirmatur multis exemplis. Cf. Ouid. met. III, 266. XI, 425. id. ex Pont. I, 2, 43. Verg. Aen. VII, 297. Ter. Phorm. V, 9, 42. Cic. pro Deiot. 6, 16 etc. Probarunt Perizonii coniecturam Torrenius et Kappius.

Aristides etiam) Cf. Corn. Nep. Arist. 1. Plut. Arist. 7.

Themistocles eorum) Cf. Corn. Nep. Them. 8. Plut. Them. 27.

ut ad Xerxis) Possis suspicari latere in mendo codicis Bernensis *(arxerxis)* nomen Artaxerxis, apud quem sane exulasse Themistoclem narrant Thucyd. I, 137, eumque secutus Cornelius Nepos l. c., neque aliter tradiderat Charon Lampsacenus. At plerique in ea opinione erant, Xerxe etiamtum regnante Themistoclem in Asiam transiisse, ut Ephorus, Dino, Clitarchus, Heraclides, teste Plutarcho. Cf. Wagner de Themistocle exule in zeitschr. f. alterthumsw. 1847. n. 25. Cum his fecisse Valerium demonstrat cum Paridense compendium, tum uerba, quae statim sequuntur, *quem paulo ante destruxerat*, tum eiusdem exilii commemoratio VIII, 7, ext. 15.

Phocion uero) Cf. Nep. Phoc. 4. Plut. Phoc. 34—37.

ad † pariendum hominem) Vnus qui librorum scripturam *pariendum ho-*

potentissimae iudicantur, clementia et liberalitate instructissimus tantum non in eculeo ab Atheniensibus inpositus est; certe post obitum nullam Atticae regionis, quae ossibus eius iniceretur, glebulam inuenit, iussus extra fines proici, intra quos optimus ciuis uixerat.

---

1. et *om. Γ.* || libertate *A.* || 2. non tantum *ACDEFΓ.* || eculeum *Par.* || certe] sed certe *(E) Torr.* || 3. iniceretur] uerteretur *E.* || 4. extra fines] fines esset *F.* || inter *pr. D.*

---

minem defendi posse arbitrabatur, Kappius, duriuscule ita positum putat pro eo, quod est 'ad conciliandam hominum gratiam eosque ad partes suas trahendos'. Sed nemo umquam *parere* pro *conciliare* aut dixit aut dicere poterat, nisi de rebus condicionibusue, quas ipsi nobismet efficimus et procreamus. Hominum amorem parere tibi poteris, poteris odium, amicos, nam ipsi, ut ita dicam, facimus amicos nostros. Ipsum hominem, quem tibi conciliasti, non ideo peperisse diceris. Similis causa est, cur ferri nequeat quod in recentioribus quibusdam libris temptatum est, *ad patiendum hominem*, ea mente, ni fallor, ut significaretur Phocionem his potissimum dotibus instructum fuisse, quae efficere potuissent ut ciues eum libenter ferrent ac paterentur. Nam etiamsi pati dicimus eos, quorum consuetudinem non respuimus nec moleste ferimus, (cf. Ter. Andr. I, 1, 35, *Sic uita erat: facile omnes perferre ac pati; Cum quibus erat cumque una, iis sese dedere, Eorum studiis obsequi; ita facillume Sine inuidia laudem inuenias et amicos pares.*) tamen dotibus ad patiendum hominem potentissimis instructus nemo appellari potest, nisi in quo illae dotes efficiant ut ipse alios facile perferat ac patiatur homines. Neque uero magis adiuuamur uirorum doctorum coniecturis, quas protulerunt innumeras, *ad pariendum honorem* (Ald. et Chalcocond.), *ad pacandum hominem* (Pigh.), *ad parcendum homini* (Lips.), *ad placandum hominem* (Vorst.), *ad capiendum hominem* (Periz.). Vna haud displicuit Torrenii, *ad pariendum amorem hominum*. Mallem tamen equidem mutato ordine supplere *ad pariendum hominum amorem*. Itaque dum meliora docebor, litteras scriptura distinctas in archetypo codice interiisse putabo.

tantum non in eculeo ab Atheniensibus impositus est) Ita inuerso uerborum ordine, cum libri summo consensu *non tantum* traderent, Colerus usitatissimum huic scriptori dicendi genus restituit. (Cf. praef. p. 41.) Recte; parum enim abfuit quin torqueretur Phocion; neque tamen tortus est. Cf. Plut. Phoc. 35. Ceterum ablatiuus cum praepositione *in* pro dandi casu aut accusatiuo cum eadem praepositione, quem in compendio huius exempli posuit Iul. Paris, excepto uno hoc loco non legitur apud Valerium, qui plerumque tertio casu utitur (III, 3, ext. 2. VI, 8, 1. VIII, 14. ext. 5, *eculeo*. I, 8, ext. 1. V, 1, ext. 6. VII, 1, 1, *rogo*. VI, 9, 2. VIII, 9, ext. 2, *cruciibus*. III, 7, 1. VII, 2, ext. 5, *capiti*.), interdum accusatiuo cum praepositione (IIII, 6, 3, *in rogum*. V, 1, ext. 1 *in suam sedem*.). Nec sane difficili mutatione alterutro modo haec uerba ad uulgarem dicendi normam refinguntur. Sunt tamen cum antiquiorum tum recentiorum scriptorum exempla, quibus defenditur ablatiuus cum praepositione *in*. Nolo uti Cornelii loco (Cim. 4, 1) *ut numquam in eis* (hortis) *custodem imposuerit* ubi, si absolute positum accipiamus uerbum illud, quemadmodum in bell. Afr. 7, 2, *(centurionibus ad portas oppidi et custodiis impositis)*, ablatiuus *in eis* ne erit quidem aptus ab imponendo, ut recte monuit Nipperdeius; nec Liuii exemplo XXXVI, 12, 11, ubi similis ratio intercedit. At notissimum est Ciceronis illud de nat. deor. I, 20, 54, *Itaque imposuistis in cruciibus nostris sempiternum dominum*, ubi uide Dauisii commentarium. Cf. etiam interpr. ad Liu. I, 18, 8, et Sall. Iug. 61, 1.

Quid abest igitur, quin publica dementia sit existimanda summo consensu maximas uirtutes quasi grauissima delicta punire beneficiaque iniuriis rependere? Quod cum ubique tum praecipue Athenis intolerabile uideri debet, in qua urbe aduersus ingratos actio constituta est; et recte, quia dandi et accipiendi beneficii commercium, sine quo uix uita hominum † expers tollit quisquis bene merito parem referre gratiam neglegit. Quantam ergo reprehensionem merentur qui, cum aequissima iura sed iniquissima ingenia haberent, moribus suis quam legibus uti maluerunt? Quod si qua prouidentia deorum effici posset ut excellentissimi uiri, quorum modo casus retuli, legem ingratorum uindicem retinentes patriam suam in ius ad aliam ciuitatem pertraherent, nonne ingeniosum et garrulum populum mutum atque elinguem hac postulatione reddidissent? Discordes foci tui pagisque diuidua tuguria Graeciae facta sunt columen. Lucet Marathon Persicis trophaeis. Salamina et Artemisium

3. beneficiaque] que *om. E.* || reprehendere *E.* || cum] tum *D.* || 6. uixit ita *C.* || expers tollit] *sic C.* extar extollit *(litt.* extar ex *in rasura) A.* perdit et tollit *(litt.* perdit et *in rasura) D. ante* perdit *addit* extat, *suprascripto* constat, *margo D.* extat tollit *EΓ.* constat perdidit et tollit *F.* constat perdit et tollit *Torr.* || 7. quisque *ACDΓ.* || gratiam] gloriam *F.* || 8. ergo] igitur *D.* || equisitissima *D.* || 9. haberent ingenia *(E) Torr.* || 10. effecti *F.* || 12. iudicem *F.* || 13. metum *pr. A.* || 15. pacisque *ACDEFΓ. Correxit Lipsius.* || diuina *Γ.* || graecia * *A.* || 16. tropaeis *(A)* || salamin *AC.* salaminia *D.* salamiam *F.* Salamis *Torr.* || et] *post* Artemisium *D.* || artenesium *C.* artheniensium *E.* arthemisia *D.* arthemesium *Γ.*

sine quo uix uita hominum † expers tollit) Dolendum est in difficillimo hoc loco primariam libri Bernensis scripturam sub litura ita euanuisse ut legi iam non possit. Corrector eius libri haec uoluisse uidetur, *extaret, tollit*; nam compendia syllabarum *et* et *ex* parum inter se differunt. Iam uero reliqui codices, ni fallor, declarant in archetypo codice atque adeo in Bernensi quoque olim fuisse, quod proximus ab illo libro Berolinensis *C* seruauit, *expers tollit.* Idem sane optimus inter Torrenianos Mediceus primus exhibet, eoque redeunt quae in deterioribus temptatae sunt interpolationes. Desideratur autem praedicatum in relatiuo enunciato, quod ut supplerent librarii nec probabiliter nec satis Latine pro *expers tollit* posuerunt alii *extat tollit*, alii *constat tollit*, alii *extat perdit et tollit*, unde *constat, perdit et tollit* migrauit in uulgata exempla. Equidem persuasum habeo ne latere quidem in illa corruptela relatiui enunciati praedicatum, quod potius post *uix* supplendum esse crediderim. Scripserit igitur Valerius *sine quo uix uitalis uita hominum*, ut Cicero Lael. 6, 22 secundum Ennium, *cui potest esse uita uitalis, qui non in amici mutua beneuolentia conquiescat?* uel simile aliquid, quod eandem praebuerit sententiam. Iam de emendanda u. *expers* non male mihi sensisse uidetur Torrenius, cum pro ea scribendum esse suspicaretur *ex parte*. 'Nam', inquit, 'accipere quidem uult ingratus, sed recusat aut neglegit reddere beneficium, atque ita ex parte tollit illud commercium'. Nolim tamen infitiari ne haec quidem omni numero satisfacere, cum potius ingratum altera officii parte recusata omnino mutuorum beneficiorum commercium tollere dici expectes; neque uero nunc habeo quae

Xerxis naufragia numerantur. Praeualidis manibus exhausta moenia pulchrioribus operibus consurgunt. Harum rerum auctores ubi uixerunt? ubi iacent? responde! Nempe Thesea paruulo in scopulo sepeliri et Miltiadem in carcere mori et Cimona paternas induere catenas et Themistoclea uictorem uicti hostis genua conplecti Solonemque cum Aristide et Phocione penates suos ingrata fugere coegisti, cum interim cineribus nostris foede ac miserabiliter dispersis Oedipodis ossa, caede patris, nuptiis matris contaminata, inter ipsum Arium pagum, diuini atque humani certaminis uenerabile domicilium, et † excelsis praesidiis Mineruae arcem honore arae decoratos sacrosanctiores colis. Adeo tibi aliena mala tuis bonis gratiora sunt. Lege itaque legem, quae te iureiurando obstrictam tenet, et quia bene meritis debita reddere praemia noluisti, laesis iusta piacula exsolue. Tacent

1. exusta *corr. A.* || 2. opibus *F.* || 3. uixerint *ACDFΓ.* || theseam *D.* || paruulo *om. D.* || 4. milciadem *A.* miliciadem *D.* melciadem *E.* mulciadem *F.* || cimonas *A.* || 5. temistoclea *A.* themistodea *pr. E.* themisto *corr. E.* themistodia *F.* themistoclem *DTorr.* || uicto hosti *D.* || 6. aristede *C.* || 7. nostri *C.* uestris *F.* || fide *C.* || 8. mirabiliter *C.* || epidochiis *F.* || patris] matris *C.* || 9. ariopagum *DEΓ.* Areopagum *Torr. Vid. ad II*, 6, 4. || 10. Mineruae] munere *F.* || 11. arce *F.* arce * *Γ.* || honore arae *om. F.* || decorata *DΓTorr.* || sacrosanctiora *D.* sacrosanctiore *Γ.* quasi sacrosancta *Torr.* || colles *pr. A.* || 13. obstrictum *C.* astrictam *EF.* || 14. uoluisti *C.* || laesis] legis *EF.* || exsoluisti *CEF.*

proferam meliora. Nam *perdit et tollit*, quod sententiae sane conuenit, probabilitate caret omni.

et † excelsis praesidiis Mineruae arcem) Haec et quae sequuntur tot tantisque uitiis infecta sunt, ut de indaganda antiqua scriptura fere desperauerim. Primum enim pendent ablatiui *excelsis praesidiis*, nec habent unde apti sint, tum non intellegitur *decoratos* uirili genere positum, denique locum non habet comparatiuus *sacrosanctiores*, cum nulla omnino comparatio fiat. Quorum mendorum primum ita sanauit Mitallerius, ut et sententiae satisfaceret, neque a similitudine ueri abhorreret emendatio. Censuit enim legendum esse *et excelsam praesidis Mineruae arcem*, quod insigniter probauit Perizonius ascriptis hisce Liuianis exemplis (XLV, 28, 1) *Sacrificio Mineruae, praesidi arcis, in urbe facto* et (XXXI, 30, 9,) *eodem scelere urbem colentes deos praesidemque arcis Mineruam petitam.* Fieri sane potuit ut, cum aberratum esset a *praesidis* in *praesidiis*, librarii huic ablatiuo accommodarent adiectiuum *excelsam*. Quae cum satis dubia sint, magis etiam in sequentibus haereo, quae uulgo secundum Pighii emendationem sic edebantur, *honore arae decorata quasi sacrosancta colis*. Sed *quasi* omnino abest a codicibus manuscriptis, nec profecto omissum desideres, quo facto sententia proba remanet. At unde tandem uirile genus, quod libri tradunt pro neutro? An quia in archetypo fortasse iam aberratum erat, ut in Bernensi, a *colis* in *collis (colles)*, et eo retulerant librarii adiectiua? unde porro comparatiuus *sacrosanctiores?* De his quae dicam probabilia non habeo, neque refert uanarum suspicionum augere numerum. Nam quod Lipsius et Perizonius proposuerunt *sacrasanctione, sacrosanctione, sacrificatione* nemini facile persuadebunt. Sententiae nexus haec fere flagitat *inter ipsum Arium pagum — et excelsam praesidis Mineruae arcem honore arae decorata ipsis diis sacrosanctiora colis.*

mutae illorum umbrae, fati necessitate constrictae: at, immemores beneficiorum Athenae † reprehensione lingua sermone licenti soluta non tacet.

IIII. Sed omittamus ingratos et potius de piis loquamur. Aliquanto enim satius est fauorabili quam inuisae rei uacare. Venite igitur in manus nostras, prospera parentium uota, feli-

---

1. multae *E.* || ac *F.* || 2. benefactorum *F.* || athenas *Γ.* || reprehensione] omnium *Γ.* reprehensore *Torr.* || licenti] *add.* in reprehensionem *Γ.* || 3. tacent *D et corr. A. add.* l' non carent *margo A.* carent *Torr.* || 4. Sed] *praemisit inscriptionem* DE PIETATE IN PARENTES *Torr.* || potius de piis] post de hiis *C.* || 6. parentum *EFΓ Torr.*

---

at, immemores beneficiorum Athenae, † reprehensione lingua sermone licenti soluta non tacet.) Liquet inter se opposita esse uerba *Tacent* (i. e. iam non accusant Athenas) *mutae illorum umbrae,* (quas tamquam publicos accusatores perorantes auctor fecerat,) *fati necessitate constrictae,* et uerba *lingua sermone licenti soluta non tacet,* ideoque non cum Perizonio garruli, quem alias dixit Valerius, Atheniensis populi, sed aliam quamcumque et in primis ipsius Valerii linguam intellegendam esse, nulla re impeditam, quominus licenti sermone ac libere perstringeret ingratum Atheniensium animum. Quod si ita est, non tam uoce *Athenae* offendor, quippe quam non recto casu positam putauerim cum interpretibus, sed uocatiuo, dicendi genere in eiusmodi laudationibus ac uituperationibus rerum gestarum relationi subiectis frequentissimo, quam uoce *reprehensione,* cui in hoc sententiarum nexu locum non esse facile perspicitur. Mitto uirorum doctorum coniecturas, (Perizonii, *Athenae reprehensione linguae sermone licenti solutae non tacent; Athenas reprehensiones* (sc. illorum uirorum) *lingua sermone licenti soluta non tacent*; *Athenae reprehensione l. s. l. s. non uacent; Athenae in reprehensionem l. s. l. s. non tacent; Athenae reprehensione dignae lingua s. l. s. non tacent:* Torrenii, *Athenas reprehensionis lingua s. l. s. non tacet.)* non probabiliores quam quae Pighius, codicem Pulmannianum secutus, in recentiores editiones introduxit, *Athenae reprehensore lingua sermone licenti soluta non carent*, quae sane dicenda erant *neque tamen — Athenae reprehensore — carent.* Ipse aliquando suspicatus eram excidisse *digna* ante *lingua*, quod propter similitudinem formae facile omitti potuit, scribendumque esse *At, immemores beneficiorum Athenae*, *reprehensione digna lingua sermone licenti soluta non tacet*, quod etiam nunc illorum conatibus praefero, etiamsi displiceat tacendi uerbum in hac oppositione altero loco transitiuo, altero intransitiuo significatu positum. Iam uero magis inclinat animus ut credam *reprehensione* ex peruersa interpretatione uerborum *licenti sermone* ortum irrepsisse. Quo remoto reliqua non habent quo offendant.

IIII. *parentium)* In praecedentibus huius operis uoluminibus genitiuus pluralis u. *parens* in optimis quibusque codicibus constanter una syllaba *um* terminatur, numquam duabus *ium.* Iam uero inde ab hoc loco eidem libri bisyllabam tantum terminationem exhibent, adeo ut manifesto mutatum librarii consilium cognoscatur et inprimis in codice Bernensi, quem 'bis terue' eam formam tradere falso narrat Colerus. Vno tantum loco in sequentibus, si recte ibi silet collatio mea, *parentum* extat, V, 4, ext. 3; sed in eodem exemplo paulo post *parentium* occurrit. Quare hunc locum ceteris accommodauimus.

cibus auspiciis propagatae suboles, quae efficitis ut et genuisse iuuet et generare libeat.

DE PIETATE ERGA PARENTES ET FRATRES ET PATRIAM.

Coriolanus, maximi uir animi et altissimi consilii optimeque 1.
de re publica meritus, iniquissimae damnationis ruina prostratus, ad Volscos infestos tunc Romanis confugit. Magno ubique pretio uirtus aestimatur. Itaque quo latebras quaesitum uenerat, ibi breui summum est adeptus imperium, euenitque ut quem pro se salutarem imperatorem ciues habere noluerant paene pestiferum aduersus se ducem experirentur. Frequenter enim fusis exercitibus nostris, uictoriarum suarum gradibus aditum iuxta moenia urbis Volsco militi struxit. Quapropter fastidiosus ille in aestimandis bonis suis populus, qui reo non pepercerat, exuli coactus est supplicare. Missi ad eum deprecandum legati nihil profecerunt. Missi deinde sacerdotes cum infulis aeque sine effectu redierunt. Stupebat senatus, trepidabat populus, uiri pariter ac mulieres exitium imminens lamentabantur. Tunc Veturia, Coriolani *mater,* Volumniam uxorem eius et liberos secum trahens, castra Volscorum petiit. Quam ubi filius aspexit, 'Expugnasti', inquit, 'et uicisti iram meam, patria, precibus huius admotis, cuius utero *te* quamuis merito mihi inuisam dono', continuoque agrum Romanum hostilibus armis liberauit. Ergo pectus, dolore acceptae iniuriae, spe potiendae uictoriae, uerecundia detrectandi ministerii, metu mortis refertum, totum sibi

1. soboles *CDEΓ.* || officitis *F.* || 2. libeat generare *Γ.* || 3. DE PIETATE — PATRIAM *om. Torr.* || PARENTES FRATRES PATRIAM *Par.* ET FRATRES ET PATRIAM *om. DEF. Cf. praef. p.* 92. || 6. tunc infestos *F.* || 7. quo] *p (sic) pr. C, sed deinde erasum a corr. C.* qui *F.* || 8. breui summum] breuissimum *CD F et pr. A.* breuissime *E.* || adeptus est *ΓTorr.* || 9. noluerunt *D.* || 10. aduersum *F.* || 13. exui *F.* || 14. ligati *C.* || 15. profecerant *E.* || deinde *om. E.* || 17. pariter] perictus *F.* || eximium *C.* || uecturia *F.* || 18. mater] *ante* Coriolani *DΓ. om. A et pr. C.* || Volumniam — (19.) petiit] cum uolumnia uxore uolscorum petiit exercitum *D.* || eius] *post* et *E.* || secum *om. F.* || 19. ibi *F.* || 20. patriam *EFΓ.* || 21. te] *om. CEF et pr. A. sed habet margo A.* delatus *D.* editus sum *Γ.* || 22. Romanum agrum *Torr.* || 23. potiendi *C.* potiundae *EF Torr.* || uerecundiam *pr. A.* || 24. non detrectandi *EF.*

In reliquis, cum utraque terminatio in usu fuerit (cf. Varr. de ling. Lat. VII, 37. Charis. I, 111.), librorum scripturam intactam reliquimus.

1. Cf. Liu. II, 40. Dion. Hal. VIII, 44. Plut. Coriol. 34. Dio Cass. exc. Vat. 16. p. 148. Mai. Auct. de uir. ill. 19, alii.

pietas uacuefecit, uniusque parentis aspectus bellum atrox salutari pace mutauit.

2. Eadem pietas uiribus suis inflammatum Africanum superiorem uixdum annos pubertatis ingressum ad opem patri in acie ferendam uirili robore armauit. Consulem enim eum apud Ticinum flumen aduersis auspiciis cum Hannibale pugnantem, grauiter saucium intercessu suo seruauit, neque illum aut aetatis infirmitas aut militiae tirocinium aut infelicis proelii etiam ueterano bellatori pertimescendus exitus interpellare ualuit quominus duplici gloria conspicuus coronam imperatore simul et patre ex ipsa morte rapto mereretur.

3. Auribus ista tam praeclara exempla Romana ciuitas accepit, illa uidit oculis. L. Manlio Torquato diem ad populum Pom-

1. salutari *om. F.* || 3. auribus *Γ.* || 4. puerilitatis *ACDEFΓTorr.* || ingressum] egressum *Torr. add.* I. P. cum adhuc praetextatus esset *margo A.* || 5. consul *CD.* || eum] cum *F.* || 6. fluuium *CTorr.* || 9. pertimescendum *F.* || 10. imperii *F.* || ex] ab *D.* || 12. Auribus — (13.) oculis *om. Γ.* || ciuitas *om. E.* || 13. manilio *ACDEΓ.* mamilio *F. Vt nos Par. Vid. ad II*, 7, 6. || die *F.*

2. Cf. Liu. XXI, 46. Plin. h. n. XVI, 4. Senec. de benef. III, 33. Auct. de uir. ill. 49.

uixdum annos pubertatis ingressum) Omnes quos equidem inspexi codices perperam *puerilitatis ingressum* exhibent. Itaque Pighius e codice Winchelsiano et Coloniensi *puerilitatis egressum* posuit, quod mansit in recentioribus editionibus. Equidem, praeterquam quod ne per se quidem adeo uerisimilis est illa emendatio, ualde dubito num puerilitate recte puerilis aetas insigniatur, cum a Seneca ep. ad Lucil. 4. *(adhuc enim non pueritia, sed, quod est grauius puerilitas remanet,)* aperte distinguatur alterius uocis significatio ab altera. Atque etiam Varro (ap. Non. VIII, 90.), quamuis anceps sententia sit uerborum, quae grammaticus citauit, ad animum potius et mores quam ad annos retulisse uidetur puerilitatem. Quapropter mendum in hac potissimum uoce latere ratus cum Aldo, laudato eo nomine a Torrenio et Kappio, edidi *pubertatis ingressum*. 'Tum primum pubescentem' in eadem occasione Liuius Scipionem uocat, Plutarchus et Iulius Paris praetextatum adhuc; duodeuiginti annos natum fuisse refert auct. de uir. ill. l. c.

apud Ticinum) Apud Trebiam hoc factum esse falso Plinius h. n. l. c. narrat.

3. Cf. Cic. de off. III, 31, 112. Liu. VII, 5. Senec. de benef. III, 37. Auct. de uir. ill. 28.

L. Manlio Torquato) Si Ciceronis librum, e quo omnia haec desumpta sunt, accuratius paulo uoluisset inspicere, indoctum prorsus errorem facile euitasset Valerius. Tullius enim, postquam T. Manlii pietatem erga patrem Lucium exposuit, haec subiunxit, *Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo prouocatus occiderat, torque detracto cognomen inuenerat.* Itaque patri eius L. Manlio idem cognomen tribui non poterat, nec tribuit quisquam praeter Valerium. Glareanus autem et, ut solet, qui Valerium suum errasse non sibi poterat persuadere, Pighius in librarios eam culpam uertendam esse duxerunt, quam ipsius auctoris esse primus detexit Vorstius, recte reiciens scripturam a Pighio inuentam, *L. Manlio Imperioso*. Sed et ipse Vorstius foede lapsus est, cum Valerium in eundem errorem incidisse opinaretur V, 8, 3. Miratur enim quod ibi, cum obiter de Imperiosi cuiusdam Torquati seueritate

ponius tribunus plebis dixerat, quod occasione bene *con*ficiendi belli inductus legitimum optinendi imperii tempus excessisset, quodque filium, optimae indolis iuuenem, rustico opere grauatum publicis usibus subtraheret. Id postquam Manlius adulescens cognouit, protinus urbem petit et se in Pomponii domum prima luce direxit. Qui existimans in hoc eum uenisse, ut patris crimina, a quo plus iusto aspere tractabatur, deferret, excedere omnes iussit cubiculo, quo licentius remotis arbitris indicium perageret. Nactus occasionem opportunam proposito suo iuuenis gladium, quem tectum attulerat, destrinxit tribunumque minis ac terrore conpulsum iurare coegit a patris eius accusatione recessurum, eoque effectum est ne Torquatus causam diceret. Commendabilis est pietas, quae mansuetis parentibus praestatur. Sed Manlius quo horridiorem patrem habuit hoc periculo eius laudabilius subuenit, qui ad eum diligendum praeter naturalem amorem nullo indulgentiae blandimento inuitatus fuerat.

Hanc pietatem aemulatus M. Cotta eo ipso die, quo togam 4. uirilem sumpsit, protinus ut a Capitolio descendit, Cn. Carbonem,

---

1. conficiendi] ficiendi *pr. A.* faciendi *CDEFΓ et corr. A.* finiendi *Torr.* || 4. Id] idque *corr. D.* || manilius *ACDEFΓ.* || 5. petiit *EFTorr.* || 8. iussit omnes *DΓ.* || iudicium *DE.* || 10. tectus *CE et pr. A.* || distrinxit *CDF.* distrixit *Γ.* || 11. eius *om. E.* || 14. manilius *ACDEFΓ.* || hoc] eo *D.* || 15. laudabilius periculo eius *Torr.* || diligendum eum *D.* || 16. indigentiae *C.* || 17. §. 4. *om. Γ.* || m. torta *D.* || 18. sumsit uirilem *Torr.* || e capitolio *CDE Torr.* de capitolio *F.*

---

in filium mentio iniciatur, eidem quem putabat Manlio, cui recte Imperiosi nomen tribuatur, simul Torquati cognomen inditum sit, cum constet filium demum huius L. Manlii, Titum praenomine, cognomen Torquati nactum esse. Sed non animaduertit Vorstius de ipso hoc filio T. Manlio, qui a patre Lucio Imperiosi cognomen acceperat, qui postea Torquati cognomen in familiam intulit, cuius adulescentuli generosum ac pium erga patrem factum hoc exemplo, de quo agimus, recensetur, quique adeo seuerus in filium erat, ut securi eum percuteret, illo loco sermonem esse atque adeo recte hunc utroque cognomine Imperiosum Torquatum appellari. Cf. Perizonii anim. hist. c. 8. p. 361. ed. Harl.

bene conficiendi belli) Omnes fere codices *bene faciendi belli*, quod locum habere non posse contra Vorstium euincit Torrenius, multis exemplis comprobans *bellum facere* idem ualere atque *bellum inferre*. (Cf. Liu. I, 14, 4. Iustin. III, 5, 5. XXXII, 3, 5. Flor. III, 7.) Indicat mendi causam libri Danielini primaria scriptura *bene ficiendi*, quod Pighius non male secundum Gemblacense exemplum emendauerat *bene finiendi*, minus probabiliter Torrenius *bene perficiendi*. Sed longe praestat alterum illud, quod a Pighio propositum est, *bene conficiendi*, qua locutione tantum non semper utitur Valerius. Cf. II, 8, 7. V, 1, 1. V, 6, 8. V, 7, 1. al. Sine dubio enim in archetypo codice praepositionis nota c̃ exciderat propter praecedens *e*.

4. Cf. Dio. Cass. XXXVI, 23. p. 100 Reim.

a quo pater eius damnatus fuerat, postulauit, peractumque reum iudicio adflixit, et ingenium et adulescentiam praeclaro opere auspicatus.

5. Apud Gaium quoque Flaminium auctoritas patria aeque potens fuit. Nam cum tribunus plebis legem de Gallico agro uiritim diuidendo inuito et repugnante senatu promulgasset, precibus minisque eius acerrime resistens ac ne exercitu quidem aduersum se conscripto, si in eadem sententia perseueraret, absterritus, postquam pro rostris ei legem iam referenti pater manum iniecit, priuato fractus imperio descendit e rostris, ne minimo quidem murmure destitutae contionis reprehensus.

6. Magna sunt haec uirilis pietatis opera, sed nescio an his omnibus ualentius et animosius Claudiae Vestalis uirginis factum. Quae cum patrem suum triumphantem e curru uiolenta tribuni manu *detrahi* animaduertisset, mira celeritate utrisque se interponendo amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in aedem Vestae duxit, nec discerni potuit utri plus laudis tribueretur, cui uictoria an cui pietas comes aderat.

---

1. pertractumque *A C D E.* pertrectumque *F. Correxit Pighius e cod. Campens. et sic Par. Vid. ad IX*, 11, 3. || 2. et ingenium] et *om. F.* || adolescentiam et ingenium *C E F.* || 4. §. 5. *om. Γ.* || 5. tribunus plebis] tr̃. pl̃. *A.* || 8. aduersus *Torr.* || constricto *F.* || perseuerare *pr. A.* || 10. manum] no num̃ *sic A (sed litterae* o *rec. manu* ᵛ *suprascriptum) add.* l' nomen *margo A.* || obiecit *A.* || fractis *F.* || ne nimio *E.* nec minimo *F.* || 12. §. 6. *om. Γ.* || adhis *pr. A.* || 13. omnibus] *add.* et *D.* || uirginis uestalis *F.* || 14. tribuni] *add.* plebis *aut* pl. *Par. et corr. A D. Torr.* || 15. detrahi] *om. pr. A.* trahi *C E F et ante* uiolenta *D. Vt nos Par.* || utriusque *pr. A.* utrique *D.* || 17. capitolio *E.* || filiam *F.* || 18. aede *E.* || duxit] tulit *E.*

---

a quo pater eius damnatus fuerat) Anno 683 a. u. c. propter saeuitiam et auiditatem in diripienda Heraclea. Dio Cass. C. Carbonem appellat cuius praecipuo studio damnatus fuerit M. Aurelius Cotta, quemque filius Cotta reum peregerit.

5. Cf. Cic. de inu. II, 17, 52. (id. Brut. 14, 57. Polyb. II, 21.)

legem iam referenti) Recte hoc explicasse uidetur Kappius, 'cum de lege iam in contione ad populum referret, ut is eam ratam esse iuberet'. Est enim idem quod in eadem re Cicero de inu. l. c. simplici uerbo dixit *inuito senatu et omnino contra uoluntatem omnium optimatum per seditionem ad populum legem agrariam ferebat*, nec sane necessaria Torrenii coniectura *perferenti.*

6. Cf. Cic. pr. Cael. 14, 34. At Sueton. Tib. 2 fratrem Appium iniussu populi triumphantem a Claudia contra uim tribunorum protectum esse narrat. Pater eius App. Claudius Pulcher erat, consul a. 611, uictor Salassorum.

uiolenta tribuni manu detrahi) Hoc uerbum in archetypo codice excidisse documento est cum defectus in libro Bernensi tum discrepantia codicum ad alteram familiam pertinentium, qui, cum omnes simplex trahendi uerbum efferant, diuerso tamen loco ponunt. Quare omissum in primario codice suppleui e Paridis epitoma cum correctore libri Danielini.

Ignoscite, uetustissimi foci, ueniamque aeterni date ignes, 7.
si a uestro sacratissimo templo ad necessarium magis quam speciosum urbis locum contextus operis nostri progressus fuerit. Nulla enim acerbitate fortunae, nullis sordibus pretium carae pietatis euilescit; quin etiam eo certius quo miserius experimentum habet.

Sanguinis ingenui mulierem praetor apud tribunal suum capitali crimine damnatam triumuiro in carcerem necandam tradidit. Quo receptam is qui custodiae praeerat misericordia motus non protinus strangulauit. Aditum quoque ad eam filiae, sed diligenter excussae ne quid cibi inferret, dedit, existimans futurum ut inedia consumeretur. Cum autem plures iam dies intercederent, secum ipse quaerens quidnam esset quod tam diu sustentaretur, curiosius obseruata filia animaduertit illam exerto ubere famem matris lactis sui subsidio lenientem. Quae tam admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad triumuirum, a triumuiro ad praetorem, a praetore ad consilium iudicum perlata remissionem poenae mulieri impetrauit. Quo non penetrat aut quid non excogitat pietas, quae in carcere seruandae genitricis nouam rationem inuenit? Quid enim tam inusitatum, quid tam inauditum, quam matrem uberibus natae alitam? Putaret aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentis prima naturae lex esset.

Idem praedicatum de pietate Perus existimetur, quae patrem Ext. 1.
suum Cimona consimili fortuna adfectum parique custodiae tra-

1. Ignoscite — (6.) habet *om. Γ.* || ignis *pr. A.* || 3. nostri] uestri *D.* || 4. aceruitate *pr. A.* || 7. ingenii mulieris *F.* || 8. carcere *EΓ.* || 9. Quo] quam *DF.* || 10. transgulauit *C.* || 11. diligentes *F.* || sibi *E.* || inferre *pr. A.* deferret *E.* || 12. inaedia *pr. A.* || iam plures dies *EΓ.* iam dies plures *Torr.* || 13. quod] quo *DΓ.* || 15. exorto *F.* || 17. consulium perlata iudicium *F.* || 18. remissio *C.* || 19. quid non] non *om. C.* || genitricis seruandae *E.* || 21. natae uberibus *DTorr.* || putarit *CD.* putauerit *EF.* || 23. parentes *DEFΓTorr.* || lexisset *pr. A.* || 24. Perus] rius *AEΓ.* prius *CF.* eius *in rasura D. add.* I. P. pero fratrem maiorem in carcerem coniectum ultimae s. uelut infantem lacte suo aluit *margo A.* || 25. cymonam *E.* cymona *Γ.* || consili *pr. A.* consilio *corr. A.*

7. Fest. u. Pietati p. 209 Müll. de muliere tradit, quae patrem suum inclusum carcere mammis suis clam aluerit, ob eamque rem impunitatem ei concessam esse refert.

Ext. 1. Cf. Hygin. fab. 254.

de pietate Perus) Perus nomen recte a Pighio huic mulieri uindicatum esse demonstrat marginale additamentum codicis Bernensis, e Iulii Paridis compendio arcessitum. Transierat inde in Pighii exemplaria Winchelianum et Campense. Ipsa autem illa epitome absoluto casu olim mendose *Nero* habuerat, nunc a correctore mutatum in *Pero*, pro quo editor pudendo sane

ditum iam ultimae senectutis uelut infantem pectori suo admotum aluit. Haerent ac stupent hominum oculi, cum huius facti pictam imaginem uident, casusque antiqui condicionem praesentis spectaculi admiratione renouant, in illis mutis membrorum liniamentis uiua ac spirantia corpora intueri credentes. Quod necesse est animo quoque euenire, aliquanto efficaciore pictura litterarum uetera pro recentibus admonito recordari.

2. Ne te quidem, Cimo, silentio inuoluam, qui patri tuo sepulturam uoluntariis uinculis emere non dubitasti. Nam etsi maximo tibi postea et ciui et duci euadere contigit, plus tamen aliquanto

---

2. oculi *om. C.* || huius] huiusmodi *F.* || 3. cognitionem *coniecit Perizonius.* || 4. admirationem *pr. A.* || 6. quoque est animo *E.* || efficaciora *pr. A.* || 7. pro recentibus] procedentibus *pr. A.* prodentibus *CD.* prudentibus *E.* prodeuntibus *F.* pro praesentibus *Γ.* || admonitos *ACEFΓ.* admonitis *D.* || 8. Nec *corr. C.* || te *om. pr. A.* || cimon *EF et corr. C. Torr.* cima *D. Vid. ad IIII.* 1, *ext.* 3. || 9. uinculis uoluntariis *D.* || maximum *CE.* || 10. contingit *F.*

---

errore *Perus* substituit, quod Perus ea femina a Valerio diceretur, non scilicet animaduertens in Valeriana relatione gignendi casum et flagitari sensu et positum esse a grammaticis. Iam uero Torrenius adnotauit ab Hygino filiam illam Xanthippen, patrem Mycona appellari, ideoque Munkerum in Valeriano quoque exemplo illum Mycona pro Cimone ex Hygino restituendum esse censuisse; ascendisse enim Cimonis nomen, Colero iam suspectum, ex proxima narratione. Quae suspicio mihi adeo arrisit, ut iam de transponendis duobus illis litteris *(c* et *m)* cogitauerim, praesertim cum scriptor occasionem argutandi aut certe uerba faciendi de communi nomine duorum hominum deinceps relatorum, quam oblatam numquam praetermisit, sine dubio hoc quoque loco arripuisset. Neque profecto discrepantia in filiae nomine obstat quominus de eadem re Hyginum atque Valerium cogitasse credamus. Quod si ita est, nescio an eadem Myconis appellatio in Paridis quoque compendio lateat, ubi pro eo, quod manifesto corruptum est *fratrem maiorem*, fortasse legendum erit *patrem myconem*. Ceterum Pero Nelei etiam filia erat, commemorata in Odyss. λ, 286. et Propert. II, 3, 54.

uetera pro recentibus admonito recordari) Cum omnes libri in uarias digrediantur coniecturas, optimi codicis Bernensis primariam scripturam *procedentibus* amplectamur oportet, e qua et probabili maxime litterarum mutatione et sensu commodissimo emendatrix manus effecit *pro recentibus*. Nam ut, cum pictam conspicimus imaginem, praeterita uelut praesentia intueri nobis uidemur, ita scriptis litteris uetera perinde ac si sint recentia admonemur recordari. Probarunt igitur hanc emendationem editores inde a Vorstio omnes. Nam Lipsius minus bene proposuerat legendum *a prudentibus*. Sed idem primus uidit pro *admonitos* scribendum esse *admonito*.

2. Cf. Corn. Nep. Cim. 1. Diod. exc. de uirt. et uit. p. 559. Val. ap. Dind. uol. II, P. 2. p. 90. Iustin. II, 15, 19. Senec. contr. 24. Quint. decl. 203, qui omnes discedunt ab Herodoto, sincero cum maxime huius rei teste. Is enim famam illam, qua Cimon, cum pater eius litem aestimatam soluere non potuisset ob eamque causam in carcerem coniectus decessisset, eisdem uinculis inclusus esse dicebatur, ignorat, hoc unum referens, Cimonem quinquaginta talenta, quibus pater eius multatus erat, soluisse. Ac ne Plutarchus quidem in uita Cimonis carcere eum inclusum esse commemorat, adeo ut merito omnem illam narrationem inter fabulas reiecerit Nipperdeius ad Corn. l. c.

laudis in carcere quam in curia adsecutus es. Ceterae enim uirtutes admirationis tantummodo multum, pietas uero etiam amoris plurimum meretur.

Vos quoque fratres memoria conplectar, quorum animus 3.
origine fuit nobilior. Siquidem admodum humiles in Hispania nati pro parentium alimentis spiritum erogando specioso exitu uitae inclaruistis. Duodecim enim milia nummum, quae post mortem uestram his darentur, a Paciaecis pacti, ut eorum patris interfectorem Etpastum, gentis suae tyrannum, occideretis, nec ausi solum insigne facinus estis, sed etiam strenuo ac forti exitu clausistis. Isdem enim manibus Paciaecis ultionem, Etpasto poenam, genitoribus nutrimenta, uobis gloriosa fata peperistis. Itaque tumulis etiam nunc uiuitis, quia parentium senectutem tueri quam uestram expectare satius esse duxistis.

Notiora sunt fratrum paria Cleobis et Bito, Amphinomus 4.

1. curis *D.* || 2. uero *om. E.* || etiam *om. D.* || 3. meretur] *post hanc uocem inserta habet quaedam, desumpta e V*, 4, 7, Nulla autem acerbitate fortunae, nullis sordibus *etc.* — experimentum habet *Γ.* || 6. parentum *(A) C D E F Γ Torr. Vid. ad V*, 4, *init.* || 7. uitae *om. F.* || Duodecim enim] Nam duodecim *Γ.* || 8. nostram *C.* || iis *E.* || patietis *C E.* patientis *F.* paciatis *D.* paciacis *Γ. Cf. Cic. epp. VI*, 18, 2. || pacti] *add.* estis *E F.* || 9. Ecpastum *Γ.* epastum *C D E F Torr.* || 10. insignem *A.* indigne *C.* || 11. claruistis *C E.* caruistis *F.* || hisdem *A Γ.* || patietis *C F.* patiets *E.* paciatis *D.* paciacis *Γ.* || etpasti *A.* ecpasto *Γ.* epasci *C.* epasti *E F.* epasto *D Torr.* || 12. facta *E et pr. A.* || 13. parentum *C D E F Γ Torr.* || 14. spectare *pr. A.* || sanctius *F.* || 15. Notiora — (*p.* 428, 3.) fuit *om. Γ.* || cleobus *pr. A.* cleobius *D.* || et Bito] *sic C E Par.* etobiton *pr. A.* et bioton *D.* oblecto *F.* et biton *corr. A, Torr.* || namphinonius *C.* amphicionius *D.* phynomus *E.* namphynomus *F.*

3. *Etpastum, gentis suae tyrannum,)* Nescio an non recte codex Bernensis bis Etpastum hunc tyrannum appellauerit. Sed in nomine alias, quod sciam, non inuento atque omnino incerto seruanda mihi uisa est optimi libri scriptura, praesertim cum abbreuiato quoque Guelferbytano codice *ecpastum* et *ecpasto* exhibente confirmetur.

4. *Cleobis et Bito)* Cf. Herod. I, 31. Cic. Tusc. I, 47, 113. Plut. Sol. 27. id. cons. ad Apoll. 14. Hygin. fab. 254. Serv. et Philarg. ad Verg. Georg. III, 532.

Amphinomus et Anapias) Cf. Strab. VI, 2, 3. p. 269 Cas. Paus. X, 28. Lucil. Aetn. 620. Senec. de benef. III, 37, 2, et VI, 36. Sil. It. XIIII, 197. Solin. V, 15. Claudian. idyll. 7, 41. Lycurg. in Leocr. 23. uol. IIII, p. 369 Reisk. Conon. narr. 43 ap. Phot. p. 139 Bekk. De altero hoc nomine leuiter discrepant ueteres scriptores. Alii enim Anapium eum dixerunt, ut Solinus et Claudianus l. c., ubi, cum uocatiuo casu scriptum sit *Anapi*, male nominatiuum eius *Anapis* esse statuit Salmasius exerc. ad Sol. p. 78. Quibuscum facit Iulii Paridis compendium, in quo clare extat Anapius. At Straboni et Cononi ap. Photium l. c. Anapias est. Neque dubito quin eadem forma lateat in mendo Valerianorum librorum *anaphas*. Atque etiam quae in Stob. serm. 79 circumferuntur nomina, *Φιλόνομος* et *Καλλίας*, uitiose scripta puto pro *Ἀμφίνομος* et *Ἀναπίας*. Quare Anapiam Valerio reddidimus, cum uulgo male ederetur *Anapus*. Cf. copiosissime de his nominibus disserentem Wernsdorf.

et Anapias, illi, quod ad sacra Iunonis peragenda matrem uexerint, hi, quod patrem et matrem humeris per medios ignes portarint, sed neutris pro spiritu parentium expirare propositum fuit.

5. Nec ego Argiuam detrecto laudem aut Aetnaei montis gloriam minuo; uerum obscuriori propter ignorantiam pietati notitiae lumen admoueo: sicut Scythis libenter pietatis testimonium reddo.

---

1. anaphas *ACDEF*. Anapus *Torr.* || illi] *add.* primi *F.* || uexerunt *Torr.* || 2. hi quod] hiique *F.* || ignes] *add.* Aetnae *ETorr. add.* I. P. aethnae *margo A.* || portarunt *Torr.* || 3. parentum *DEFTorr.* || 4. Nec — (6.) testimonium reddo] Scitae *Γ.* || arginam *CD.* || detracto *E et pr. A.* decreto *C.* || auta ethnei *C.* aut ethey *F.* || 5. minuo uerum] inuo uerum *A.* inuoluerim *CE.* inuoluerim uerum *FTorr.* || obscuriori] *add.* tamen *E.* || 6. admoneo *F.* || sicut] sic *D.* sic et *E.* || Scytis *A.*

---

poet. Lat. min. IIII, p. 369. Apud Hyginum fab. 254 Anapias et Amphinomus, cum Damone et Phintia confunduntur, de quibus Val. IIII, 7, ext. 1.

matrem uexerint) Cum uulgo ederetur *uexerunt* et *portarunt*, iubentibus omnibus libris coniunctiuos restitui, durius quidem positos, sed non ita ut defendi nequeant, si gloriae illius causam ex aliorum potius quam e Valerii mente referri statuamus. Quo facto uerborum *Notiora sunt* eadem fere uis erit, ac si scripsisset auctor *Laudantur ea fratrum paria.* Simile igitur exemplum est illius, quod I, 5, 9 notauimus, ubi coniunctiuum *occiderit* insolentius adhibitum uidimus, quia scribentis animo alia primariae sententiae figura obuersabatur atque reuera posita erat. Ceterum indicatiuum h. l. iam Veneta editio a. 1478 profert.

per medios ignes portarint) Exemi primus e uerborum ordine u. *Aetnae*, quae nescio utrum e marginali illo libri Bernensis additamento an e coniectura in deterioribus quibusdam codicibus inserta atque inde in uulgatis exemplis recepta erat post u. *ignes*. Sequitur enim Aetnae montis significatio proximo exemplo, quemadmodum in altero fratrum pari, Cleobi et Bitone, patriae denotatio, *Nec ego Argiuam detrecto laudem*, quae quo referenda sint, cum nulla re indicetur, scire nemo potuit, nisi qui rem ipsam aliunde iam compertam habebat. Atque erant fratrum illorum facta cunctis notissima, adeo ut peritis lectoribus, quales Valerius sibi esse credidit, accuratior rei descriptio necessaria non fuerit. Itaque Torrenius iam *Aetnae* recte abesse iudicauerat. Voluisse enim locorum nomina in ipsa narratione supprimere auctorem, ut illis exornaret sententiam in transitu ad proximum exemplum ponendam.

5. Cf. Herod. IIII, 125 et seqq.

Aetnaei montis gloriam minuo; uerum obscuriori) Haec uulgo sic edebantur, *Aetnaei montis gloriam inuoluerim; uerum obscuriori* etc. In quibus, ut taceam quod *inuoluerim uerum* nonnisi e pessimis codicibus enotatum est, de inuoluendi uerbo, cum nulla addita sit rei, qua gloria inuoluatur, significatio, merito iam Torrenius dubitauit, admonens dicendum saltem fuisse *silentio inuoluerim*. Longe uero insolentior in detrectandi et inuoluendi uerbis modi mutatio est, cum alterum indicatiuo, alterum coniunctiuo efferatur, quamuis nullum utriusque actionis discrimen sit. Probat igitur Torrenius emendationem in Vltraiectino codice, qui mihi alter Berolinensis *D* est, inuentam, *gloriam minuo, uerum obscuriori*, quam recipere non dubitauimus. Discrepantiae et mendi originem luce clarius nunc indicat liber Bernensis, qui archetypi scripturam seruasse putandus est. Omissa enim prima u. *minuo* propter praecedentem litteram *m*, quod reliquum erat *inuo* coaluerat cum sequenti u. *uerum (inuouerum)*, unde interpolatione in alterius familiae codicibus factum est *inuoluerim*, et gliscente corruptela in pessimis quibusdam denuo adiectum aduersatiua particula *uerum*, quae sane necessaria est. Quae quo sunt planiora eo magis mirandum quod

Dareo enim totis regni sui uiribus in eorum regionibus subinde impetum facienti paulatim cedentes ad ultimum iam solitudinis

1. dario *CDEFΓTorr.* || enim] regi *Γ.* || totius *E.* || sui *om. E.* || regiones *Γ Torr.* || subinde] *om. Γ.* subitum *E.* || 2. ultimas *DFΓTorr. et litt.* as *in rasura A, pro quibus* um *olim fuisse apparet.* || iam] asiam *C et pr. A.* asiae *DΓTorr. et post* solitudines *F.* || solitudines *DFΓ et corr. A. Torr.*

uel post Torrenium Kappius inuoluendi uerbum a Valerio profectum arbitrabatur. Hasius coniunctiuum *minuerim* defendit, qui item in deterioribus dumtaxat aliquot codicibus occurrit.

in eorum regionibus subinde impetum facienti) Pighius, quem omnes secuti sunt recentiores editores, cum pro ablatiuo *regionibus* reuocaret *regiones*, non agnouit dicendi genus cum aliis inferioris aeui scriptoribus tum Valerio Maximo tritissimum, quo is apud uerba motum continentia directionem et finem motus ablatiuo casu cum praepositione *in* significabat, non accusatiuo, quo ceteri usi sunt auctores. Non dico de his, in quibus praeter notum mansionis quoque in loco notio inest atque etiam praeualet, qua mansionis notione etiam antiquiorum quaedam exempla facile excusantur. Ita enim abiciendi uerbum nostris quam Romanorum auribus durius cum ablatiuo composuit IX, 6, ext. 2 *(Acerranorum senatum — in profundo puteorum abiciendo — bellum aduersus populum Romanum et Italiam professus)*, ubi editores inuitis optimis libris accusatiuum substituerunt, cum tamen uel antiquiores scriptores saepe ablatiuum cum hoc uerbo coniunxerint. Cf. Cic. de fin. V, 30, 92. id. de or. I, 7, 28. Corn. Nep. Hann. 9, 3. Suet. Ner. 48. id. Galb. 20. Hand Turs. III, p. 295. Madu. ad Cic. l. c. Paris autem et abbreuiator Guelferbytanus, cum *in profundum* scriberent, Valerium ipsum potius quam librariorum errorem emendasse putandi sunt. Ad idem genus haec pertinent IX, 15, 1 *cum Caesar — populum in hortis suis admisisset.* Cf. Petr. sat. 19. Corn. Lys. 1, 5 *Horum in numero nemo admittebatur*, de quo loco nescio an subtilius disputauerit Nipperdeius meus spicil. crit. in Corn. Nep. p. 32, cum contra codicum auctoritatem *in numerum* scribi iuberet. Insolentiora neque tamen reicienda haec sunt, VIII, 7, ext. 15 *in conspectu uenire* (cf. Dict. Cret. I, 10. Hand. Turs. l. c. et simile prorsus illud IX, 11, 1 *in conplexu uenire.* Fortasse huc referenda erunt quae IX, 12, ext. 5 in codicibus leguntur, *cum in certamine tragoediam dimisisset*, ubi uide quae adnotauimus. Certissimum uero in hoc genere illud est (III, 3, ext. 1.) *in cuius brachio carbo ardens delapsus est*, ubi ualde dubito num mente coniunxerit auctor in brachio ardens, quemadmodum opinabatur Haasius ad Reisig. vorl. üb. Lat. sprachw. p. 728. Quapropter ne VI, 2, 7 quidem admittere potui Perizonii coniecturam *neutram in partem*, uti insolentius sane auctor composuit *neutra in parte mutato uultu utrumque cauit, ne aut hilari fronte* etc., cum interim cum bonis codibus posuimus *Albae, in quam — relegatus erat* pro eo quod uulgo edebatur *in qua.*

ad ultimum iam solitudinis) Felix haec coniectura est codicis Guelferbytani *E*, qua librarius correxit archetypi mendum *ad ultimum asiam solitudinis*, proditum primaria libri Bernensis scriptura atque nunc etiam seruatum in codice Berolinensi *C.* De Asia ne cogitari quidem posse, cum Darius contra Scythas Europam incolentes bellauerit, recte animaduertit Perizonius; nec minus recte Torrenius, si retineri debeat, hoc quoque loco auctorem memoria lapsum esse statuendum iudicabat. At profecto non debet. Mendum enim sic ortum est. Librarius, cum legeret *ad ultimum — solitudinis*, postremam hanc uocem accusandi casu positam eique adiectiuum *ultimum* accommodandum esse ratus, in fine suprascripsit *as*, ut fieret *ultimas.* Quae interpolatio postea inter ipsa Valerii uerba perperam recepta coaluit cum sequenti *iam*, ita ut nunc legeretur *ad ultimum asiam solitudinis.* Simili quidem, sed minus probabili ratiocinatione Kappius adductus est ut Asiam reiceret et Valerium scripsisse opinaretur *ad ultimas iam solitudines.* Perizonius et Torrenius probarunt quod

peruenerant. Interrogati deinde ab eo per legatos, quem finem fugiendi aut quod initium pugnandi facturi essent, responderunt se nec urbes ullas nec agros cultos, pro quibus dimicarent, habere. Ceterum cum ad parentium suorum monumenta uenisset, sciturum quemadmodum Scythae proeliari solerent. Quo quidem uno tam pio dicto inmanis et barbara gens ab omni se feritatis crimine redemit. Prima igitur et optima rerum natura pietatis est magistra, quae nullo uocis ministerio, nullo usu litterarum indigens propriis ac tacitis uiribus caritatem parentium liberorum pectoribus infundit. Quid ergo doctrina proficit? Vt politiora scilicet, non ut meliora fiant ingenia, quoniam quidem solida uirtus nascitur magis quam fingitur.

6. Quis enim plaustris uagos et siluarum latebris corpora sua tegentes in modumque ferarum laniatu pecudum uiuentes sic Dario respondere docuit? Illa nimirum, quae etiam Croesi filium loquendi usu defectum ad protegendam patris incolomitatem ministerio uocis instruxit. Captis enim a Cyro Sardibus, cum unus e numero Persarum ignarus uiri in caedem eius concitato impetu ferretur, uelut oblitus quid sibi fortuna nascenti denegasset, ne Croesum regem occideret proclamando paene iam inpressum iugulo mucronem reuocauit. Ita qui ad id tempus mutus sibi uixerat saluti parentis uocalis factus est.

---

1. interrogâti *Γ*. || fugiendi finem *Torr.* || 3. ullas urbes *E*. || 4. parentum *D EFΓTorr.* || uenissent *ACDEFΓTorr.* || 5. sciturі *DF*. || quemadmodum] quem ad *E*. || 6. dictu *CDEF et pr. A*. || et *om. F*. || 7. igitur] ergo *D*. || 9. caritate *C*. || parentum *DEFTorr.* || pectoribus liberorum *Torr.* || 10. ergo] igitur *D*. || proficiscitur *E*. || scilicet politiora *E*. || 11. fiant] siut *F*. || 12. magis] *om. D*. magnis *pr. A*. || 13. plaustres *D*. palustris *CFΓ Vinc. Bell. sp. doctr. V*, 41. || corpora] coram *F*. || sua *om. Γ*. || 14. in modumque — uiuentes *om. Γ*. || pecorum *D*. || Dario] *sic h. l. A. ante* sic *Torr.* || 15. etiam] et *F*. || 16. incolumitatem *corr. A. cum reliquis et Torr.* || 18. unum *pr. A*. || 19. ferretur impetu *Torr.* || nascenti] *post* denegasset *E. ante* fortuna *Torr.* || 20. crassum *E*.

---

nos edidimus. Eodem modo dittographia quadam III, 7, 9 e *quo tam pleno* factum esse docuimus *quae uota pleno* et VII, 3, ext. 3 *altioribus* e *altiorius*, i. e. *altior* mutatum in *altius*.

cum ad parentium suorum monumenta uenisset,) Omnes libri manuscripti et Vincentius Bellou. spec. doctr. V, 41 *uenissent*. Quod relatum ad Scythas ineptam prorsus efficeret sententiam. Dicendum enim erat, si Darius eo usque progressus esset, fore ut experiretur Scytharum fortitudinem. Neque uero etiam ad Persas spectare potest *uenissent*, quia sequitur *sciturum* sc. Darium, quae personarum mutatio intolerabilis esset, praesertim cum subiectum accusatiui cum infinitiuo omissum sit. Nemo tamen interpretum id perspexit praeter Perizonium, qui ascripsit 'malo *uenisset*'. Quam emendationem omnino necessariam nunc confirmat Paridis compendium.

6. Cf. Herod. I, 85. Senec. controu. 20. A. Gell. V, 9.

Eadem caritas Italico bello Pinnensem iuuenem, cui Pultoni 7.
erat cognomen, tanto animi corporisque robore armauit, ut cum obsessae urbis suae claustris praesideret et Romanus imperator patrem eius captiuum in conspectu ipsius constitutum destrictis militum gladiis circumdedisset, occisurum se minitans, nisi inruptioni suae iter praebuisset, solus e manibus senem rapuerit, duplici pietate memorandus, quod et patris seruator nec patriae fuit proditor.

Hanc caritatem proximus fraternae beniuolentiae gradus V.
excipit. Nam ut merito primum amoris uinculum ducitur plurima et maxima beneficia accepisse, ita proximum iudicari debet simul accepisse. Quam copiosae enim suauitatis illa recordatio est! In eodem domicilio antequam nascerer habitaui; in iisdem incunabulis infantiae tempora peregi; eosdem appellaui parentes; eadem pro me uota excubuerunt; parem ex maiorum imaginibus gloriam traxi. Cara est uxor, dulces liberi, iucundi amici, accepti adfines, sed postea cognitis nulla beniuolentia accedere debet, quae priorem exhauriat.

Atque haec teste Scipione Africano loquor, qui tametsi 1.
artissima familiaritate Laelio iunctus erat, attamen senatum supplex orauit ne prouinciae sors fratri suo erepta ad eum transferretur, legatumque se L. Scipioni in Asiam iturum promisit

---

1. pulton *F.* plutoni *Γ.* || 2. ut * * cum *A.* ut eum cum *D.* || 3. et] * *A.* || imperator] *add.* et *corr. A.* || 4. ipsius] eius *EF.* || districtis *DFΓ.* || 5. inruptionis *A. sed* s *puncto notat.* || 7. quod] quia *E.* || 8. fuit] *post* proditor *Γ.* fuerit *Torr.* || 9. Hanc caritatem] *praemittunt titulum huius capitis* De pietate erga fratres *DF.* De pietate erga fratres secunda pars *E.* DE BENEVOLENTIA FRATERNA *Torr. Cf. praef. p.* 92. || 10. excepit *C.* || ut *om. Γ.* || 11. recepisse *F.* || 12. enim suauitatis] eius caritatis *F.* || 13. nasceretur *F.* || hiisdem *in rasura D.* hisdem *Γ.* || 14. cunabulis *F et in rasura D.* || tempora infantiae *F.* || 15. patrem *C.* || e *F.* || maiorem *pr. A.* || 16. traxi gloriam *D.* || iocundi *EFΓ.* || 17. accidere *coniecit Perizonius.* || 19. hoc *Torr.* || 20. artissima] *post* familiaritate *F.* rarissima *Par.* || tamen *Par. et corr. A.* || 21. sors prouinciae *F.* || transfereretur *E.* || 22. promisit] *add.* I. P. repromisit *margo A.*

---

7. *Pinnensem iuuenem*) Pinnenses summa constantia in fide Romanorum permansisse et ne liberis quidem suis ante moenia ipsorum uiolenter necatis commoueri potuisse ut ad socios desciscerent, retulit Diodorus exc. Valesii p. 612. uol. II, P. 2, p. 156. et exc. Vat. p. 120 Mai. ap. Dind. uol. III, p. 132. V, 1. Cf. Liu. XXXVII, 1. Cic. Phil. XI, 7, 17. Auct. de uir. ill. 49 et 53.

et maior natu minori et fortissimus inbelli et gloria excellens laudis inopi et, quod super omnia est, nondum Asiatico iam Africanus. Itaque clarissimorum cognominum alterum sumpsit, alterum dedit, triumphique praetextum huius cepit, illius tradidit, ministerio maior aliquanto quam frater imperio.

2. Marcus uero Fabius consul inclita pugna Etruscis et Veientibus superatis delatum sibi summo senatus populique studio triumphum ducere non sustinuit, quia eo proelio Q. Fabius frater eius consularis fortissime dimicans occiderat. Quantam in eo pectore pietatem fraternae caritatis habitasse existimemus, propter quam tantus amplissimi honoris fulgor extingui potuit?

---

1. inbelli] et belli *ACEF*. imbecilli *D*. || et gloria] ∘ gloria *A*. gloria *CEF*. || 2. iam *om*. *F*. || 4. praetextam *ACDEFΓTorr*. || coepit *A*. accepit *E*. excepit *Torr*. || 5. aliquanto maior ministerio *Γ*. ministerio aliquanto maior *Torr*. || 6. Etruscis] et amicis *CΓ et pr. A*. et amiclis *corr. A*. et amiculis *in rasura D*. amiclis *F*. || uenientibus *pr. A*. || 8. proelioque fabius *C*. || 9. eius] *add*. uir *Γ*. || ceciderat *D*. || quantum *pr. A*. || 10. caritatis pietatem (*omisso* fraternae) *F*. || 11. quem *C et pr. A*. || tantus] *post* honoris *Torr*. *om*. *C*. || amplissimi *om*. *DΓ*. || fulgur *F*.

---

fortissimus inbelli) Erant in archetypo haec, ***fortissimus et belli et gloria excellens***. Nam *et* ante *gloria* Bernensem quoque codicem olim exhibuisse indicat rasura supra enotata. Manifesta autem coniectura inde a correctore libri Bernensis et in alterius familiae altera parte (x″) ***fortissimus et belli gloria excellens*** factum est, cum interim altera pars recte posuit ***imbelli*** pro ***et belli***. Comparatio enim inter fratres Scipionis ita instituta est ut singulis Africani uirtutibus singula L. Scipionis opponantur uitia aut earundem uirtutum in hoc defectus. Ascripserat Perizonius Liu. XLIIII, 38, 10, ubi similiter fortissimo uiro inbellis opponitur. Genuinam scripturam Valerio e tribus codicibus, Campensi, Gemblacensi, Cauchiano, uindicauerat Pighius.

triumphique praetextum huius cepit) Codices et editiones omnes ***praetextam***, quam Torrenius positam putat pro uestitu et cultu magno, Kappius pro insignibus triumphantium. Comparat uterque Valerii VII, 1, 1, ubi tamen e codicibus manuscriptis ipsi recte receperunt ***speciosissimi triumphi praetextum***, quemadmodum sine dubio hoc quoque loco scribi oportebat. Nam praetexta neque ipsa erat triumphantium insigne, quod nullo certe iure interpretes e Suet. Tib. 17 concluserunt, ubi spreto triumphi honore Tiberius nihilominus praetextatus et laurea coronatus urbem intrasse dicitur, cum notum sit triumphantes toga picta et tunica palmata fuisse indutos; neque etiam alia nescio quae triumphantium insignia denotat. Quod cum perspiceret Lipsius, nimis profecto argute in epist. ad Nicol. Florentium (Barth. XLII aduers. 28.) per praetextam indicari contendit Scipionis modestiam, quippe qui cultu senatorio etiam triumphans fuerit contentus. Praetextum significare decus uel ornamentum docuimus ad II, 10, init.

2. Cf. Liu. II, 47. Dion. Hal. IX, 13. Oros. II, 4.

Etruscis et Veientibus) Pro ***Etruscis*** omnes boni codices mire *et amicis* tradunt, ita ut, quamuis rem supra expositam bello contra Veientes et Etruscos gesto accidisse tradant ueteres scriptores, tamen alius populi nomen apud Valerium huic mendo subesse uideri possit. Cogitarunt igitur de Hernicis aut Auruncis aut Aequicolis, substituendis. E quibus Hernicos statim remouendos iudico Dionysio auctore, qui ab Hernicis et Latinis ea tempestate auxilia Romanis missa esse plane atque aperte testatur. (Dion. IX antiq. 5.) Sed ne

Hoc exemplo uetustas, illo saeculum nostrum ornatum est, 3.
cui contigit fraternum iugum Claudiae prius, nunc etiam Iuliae gentis intueri decus. Tantum enim amorem princeps parensque noster insitum animo fratris Drusi habuit, ut cum Ticini, quo uictor hostium ad conplectendos parentes uenerat, graui illum et periculosa ualitudine in Germania fluctuare cognosset, protinus inde metu attonitus erumperet. Iter quoque quam rapidum et praeceps uelut uno spiritu corripuerit eo patet, quod Alpes Rhenumque transgressus die ac nocte mutato subinde equo ducenta milia passuum per modo deuictam barbariam [nam] Antabagio duce solo comite contentus euasit. Sed eum tum maximo labore et periculo implicatum mortaliumque frequentia defectum sanctissimum pietatis numen et dî fautores eximiarum uirtutum et fidissimus Romani imperii custos Iuppiter comitatus est. Drusus quoque, quamquam fato iam suo quam illius officio propior

1. §. 3. *om. Γ.* || uetustatis *D et corr. A.* || illo] *lineolis inductum corr. A.* || 2. Iuliae] aemiliae *E.* || 3. intuere A. || 6. cognoscet *C.* cognosceret *D.* cognouisset *EF. Vid. ad II*, 10, 8. || 7. inde] idem *ACDE.* || Iter — rapidum] idem quoque quam rapidum inter *F.* || 8. halpes renumq. *A.* rhenum alpesque *E.* || 9. noctu *ACE.* || equo *om. F. et pr. A.* || 10. modo] *ultima litt. in rasura A.* montem *F.* || barbariem *Torr.* || nam antabagio *C et litt.* nam *punctis notat. A.* nautabogio *D.* anthabagio *(omisso* nam*) E.* namatabagio *F.* Antabagio *(omisso* nam*) Torr.* || 11. tunc *Torr.* || 12. adfectum *AD.* || 13. factores *C.* || 14. fidissimum *F.* || iuppiter custos *F.* || 15. ullius *D Torr.*

Auruncos quidem aut Aequiculos, quippe qui longius remoti erant, cum illis tunc Romanorum hostibus fecisse uerisimile est, ne dicam de eo quod neutrius gentis nomen probabilius ex librorum scriptura *et amicis* erueretur quam Etruscorum. Quapropter illam codicis Guelferbytani *E* et aliorum quorundam coniecturam recte receptam esse opinor in uulgatis editionibus.

3. Cf. Liu. epit. libr. CXL. Plin. h. n. VII, 20, 20. Dio. Cass. LV, 2. p. 771 Reim. (Senec. cons. ad Pol. 34. Suet. Tib. 7. Tac. ann. III, 5.)

die ac nocte) Certi temporis descriptionem necessariam esse nemo est quin intellegat. Itaque a bonorum librorum testimonio *noctu* exhibentium discedendum erat, qua forma pro ablatiuo *nocte* Valerium aut aequales eius usos esse non mihi possum persuadere. Relinquenda haec utique antiquiorum temporum scriptoribus (Claud. Quadr. ap. Macr. Sat. I, 4) et in primis poetis (Plaut. mil. II, 4, 28. Amph. I, 1, 116. Enn. ap. Macrob. Sat. l. c.) Cf. Ruddim. inst. I, 119, 48. Atque etiam Plinium de eadem re disserentem *nocte ac die* posuisse recte Torrenius adnotauerat.

[*nam*] *Antabagio duce)* Mire prorsus in optimis codicibus ante ducis illius nomen causalis particula inserta est, quae deinde in recentioribus quibusdam coaluit cum ipso nomine alibi nondum inuento. Interpolandi quaenam causa fuerit non habeo dicere, nisi librarium priorem sententiam uoce *barbariam* finiri arbitratum insequentem quam putabat, *Antabagio duce solo comite contentus euasit*, causali nexu cum ea coniungere uoluisse existimaueris. Neque enim ad ipsum Antabagii nomen syllabam *nam* pertinere crediderim.

fato iam suo quam illius officio propior) Ita edebatur ante Pighium, qui inuitis bonis codicibus tacite posuit *ullius officio*, unde Perizonius et ante eum iam Guyetus coniecerunt legendum esse *ulli officio*. Verum manifesta oppo-

erat, uigore spiritus et corporis uiribus conlapsus, eo ipso tamen quo uita ac mors distinguitur momento legiones cum insignibus suis fratri obuiam procedere iussit, ut imperator salutaretur. Praecepit etiam dextera in parte praetorium ei statui, et consulare et imperatorium nomen optinere uoluit, eodemque tempore et fraternae maiestati cessit et uita excessit. His scio equidem nullum aliud quam Castoris et Pollucis specimen consanguineae caritatis conuenienter adici posse.

4. Sed omnis memoriae clarissimis imperatoribus profecto non erit ingratum, si militis summa erga fratrem suum pietas huic parti uoluminis adhaeserit. Is namque in castris Cn. Pompei stipendia peragens, cum Sertorianum militem acrius sibi in acie instantem conminus interemisset iacentemque spoliaret, ut fratrem germanum esse cognouit, multum ac diu conuicio deos ob donum impiae uictoriae insecutus, prope castra transtulit et pretiosa ueste opertum rogo inposuit. Ac deinde subiecta face protinus eodem gladio, quo illum interemerat, pectus suum transuerberauit seque super corpus fratris prostratum communibus flammis cremandum tradidit. Licebat ignorantiae beneficio innocenti uiuere; sed ut sua potius pietate quam aliena uenia uteretur, comes fraternae neci non defuit.

VI. Artissimis sanguinis uinculis pietas satisfecit. Restat nunc ut patriae exhibeatur. Cuius maiestati etiam illa, quae deorum

1. conlapsus] non lapsus *C.* || ipso *om. C.* || 2. ac] et *CE Torr.* || distingui *C.* || 4. dexteram in parte *pr. A.* dexteram in partem *C.* in dexteram partem *D.* dexteram inde partem *E.* dexteram impartem *F.* dextra in parte *Torr. Vid. ad VI, 3,* 5. || 5. optineri uolens *corr. A.* || 6. et fraternae — (7.) Castoris *om. C.* || 8. addici *F.* || posset *C.* || 9. Sed — (11.) adhaeserit *om. Γ.* || 10. ingratum non erit *CE.* || pietas] *ante* erga *F.* || 11. uoluminis parti *Torr.* || Is — Cn. Pompei] In castris cn. pompei miles quidam *Γ.* || 13. cominus *Torr.* || spoliauit *F.* || 16. coopertum *DΓ.* || 18. seseque *D.* || 20. alienae *F.* || 22. Artissimis] *Praeponunt inscriptionem* De pietate erga patriam *D Torr.* De pietate erga patriam III pars *E.* || satisfecit.] *Sequitur inscriptio* De pietate erga patriam *F.* || 23. oxibeatur *A.* || deorum *om. F.*

sitio inter *suo* et *illius* nequaquam neglegenda erat. Sententiam recte Torrenius enarrat. Drusum fato suo iam propiorem fuisse quam qui de officio illi (i. e. Tiberio) praestando cogitaret.

et consulare — optinere uoluit) Dubito de his uerbis tamquam de interpretatione praecedentium a grammatico quodam ascripta. Si genuina Valerii sint, certe legendum *optinere eũ uoluit;* nam uerbo *uelle* mutato subiecto simplex infinitiuus sublungi nequit. Vid. ad I, 4, 1.

numinibus aequatur, auctoritas parentium uires suas subicit, fraterna quoque caritas animo aequo ac libenti cedit; summa quidem cum ratione, quia euersa domo intemptatus rei publicae status manere potest, urbis ruina penates omnium secum trahat necesse est. Verum quid adtinet uerbis ista conplecti, quorum tanta uis est, ut alii ea salutis suae impendio testati sint?

Brutus consul primus cum Arrunte, Tarquinii Superbi regno 1. expulsi filio, in acie ita equo concurrit, ut pariter inlatis hastis

1. parentum *CDEFΓTorr.* || subiecit *ACDEFΓTorr. Quod eorrexi.* || 2. aequo animo *DFTorr.* || libenter *ACDEF.* || 3. intemptatus] interstatus *A.* interdum *CDEF.* || status rei publicae *D.* || 4. omnes *F.* || trahat secum *Torr.* || 6. alii ea] ali a *pr. A.* aliqui *DF et corr. A.* alii *CE.* ea quidam *Γ.* aliqui ea *Torr.* || impendio salutis suae *FΓ.* || sunt *in rasura E.* || 7. §. 1. *om. Γ.* || arrute *pr. A.* || 8. equo] quo *pr. A. om. CDEF.*

VI. *animo aequo ac libenti)* Codices tantum non omnes *libenter*, quod Pighius tacite mutauerat e codice Cauchiano, ut puto, in *libenti*. Recte, ni fallor. Nam si uno adiectiuo animum denotare uoluisset, haud dubie Valerius, ut solebant ueteres *aequo animo* scripsisset; estque solemnis fere formula *animo aequo ac libenti*. Cf. Cic. ad Att. II, 2, 4. id. pro Cluent. 2, 6. Itaque aduerbium librarius substituisse existimandus est, quo artius cohaereret cum cedendi uerbo.

intemptatus rei publicae status) Mendose in archetypo erat quod hodieque in Bernensi codice extat, *interstatus r. p. status*. Vnde librarius eius codicis, e quo maiorem reliquorum librorum partem fluxisse diximus (x''), deleto priore *status*, pro *inter* coniecit *interdum*, languidam, paene dixerim ineptam efficiens sententiam. Neque enim una euersa domo interdum non corruit res publica, sed plerumque stat integra. Optimam contra abbreuiator Guelferbytanus e sincerioris, quo usus est, codicis uestigiis eruit emendationem, *intemptatus*, quam in eodem hoc codice (Cauchiano) inuentam recte receperat Pighius. Aberratum erat ab *intèptatus* ad *interstatus*. Significat autem *intemptatus* idem atque *intactus*, quod ipsum h. l. substituendum esse suspicabatur Torrenius. Cf. Val. IX, 15, 2 *numen intemptatum ab hoc iniuriae genere.*

ut alii ea salutis suae) Hoc quoque loco omnis librorum discrepantia, quae sane maxima est, facillime explicatur e primaria codicis Bernensis scriptura *ut ali a salutis*, unde a correctore eius libri factum *ut aliqui salutis*, quae ne tum quidem Latine dicta putabo, si cum uulgatis editionibus *ea* post *aliqui* adieceris. Plerique *alia* mutarunt in *alii*. At sine dubio una litterula suppleta scribendum est *ut alii ea salutis* etc. Opposuit alios, uel uitae impendio testatos, quantae uires sint amoris erga patriam, sibimet ipsi, qui uerbis tantummodo istas uires complecti conatus sit. In qua sententia nemo sane offendisset, si ad uerbum *conplecti* addidisset *a me*. Atqui scribentis persona in hoc nexu per se subintellegitur.

1. Cf. Liu. II, 6. Dion. Hal. V, 15. Plut. Public. 9. Auct. de uir. ill. 10, alii.

ita equo concurrit) Cum in archetypo codice intercidisset prima uocis *equo*, in altera familia etiam quod supererat, *quo*, non intellectum a librariis omissum est. Neque uideo profecto cur equi commemoratio glossam sapiat, ut placuit Kappio, qui uocem suspectam sibi uncis inclusit, praesertim cum omnes scriptores luculenter prodiderint Arruntem et Brutum impetu equorum uehementer admotis calcaribus ita concurrisse, ut immissa hasta alter alterum transfigeret. (Plut. *ὥρμησαν ὁμόσε τοῖς ἵπποις.* Dion. *συναράττουσι τοὺς ἵππους ἐξ ἐναντίας ἐλαύνοντες*, et paulo post *καὶ οἱ ἵπποι αὐτῶν ἐμπλέξαντες τὰ στήθη τῇ ῥύμῃ τῆς φορᾶς ἐπὶ τοῖς ὀπισθίοις ἀνίστανται ποσίν.*)

uterque mortifero uulnere ictus exanimis prosterneretur. Merito adiecerim populo Romano libertatem suam magno stetisse.

2. Cum autem in media parte fori uasto ac repentino hiatu terra subsideret responsumque esset *ea* re illum tantummodo conpleri posse, qua populus Romanus plurimum ualeret, Curtius, et animi et generis nobilissimus adulescens, interpretatus urbem nostram uirtute armisque praecipue excellere, militaribus insignibus ornatus equum conscendit, eumque uehementer admotis calcaribus praecipitem in illud profundum egit, super quem uniuersi ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt, conti-

1. mortifico *AF.* || 2. abiecerim *pr. A.* obiecerim *CDEF.* || magno] *add.* etiam pretio *F.* || 3. §. 2. *om. pr. D.* || autem] enim *Γ.* || mediam partem *CDEFΓ.* || ha•tu *(sed post* h *insertum* i *a corr.) A.* a hiatu *C.* || 4. responsumque] que *om. Γ.* || esset — illum] *in rasura A.* || ea *om. CDFΓ.* || 5. cursus *F.* || 7. insignils *D.* || 8. assendit *E.* || cumque *C.* || admo • tis *A.* admotum *in rasura D.*

mortifero uulnere ictus) Mire optimus omnium codex Bernensis *mortifico* exhibet. Neque enim credibile est solum Valerium, qui et ipse alibi *mortiferum* dixit, uno hoc loco uocubulo usum esse, quod infimae demum aetatis scriptores adhibuerunt. Citat Forcellinius Tertullianum in carm. adu. Marc. 4, 5, apud quem *mortificare* quoque et *mortificatio* saepius occurrunt. Fieri autem potuit facillime ut librarius quidam pro *mortifero* formam reponeret sua aetate tritissimam. Quare uulgatorum exemplorum scripturam retinendam duxi.

Merito adiecerim) Probat Perizonius *obiecerim*, quod alteram codicum familiam occupauit, idque enarrat, obiecisse Valerium populo Romano eam libertatem, quam nunc adeo contemneret ac pessumdaret, olim magno ei stetisse. At sententia haec a mente et consilio, breuitas a consuetudine Valerii alienissima est. Explicat originem mendi antiqua libri Bernensis scriptura *abiecerim*.

2. Cf. Liu. VII, 6. Varro de ling. Lat. V, 32. p. 148 Speng. Dion. Hal. exc. Vat. Mai. coll. II, p. 493. Plin. h. n. XV, 18, 20. Oros. III, 5. Paul. diac. u. Curtiacum p. 49 Müll. Zonar. VII, 25.

ea re illum) Demonstratiuum pronomen non habetur in bonis codicibus et aberat sine dubio olim a Bernensi quoque libro. Neque tamen subaudiri potest ante relatiuum enuntiatum, quo certum aliquod personarum aut rerum genus demonstratur et ita eximitur a ceteris, ut exemtio illa pondus quoddam habeat. Cf. Madu. gramm. §. 324. n. 1. Itaque recte Torrenius *ea* suppleuit ante *re*, quod nunc confirmatur Paridis auctoritate. Kappius male coniecerat legendum esse *re illa tantummodo conpleri posse*.

animi et generis nobilissimus) Notum est genitiuum *animi* saepissime uel apud antiquiores scriptores pendere a uerbis aut adiectiuis animi quendam habitum atque condicionem denotantibus. Cf. Klotz. in lex. I, p. 418. Sed durius paulo Valerius illi genitiuo alteram quoque generis notionem adaptauit. Quapropter erunt fortasse qui legendum censeant *nobilissimi*. Neque tamen quicquam mutandum; nam praeter animum illa aetate alia quoque substantiua his adiectiuis subiungi solebant. Cf. Zumpt. gr. §. 437. Madu. gr. §. 288. g. Itaque similiter prorsus locuti sunt Valerius IX, 1, 3, *et nominis et animi excellentes uiros* et Velleius II, 27, 1, *uir animi bellique fortissimus*. Quae affatim declarant ipsos ueteres in illo *animi* non ablatiuum priscae linguae *(animoi)*, quem subesse docuit Klotzius ad Cic. Tusc. I, 41, 96 p. 138 et in zeitschr. f. alterthw. 1835. p. 742 et in lexico l. c., sensisse, sed genitiuum.

nuoque terra pristinum habitum recuperauit. Magna postea decora in foro Romano fulserunt, nullum tamen hodieque pietate Curtii erga patriam clarius obuersatur exemplum. Cui principatum gloriae obtinenti consimile factum subnectam.

Genucio Cipo praetori paludato portam egredienti noui atque 3. inauditi generis prodigium incidit. Namque in capite eius subito ueluti cornua erepserunt, responsumque est regem eum fore, si in urbem reuertisset. Quod ne accideret, uoluntarium ac perpetuum sibimet indixit exilium. Dignam pietatem, quae, quod ad solidam gloriam attinet, septem regibus praeferatur. Cuius testandae gratia capitis effigies aerea portae, qua excesserat, inclusa est † dictaque Rauduscula, olim aera raudera dicebantur.

---

1. terram *F.* || reperauit *F.* || 2. decora] *post* Romano *F.* || fluxerunt *F.* || hodieque] que *om. DEF.* || 3. obseruatur *CDEFΓ.* || Cui — (4.) subnectam *om. Γ.* || 4. gloriae principatum *D.* || consimile] et similem *F.* || 5. genicio *CEF.* gemicio *D.* genutio *Γ.* || cippo *FΓ.* || plaudato *D.* || portum *A.* || noui — (6.) Namque *om. Γ.* || atque] et *CEF.* || 6. prodigium generis *E.* || accidit *D.* || subito in capite uelut *(omisso* eius*) Γ.* || 7. erepserunt] emerserunt *in rasura A.* erexerunt *EF.* || eum regem *E.* || 8. reuerteretur *D.* || sibimet ac perpetuum *(Γ) Torr.* || 11. testandae] *add.* rei *EF Torr.* || aereae *ACDFΓ.* || quam *D.* || 12. dictaque — dicebantur *om. Γ.* || rauduscolana *ACDF.* randuscolaria *E.* || olim] olimque *D.* quod olim *Torr.* || aera] *om. E.* era *pr. A.* ea *corr. A.* || randera *D.* erandera *E.* || dicebatur *ACD.*

---

3. Cf. Ouid. metam. XV, 565. Plin. h. n. XI, 37, 45.

Cuius testandae gratia) Vulgata exempla post *testandae* inserunt *rei*, quod a plerisque libris manuscriptis abesse ne Torrenius quidem adnotauerat. Deleui igitur spuriam uocem. Relatiuum *Cuius* ad pietatem referendum esse nemo est quin uideat.

† *dictaque Rauduscula, olim aera raudera dicebantur.)* Ni omnia me fallunt, Valerius his uerbis causam exposuerat, unde appellationem suam accepisset porta Rauduscula, discrepans a Varrone de ling. Lat. V, 34 p. 163 Speng. et a Paulo diacono, quorum ille eam ita dictam esse refert, quod aerata fuerit, hic, quod rudis et impolita sit relicta. Neque aliter uiri docti hanc sententiam intellexerunt. Cf. Becker de Romae ueteris muris atque portis p. 99. Miror tamen omnes Valerii enarratores praeter Torrenium summam difficultatem, quae inest in his uerbis, alto silentio praeteriisse. Ars enim grammatica flagitat ut participium *dictaque* ad idem subiectum referamus, ad quod pertinet praecedens uerbum *inclusa est*, i. e. ad effigiem portae inclusam, non ad ipsam portam. Quod si ita est, in u. *Rauduscula* quoque non portae, sed effigiei illius appellationem quaeramus oportet. Itaque non abhorret a similitudine ueri Valerium scripsisse *dictaque* (sc. ea effigies) *Rauduscula; nam olim aera raudera dicebantur.* Est enim rauduscula deminutiuum, quod uocant grammatici, rauderis. Raudus autem uel rodus, ut Festi utar uerbis (u. rodus p. 265 Müll.), 'significat rem rudem et imperfectam. — Vulgus quidem in usu habuit non modo pro aere imperfecto, ut Lucilius, cum ait "plumbi pauxillum rodus linique metaxam", sed etiam pro signato, quia in mancipando, cum dicitur "ruduscule libram ferito", asse tangitur libra'. Coaluerunt autem *Rauduscula nã* in unum uocabulum *Rauduscula*, eo quidem facilius quo notior erat portae nomen. Ita lenissima sane mutatione probam sententiam regis-

4. Genucius laudis huius, qua maior excogitari uix potest, successionem tradidit Aelio praetori. Cui ius dicenti cum in capite picus consedisset, aruspicesque adfirmassent conseruato eo fore ipsius domui fatum felicissimum, rei publicae miserrimum, occiso in contrarium utrumque cessurum, e uestigio picum morsu

1. Genucius — (2.) praetori. Cui] Aelio praetori *Γ*. || qua maior] quam aliorum *CDEF et punctis notatum A*. || excogitari] *punctis notat. A*. || uix potest] impotest *punctis notat. A*. uir potest *E*. || 2. tradidit] *post* praetori *Torr.* tradit *ACD*.||praetoria *C*. praetorio *E*.|| Cui ius] *in rasura A*. cuius *CEF*.||dicentis *CE*. ||3. ∘ arispicesq. *A*. aruspexque *CEFTorr*. || adfirmasset *ACE Torr*. confirmasset *F*.||4. domus *in rasura A et ante* ipsius *Torr*. || factum *E*. statum *Γ et in rasura A. Torr*.|| felicissimum] *in rasura A*. fidelissimum *CDEF*. || reip. miserrimum *in rasura A*. || 5. occiso] picco occiso *E*. || censurum *C*. || pichum *post* senatus *F*.

tuimus, neque superest quod desideres. His enim expôsitis notissimam illam portam appellationem suam a Cipi effigie, quae *rauduscula* dicebatur, accepisse Romanis lectoribus per se patebat. Si tamen portae nomen putaueris *Rauduscularia*, necessario praecedentia mendosa esse statuemus, cum aliud subiectum portam indicans ad participium *dictaque* accedere debeat. Itaque Torrenius legi iussit *Capitis effigies aereae portae, qua excesserat, inclusa est, dicta quae Rauduscularia, quia olim aera raudera dicebantur*. Quae cum non uno nomine displiceant, accuratius refutare nolo. Neutiquam uero relatiuum ita postponi licuit, omisso simul uerbo *est*, quod omnino in hoc nexu abesse non potest. Probabilius igitur et melius Torrenius coniecisset *dictaque ea porta inde Rauduscularia*; *nam* etc. uel *dictaque Rauduscularia ea porta; nam olim* uel *olim enim*. Sed quod supra proposuimus longe praeferendum uidetur. Vtut haec se habent, sine dubio in praecedentibus *aerea* scribendum est, quemadmodum inde a Pighio usque ad Kappium edebatur, ita ut ad effigiem pertineat adiectiuum, non *aereae*, quod habent libri manuscripti. Etenim si *Rauduscularia* portae nomen esse putas, qui poterat fieri ut quae antea iam aerea erat, paruulae illius imaginis accessione, quam aeream fuisse ne commemoratur quidem, Rauduscularae appellationem traheret? sin autem effigiem ipsam a raudere appellatam credideris, nonne eam ex aere factam fuisse necessario antea narrandum erat? Denique in fine *dicebantur* recte iam in uulgatis editionibus restitutum erat pro *dicebatur*, quod profectum est a librario, qui omissa causali particula unam appellationem putauerit esse *aeraraudera*, singulari numero positam.

4. Cf. Varro. de ling. Lat. V. et III. de uit. pop. Rom. ap. Non. XII, 3. Front. strat. IIII, 5, 14. Plin. h. n. X, 18.

Cui ius dicenti) Cum boni aliquot libri pro *cui ius* exhiberent *cuius*, quod in Bernensi quoque codice olim fuisse suspicor, et deinde *dicentis*, erant qui cum Lipsio mallent *cuius ius dicentis*. Sed ne dicam de ingrato auribus sono, qui efficitur, uerbis *cuius ius*, usitatior dandi casus ne difficiliore quidem mutatione restituitur, praesertim cum *dicenti* manserit hodieque in Bernensi codice. Paulo post *aruspices* recepi ex eodem codice et alterius familiae altera parte, et correxi *adfirmassent*, ut edebatur a Pighio, Colero, Vorstio, habetque pluraliter *et aruspices respondissent* Frontinus l. c. Deinde suadentibus libris tantum non omnibus edidi *domui* pro *domus* et *fatum* pro *statum*. Sed intactum reliqui *morsu suo*, quod corruptum esse e *Marti suo* pro certo sibi persuaserat Torrenius, uidelicet quia non uerisimile ei uidebatur Aelium auem uiuam, ut neci daret, dentibus lacerasse. Quod num reuera fecerit nescio, neque etiam ceteri scriptores memoriae prodiderunt; sed poterat certe fieri aut factum esse fingi a Valerio, ut auiditatem quandam necandae auis significaret.

suo in conspectu senatus necauit. Decem et VII [mil.] tum familia eximiae fortitudinis uiros Cannensi proelio amisit. Res publica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit. Haec nimirum exempla Sylla et Marius et Cinna tamquam stulta riserunt.

P. Decius, qui consulatum in familiam suam primus intulit, 5. cum Latino bello Romanam aciem inclinatam et paene iam prostratam uideret, caput suum pro salute rei publicae deuouit ac protinus concitato equo in medium hostium agmen patriae salutem, sibi mortem petens inrupit, factaque ingenti strage plurimis telis obrutus super corruit. Ex cuius uulneribus et sanguine insperata uictoria emersit.

Vnicum talis imperatoris specimen esset, nisi animo suo 6. respondentem filium genuisset. Is namque in quarto consulatu patris exemplum secutus deuotione simili, aequo strenua pugna, consentaneo exitu labantis perditasque uires urbis nostrae correxit. Ita dinosci arduum est utrum Romana ciuitas Decios

---

1. mil. tum] *sic pr. A.* mil. cum *corr. A.* militum *CDEF.* tum *Γ.* milites *Torr.* || 2. familiam *DE.* suae familiae *Torr.* || 3. summum *om. E.* || fastigium imperii *F.* || 4. Haec — (5.) riserunt *om. Γ.* || hoc nimirum exemplum *F.* || syllae *pr. A.* || et Marius] et *om. F.* || cynna *A.* || 5. sculptuaris erunt *C.* sculpta riserunt *D.* || 6. P. Decius] P. *om. E. add.* Mus *Par. et corr. A.* || prius *F.* || 7. cun *pr. A.* || inclinatam] *in rasura A.* indisciplinatam *CDEΓ. Vt nos FPar. et corr. A.* || et] *post* iam *ACDΓ. om. E.* || 10. factaque — corruit *om. pr. E.* || 11. et] cum *F.* || 13. imperii *E.* || 14. in *om. F.* || 15. exemplum patris *F.* || 16. labentes *DE.* labantes *FΓTorr.* || urbis nostrae uires *E.* || 17. itaque *corr. A. Torr.* || Decios] *om. CEF. post* habuerit *Torr.*

Decem et VII [mil.] tum familia) Egregie in hoc loco emendando adiuti sumus codice Bernensi, qui causam et originem omnium ineptiarum illarum, quibus librarii sententiam perturbarunt, plane et aperte detegit. Nam cum ille exhibeat *decem et VII mil. tum familia*, liquet millenarii numeri notam adiectam esse a librario, qui parum haberet XVII tantum uiros Cannensi proelio occisos esse, non satis animaduertens unam familiam tot homines amisisse dici. Iam uero recentiores librarii ex illo *mil. tum familia* fecerunt *militum familia* et gliscente corruptela *militum familiam*. Vnde longius etiam a uero aberrarunt Valerii editores. Namque Pighius coniecerat legendum esse *XVII milites suae familiae*, quod uel in nouissimis mansit exemplis, quamuis, praeterquam quod satis mire milites ita, non uiri amissi esse dicerentur, L. Aelius ne ipse quidem superstes nullo modo eos amisisse dici potuerit. Vorstius scribi iussit *milites cum familia*, Perizonius *milites sua familia*, Torrenius *milites tum familia Aelia*. At accuratiore familiae definitione opus non erat, quia praecesserat *ipsius domui*. Ceterum L. Aelium cum XIIII ex eadem familia eo proelio occisum esse narrauit Front. strat. l. c.

5. Cf. Cic. de diu. I, 24, 51. id. de fin. II, 19, 61. Liu. VIII, 9. Front. strat. IIII, 5, 15. Flor. I, 14. Auct. de uir. ill. 26. alii.

6. Cf. Cic. Cat. mai. 13, 43. id. pro Sest. 21, 48. Liu. X, 28. Front. strat. l. c. Auct. de uir. ill. 27. alii.

utilius habuerit duces an amiserit, quoniam uita eorum ne uinceretur obstitit, mors fecit ut uinceret.

7. Non est extinctus re publica superior Scipio Africanus, sed admirabili uirtute ne res publica extingueretur prouidit. Siquidem cum adflicta Cannensi clade urbs nostra nihil aliud quam praeda uictoris esse Hannibalis uideretur, ideoque reliquiae prostrati exercitus deserendae Italiae auctore Q. Metello consilium agitarent, tribunus militum admodum iuuenis stricto gladio mortem unicuique minitando iurare omnes numquam se relicturos patriam coegit, pietatemque non solum ipse plenissimam exhibuit, sed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem reuocauit.

8. Age, ut a singulis ad uniuersos transgrediar, quanto et quam aequali amore patriae tota ciuitas flagrauit! Nam cum secundo Punico bello exhaustum aerarium ne deorum quidem cultui sufficeret, publicani ultro aditos censores hortati sunt ut omnia sic locarent, tamquam res publica pecunia abundaret, seque praestaturos cuncta nec ullum assem nisi bello confecto petituros polliciti sunt. Domini quoque eorum seruorum, quos Sempronius Gracchus ob insignem pugnam Beneuenti manumiserat, pretia ab imperatore exigere supersederunt. In castris etiam non eques, non centurio stipendium dari sibi desiderauit.

---

2. obsistit *E.* || 3. §. 7. *om. pr. D.* || scipio superior *F.* || 5. cannensa *pr. C.* || 6. ideoque] *add.* cum *D.* || 7. L. Metello *Torr.* || 8. districto *E.* || 9. unicuico *F.* || mitando *pr. A.* minando *E.* || 10. coegit patriam *F.* || plenissime *F.* || 11. ex] et *per compendium pr. A.* e *DΓ et corr. A.* || 12. Age] Sed *Γ.* || uniuersa *F.* || quanto — (13.) flagrauit! Nam *om. Γ.* || 13. fraglauit *pr. A.* fragrauit *F.* || 16. taquam *pr. A.* tanquam *corr. A.* || rei publicae *F.* || pecunia • *A.* || 21. impendium *ACDEFΓ.* || sibi dari *F.*

---

7. Cf. Liu. XXII, 53. Sil. Ital. X, 432. Auct. de uir. ill. 49.

auctore Q. Metello) Praenomen Quinti, procul dubio falsum, aut omnino delendum esse uidetur, praesertim cum in Paridensi quoque huius exempli compendio omittatur, aut mutandum in Marci notam *M.*, quae facillime ante nomen per eandem litteram incipiens interire potuit. Marcus certe a Valerio uocatur II, 9, 8 et in optimis Liuii codicibus XXIIII, 18 et XXVII, 11; sed uulgo creditur fuisse Lucius, quod praenomen bis ei tribuunt Liuiani codices XXII, 53. Pro certo quid scribendum sit, cum tantopere et librarii et ipse Valerius in praenominibus ponendis fluctuentur, affirmare nolim.

8. Cf. Liu. XXIIII, 18.

stipendium dari sibi desiderauit,) Libri manuscripti summo consensu *impendium* tradunt, quod interpretantur grammatici de pecunia, quam praeter stipendium acceperint equites et centuriones, non gregarii milites, ad paranda sibi quae et ipsis et equis opus essent. Ita de aere hordeario uidetur intellexisse Perizonius, cum ascripserit Paul. diac. u. hordiarium aes. (p. 102 Müll.) At praeterea quod id equitibus tantum dabatur, non centurionibus, neque alias hoc significatu usurpatum est *impendium*, uereor ut omnino Latine

Viri ac feminae quidquid auri argentiue habuerunt, item pueri insignia ingenuitatis ad sustentandam temporis difficultatem contulerunt. Ac ne beneficio senatus *quidem*, qui muneribus his functos tributi onere liberauerat, quisquam uti uoluit, sed insuper id omnes promptissimis animis praestiterunt. Non ignorabant enim captis Veìs, cum decimarum nomine, quas Camillus uouerat, aurum Apollini Delphico mitti oporteret neque emendi eius facultas esset, matronas ornamenta sua in aerarium retulisse; similiterque audierant mille pondo auri, quot Gallis pro obsidione Capitolii omissa debebantur, earum cultu expleta. Itaque et proprio ingenio et exemplo uetustatis admoniti nulla sibi in re cessandum existimauerunt.

1. atque *Torr.* || 3. quidem *om. ACDEFΓTorr.* || his muneribus *Torr.* || 4. honore *F.* || quisquam] quis *E.* || 7. delfico *A.* || 8. similiterque] que *om. F.* || 9. quot] quod *ACF.* quae *DETorr.* quem *Γ.* || 10. promissa *ACDEFΓTorr.* || cultu • *pr. A.* || expletum *ACDEΓΓ.* || Itaque] que *om. E.* || 11. et exemplo] et *om. pr. A.* || nullo sibi iure *D.*

dici possit *dare alicui impendium.* Maxime uero ne reciperem uocem ualde suspectam mouit me Liuii auctoritas, a quo ita hoc loco pendet Valerius, ut tantum non uerba eius mutuatus sit. Ille autem scripsit *ut non eques, non centurio stipendium acciperent.* De Gronouii opinione (de pecun. uet. III, p. 272) non est quod addam, qui cum in codicibus bonae, ut ait, notae repperisset *non eques impendium, non centurio stipendium,* et ipse illud probat et persuasit Vorstio atque Torrenio.

Ac ne beneficio senatus quidem) Adieci e coniectura *quidem*, quod uerisimile est intercidisse in codicibus ante *qui.* Solam enim particulam *ne* numquam eandem uim habere atque *ne — quidem* egregie certe de prosae orationis auctoribus exposuit Maduigius ad Cic. de fin. I, 11, 39 p. 82. Cf. etiam p. 818. Interpretum neminem his uerbis offensum esse non miror, quamquam uno alio loco, ubi in melioribus Valerii codicibus *ne* ita positum legitur, VII, 2, ext. 8 e deterioribus emendarunt *nec cogitata,* remedio facillimo quidem, sed cum et ipsa particula *nec* pro *ne — quidem*, quam alii inferiorum temporum scriptores frequentarunt, a Valerio perquam raro adhibita sit, non sane adeo probabili. Quare ibi quoque post *ne cogitata* addidimus *quidem,* quod interiisse in codicibus ante *inquit* Iulii Paridis compendium, retentis ipsius Valerii uerbis, luculenter comprobat. Simplici autem *nec* pro *ne — quidem* bis dumtaxat usus est hic scriptor III, 1, 2 *Nec hac re ab incepto moueri potuit* et IX, 3, 8 *nec senio iam prolapsus.* Quod tamen hoc loco, de quo agimus propter praecedens *Ac* non ferendum mihi uidetur.

Non ignorabant enim) Cf. Liu. V, 25. Plut. Cam. 8. Fest. u. pilentis p. 245 Müll.

similiterque audierant) Cf. Liu. V, 50. Diod. Sic. XIIII, 116, p. 730. Fest. u. matronis p. 153 Müll.

quot Gallis pro obsidione Capitolii omissa debebantur, earum cultu expleta) Archetypi codicis scriptura haec erat, *quod Gallis pro obsidione Capitolii promissa debebantur earum cultu* (aut *cultum) expletum.* Vnde possis cum Torrenio et Kappio suspicari una littera deleta legendum esse *quod Gallis — debebatur — expletum,* habendumque esse pro genitiuo *pondo,* apto a *mille,* quod substantiue positum cum genitiuo coniungatur a Cicerone in sexta in Antonium 5, 15, *Quis umquam in illo Iano inuentus est, qui L. Antonio mille nummum*

Ext. 1. *Sunt* et externa eiusdem propositi exempla. Rex Atheniensium Codrus, cum ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata ferro ignique uastaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos sciscitatus est quonam modo tam graue illud bellum discuti posset. Respondit Deus, ita finem ei fore, si ipse hostili manu occidisset. Quod quidem non solum totis Athenis, sed in castris etiam contrariis

1. Sunt et] * *A. om. E.* Et *CF et, ut uidetur, pr. A.* Sed ut *DΓ.* Sed et *Torr.* || eiusdem — exempla] attingam *Γ.* || propositi] *add.* attingam *D.* || exempla] *add.* attingam *E Torr.* || 2. exercitu hostium *F.* || Attica] matrica *ACF.* || 3. ignique] igni *ACE.* igneque *DF.* et igni *Γ.* || 4. scitatus *Γ.* || 5. illud tam graue *Torr.* || 7. Athenis, sed] athenienses *pr. A.* atheniensium *CEF et corr. A, Torr.* || castris] *add.* sed *CEF et corr. A, Torr.*

ferret expensum? atque in oratione pro Milone 20, 53 *quo in fundo — facile mille hominum uersabatur,* et ab aliis, quos citauit Gellius I, 16. Quibus addo Cornelii uit. Datam. 8, 3, ubi recte ex optimis codicibus Nipperdeius edidit *cum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset,* et Miltiad. 5, 1 *Ea mille misit militum.* Quod quamuis Gellius euincere studeat non uetustati concessum esse, ut quidam putauerint, sed rationem ita poscere, tamen ex ipsa illa disputatione illud dicendi genus tunc temporis obsoletum iam fuisse luce clarius apparet. Cicerone recentiores scriptores certe, sicubi *mille* substantiue cum genitiuo adhibuerunt pluratiuum uerbi numerum ei subiunxerunt, ut Liu. XXIII, 45, 7 *Mille fere passuum inter urbem erant castraque.* Cf. Madu. gramm. §. 72, a. Quid quod pluralis numerus etiam nunc superest in *debebantur.* Qua de causa *mille* hoc loco adiectiue positum et reliqua ita transformanda duxi, *quot Gallis — debebantur — expleta.* Frequentissimo enim, paene dixerim constanti librariorum errore *quot* confunditur cum *quod;* quo facto *expleta* facile in singularem numerum transire potuit. Iam uero contra omnem communem sensum uulgo edebatur *pro obsidione Capitolii promissa,* tamquam ideo Romani aurum promisissent, ut obsiderent Galli Capitolium. Egregie igitur Torrenius emendauit *pro obsidione Capitolii omissa,* quod recipere non dubitaui. Poterat ipsum Valerium citare in VII, 4, 3 de eadem pactione 'omittendae obsidionis' disserentem.

Ext. 1. Cf. Cic. Tusc. I, 48, 116. Vell. I, 2. Iustin. II, 6. Polyaen. I, 18. alii.

Sunt et externa) Verbum huius enuntiati aberat a codice archetypo; neque tamen potest subaudiri. Itaque mancam sententiam refecerunt librarii recentiorum codicum, supplentes in fine *attingam,* nonnulli insuper *et* mutantes in *Sed ut* uel *Sed et,* quod hucusque mansit in uulgatis exemplis. Excidit autem sine dubio *Sunt* ante *et* propter praecedentem uocem in easdem litteras exeuntem. Eodem modo Valerius externa exempla domesticis annectit IX, 12, ext. 1, *Sunt et externae mortes dignae adnotatu.* IIII, 6, ext. 1. *Sunt et alienigeni amores iusti, obscuritate ignorantiae non obruti.* Cf. II, 10, init. *Est et illa quasi priuata censura, maiestas clarorum uirorum.* Consentit nobiscum codex Leidensis quintus alterque Vltraiectinus inter Torrenianos et editio Moguntina. Ipse Torrenius malo codice deceptus coniecerat scribendum esse *Age sunt et externa.* At ueteres illo *age* usi non sunt nisi in imperando aut in interrogando.

non solum totis Athenis, sed in castris etiam contrariis) Diuersae codicum familiae longe digrediuntur in emendanda tradita scriptura *totis atheniensis in castris etiam contrariis.* Alterius coniecturam, *totis Atheniensium in castris sed etiam contrariis,* aperte falsam, cum repetita saltem praepositione dicendum fuisset *sed etiam in contrariis,* receperant editores ante Pighium et recentiores inde a Vorstio, reiecta Pighiana scriptura *totis Athenis, sed in castris etiam*

percrebruit. Eoque factum est ut ediceretur ne quis Codri corpus uulneraret. Id postquam cognouit, depositis insignibus imperii famularem cultum induit ac pabulantium hostium globo se obiecit unumque ex his falce percussum in caedem suam conpulit. Cuius interitu ne Athenae occidérent effectum est.

Ab eodem fonte pietatis Thrasybuli quoque animus manauit. 2. Is cum Atheniensium urbem triginta tyrannorum taeterrima dominatione liberare cuperet paruaque manu maximae rei molem adgrederetur et quidam e consciis dixisset 'Quantas tandem tibi Athenae per te libertatem consecutae gratias debebunt'? respondit 'Di faciant ut quantas ipse illis debeo uidear retulisse'. Quo adfectu inclitum destructae tyrannidis opus laude cumulauit.

Themistocles autem, quem uirtus sua uictorem, iniuria pa- 3. triae imperatorem Persarum fecerat, ut se ab ea obpugnanda abstineret, instituto sacrificio exceptum patera tauri sanguinem hausit, et ante ipsam aram quasi quaedam pietatis clara uictima concidit. Quo quidem tam memorabili eius excessu ne Graeciae altero Themistocle opus esset effectum est.

Sequitur eiusdem generis exemplum. Cum inter Kartha- 4.

---

1. percrebuit *CDEF Torr.* || co*dri *A.* || corpus] *ante* Codri *DΓ.* || 3. familiarem *EF et pr. A.* || sese *Torr.* || obiec* unumque *(sed prius* u *in rasura) A.* || 5. ne *om. pr. C.* || 6. Ab eodem — manauit *om. Γ.* || thrasibuli *A.* transibuli *F.* || 7. Is] Thrasybulus quoque *Γ.* Iste *E.* || dum *E.* || deterrima *E.* || 9. c] *om. pr. A.* ei *F.* de *Γ.* || conscius *F.* || quanta *F.* || 11. quantas] quas *F.* || quod adfectum *A.* quem affectum *CEF.* || 12. inclytum *(A).* || destrictae *AC.* || 13. autem quem] ante quam *F.* || 14. ab ea se *F.* || 15. obstineret *C.* || 16. ipsa arma *ACDF et pr. Γ. Cf. Vinc. Bell. sp. doctr. V.* 42. || quadam *F.* || 19. Sequitur — exemplum *om. Γ.* || kartagine *pr. A.* kartaginem *corr. A.* carthaginienses *DEΓ.*

---

contrariis, quae tamen alterius familiae coniectura haud dubie est felicissima. Oppugnabantur Athenienses in ipsa urbe. Mendum archetypi *athenieses* ortum esse uidetur ex *athenis set.*

2. *triginta tyrannorum — liberare cuperet)* Cf. Corn. Nep. Thras. 1, 2. Iustin. V, 9. Diod. Sic. XIIII, 32 p. 667, alii.

Quo adfectu) Ex archetypi codicis scriptura *quod adfectum* alterum codicum genus, quod cum prioribus grammaticis nos secuti sumus, eruit *quo adfectu*, alterum *quem affectum.* Si sententiam spectaueris, ne hoc quidem plane reiciendum est, sed et melius aliquanto opus destructae tyrannidis hoc affectu laudabilius redditum esse dicitur, quam affectus destructa tyrannide, neque enim minore laude digna fuisset Thrasybuli pietas, etiamsi infelix secutus esset euentus, et multo proprius *quo adfectu* ad primariae scripturae ductus accedit. Itaque iniuria illud *quem affectum* praetulit Torrenius.

3. Cf. Plut. Them. 31. At Cicero in Brut. 11, 43 a Clitarcho et Stratocle hanc fictam esse ait famam de exitu Themistoclis, quem Thucydides (I, 138) mortuum tantum scripserit, addens fuisse suspicionem ueneno eum sibi consciuisse mortem. Cf. Nep. Them. 10.

4. Cf. Sall. Iug. 79. Plin. h. n. V, 4. Solin. 30. Pomp. Mel. I, 7.

ginem et Cyrenas de modo agri pertinacissima contentio esset, ad ultimum placuit utrimque eodem tempore iuuenes mitti et locum, in quem hi conuenissent, finem ambobus haberi populis. Verum hoc pactum Karthaginienses duo fratres nomine Philaeni perfidia praecucurrere, citra constitutam horam maturato gressu in longius promotis terminis. Quod cum intellexissent Cyrenensium iuuenes, diu de fallacia eorum questi, postremo acerbitate condicionis iniuriam discutere conati sunt. Dixerunt namque sic eum finem ratum fore, si Philaeni uiuos ibi se obrui passi essent. Sed consilio euentus non respondit. Illi enim nulla interposita mora corpora sua his terra operienda tradiderunt. Qui quoniam patriae quam uitae suae longiores terminos esse maluerunt, bene iacent, manibus et ossibus suis dilatato Punico imperio. Vbi sunt superbae Karthaginis alta moenia? ubi maritima gloria incliti portus? ubi cunctis litoribus terribilis classis? ubi tot exercitus? ubi tantus equitatus? ubi immenso Africae spatio non contenti spiritus? Omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est. At Philaenorum egregii facti memoriam ne patriae quidem interitus extinxit. Nihil est igitur excepta uirtute quod mortali animo ac manu inmortale quaeri possit.

1. yrenas *pr. A.* || modo] magno *A.* margine *CEF Torr.* || 2. utrique *F.* || eodemq. *A.* eodemque *DEΓ.* eoque *C.* || 3. hi] ii *E Torr.* || ambobus populis finem haberi *Γ.* || 4. kartaginienses *A*, Carthaginiensium *Torr.* || phileni *APar.* || 5. percurerent *E.* praecucurreret *F.* praecurrerunt *Γ.* || circa *E.* || 7. aceruitate *pr. A.* || 8. iniuria *F.* || 9. sic] si *pr. Γ.* || philenii *C et pr. A.* || uiuo sibi *pr. A.* || se] *ante* ibi *(F) Torr.* || 10. interposita nulla *E.* || 11. iis *E.* || 13. uoluerunt *F.* || Punico dilatato *Torr.* || 15. inclyti *(A.)* || 16. ubi tot exercitus *om. F.* || immensae *F.* || 18. At] a *pr. A.* || philenorum *A.* || ne] nec *F et pr. A. om. D. Vid. ad II*, 1, 4. || 19. interitus] *add.* non *D.* || 20. mortali] immortali *Γ.* || ac] et *E.* || posset *pr. A.*

de modo agri) Non accurate Colerus codicem Petri Danielis *de magro agri* exhibere retulit, cum habeat *de magno agri*. Quae num archetypi quoque scriptura fuerit dinosci non potest, quoniam alterius familiae codices notabiliter et inter se et a Bernensi codice discrepant. Altera enim pars *de margine agri* profert, ut et ueteres editiones, idque mansit ad hunc diem in uulgatis exemplis. Quo uocabulo num umquam fines agri denotentur ualde dubito; nam in Plinii XII. h. n. 20 et Ouid. II. trist. 200, quos locos Torrenius citauit, extrema imperii pars, non ipsi fines ita describuntur. Veram scripturam in altero eius familiae genere aut seruatam aut coniectura inuentam esse comprobat nunc Iulii Paridis compendium, cuius uerba haec sunt, *Cum inter Karthaginem et Cyrenas de agri modo pertinacissima contentio esset.* Intellegendum igitur de mensura agri, de qua notissimae illae contentiones a mensoribus quoque proprio uocabulo de modo controuersiae appellantur.

eodem tempore) Libri tantum non omnes *eodemque tempore*, quod, ut mea quidem fert opinio, merito non receptum est ab editoribus. Neque enim cum definitione contrarii loci, unde missi sunt Philaeni, eiusdem temporis, quo pro-

Iuuenali ardore plena haec pietas. Aristoteles uero, su- 5.
premae uitae reliquias senilibus ac rugosis membris in summo litterarum otio uix custodiens, adeo ualenter pro salute patriae incubuit, ut eam hostilibus armis solo aequatam, in lectulo Atheniensi iacens, et quidem Macedonum manibus, quibus abiecta erat, erigeret. Ita *non tam* urbs strata atque euersa Alexandri quam restituta Aristotelis notum est opus. Patet ergo quam benignae quamque profusae pietatis erga patriam omnium ordi-

1. §. 5. *om. Γ.* || iuuenili *DEF et corr. C, Torr.* || 3. ualenter adeo *E.* || 4. hostilibus] ab hostibus *DEF.* || armis *om. E.* || aequandam *pr. E.* || 5. et quidem] * * de * *A.* equidem *CF.* equidem de *E.* equitum *E. om. Torr.* || manus *E.* de manibus *Torr.* || subiecta *D.* adiecta *E.* || 6. eriperet *ACDEF Torr.* || non tam] *post* urbs *corr. D, Torr. om. CEF et pr. AD.* || urbs] *ultima litt. in rasura A.* || 7. ergo] igitur *F.* || 8. profuisse *F.*

ficiscerentur, denotatio ita affixo *que* adiungi posse uidetur. Simile certe exemplum frustra quaesiui. Confirmat suspicionem meam Iulius Paris, cuius compendium haec sine copula eodem modo effert, quo nos supra.

5. Cf. Plin. h. n. VII, 29. Plut. Alex. 7. Ael. u. h. III, 17. XII, 54. Diog. Laert. V, 4.

supremae uitae reliquias) Suspicatur Perizonius legendum esse *supremas*, ita ut ad *reliquias* referatur adiectiuum, quocum sensu cohaeret. Et solet sane ita loqui Valerius. Comparauit Perizonius VI, 2, 10, *Obstipuerunt tot legiones, tam robustas senectutis reliquias intuentes.* Poterat etiam citare III, 2, 18, *paruulis et extremis spiritus reliquiis ne res publica expiraret effecit*, et IX, 12, ext. 8, *tenues et exiles uirium reliquias.* Sed iam in praefatione p. 37 monuimus hunc scriptorem saepenumero adiectiua a primario substantiuo, quocum sententiae nexu cohaerent, dirempta cum alio nomine coniunxisse, quod ab illo substantiuo pendens genitiuo casu positum est. Cf. quae ibi congessi exempla. Itaque ne hoc quidem loco quidquam mutandum.

et quidem Macedonum manibus) Archetypi codicis scriptura haec erat, *equidem Macedonum manibus, quibus abiecta erat, eriperet.* Quam egregie Aldus ex interpolato, ut opinor, libro emendauit sublato solito librariorum errore, *equidem* pro *et quidem*, mutatoque *eriperet* in *erigeret*. Neque enim urbs a Macedonibus abiecta et solo aequata, iam cum auctore Aristotele restitueretur, eripi ab eo Macedonum manibus dici poterat, siquidem ipsis eorum manibus restituta est. Omnem Aldinae emendationi dubitationem eximere potest Aelianus III u. h. 17, *Ἀριστοτέλης δὲ τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα οὐ τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο εἰς γόνυ πεσοῦσαν ἀλλ' ἐπὶ τὸ στόμα ἀνέστησεν αὖθις.* Erexit igitur Aristoteles patriam abiectam et, quod maius est, erexit eam iisdem manibus, quibus abiecta erat. Quae quo sunt planiora, eo magis mirandum quod hucusque nugae illae librariorum, aliis grammaticorum erroribus auctae, stabiles in uulgatis exemplis permanserunt. Probarunt tamen quod nos edidimus Torrenius et Kappius, nisi quod ille, cum multi codices exhibeant *equidem de manibus* aut *equidem de macedonum manibus*, legendum suspicabatur *eorundemque Macedonum manibus.* Restat ambiguum illud *in lectulo Atheniensi iacens*, quod, nisi locum significet, quo tunc temporis uersatus sit senex Aristoteles, quid sibi uelit non assequor. Locum uero ita describi potuisse uix crediderim. Quapropter cum Kappio ualde dubito an Valerius posuerit *in lectulo Athenis iacens*, quod ipsum e codice in reliquis mire interpolato atque corrupto exhibuerat Ioannes Saresb. Policr. VII, 6.

Ita non tam urbs strata) Miscentur in his librariorum et ipsius auctoris errores. Nam Stagira urbs non ab Alexandro euersa erat, sed a patre Phi-

num, omnis aetatis homines extiterint, sanctissimisque naturae legibus mirificorum etiam exemplorum clara mundo suscripsit ubertas.

DE PARENTVM AMORE ET INDVLGENTIA IN LIBEROS.

VII. Det nunc uela pii et placidi adfectus parentium erga liberos; indulgentia salubrique aura prouecta gratam suauitatis dotem secum adferat.

1. Fabius Rullianus, quinque consulatibus summa cum gloria peractis omnibusque et uirtutis et uitae emeritis stipendiis, legatus

1. extiterunt *F.* || 2. subscripsit ubertas] suscriptuumtas *pr. A.* suscripta testantur *corr. A.* scripsit ubertas *D.* subscripsit ubertas uel subscripta testantur *F.* subscripserit ubertas *Torr.* || 4. PATRVM *Torr.* || ET INDVLGENTIA] *om. EPar.* || IN] erga *E.* || 5. Det] Sed *DF.* || parentum *CDEFΓTorr. Vid. ad V, 4, init.* || 6. grata *F.* || secum dotem *Torr.* || 8. Rullianus] *(EΓ)Par.* rutilianus *ACDF. Vid. ad II, 7, 8.* || 9. et uirtutis] *(sic E.)* et uirtutibus *AC Γ.* uirtutibus *(om. et) DF.* || emeritis] *(E.)* meritis *ACDFΓ.*

lippo, sicut testantur Plutarchus et Diogenes Laertius, secundum quos auctores restitutae quoque patriae beneficium ab ipso Philippo Aristoteles laboris praemium pro institutione filii cepit. Consentientem de restituta urbe habet Valerius Plinium l. c., qui tamen in septimo hist. nat. permulta ex hoc opere excerpsit. Cf. praef. p. 43. Apparet autem, cum boni codices tradant *Ita urbs strata atque euersa alexandri quam restituta aristotelis notum est opus*, in hac comparatione excidisse aliquid, quo maiore aliquanto cum gloria Aristoteles Stagiram restituisse quam Alexander diruisse dicebatur. Nam auctor, si utriusque facta ex aequo ponere uoluisset, ut fecit Vincentius Bellou. spec. doctr. V. 42 *(ita urbs tam strata — quam restituta)*, certe priore loco de Aristotele dixisset *(ita tam urbs restituta Aristotelis quam strata* etc.*)*, quippe in quo summa totius disputationis uersetur. Omnino igitur excidit aut simplex negatio post *ita;* sic enim subaudito *tam* loqui solebant ueteres (cf. Tac. III ann. 8 *quem haut fratris interitu trucem quam remoto aemulo aequiorem sibi sperabat.* id. ann. V, 6. Liu. II, 56, 9. XXV, 15, 9. XXVI, 31, 2.), aut *non tam*, quod probabilius et rectius emendator codicis Bernensis ante *urbs* suppleuit quam editores post hanc uocem. Transierat enim librarius a priore syllaba u. *ita* statim ad similem alteri syllabae formam *tã (tam)*, quae frequentissima lacunarum causa extitit.

Clara mundo subscripsit ubertas) Recte haec opinor a Kappio explicata esse de mirificorum exemplorum uires illius pietatis comprobantium copia cuncto mundo aperta atque perspicua. Sententiam ipse auctor nimiam affectans elegantiam obscurauit. Non igitur opus est coniecturis Pighii *clara mundo subscripsit ueritas*, Perizonii *cara mundo subscripsit ubertas*, quam probauit Torrenius, aliorum. Sed recte illi uerbum finitum *subscripsit* restituendum esse uiderunt pro eo quod hucusque edebatur *subscripserit.*

VII, 1. Cf. Liu. epit. libr. XI. Oros. III, 22. Zonar. VIII, 1.

omnibusque et uirtutis et uitae emeritis stipendiis) Omnes codices praeter Guelferbytanum *E.* nisi huius consensum cum reliquis enotare oblitus sum,

ire Fabio Gurgiti filio ad bellum difficile et periculosum conficiendum grauatus non est, paene ipso per se dumtaxat animo sine corpore militaturus, utpote propter ultimam senectutem lectuli otio quam labori proeliorum habilior. Idem triumphantem equo insidens sequi, quem ipse paruulum triumphis suis gestauerat, in maxima uoluptate posuit, nec accessio gloriosae illius pompae, sed auctor spectatus est.

Non tam speciosa Caeseti equitis Romani sors patria, sed 2.
par indulgentia. Qui ab Caesare, omnium iam et externorum et domesticorum hostium uictore, cum abdicare filium suum iuberetur, quod is tribunus plebis cum Marullo collega inuidiam ei tamquam regnum adfectanti fecerat, in hunc modum respondere sustinuit, 'Celerius tu mihi, Caesar, omnes filios meos

---

1. ire] *add.* cum *corr. A et corr. D.* || 4. praemiorum *D.* || triumphantem] triumphantis *CDEF et litt.* tis *in rasura A.* triumphantis currum *ΓTorr.* || 6. uoluntate *E.* || accessor *F et corr. E.* || gloriosae] *post* illius *D.* gloriae *E.* || 8. Non tam — (9.) indulgentia. Qui] Cesetius eques romanus dum *Γ.* || Caeseti] caesarii *D.* || 9. ab] a *EFTorr.* || iam et] et *om. F.* || 10. uictorie *CD et pr. Γ.* || cum] dum *D. om. Γ.* || 11. plebis] *om. DΓ.* populi *E.* || 12. ei] *in rasura AD.* enim *C.* || tanquam *(litt.* tan *in rasura) A.* || respondendo *CDFΓ et pr. A.*

---

uirtutibus tradunt et deinde *meritis*, unde Pighius fecerat *omnibusque et uirtutibus et uitae meritis stupendus*, in quibus languet duplex eiusdem rei significatio, cum nihil inter se differant uirtutes et uitae merita. Quare melius Gronouius in IIII obs. c. 19 coniecerat legendum esse *omnibusque et uirtutum et uitae emeritis stipendiis*, eaque sic explicat, 'Emeruit stipendia uirtutum qui omnes earum numeros impleuit, qui omnibus muneribus uirtutis perfunctus est. Emeruit stipendia uitae qui consenuit'. Cui astipulantur Vorstius et Torrenius, ita tamen ut recte moneant probabilius etiam *uirtutis* scribendum esse, quod mutatum est in *uirtutibus* propter praecedens *omnibusque*. Simplex *meritis* ferri quidem posset, sed et rectius stipendia iam peracta, ea enim notio urgetur, emerita dicuntur (cf. VI, 1, 10. Liu. XLII, 34, 12. XLIII, 14, 9.), et facillime fieri potuit ut littera *e* praecedentis uocabuli terminatione absorberetur.

triumphantem equo insidens sequi) Archetypus *triumphantis* exhibuisse uidetur. Itaque alii librarii *currum* post eam uocem supplenerunt, quae interpolatio mansit hucusque in uulgatis exemplis, alii (quinque inter Torrenianos codd.) emendarunt *triumphantem*. Hos uerum diuinasse demonstrat nunc Paridis compendium. Cui scripturae cur longe uulgatam praeferendam censuerit Torrenius uellem scire. Cf. IIII, 1, 9, *Tamen eum triumphantem equo sequi quam triumpho — uti maluit.*

2. *is tribunus plebis — fecerat)* Cf. Suet. Caes. 79. App. ciu. II, 108. Dio Cass. XLIIII, 9. p. 387 Reim.

respondere sustinuit) Librorum mendum *respondendo* Torrenius ortum putat errore insciti librarii, inuidiam Caesari ita respondendo factam esse putantis. Nec mihi secus uidetur. Nam quod Kappius gerundium defendere conatur ascripto Corn. Nep. uit. Att. 21, ubi olim edebatur *ne frustra dehortando conemini*, recte nunc Rothius et Nipperdeius meus praestantissimi codicis Danielini auctoritatem secuti scripserunt *dehortando impedire conemini*. Et Valerius qui

eripies quam ex his ego unum nota mea pellam'. Habebat autem duos praeterea optimae indolis filios, quibus Caesar se incrementa dignitatis benigne daturum pollicebatur. Hunc patrem, tametsi summa diuini principis clementia tutum praestitit, quis tamen non humano ingenio maius ausum putet, quod cui totus terrarum orbis succubuerat non cessit?

3. Sed nescio an Octauius Balbus concitatioris et ardentioris erga filium beniuolentiae fuerit. Proscriptus a triumuiris, cum domo postico clam esset egressus iamque fugae expeditum initium haberet, postquam filium intus trucidari falso clamore uiciniae accepit, ei se neci, quam euaserat, obtulit occidendumque militibus tradidit, pluris nimirum illud momentum, quo illi praeter spem incolomem uidere filium contigerat, quam salutem suam aestimans. Miseros adulescentis oculos, quibus amantissimum sui patrem ipsius opera sic expirantem intueri necesse fuit!

Ext. 1. Ceterum ut ad iucundiora cognitu ueniamus, Seleuci regis filius Antiochus, nouercae Stratonices infinito amore correptus, memor quam inprobis facibus arderet, impium pectoris uulnus pia dissimulatione contegebat. Itaque diuersi adfectus iisdem uisceribus ac medullis inclusi, summa cupiditas et maxima uerecundia, ad ultimam tabem corpus eius redegerunt. Iacebat ipse in lectulo moribundo similis, lamentabantur necessarii, pater maerore prostratus de obitu unici filii deque sua miserrima or-

---

1. ex iis *E.* || pellam mea *Torr.* || 2. filios *om. E.* || 3. daturum] largiturum *Torr.* || 5. ingenio humano *F.* || magis *F.* || totus *om. E.* || 6. orbis terrarum *F.* || succumbuerat *pr. C.* || 7. Sed — (8.) fuerit *om. Γ.* || Octauius] otius *Par.* || concitationis *C.* || 8. triumuiris] *add.* balbus octauius *Γ.* || 9. postica *DΓ.* || 10. intus filium *Torr.* || falsus *CΓ et pr. A.* || 11. occidendumque] *add.* se *D.* || 12. plures *pr. A.* plurimis *E.* || minimum *CF et pr. A.* nimium *E.* || 13. incolumem *CDEFΓ et corr. A et post* filium *Torr.* || 14. miserans *pr. A.* || 15. expirante *C.* || 16. ut] cum *CD.* || 17. stratonice *D.* || infinito] infando *E.* immoderato *Γ.* || 18. facinoribus *DΓ.* || arderet *om. D.* || 19. • tegebat *corr. A.* || ita *E.* || hisdem *Γ.* || 23. moerore *(A.)* || filii] *add.* sui *E.*

---

plus iusto frequentauit sustinendi uerbum, hoc significatu semper cum infinitiuo coniunxit. Cf. II, 10, 6. III, 2, ext. 9. III, 5, 1. III, 8, 4. IIII, 5, 1. V, 3, 2. V, 7, ext. 2. V, 8, 3. V, 10, ext. 1. VI, 2, 11; cett.

3. Cf. App. ciu. IIII, 21, p. 306.

falso clamore uiciniae accepisset) Reuocauit hoc Torrenius, cum Pighius edidisset *falsus*, quae sane optimorum librorum scriptura est. Sed multo accuratius et concinnius *falso*. *Falsus* Valerium dicturum fuisse credo, si Balbus clamorem quendam uiciniae, aliam rem significantem, male intellectum de caede filii interpretatus esset. Atque etiam parem auctoritatem habet *falso clamore* in Iulii Paridis compendio.

Ext. 1. Cf. Plut. Demetr. 38. App. Syr. 59 et sqq. p. 88.

bitate cogitabat, totius domus funebris magis quam regius erat uultus. Sed hanc tristitiae nubem Leptinis mathematici uel, ut quidam tradunt, Erasistrati medici prouidentia discussit. Iuxta enim Antiochum sedens, ut eum ad introitum Stratonices rubore perfundi et spiritu increbrescere eaque egrediente pallere et excitatiorem anhelitum subinde recuperare animaduertit, curiosiore obseruatione ad ipsam ueritatem penetrauit. Intrante enim Stratonice et rursus abeunte, brachium adulescentis dissimulanter apprehendendo, modo uegetiore modo languidiore pulsu uenarum conperit cuius morbi aeger esset, protinusque id Seleuco exposuit. Qui carissima sibi coniuge filio cedere non dubitauit, quod in amorem incidisset, fortunae acceptum referens, quod dissimulare eum ad mortem usque paratus esset, ipsius pudori inputans. Subiciatur animis senex, rex, amans; iam patebit quam multa quamque difficilia paterni adfectus indulgentia superauerit.

Ac Seleucus quidem uxore, Ariobarzanes autem filio suo 2.

1. regis *F.* || 2. leptunis *D.* lethionis *E.* leptini *Γ.* || matematici *A.* astrologi mathematici *E.* || 3. trasistrati *F.* || iusta enim *E.* Nam iuxta *Γ.* || 4. introitu • *A.* || stratonice *D.* strationices *Par.* || robore *pr. A.* || 5. spiritum *corr. A.* || increbescere *CFΓ.* || exercitatiorem *ACEFΓ et corr. D.* exertaciorem *pr. D.* || 6. hanelitum *AF.* || 7. obseruatione • *A.* || stratonica *D.* || 8. rursum *D.* || 9. apprehendit *F.* || uegetiore • *A.* uegetatiore *F.* || languidiorẽ *pr. A.* || 10. protinusque] que *om. F.* || 11. carissimam sibi coniugem *ADEΓ et corr. C, Torr.* sibi carissimam coniugem *F. Vid. ad IIII*, 1, 7. || 13. usque ad mortem *FTorr.* || esset *om. E.* || 15. paterni] patrum *F.* || superauit *ACDEFΓTorr.* || 17. Ac — uxore *om. Γ.* || ac • seleucus *A.* haec de seleuci *D.* at seleucus *EFTorr.* || uxorẽ *(sed ˜ a corr.) A.* uxorem *EF.* || ariobargenes *E.*

Erasistrati medici) Cf. Plin. h. n. XIIII, 7. XX, 9. XXVI, 2. Gell. XVI, 3.

excitatiorem anhelitum subinde recuperare) Omnes libri *exercitatiorem,* neque deerunt fortasse qui id retinendum censeant interpretandumque de fatigato et languido spiritu. Quam significationem huic uerbo inesse omnino nego. Recte, ni fallor, iam editio Veneta a. 1478 emendauit *excitatiorem*, quamquam hoc quoque insolentius paulo positum est. Videtur denotasse auctor grauiorem illam, quae aures circumstantium percutit acrioremque respirationem, qua periculosiore morbo impliciti deficiente spiritu solent laborare. Intrante autem Stratonice spiritus Antiocho increbruit, ita ut ualidior simulque tranquillior et minus acuta fieret eius respiratio; exeunte illa iterum pallet paulatimque in illum recidit quem aegrotantium dixi fortiorem atque excitatiorem anhelitum. Atque sic Perizonius quoque adiectiuum intellexit, qui explicat per 'ex imo pectore petitum, frequentem, acrem'.

superauerit) Coniunctiuum desiderari primus uidit Vorstius, *superarit* legendum esse coniciens, cui astipulantur Perizonius, Torrenius, Kappius. Mansit nihilo secius mendosa librorum scriptura in uulgatis exemplis, si exceperis Hasii et Bipontinas curas, in quibus recte *superauerit* scribitur. Ea enim coniunctiui forma tantum non semper utitur Valerius, sed litterae *er* saepissime a librariis neglegentius scribentibus omissae sunt.

2. App. Mithr. c. 105.

Cappadociae regno cessit in conspectu Cn. Pompei. Cuius cum tribunal conscendisset inuitatusque ab eo in curuli sella sedisset, postquam filium in cornu scribae humiliorem fortuna sua locum obtinentem conspexisset, non sustinuit infra se conlocatum intueri, sed protinus sella descendit et diadema in caput eius transtulit hortarique coepit ut eo transiret, unde ipse surrexerat. Exciderunt lacrimae iuueni, cohorruit corpus, delapsum diadema est nec quo iussus erat progredi potuit, quodque paene ueritatis fidem excedit, laetus erat qui regnum deponebat, tristis cui dabatur. Nec ullum finem tam egregium certamen habuisset, nisi patriae uoluntati auctoritas Pompei adfuisset. Filium enim et regem appellauit et diadema sumere iussit et in curuli sella considere coegit.

VIII. 1. Comicae lenitatis hi patres, tragicae asperitatis illi.

DE SEVERITATE PATRVM IN LIBEROS.

L. Brutus, gloria par Romulo, quia ille urbem, hic libertatem Romanam condidit, filios suos dominationem Tarquinii a se expulsam reducentes summum imperium obtinens conprehensos proque tribunali uirgis caesos et ad palum religatos securi percuti iussit. Exuit patrem, ut consulem ageret, orbusque uiuere quam publicae uindictae deesse maluit.

---

1. regnum *ΓPar.* || 2. eo] *add.* ut *D.* || curulli *A.* curilli *in rasura D.* || 4. conspexit *ΓTorr.* || 5. sella] de sella *F.* || 6. surrexerat] descenderat *F.* || 7. corruit *EΓ.* || dilapsum *ACDEFΓTorr. Correxit Perizonius.* || est diadema *Γ.* || 8. fidem ueritatis *FΓTorr.* || 10. aegregium *pr. A.* || 11. pompeii auctoritas *E.* || 13. consedere *Γ.* || 14. Comicae] *praemisit inscriptionem* QVI SEVERI ADVERSVS LIBEROS *Torr.* || traicae *A.* || illi] qui iam referrentur (referentur *corr. Γ*) *Γ.* || 15. PATRVM] parentum *E et ante* seueritate *FPar.* || IN LIBEROS] *om. Par.* in filios *DE.* || 16. L. Brutus] L. *om. CDFΓ.* || Par Romulo gloria L. Brutus *Torr.* || 17. Tarquinii dominationem *(F)Torr.* || 19. deligatos *corr. A.*

---

conspexisset) Non debebant attemptare grammatici plusquamperfecti coniunctiuum pendentem a *postquam*, quem uel inuitis libris hucusque editum admiserant I, 7, ext. 2, *(postquam in conspectum uenisset)*. Exempla, quamquam perrara sunt, inueniuntur tamen uel apud castigatissimos scriptores. Equidem nunc non habeo plura, quam quae congessit Nipperdeius meus ad bell. Afric. 91, 4, Cic. de imp. Cn. Pomp. 4, 9. Vitruu. II, 9, et cum imperfecti coniunctiuo Cic. pro Cluent. 64, 181.

VIII. 1. Cf. Liu. II, 5. Dion. Hal. V, 8, 9. Flor. I, 9. Auct. de uir. ill. 10; alii.

Huius aemulatus exemplum Cassius filium, qui tribunus 2.
plebis agrariam legem primus tulerat multisque aliis rebus populariter animos hominum amore sui deuinctos tenebat, postquam illam potestatem deposuit, adhibito propinquorum et amicorum consilio adfectati regni crimine domi damnauit uerberibusque adfectum necari iussit ac peculium eius Cereri consecrauit.

Titus autem Manlius Torquatus propter egregia multa rarae 3.
dignitatis iuris quoque ciuilis et sacrorum pontificalium peritissimus, in consimili facto ne consilio quidem necessariorum indigere se credidit. Nam cum ad senatum Macedonia de filio eius D. Silano, qui eam prouinciam optinuerat, querellas per legatos detulisset, a patribus conscriptis petit ne quid ante de ea re statuerent quam ipse Macedonum filiique sui causam inspexisset. Summo deinde cum amplissimi ordinis tum etiam eorum qui questum uenerant consensu cognitione suscepta, domi consedit solusque utrique parti per totum biduum uacauit, ac tertio plenissime die diligentissimeque auditis testibus ita pronuntiauit, 'Cum Silanum filium meum pecunias a sociis accepisse probatum mihi sit, et re publica eum et domo mea indignum iudico, protinusque e conspectu meo abire iubeo.' Tam tristi patris sententia perculsus Silanus lucem ulterius intueri non

1. exemplum aemulatus *Γ.* || Cassius] ensius *Par.* || 2. populares *E.* || 3. hominum] omnium *Γ.* || deuictos *CF.* || 5. domi *om. E.* || 6. eius *om. Γ et pr. D.* || 7. Titus] *g. F.* || manilius *CFΓ et pr. A.* malius *E. Vt nos etiam Par. Vid. ad II, 7, 6.* || praeter *DE.* || multa] *add.* facta *Γ.* || 8. dignitatis] *add.* militaris *E.* || 9. nec *F.* || 11. d. salano *CD et pr. A.* d. sillano *EF.* decio sillano *Γ.* || 12. petiit *DEFΓ Torr.* || quidem *D.* || 13. statuerunt *Γ.* || 14. cum] tum *EFΓ.* || 15. uenerant *om. pr. E.* || 17. die plenissime *DEΓ.* || diligentissimeque] que *om. F et corr. E.* || 18. salanum *D.* sillanum *EFΓ.* || accepisse a sociis *E.* || 19. mihi] *om. C. ante* probatum *Torr.* || 20. ex *F.* || meo *om. F.* || 21. percussus *Γ.* || salanus *D.* sillanus *EFΓ.*

2. Cf. Liu. II, 41. Dion. Hal. VIII, 79. Plin. h. n. XXXIIII, 4. Flor. I, 26; alii.

qui tribunus plebis) Pudendo errore Valerius Sp. Cassium tribunum plebis primum legem agrariam tulisse scribit. Etenim, ut e Liuii et Dionysii relatione apparet, tertium consulatum eo tempore obtinebat, quo studium ac fauorem populi illa lege aucupabatur. Confudit igitur auctor quae e memoria retulit cum aliis inferiorum temporum legibus agrariis domesticisque turbis tribunicia potestate plerumque excitatis. Pighius nimirum Valerium suum dormitasse non sibi potuit persuadere, ideoque male coniecit legendum esse *qui cum tribunis.* Ceterum alteram de Cassii morte famam, quam propius ad fidem accedere dicit Liuius, eum die dicta a quaestoribus perduellionis damnatum esse dirutasque publice eius aedes, Valerius sequitur VI, 3, 1, ubi etiam tres magnificos eius consulatus commemorat.

3. Cf. Cic. de fin. I, 7, 24. Liu. epit. libr. LIIII.

sustinuit, suspendioque se proxima nocte consumpsit. Peregerat iam Torquatus seueri et religiosi iudicis partes; satisfactum erat rei publicae; habebat ultionem Macedonia; potuit tam uerecundo filii obitu patris inflecti rigor. At ille neque exequiis adulescentis interfuit, et, cum maxime funus eius duceretur, consulere se uolentibus uacuas aures accommodauit. Videbat enim se in eo atrio consedisse, in quo Imperiosi illius Torquati seueritate conspicua imago posita erat, prudentissimoque uiro succurrebat effigies maiorum suorum cum titulis suis idcirco in prima parte aedium poni solere, ut eorum uirtutes posteri non solum legerent sed etiam imitarentur.

4. Marcus uero Scaurus, lumen ac decus patriae, cum apud Athesim flumen impetu Cimbrorum Romani equites pulsi deserto Catulo urbem pauidi repeterent, consternationis eorum participi filio suo misit qui diceret libentius se in acie eius interfecti ossibus occursurum quam ipsum tam deformis fugae reum uisurum. Itaque si quid modo reliquum in pectore uerecundiae superesset, conspectum degenerati patris uitaturum. Recordatione enim iuuentae suae qualis M. Scauro aut habendus aut spernendus filius esset admonebatur. Quo nuntio accepto iuuenis coactus est fortius aduersus semet ipsum gladio uti quam aduersus hostes usus fuerat.

2. partis *C.* || 3. tamen *A.* || uerecundi *corr. A.* || 4. filii] *post* obitu *Torr.* filio *pr. A.* || At] *om. F.* atque *E.* || ille *om. F et pr. E.* || adolescentis exequiis *Torr.* || 5. cum maxime] maxime dum *E.* || furius *C.* || 9. suorum *om. EΓTorr.* || suis titulis *E.* || aedium parte *Torr.* || 10. solebant *D.* || 12. uero] autem *DΓ.* || saurus *pr. A.* || ac] et *F.* || 13. athenensim *pr. A.* Athesinum *pr. E.* || deserto] *addunt* cons. *DPar. et corr. A*, procos. *Torr.* || 15. suo *om. E.* || diceret *EFΓ Torr.* || 16. reum uisurum] reuisurum *F.* || 17. uerecundiae in pectore *F.* || 18. patris degenerati *DΓ.* || uitaret *Γ.* || 19. enim *om. C.* || aut habendus] haut habendus *F.* || 20. esset filius *(F) Torr.* || 21. aduersus *om. F.*

4. Cf. Front. strat. IIII, 1, 13. Auct. de uir. ill. 72.

deserto Catulo) Pighius, cum in deterioribus, quibus usus est, codicibus scriptum inuenisset *deserto consule catulo*, edidit *deserto proconsule Catulo*, quod post eius consulatum id actum esse constaret. Cf. Liu. epit. libr. LXVIII. Emendauit igitur non Valerii aut librarii alicuius, sed Iulii Paridis errorem. Ille enim ex ingenio, ni fallor, contra historiae fidem in compendio huius exempli addidit illud *consule*, quod ex eo in codicem Bernensem et inde in recentiores aliquot transiit. Kappius suspectam uocem uncis incluserat, equidem omnino eam eieci.

degenerati patris) Insolentissime hoc dictum de patre, a quo degeneratum est. Neque tamen ideo probauerim Pighii coniecturam, qui cum in cod. Cauchiano *(Γ)* repperisset *uitaret*, scribendum censuit *degener irati patris uitaret*. Excusatur enim haec licentia, ut recte animaduertit Perizonius, poetarum more, quo illi actiue composuerunt *degenerare aliquem*. Cf. Ouid. ex Pont. IIII, 1, 45. id. met. VII, 542. Prop. eleg. V (IIII), 1, 79. Stat. silu. I, 160. id. Theb. IIII,

Nec minus animose A. Fuluius uir senatorii ordinis euntem 5.
in aciem filium retraxit quam Scaurus ex proelio fugientem increpuit. Namque iuuenem et ingenio et litteris et forma inter aequales nitentem, prauo consilio amicitiam Catilinae secutum inque castra eius temerario impetu ruentem, medio itinere abstractum supplicio mortis adfecit, praefatus non se Catilinae illum aduersus patriam, sed patriae aduersus Catilinam genuisse. Licuit, donec belli ciuilis rabies praeteriret, inclusum arcere; uerum illud cauti patris narraretur opus, hoc seueri refertur.

Sed ut hanc incitatam et asperam seueritatem mitiores relati IX.
patrum mores clementiae suae mixtura temperent, exactae poenae concessa uenia iungatur.

DE PARENTVM ADVERSVS SVSPECTOS LIBEROS MODERATIONE.

L. Gellius omnibus honoribus ad censuram defunctus, cum 1.
grauissima crimina de filio, in nouercam conmissum stuprum et parricidium cogitatum propemodum explorata haberet, non tamen ad uindictam continuo procucurrit, sed paene uniuerso senatu adhibito in consilium expositis suspicionibus defendendi se adulescenti potestatem fecit, inspectaque diligentissime causa absoluit

---

1. ne *pr. A.* || scatorii *F.* || 2. ex] e *DEFΓ et corr. A. Torr.* || increpauit *DF.* || 4. cathalinae *ante* amicitiam *F.* catelinae *DΓ. sic etiam infra.* || 5. ruente *A.* irruentem *DΓ.* || in medio *EF.* || 6. illum catelinae *Γ.* || 7. aduersum patriam *C.* || 8. licuisset *E.* || ciuilis belli *FTorr.* || inclusum *om. Γ.* || carcere *E.* || 9. narretur *Γ et pr. A.* || 10. Sed] *Praemisit inscriptionem* QVI MODERATI ERGA SVSPECTOS LIBEROS *Torr.* || ut] et ut *C.* || mitioris *pr. A.* || relatu *DΓTorr. Vid. ad I, 8, est.* 19. || 13. DE PARENTVM — MODERATIONE] *om. Par.* De patribus qui iniurias filiorum patienter tulerunt *E.* || susceptos *F.* || 15. §. 1. *om. Γ.* || a. gellius *F.* lucius agellius *E.* || 18. procurrit *F et ante* continuo *Torr.* || 19. in consilium adhibito *F.* || 20. potestatem adolescenti *F.* || spectaque *pr. A.* spectataque *pr. D.*

---

149. Similiter nec minus dure Val. V, 10, 3 intransitiuo cessandi uerbo actiuam notionem tribuit, *neutra in parte cessato officio* pro *neglecto officio*, ubi uide quae adnotauimus.

5. Cf. Sall. Cat. 39.

IX, 1. *L. Gellius)* Consulatu functus est cum Cn. Lentulo anno a. u. c. 682 (cf. Liu. epit. libr. XCVI), censura biennio post (Liu. epit. libr. XCVIII).

eum cum consilii tum etiam sua sententia. Quod si impetu irae abstractus saeuire festinasset, admisisset magis scelus quam uindicasset.

2. Quinti autem Hortensii, qui suis temporibus ornamentum Romanae eloquentiae fuit, admirabilis in filio patientia extitit. Cum enim eousque inpietatem eius suspectam et nequitiam inuisam haberet, ut Messalam, sororis suae filium heredem habiturus, ambitus reum defendens iudicibus diceret, si illum damnassent, nihil sibi praeter osculum nepotum, in quibus adquiesceret, superfuturum, hac scilicet sententia, quam etiam editae orationi inseruit, filium potius in tormentis animi quam in uoluptatibus reponens; tamen, ne naturae ordinem confunderet, non nepotes, sed filium heredem reliquit, moderate usus adfectibus suis, quia et uiuus moribus eius uerum testimonium et mortuus sanguini honorem debitum reddidit.

3. Idem fecit clari generis magnaeque dignitatis uir Q. Fuluius, sed in filio aliquantum taetriore. Nam cum auxilium senatus inplorasset, ut suspectus in parricidio et ob id latens per triumuirum conquireretur, ac iussu patrum conscriptorum conprehensus esset, non solum eum non notauit, sed etiam decedens dominum omnium esse uoluit, quem genuerat heredem instituens, non quem fuerat expertus.

4. Magnorum uirorum clementibus actis ignoti patris nouae atque inusitatae rationis consilium adiciam. Qui cum a filio insidias necti sibi comperisset nec inducere in animum posset ut uerum sanguinem ad hoc sceleris progressum crederet, seductam uxorem suppliciter rogauit ne se ulterius celaret, siue

1. cum] tum *CDEFTorr. Vid. ad II.* 2, 8. || impetum *pr. A.* || 4. autem *om. Γ.* || 5. romanae eloquentiae ornamentum *F.* || 6. susceptam *F.* || et nequitiam inuisam *om. Γ.* || 7. ut] et *pr. A.* || suae sororis *Torr.* || 8. ambitu *F.* || 10. superfutura *pr. A.* || etiam * *A. om. Γ.* || 11. edictae *F.* || rationi *Γ.* || in tormentis] interment *pr. A.* in tormento *CEFTorr.* || 15. debitum honorem *F.* || reddidit] *sequuntur stalim uu. e §. 3. fin.* heredem instituens quem genuerat, non quem fuerat expertus *Γ.* || 16. Idem — (21.) omnium esse uoluit *om. Γ.* || Q. Fuluius] *Praenomen om. ACDEFTorr. Suppleui e Par.* || 17. aliquantulum deteriore *F.* || auxilio *A.* || 20. notauit] necauit *E.* necari *F.* || dominum *om. A.* || 21. omnium *om. CEF.* || 22. expertus fuerat *Torr.* || 23. Magnorum — (24.) adiciam. Qui] Ignotioris quidam memoriae *Γ.* || 24. atque] ac *CF.* || 25. insidias] *post* sibi *Torr.* || necti sibi] nec sibi *pr. A.* necis parari sibi *Γ.* || 26. hoc] hunc *ACF et pr. E.* || 27. uxorem] *add.* suspicans *CEF et corr. D.* || celaret] *add.* sed diceret *Torr.* ||

2. *et nequitiam inuisam)* Cf. Cael. in epp. ad Cic. VIII, 2. Cic. ad Att. X, 4, 6. id. Brut. 96, 328.

4. *seductam uxorem)* In codicibus ad alterius familiae alteram partem (x″)

illum adulescentem subiecisset, siue ex alio concepisset. Adseueratione deinde eius et iure iurando [se] nil tale suspicari persuasus, in locum desertum filio perducto gladium, quem occultum secum adtulerat, tradidit ac iugulum feriendum praebuit, nec ueneno nec latrone ei ad peragendum parricidium opus esse adfirmans. Quo facto non paulatim, sed magno impetu recta cogitatio pectus iuuenis occupauit, continuoque abiecto gladio 'Tu uero', inquit, 'pater, uiue, et si tam obsequens *es*, ut hoc precari filio permittas, me quoque exupera. Sed tantum quaeso, ne meus erga te amor eo sit tibi uilior, quod a paenitentia oritur'. Solitudinem sanguine meliorem pacatioresque

2. se] *om. CEF. sine uncis Torr.* || tale] *add.* debere *corr. D. Torr.* || 4. secum] *om. F. ante* occultum *Torr.* || 6. quo * *A.* || 8. obsequeris *E.* || es *om. ACEI' et pr. D.* || 9. ut] et *ACDEFΓ.* || praecari *A.* || Sed] Id *coniecit Perizonius.* || 10. poenitentia *(A.)*

pertinentibus et in exemplis ante Pighium impressis post *uxorem* insertum est *suspicans*, quod uidit Torrenius profectum esse a sciolo quodam, qui male intellecta uoce *seductam* uirum illum de corrupta et adulterata uxore cogitasse putaret. Quo magis miror eundem Torrenium dubitantem an emendandum potius quam eiciendum sit suspectum uocabulum. Nec displicuit ei quod in codice Leidensi quinto inuenerat *suspirans*, 'ut describatur quasi amans, qui de uiolata uxore scire expetat et quem quaerere pudeat'. At neque ad rem pertinet infelicem mariti amorem depingi, et satis manifestus in illo *suspirans* librarii est conatus emendandi praeposteri additamenti *suspicans*. Res nunc confecta est melioribus codicibus. In sequentibus post *celaret* Pighius e quattuor scriptis codicibus, ut ait, intruserat *sed diceret*, sine ulla necessitate aut meliorum librorum auctoritate, quod in Moguntina quoque editione extare testatur Torrenius, et retinuerunt omnia exempla Pighiano recentiora. Abest tamen, et recte quidem, a Veneto a. 1478 et Aldino.

[*se*] *nil tale suspicari persuasus)* Cum in archetypo codice haec fuerint, *iure iurando se nil tale suspicari persuasus*, possis sane omissum putare uerbum *debere*, quod post *tale* suppleuerunt censor codicis Berolinensis deterioris et editiones, quas equidem noui, omnes. Mihi tamen propius aliquanto ad similitudinem ueri accedere uidetur suspicio, antiqui cuiusdam libri emendatorem, uerbis *nil tale suspicari* mulieris ius iurandum contineri arbitratum, fortasse quia persuadendi uerbum in hac admonendi notione non recte cum simplici infinitiuo coniungi existimaret, adiecisse infinitiuo subiectum, quod desiderabat, *se*. Quae interpolatio deinde in illo codicum genere, quod supra *suspicans* inseruisse diximus, sublata est, e coniectura scilicet, qua usus Lipsius quoque postea eam sustulit, probantibus Torrenio et Kappio. Suadendi autem uerba a poetis et recentioribus scriptoribus saepius cum infinitiuo componi nemo ignorat. Cf. Lucr. I, 175. Verg. georg. IIII, 264. Phaedr. I, 15, 6. Ac ne ab antiquioribus quidem prosae orationis scriptoribus plane aliena est haec licentia. Cf. Corn. Nep. Dion. 3, 3 *Plato — tantum apud Dionysium auctoritate potuit — ut ei persuaserit tyrannidis facere finem libertatemque reddere Syracusanis.*

et si tam obsequens es, ut hoc precari) Quod boni codices exhibent *et si tam obsequens et hoc precari filio permittas*, uitiosum est. Nam praeterea quod ualde dubito num absolute *tam obsequens* recte dicatur pro eo quod est *qui tam obsequens es*, quodque parum concinne *et* diuersō significatu positum intra paucorum uerborum spatium repetitur, coniunctiuus certe *permittas* in hac condicione, cuius primaria sententia per imperatiuum effertur, locum habere

penatibus siluas et alimentis blandius ferrum ac mortis oblatae quam datae uitae felicius beneficium!

X. Commemoratis patribus, qui iniurias filiorum patienter exceperunt, referamus eos, qui mortes aequo animo tolerarunt.

DE PARENTIBVS, QVI OBITVM LIBERORVM FORTI ANIMO TVLERVNT.

1. Horatius Puluillus, cum *in* Capitolio Ioui optimo maximo aedem pontifex dedicaret in*ter*que nuncupationem sollemnium uerborum postem tenens mortuum esse filium suum audisset, neque manum a poste remouit, ne tanti templi dedicationem interrumperet, neque uultum a publica religione ad priuatum dolorem deflexit, ne patris magis quam pontificis partes egisse uideretur.

---

1. ac] et *E.* || oblatae] *ante* mortis *E.* ablatae *C.* || 3. Commemoratis] *Praemisit inscriptionem noui capitis* QVI FILIORVM OBITVM FORTI ANIMO TVLERVNT. *Torr.* || 4. inferamus *C.* || tollerauerunt *F.* || 5. DE PARENTIBVS] *om. Par.* De patribus *Γ.* || OBITVM LIBERORVM] filiorum obitum *EF.* obitum filiorum *Par.* mortem liberorum *Γ.* || 7. in *om. CEF et pr. A.* || 8. interque] *in rasura D.* inque *CFΓ et pr. A. Vt nos Par.* || nuncupatione *Γ.* nominationem *F.* || 10. neque] nec *C.* || 12. reflexit *F.* || magis patris *Γ.* || 13. uideretur] *add.* I. P. tolle inquit cadauer *margo A.*

---

non potest. Itaque non male a grammaticis ex interpolatis libris editum est *et si tam obsequens es, ut hoc precari filio permittas.*

X, 1. Cf. Liu. II, 8. Cic. pro dom. 54, 139. Plut. Publ. 14. Senec. cons. ad Marc. 13. Seru. ad Aen. XI, 2. Symmach. epp. III, 6.

egisse uideretur) Post haec uerba Pighius e codicibus Wincheliano et Coloniensi addiderat *tolle, inquit, cadauer,* apposito asterisco, ut lacunam significaret, quam in hunc fere modum expleri posse arbitrabatur, *nilque aliud adiciens inceptam rite precationem peregit.* At profecto non lacunam, sed interpolationem notare debebat Pighius, in illos codices e margine libri Danielini, in hunc e Iulii Paridis epitome translatam. Paris enim, cum in compendio suo scriberet, *cum — mortuum filium suum audiret,* '*tolle*', *inquit,* '*cadauer*', manifesto aut Liuium secutus est, cuius uerba sunt, *Nihil aliud ad eum nuntium a proposito auersus quam ut cadauer efferri iuberet, tenens postem precationem peregit,* aut alium nescio quem auctorem similia referentem. Ita Plutarchus: τοσοῦτον μόνον εἰπών, '*Ῥίψατε τοίνυν τὸν νεκρὸν ὅπου βούλεσθε.* Fallitur ergo Torrenius, cum interpolationem denuo expungens adiceret nescire se an haec ita efferri ab Horatio in tali occasione potuerint, certe neminem alium ea illi tribuere. Sed quod suadente Perizonio deleuit uu. *tolle inquit cadauer,* recte fecit.

Clarum exemplum; nec minus tamen inlustre quod sequitur. 2.
Aemilius Paulus, nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repraesentatio, ex quattuor filiis formae insignis, egregiae indolis duos iure adoptionis in Corneliam Fabiamque gentem translatos sibi ipse denegauit. Duos ei fortuna abstulit. Quorum alter triumphum patris funere suo quartum ante diem praecessit, alter in triumphali curru conspectus post diem tertium expirauit. Itaque qui ad donandos usque liberos abundauerat, in orbitate subito destitutus est. Quem casum quo robore animi sustinuerit oratione, quam de rebus a se gestis apud populum habuit, hanc adiciendo clausulam nulli ambiguum reliquit: 'Cum in maximo prouentu felicitatis nostrae, Quirites, timerem ne quid mali fortuna moliretur, Iouem optimum maximum Iunonemque reginam et Mineruam precatus sum ut, si quid aduersi populo Romano inmineret, totum in meam domum conuerteretur. Quapropter bene habet. Annuendo enim uotis meis id egerunt ut uos potius meum casum doleatis quam ego uestro ingemiscerem.'

Vno etiamnunc domestico exemplo adiecto in alienis luctibus 3.
orationi meae uagari permittam. Q. Marcius Rex, superioris

1. Clarum — sequitur *om. Γ.* || 2. nunc felicissimi — (3.) repraesentatio *om. Γ.* || nec felicissimi *D et pr. A.* || nunc miserrimi] *om. C.* nec miserrimi *D.* || 4. duo *pr. A. Vt nos etiam Par.* || Fabiamque] que *om. E.* || 6. triumphy *F.* || 8. domandos *E.* || ambulauerat *A.* || 12. prouectu *CEF.* || 14. aduersi quid *Torr.* || 15. domum meam *DEF.* || 16. bene] *add.* se res *F.* || habet] *add.* se res *margo D.* || 17. uos potius] protinus *F.* || meo (?) casu *A.* casum meum *E.* || uestrum ingemescerem *E.* || 19. Vno — (20.) permittam *om. Γ.* || 20. orationem meam *corr. A. Cf. III,* 8, *ext.* 1. || Q. etiam marcius *Γ.* Quintius Marcius *Par.* || superior *Torr.*

2. Cf. Liu. XLV, 40, 41. Diod. Sic. exc. Vat. XXXI, 6. ap. Mai. coll. II, p. 82. ap. Dind. uol. III, p. 94. Plut. Aem. Paul. 35. Senec. consol. ad Marc. 13. App. Mac. exc. Peiresc. 17. ap. Vales. p. 565. Auct. de uir. ill. 56.

alter in triumphali curru conspectus) Liuius Aemilium ipsum dicentem facit se e Capitolio ad alterum filium prope expirantem redlisse.

meum casum doleatis) In codice Bernensi pronomen *meo* ita scriptum est, ut dubitauerim an non *o*, sed alia littera finiat, fortasse *ũ* (*meum*). Sed, utut se habet, ablatiuus ne ferri quidem potest, ubi tam certa misericordiae, non proprii doloris significatio est.

3. *Q. Marcius Rex, superioris Catonis in consulatu collega,)* Constat ex A. Gellii XIII noct. Att. 19 Q. Marcium Regem non cum superiore Catone censorio una consulatum gessisse, sed cum M. Porcio Catone, censorii nepote. Cf. Vell. I, 15, 5. Plin. h. n. II, 26, 31. Eutrop. IIII, 23. Quod cum animaduertisset Pighius, librariorum quem putabat errorem remouendum censuit scribendo *superior*, ita ut ea uoce Q. Marcius Rex, consul anno a. u. c. 636, a Q. Marcio Rege minore, qui consul erat anno 686 cum L. Caecilio Metello discerneretur. Sed codicum testimonium insigniter nunc confirmatur accedente

Catonis in consulatu collega, filium summae pietatis et magnae spei et, quae non parua calamitatis accessio fuit, unicum amisit, cumque se obitu eius subrutum et euersum uideret, ita dolorem altitudine consilii coercuit, ut a rogo iuuenis protinus curiam peteret senatumque, quem eo die lege habere oportebat, conuocaret. Quod nisi fortiter maerorem ferre scisset, unius diei lucem inter calamitosum patrem et strenuum consulem neutra in parte cessato officio partiri non potuisset.

Ext. 1. Princeps Atheniensium Pericles, intra quadriduum duobus

1. et magnae] et *om. CEFI.* magnaeque *D.* || 3. eius obitu *F.* || 4. altitudine *A.* || a rogo] agro *C.* || 5. legem habere *D.* legi et haberi *I.* || euocaret *ACD EFI Torr. Vt nos Par.* || 6. Quod] quem quod *F.* || fortiter] *post* maerorem *E.* || memorem *pr. A.* merorem *corr. A.* || 8. cassato *E.* || 9. quatriduum *DFI et corr. A, Torr. Vt nos CE Par. et pr. A.*

Iulii Paridis auctoritate. Neque umquam Valerius, ut recte obseruauit Perizonius, ea appellatione homines distinxit nisi ualde illustres omnibusque notissimos, ut Scipiones Africanos et Catones. Nam in VII, 3, ext. 7 et 8, quod exemplum ipse suae opinioni obiecit Perizonius, superiorem et posteriorem Hannibalem ibi eodem modo distingui arbitratus, etiamsi dubitari potest de scriptura, id tamen certissimum est, Valerium utroque exemplo de eodem Hannibale cogitasse atque adeo illud discrimen non fecisse. Quapropter persuasum habeo auctorem hoc loco confudisse auum Catonem censorium cum nepote, quemadmodum III, 2, 16 eundem censorium cum filio eius confuderat. Ita cum Torrenio quoque uideretur, iniuria Pighianam emendationem denuo defendit Kappius. Eos nimirum multo minus probo, qui illud *superioris* tamquam a glossatore ascriptum omnino delendum esse decreuerunt, cum praesertim omnem interpolationis uerisimilitudinem excludat librorum nostrorum et Paridis consensus.

conuocaret) Omnes libri et manuscripti et impressi *euocaret.* Senatum num umquam euocari dixerint ueteres ualde dubito. Aliud certe exemplum non inueni. Quapropter usitatum conuocandi uerbum huic quoque loco reddendum est, quod et facillime fit, quia peruagato errore praepositio *con*, quae littera *c̃* notabatur, confunditur cum littera *e* (cf. VIII, 1, 8 ubi *correxit* legitur pro *erexit.* Nipperd. ad Caes. b. ciu. I, 2, 3 p. 126.), nec sine grauissima auctoritate, quoniam id ipsum, quod nos ponendum esse diximus, in Paridis compendio extat.

neutra in parte cessato officio) Valerius duriuscule ita composuit pro eo, quod proprie dicendum erat *neglecto* uel *omisso officio.* Manifesto enim cessandi uerbo transitiuam uim tribuit, quasi actiue diceretur *cesso officium*, poetarum sibi uindicans licentiam, quibus talia erant concessa. Cf. Hor. epp. I, 2, 31, *cessatum ducere somnum*, ubi Bentleius praeter necessitatem *cessantem* legendum esse coniecit. Ouid. IIII fast. 617 *cessatis in aruis.* id. metam. X, 669 et Sil. Ital. V, 532 *cessata tempora.* Sic Verg. III georg 33 *triumphatas gentes* et Hor. carm. III, 43 *triumphatis Medis* dixerunt, de quibus triumphatum est, quod Plinius quoque in V h. n. 5, (5,) 36 sibi indulsit, et Ouid. in IIII fast. 167 *uigilata nocte.* Quibus omnibus illud insolentius est, quod V, 8, 4 patrem, a quo filius degenerauit, degeneratum patrem appellauit. Itaque non magis Pighiana coniectura, hoc loco *cessantem* legendum esse, necessaria quam Bentleii illa ad Hor. epp. l. c.

Ext. 1. Cf. Plut. Pericl. 36. Ael. u. h. IX, 6.

quadriduum) Ita optimi quique codices, quibus accedit Paridis codex Vaticanus. Scripturam tam insigniter confirmatam equidem mutare nolui, cum

mirificis adulescentibus filiis spoliatus, his ipsis diebus et uultu pristinum habitum retinente et oratione nulla ex parte infractiore contionatus est. Ille uero caput quoque solito more coronatum gerere sustinuit, ut nihil ex uetere ritu propter domesticum uulnus detraheret. Non sine causa igitur tanti roboris animus ad Olympii Iouis cognomen ascendit.

Xenophon autem, quod ad Socraticam disciplinam adtinet, proximus a Platone felicis ac beatae facundiae gradus, cum sollemne sacrificium perageret, e duobus filiis maiorem natu nomine Gryllum apud Mantineam in proelio cecidisse cognouit. Nec ideo institutum deorum cultum omittendum putauit, sed tantummodo coronam deponere contentus fuit. Quam ipsam, percontatus quonam modo occidisset, ut audiuit fortissime pugnantem interisse, capiti reposuit, numina, quibus sacrificabat, testatus maiorem se ex uirtute filii uoluptatem quam ex morte amaritudinem sentire. Alius remouisset hostiam, abiecisset altaria, lacrimis respersa tura disiecisset. Xenophontis corpus religione inmobile stetit et animus in consilio prudentiae stabilis mansit ac dolori succumbere ipsa clade, quae nuntiata erat, tristius duxit. 2.

Ne Anaxagoras quidem supprimendus est. Audita namque 3.

---

1. his] iis *Torr.* || ipse *F.* || uultu • *A.* uultum *CEF.* || 2. habitu *CEF.* || infractione *C.* || 5. igitur sine causa *F.* || 6. conscendit *Γ.* || 7. xenopon *A.* || 8. a Platone] appellatione *E.* || 9. e] et *A.* || maiore *A.* || 10. grylum *ACDEΓ Par.* gilum *F.* || mantinean *A.* antineam *Par.* || 11. ideo] ex eo *D.* || deorum cultum *om. C.* deorum cursum *F.* || obmittendum *F.* || 13. percunctatus *Γ.* || cecidisset *F.* || audiit *CD.* || 14. numina quibus sacrificabat *om. Γ.* || 15. se maiorem ex filii uirtute *Γ.* || 17. corpus] cor pia *CEF.* || 18 regione *pr. A.* religioni *(sed ultima litt. in rasura) D.* || 21. Ne — (*p.* 460, 1.) filii] Anaxagoras autem audita morte filii *Γ.* || Nec *Torr. Vid. ad II*, 1, 4. || anaxagoris *pr. A.* anassagoras *E.* anazagoras *F.*

---

praesertim insigniter defendatur analogia, quam uocant grammatici, in uocabulis similiter formatis, ut in *quadriennium*, *quadrinoctium*, *quadriuium*, *quadridens*, permultisque aliis, in quorum nonnullis utraque scribendi ratio usu recepta erat, ut in *quadriere* et *quadrinis*.

Olympii Iouis cognomen) Cf. Plut. Pericl. 39. Plin. h. n. XXXIIII, 8, Arist. Acharn. 530. A quibus quod simpliciter Olympius diceretur, Colerus nomen Iouis expungendum censuit. Sed merito oblocutus est Perizonius, monens eo significari cognomen Olympii Pericli impositum esse ad similitudinem Iouis et ita Periclem recte ad illius cognomen ascendisse dici.

2. Cf. Plut. cons. ad Apoll. 33. Diog. Laert. II, 54. Stob. serm. 7 et 106. Ael. u. h. III, 3.

ac dolori succumbere) Paene iisdem uerbis usus est III, 2, 7, *fortunae succumbere omni fato tristius ducit.*

3. Cf. Cic. Tusc. III, 24, 58. Plut. cons. ad Apoll. 33. Diog. Laert. II, 13. Stob. serm. 106. Ael. u. h. III, 2. Symmach. epp. III, 6.

morte filii 'Nihil mihi', inquit, 'inexpectatum aut nouum nuntias. Ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem.' Has uoces utilissimis praeceptis inbuta uirtus mittit. Quas si quis efficaciter auribus receperit, non ignorabit ita liberos esse procreandos, ut meminerit his a rerum natura et accipiendi spiritus et reddendi eodem momento temporis legem dici, atque ut mori neminem solere, qui non uixerit, ita ne uiuere aliquem quidem posse, qui non sit moriturus.

1. inquit mihi *Torr.* || 3. Quas si] quãsi *(sed ˜ a corr.) A.* || 4. perceperit *Torr.* || ita] *post* liberos *F.* || procreandos esse liberos *I'.* || 5. iis *E.* || 6. atque] at *I'.* || 7. nec *Torr. Vid. ad II,* 1, 4. || "aliquem 'quidem *A.*

ita ne uiuere aliquem quidem posse) Corrector libri Bernensis transponenda esse uu. *aliquem quidem* lineolis "— '— ascriptis significauit, et ita usitatum dicendi genus restituit. Atqui pronomen *aliquem* sine ullo orationis pondere effertur, adeo ut interpositum inter particulas *ne — quidem* non minuat accentum soli uerbo *uiuere* tribuendum. Cf. Cic. in Verr. 9, 22 *sane ne haec mihi quidem res placebat* et quae praeterea similia exempla diligenter congessit Nipperdeius ad Corn. Ages. 6, 1 p. 119 ed. mai. Ceterum notandum in his pronomen *aliquis* in negando adhibitum, quod fieri poterat, quia pondere caret, (uid. ad I, 5, 4.) et accusatiuus cum infinitiuo in comparatione, quae fit per *ut — ita*, in utroque enunciati membro positus, de quo dixi ad IIII, 1, 10.

VALERI MAXIMI

FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM

LIBER SEXTVS.

DE PVDICITIA.

Vnde te uirorum pariter ac feminarum praecipuum firmamentum, I.
Pudicitia, inuocem? Tu enim prisca religione consecratos Vestae focos incolis. Tu Capitolinae Iunonis puluinaribus incubas. Tu palatii columen, augustos penates sanctissimumque Iuliae genialem torum adsidua statione celebras. Tuo praesidio puerilis aetatis insignia munita sunt. Tui numinis respectu sincerus iuuentae flos permanet. Te custode matronalis stola censetur. Ades igitur et cognosce quae fieri ipsa uoluisti.

Dux Romanae pudicitiae Lucretia, cuius uirilis animus ma- 1.
ligno errore fortunae muliebre corpus sortitus est, a Tarquinio

1. VALERI (Valerii *C.*) MAXIMI LIB̄ V EXPL̄ INCIPIT VI FELICITER *AC.* Valerii maximi lib. V explicit incipit VI *D.* Valerii maximi uiri clarissimi expl. lib. quintus incipit Sextus *E.* explicit lib. quintus incip. sextus *F. om. Γ.* || 5. fundamentum *F.* ornamentum *coniecit Lipsius.* || 6. pudicitia* *A.* pudicitiam *D.* || uocem *D.* euocem *coniecit Lipsius.* || 8. genitalem *F.* || 9. puerilitatis aetatis *C.* puerilis pietatis *pr. E.* || 10. insigniam unita *C.* || nominis *DΓ.* || 11. iuuentute *pr. A.* iuuentuti *corr. A.* || custodie *C.* || 14. a] *add.* Sex. *Par. et corr. A DE, Torr.* || tarquinii *DFΓ Vinc. Bell. spec. doctr. V*, 100.

VI. *Iuliae genialem torum)* Pighius e codicibus Campensi, Susiano, Pulmanniano post u. *Iuliae* intruserat *gentis.* 'Impudentissime enim', inquit, 'adularetur alioquin Valerius, cum Iulia, Augusti filia et Tiberii uxor, libidine atque adulteriis toto orbe terrarum fuerit infamis'. At praeterquam quod *gentis* omnino abest a melioribus libris, quisnam genti Iuliae genialis torus, cum ille singulorum fuerit? Docuit Lipsius intellegenda haec esse de Liuia, quae mortuo Augusto in familiam Iuliam nomenque Augustum adsumpta est (Tac. ann. I, 8.), cuique seruiliter aeque ac filio Tiberio adulatur Valerius.

1. Cf. Liu. I, 58. Cic. de fin. II, 20, 66. Ouid. fast. II, 761. Dion. Hal. IIII, 64. Auct. de uir. ill. 9; alii.

regis superbi filio per uim stuprum pati coacta, cum grauissimis uerbis iniuriam suam in concilio necessariorum deplorasset, ferro se, quod ueste tectum adtulerat, interemit, causamque tam animoso interitu imperium consulare pro regio permutandi populo Romano praebuit.

2. Atque haec inlatam iniuriam non tulit. Verginius, plebei generis, sed patricii uir spiritus, ne probro contaminaretur domus sua, proprio sanguini non pepercit. Nam cum App. Claudius decemuir filiae eius uirginis stuprum potestatis uiribus fretus pertinacius expeteret, deductam in forum puellam occidit, pudicaeque interemptor quam corruptae pater esse maluit.

3. Nec alio robore animi praeditus fuit Pontius Aufidianus eques Romanus, qui postquam conperit filiae suae uirginitatem a paedagogo proditam Fannio Saturnino, non contentus scelerato seruum adfecisse supplicio, etiam ipsam puellam necauit. Ita ne turpes eius nuptias celebraret, acerbas exequias duxit.

4. Quid P. Maenius, quam seuerum pudicitiae custodem egit! In libertum namque gratum admodum sibi animaduertit, quia eum nubilis iam aetatis filiae suae osculum dedisse cognouerat, cum praesertim non libidine, sed errore lapsus uideri posset. Ceterum amaritudine poenae teneris adhuc puellae sensibus castitatis disciplinam ingenerari magni aestimauit, eique tam tristi exemplo praecepit ut non solum uirginitatem inlibatam, sed etiam oscula ad uirum sincera perferret.

---

1. superbi regis *F.* || per uim] perinde *E.* || 2. consilio *CDF Torr. Vt nos etiam Par.* || 3. detulerat *F.* || causamque — (5.) praebuit *om. Γ.* || 6. Atque — tulit *om. Γ.* || haec] *om. pr. D.* hanc *corr. D.* || Virginius *D Torr.* || 7. spiritus uir *F.* || ne] qui ne *in rasura D.* || probo *C.* || 8. proprio] *ultima litt. in rasura A.* propria *aut* propriae (?) *pr. A.* || cum *om. pr. E.* || cladius *pr. A.* || 9. uirginis] *om. F.* uirgini *CD et pr. E.* uirginii *corr. E.* || fretus uiribus *F.* || 10. expectaret *E.* peteret *Γ.* || 12. Nec — fuit *om. Γ.* || aufidanus *E.* || 13. aeques *A.* || qui *om. Γ.* || 15. ipsam etiam *D.* || 16. itaque ne *D et corr. A, Torr.* || 17. Quid — (18.) namque] P. quoque menius in libertum *Γ.* || meuius *E.* || 18. admodum sibi gratum *FΓ.* || 19. nobilis *pr. A.* || cognorat *DΓ.* || 20. praesertim cum *in rasura A.* || 22. magis *DF.* || 24. proferret *F.*

---

2. Cf. Liu. III, 47. Cic. de fin. II, 20, 66. Dion. Hal. XI, 20. Auct. de uir. ill. 21.

deductam in forum puellam) Lipsius, quod iam in foro fuisset puella ad Appii tribunal, legendum censuit *seductam in foro.* Ita enim rem a Liuio aliisque referri, qui seductam paululum a patre puellam et tunc interfectam clare scriberent. Estque sane *in foro* in compendio Paridis. Neque tamen quicquam mutandum. Reddidit Valerius ita Liuii uerba (III, 47, 1), *Verginius sordidatus filiam suam obsoleta ueste — in forum deducit.*

Quintus uero Fabius Maximus Seruilianus, honoribus, quos 5.
splendidissime gesserat, censurae grauitate consummatis, exegit poenas a filio dubiae castitatis et punito pependit, uoluntario secessu conspectum patriae uitando.

Dicerem censorium uirum nimis atrocem extitisse, nisi P. 6.
Atilium Philiscum in pueritia corpore quaestum a domino facere coactum tam seuerum postea patrem cernerem. Filiam enim suam, quod † ita se stupri crimine coinquinauerat, interemit. Quam sanctam igitur in ciuitate nostra pudicitiam fuisse existimare debemus, in qua etiam institores libidinis tam seueros eius uindices euasisse animaduertimus?

Sequitur excellentis nominis ac memorabilis facti exemplum. 7.
M. Claudius Marcellus aedilis curulis C. Scantinio Capitolino tribuno plebis diem ad populum dixit, quod filium suum de stupro

1. §. 5. *om. Γ* || 3. poenas] *post* a filio *Torr.* || a *om. pr. A.* || filio] *add.* I. P. poenas a f. exegit d. c. et ipse patria cessit *(sic) margo A.* || rependit *D.* perpendit *F.* || 5. §. 6. *om. Γ.* || atrocem] acerbum *(E) Torr.* || nisi *om. F.* || 6. a domino quaestum corpore *F.* || 8. ita] ea *corr. A. Torr.* || stupri se *CDPar.* || 10. institutores *pr. A. et corr. D.* iustiores *C.* || 11. iudices *E.* || 12. Sequitur — exemplum *om. Γ.* || 13. sanctinio *DΓ.* scatinio *EF.* || 14. suum *om. F.*

5. Cf. Oros. V, 16.

Quintus uero Fabius Maximus Seruilianus) Consul a. u. c. 612, censor 628. Orosius l. c. eum die dicta a Cn. Pompeio damnatum esse narrat. Confusis nominibus Fabio Eburno, quem Seruiliani filium fuisse conicit Glandorpius, eadem in filium impudicum seueritas tribuitur in declamationum, quae Quintiliani olim ferebantur, III, 17. Atque Buteonis quoque Fabii simile exemplum laudatur ab Orosio IIII, 13; quos locos ascripserat Perizonius.

6. *quod † ita se stupri)* Quod Torrenius commodissime pro archetypi scriptura *ita* substitui posse arbitratur, *ista*, ferri omnino nequit; neque enim ulla intellegitur causa, cur filia ita demonstretur. Sed ne illa quidem emendatio, quam ab emendatore libri Bernensis temptatam Pighius in uulgata huius operis exempla intulit, quamuis sententiae optime conueniat, similitudine ueri magnopere commendatur. Nescio igitur an Valerius ad patrem respiciens, et ipsum olim impudicum, filiam ab eo interemptam esse dixerit, *quod item se stupri crimine coinquinauerat.* Iulius Paris retentis reliquis Valerii uerbis ancipitem uocem solam omisit.

7. Cf. Plut. Marc. 2.

C. Scantinio Capitolino tribuno plebis) Plutarchus Capitolinum aedilem collegamque Marcelli fuisse refert. Itaque Pighius ad fast. a. 527. *aedili plebis* h. l. pro *tribuno plebis* legendum putat; parum sane probabiliter. In qua Plutarchi Valeriique discrepantia uter uerum prodiderit difficile dictu est. Valerii opinioni obstare uideri potest sacrosancta tribunorum potestas, propter quam uulgo in ius eos uocari non licuisse creditur, docuitque Varro in XXI rerum humanarum ap. Gell. XIII, 13 qui potestatem neque uocationis populi uiritim habuerint neque prensionis, eos tantum magistratus a priuato in ius quoque uocari fuisse potestatem. Cui tamen sententiae cum aliorum magistratuum nonnulla exempla refragantur (cf. Drumann. gesch. Rom's II, p. 196 not.), tum, si Valerii relationi VI, 5, 4 fidem habemus, quod tribuni quoque in ius uocandi potestatem aliquando ipsum tribunorum collegium agnouerat, cum creditoribus appellantibus collegam eorum L. Cottam, qui fiducia sacro-

appellasset, eoque asseuerante se cogi non posse ut adesset, quia sacrosanctam potestatem haberet, et ob id tribunicium auxilium inplorante, totum collegium tribunorum negauit se intercedere quominus pudicitiae quaestio perageretur. Citatus itaque Scantinius reus uno teste qui temptatus erat damnatus est. Constat iuuenem productum in rostra defixo in terram uultu perseueranter tacuisse uerecundoque silentio plurimum in ultionem suam ualuisse.

8. Metellus quoque Celer stuprosae mentis acer poenitor extitit, Cn. Sergio Silo promissorum matri familiae nummorum gratia diem ad populum dicendo eumque hoc uno crimine damnando. Non enim factum tunc, sed animus in quaestionem deductus est, plusque uoluisse peccare nocuit quam non peccasse profuit.

9. Contionis haec, illa curiae grauitas. T. Veturius, filius eius Veturii, qui in consulatu suo Samnitibus ob turpiter ictum foedus deditus fuerat, cum propter domesticam ruinam et graue

---

1. appellasset — (2.) potestatem *in rasura A, sed omissis uerbis* ut adesset. || asseuerante *om. E.* || 3. inplorante • *A.* || 4. quo • minus *A.* || Citatus] ciuitas *C.* conuictus *F.* || 5. scatinius *CEF.* sanctinius *DΓ.* || tempestatus *pr. A.* || dampnatus *A.* || 6. defixit *pr. A.* || uultum *pr. A.* || 9. stuprosae — extitit *om. Γ.* || penitor *C.* punitor *DEF Torr. Vt nos etiam Par. Cf. Grut. inscr. p.* 940, 7. *Cic. Tusc. I,* 44, 107. *Osann. ad Cic. de rep. III,* 9, 15 *p.* 262. || 10. Cn. *om. Γ.* || Silio *Par.* || 11. die *E.* || ad] ac *Γ.* || dicente *E.* dixit *Γ.* || dampnauit *Γ.* || 12. tunc factum *Γ.* || questione *F.* || 14. profuit] fuit *E.* || 15. §. 9. *om. Γ.* || grauitatis *Torr.* || 17. deductus *C.* dedictus *D.*

---

sanctae potestatis satisfacere iis noluit, auxilio se futurum decerneret. In quibus quantum ius ualuerit, quantum arbitrium ac licentia nondum confecta res est.

9. Cf. Liu. VIII, 28. Dion. Hal. exc. Vat. (XVI, 9.) ap. A. Mai. coll. II, p. 501. Quint. declam. 3.

illa curiae grauitas) Genitiuus *grauitatis*, qui nescio qua de causa occupauit impressa exempla, ferri omnino nequit. Nam qui in pronominibus *haec* et *illa* subintellegi *exempla* putauerint, uelim animum aduertant unum tantum e curia referri exemplum. Legendum utique cum libris manuscriptis *grauitas*. Dicitur autem *contionis haec grauitas*, quae praecedenti exemplo exposita est, *illa grauitas*, de qua in proximo egit.

T. Veturius, filius eius Veturii) Liuius eandem rem anno a. u. c. 428 C. Poetelio II. L. Papirio consulibus quinque annis ante Caudinam cladem accidisse eaque effectum esse narrat ut lege caueretur ne quis aeris alieni causa necteretur. Sed non solum tempus, uerum etiam nomina diuersa a Valerio ponit, siquidem feneratorem L. Papirium eumque, qui illi nexum se dederat, C. Publilium appellat, de quo nomine Dionysius consentit, nisi quod ibi peruagato librariorum errore *Πουπλίου υἱός* editur. At idem Dionysius cum Valerio patrem adulescentuli illius unum ex his fuisse tradit, qui exercitum Caudinis furcis inclusum Samnitibus tradiderant et sub iugum missi erant. Mirandum sane a Liuio in hac historia creditori et addicto eorum consulum nomina tri-

aes alienum P. Plotio nexum se dare adulescèntulus admodum coactus esset, seruilibus ab eo uerberibus, quia stuprum pati noluerat, adfectus querellam ad consules detulit. A quibus hac de re certior factus senatus Plotium in carcerem duci iussit. In qualicumque enim statu positam Romano sanguini pudicitiam tutam esse uoluit.

Et quid mirum, si hoc uniuersi patres conscripti censuerunt? 10. C. Pescennius III uir capitalis *C.* Cornelium fortissime militiae stipendia emeritum uirtutisque nomine quater honore primi pili ab imperatoribus donatum, quod cum ingenuo adulescentulo stupri commercium habuisset, publicis uinculis onerauit. A quo appellati tribuni, cum de stupro nihil negaret, sed sponsionem se facere paratum diceret, quod adulescens ille palam atque aperte corpore quaestum factitasset, intercessionem suam interponere noluerunt. Itaque Cornelius in carcere mori coactus est. Non putarunt enim tribuni plebis rem publicam nostram cum fortibus uiris pacisci oportere, ut externis periculis domesticas delicias emerent.

Libidinosi centurionis supplicium M. Laetorî Mergi tribuni 11. militaris aeque [similis] foedus exitus sequitur. Cui Cominius

1. P. Plotio] *sic A Par.* c. plotio *C D Torr.* cum c. plotio *E.* cum plotio *F.* || sexum fedare *D.* || admodum adolescentulus *Torr.* || 2. ab eo seruilibus *F.* || 3. quaerellam a cons̃. *pr. A.* || de hac re *D.* || 7. §. 10. *om. Γ.* || uniuersi hoc *E.* || 8. fescenninus *C D et pr. A.* fescennius *E F Par. et corr. A.* || III uir capitalis] III uir̃. c *A.* triumuirum c. *C.* triumuir *D E F.* || C. Cornelium] *praenomen om. A C D E F Torr.* || fortissimae *A Par.* || 10. imperatoribus] imp̃. b. *C.* || 11. honorauit *pr. A.* || 14. quaestum corporis *F.* || 16. enim *om. E F Torr.* || tribuni plebis] tr̃. pl̃. *A.* || 17. pasci *C.* || domesticis *E.* || 19. §. 11. *om. Γ.* || lectorii *E F.* || 20. similis] *sine uncis Torr.* || cominus *E.* comunius *F.*

bui, Publilium et Papirium, in quorum magistratu (a. 434.) Veturius et ceteri sponsores ignominiosae Caudinae pacis Samnitibus dediti sunt. Equidem Plotio illi Publii praenomen dedi propter consensum Paridis et codicis Bernensis, cum priores editores alteram librorum familiam secuti C. Plotium posuissent.

10. *III uir capitalis C. Cornelium)* Quae cum in melioribus libris ita fere scripta sint, *III uir̃. c. cornelium*, dubium est utrum littera *c* praenomen Gaii denotet an compendium sit uocis *capitalis*. Sed cum Iulii Paridis epitome et uocem *capitalis* plene scriptam habeat et praenominis notam ante *Cornelium*, utramque a Valerio profectam, sed alteram altera in libris manuscriptis absorptam esse necessario colligitur. Itaque equidem praenomen adieci, triumuiratus accuratiorem illam significationem iam Veneta editio a. 1478 addiderat, denuo ab Aldo omissam reuocauerat Pighius.

11. Cf. Dion. Hal. exc. Vat. (XVI, 8.) ap. Mai. coll. II, p. 500. Suid. u. *Γάϊος Λαιτώριος.*

aeque [similis] foedus exitus) Apparet alterutrum tantum a Valerio scribi potuisse, aut *aeque foedus exitus* aut *similis exitus*. Neque facile Torrenius cuiquam persuaserit duobus adiectiuis coniunctis haec efferri pro *aeque similiter foedus*, quod uult esse *prorsus similiter*. Mihi, si sententiam perpendo,

tribunus plebis diem ad populum dixit, quod cornicularium suum stupri causa adpellasset. Nec sustinuit eius rei *con*scientiam Laetorius, sed se ipse ante iudicii tempus fuga prius, deinde etiam * * * . Naturae modum expleuerat; fato tamen functus uniuersae plebis sententia crimine inpudicitiae damnatus est. Signa illum militaria, sacratae aquilae et certissima Romani imperii custos, seuera castrorum disciplina, ad inferos usque persecuta est, quoniam, cuius magister esse debuerat, sanctitatis corruptor temptabat existere.

12. Hoc mouit C. Marium imperatorem tum, cum C. Lusium,

2. scientiam *A.* sententiam *C D E F Torr.* || 3. lectorius *E F.* || ipsum *D.* || fuga prius] *om. D.* fugae prius *C. add.* subtraxit *E Torr.* || deinde etiam] *om. D.* deinde contra *F.* || 4. * * *. Naturae modum expleuerat] morte se puniuit * * * *in rasura A.* morte puniuit *D.* morte puniuit. Naturae modum expleuerat *Torr.* || 5. sententia * *A.* || 7. usque ad inferos *Torr.* || 8. cuius] *add.* uirtutis *C E. add.* uirtute *D.* cui uirtutis *coniecit Torr.* || magister *om. pr. E.* || 9. et existere *C.* || 10. §. 12. *om. I.* || monuit *A C E F.* || tum *om. D et pr. E.* || cum] *in rasura A.* || C. Lusium] clusium *C F et pr. A.* c. clusium *corr. A.* drusum *D.* conclusium *E.*

aeque foedus aliquanto praestare uidetur; neque enim ipse exitus Laetorii tam similis alterius quam causa exitus utriusque. Lipsius et Perizonius uocem *similis* a librario quodam interpolatam putarunt. Qua deleta efficitur dicendi genus Valerio tritissimum. Cf. I, 6, 2. III, 7, 8. VI, 3, 5. VI, 5, 5. VI, 7, 3. Itaque ascripserit eam fortasse uir quidam doctus, qui parum haberet Cornelii et Laetorii exitus aeque foedos dici, nisi similes quoque inter se aliis rebus fuisse declararentur.

eius rei conscientiam) Edebatur hucusque, quod etiam in plerisque libris manuscriptis circumfertur, *eius rei sententiam*, idque putarunt Valerii enarratores significare non expectasse Laetorium donec iudices de crimine eius sententiam ferrent. Sed nemo umquam hoc ita dixit, ut recte animaduertit Torrenius, egregie prorsus coniciens legendum esse *conscientiam*, quod insigniter nunc confirmat codex Bernensis, qui cum paucis e Torrenianis ex eo descriptis pro *sententiam* exhibet *scientiam*. Excidit igitur praepositionis *con* compendium *c̃*.

*fuga prius, deinde etiam * * *)* Facile intellegitur archetypi codicis eam scripturam fuisse, quam supra exhibui, integram fere inuentam in codice Berolinensi praestantiore. Et congruebat cum ea procul dubio primarium libri Bernensis testimonium, in quo nunc radendo deletis uerbis *Naturae modum expleuerat* manu paulo recentiore superscripta sunt e Paridis epitome petita *morte se puniuit*, ita tamen ut nonnihil spatii in ea litura uacuum et non repletum manserit. Recte autem manifesta lacuna adhibito illo compendio *(accusatus a Cominio tr. pl., quod cornicularium suum stupri causa adpellasset, primum fuga, deinde morte se puniuit,)* expletur post *etiam* insertis *morte puniuit*. Quae tamen non recepi, quia fieri potest ut Valerius alia nescio quae uerba posuerit eaque ita excerpendo immutauerit Paris. Torrenius proxime a uero abesse arbitratur *sed se ipse ante iudicii tempus fuga subtraxit, deinde etiam naturae modum expleuerat. Fato tamen* etc., et indicari Laetorium ante iudicii tempus in exilium abiisse, deinde morbo ex animi aegritudine contracto decessisse. At, ut mittam alia, inaudita prorsus haec temporis mutatio est in uu. *subtraxit* et *expleuerat*. Nec habetur omnino *subtraxit* in codicibus manuscriptis.

12. Cf. Cic. pr. Mil. 4, 9. Schol. Bobiens. in Mil. p. 279 Orell. Quint. inst. or. III, 11, 14 et declam. 3. Plut. Mar. 14. id. apophth. Mar. 3.

C. *Lusium*) Praenomen peruagato errore in libris manuscriptis et Valerii

sororis suae filium, tribunum militum, a C. Plotio manipulario milite iure caesum pronuntiauit, quia eum de stupro conpellare ausus fuerat.

Sed ut eos quoque, qui in uindicanda pudicitia dolore suo pro publica lege usi sunt, strictim percurram, Sempronius Musca C. Gallium deprehensum in adulterio flagellis cecidit, C. Memmius L. Octauium similiter deprehensum pernis contudit, Carbo Attienus a Vibieno, item Pontius a. P. Cerennio deprehensi 13.

1. a C. Plotio] a c. plutio *A.* ac plutio *CF.* a plucio *D.* a plantio *E.* || 2. militiae *ACDE.* || iur*e *A.* || conpellere *pr. A et pr. F.* || 4. §. 13 *om. Γ.* || uindictam pudiciciae *E.* iudicanda pudicitia *F.* || 5. musica *C.* musa *Par. et corr. A. Cf. Liu. XLV,* 13, 12. || 6. gelium *E.* gellium *Par.* || comprehensum *E.* || fragellis *F.* || caecidit *Par.* || memnius *A.* mennius *C.* meuius *E.* || 7. similiter *om. E.* || comprehensum *D.* || pernis] protinus *D.* pernix *E.* neruis *Torr.* || 8. acienus *C.* atrienus *D.* actienus *E.* accienus *F Torr.* || bibieno *CDEF et pr. A.* uiuieno *Par. et corr. A.* || Cerennio] cernio *ACDF Torr.* seruio *E. Vt nos Par.*

et scholiorum in Milonianam cum ipso nomine coaluit, ita ut fieret Clusius, quo facto alii nouum insuper Gaii praenomen praeposuerunt. Priores editores male Luscium eum appellauerant, cum Lusius sit Quintiliano et Paridi et scholiastae Ciceroniano atque euidenter *Γάϊος Λούσιος* Plutarcho. Non ita certum militis nomen est, quem Plutarchus Trebonium, Quintiliani exempla Aruncum proferunt, sed ita ut apparcat in his genitiuo casu *Arrunti* scribi oportere, nam in scholiis illis P. Trebonius siue Arruntius dicitur. Nostri igitur codices Plutium habent, quem in Plotium mutandum esse indicat Paridis compendium. Idem nomen in simili causa hoc capite §. 9 positum erat, adeo ut nesciam an hunc gregarium militem cum illo adulescentulo confuderit Valerius.

pernis contudit) Pernam hominum coxam nemo ueterum dixit, quantum equidem scio, praeter Ennium ap. Fest. p. 305 Müll. *Suppernati dicuntur quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum. Ennius in annalibus: His pernas succidit iniqua superbia Poeni,* quo uersu Ennius aut interfectorum et uulneratorum conquisitionem post cladem Cannensem attigit, quam exposuit Liu. XXII, 51, 7 (*quosdam et iacentes uiuos succisis feminibus poplitibusque inuenerunt,* aut illam Hannibalis erga captiuos Romanos crudelitatem, quam Valerius IX, 2, ext. 2 narrat. Ex hoc Festi loco non improbabiliter colligas coxas hominum non omnino pernas dictas esse, sed eas tantum, quae in modum suillarum pernarum detruncatae erant, eoque relatu Valerium quoque h. l. illa appellatione usum esse opinor. Sed non minor difficultas est in ablatiuo *pernis*, insolentissimo apud actiuum uerbum. Quidni enim Memmium pernas contudisse Octauio scripsit, ut solent ueteres loqui? Neque tamen aut aliam inuenio explicationem aut probabilem desperata uerba emendandi rationem, cum praesertim de mendo librorum cogitari uix possit in certissimo illo Paridis et Valerianorum codicum consensu. Itaque locum cum Lipsio et Torrenio ambiguum relinquo. Nam et quod in uulgatis exemplaribus circumfertur, *neruis contudit*, omni sensu caret ac probabilitate neque recentiorum librariorum coniecturae *pugnis* et *protinus contudit* aliquo numero satisfaciunt.

Attienus a Vibieno) Ita scripsi haec nomina, alterum recte seruatum in codice Bernensi et in Paridis epitome, alterum propter uitiosam pronuntiationem corruptum, *uiuieno* in Paridis codice Vaticano, *bibieno* in Valerianis libris manuscriptis. Dictus autem est Attienus ab Attio, Vibienus a Vibio, sicut Gallienus, Vettienus (VI, 3, 3.), Trebellienus, Aufidienus a Gallio, Vettio, Trebellio, Aufidio. Cf. Val. VII, 7, 7. Dubium uero nomen est quod sequitur, Cernii aut Cerennii, quorum illud Valerianis codicibus, hoc Vaticano Paridis

castrati sunt. Gnaeum etiam Furium Brocchum qui deprehenderat familiae stuprandum obiecit. Quibus irae suae indulsisse fraudi non fuit.

Ext. 1. Atque ut domesticis externa subnectam, Graeca femina nomine Hippo, cum hostium classe esset excepta, in mare se, ut morte pudicitiam tueretur, abiecit. Cuius corpus Erythraeo litori adpulsum proxima undis humus sepulturae mandatum ad hoc tempus tumulo contegit; sanctitatis uero gloriam, aeternae traditam memoriae, Graecia laudibus suis celebrando cotidie florentiorem effecit.

2. Vehementius hoc, illud consideratius exemplum pudicitiae. Exercitu et copiis Gallograecorum a Cn. Manlio consule in Olympo monte ex parte deletis ex parte captis, Orgiagontis reguli uxor mirae pulchritudinis a centurione, cui custodienda tradita erat, stuprum pati coacta, postquam uentum est in eum locum, in quem centurio misso nuntio necessarios mulieris pretium, quo eam redimerent, adferre iusserat, aurum expendente centurione et in eius pondus animo oculisque intento, Gallo-

---

1. broccum *Par.* || qui] quem *EPar.* || 2. stupram dum *C.* || 3. fraudis *D.* || 5. hypo *E.* || classe hostium *F.* || 6. pudicitiam morte *EF.* || erytheo *A.* eritheo *EF.* erictheo *Γ.* || 7. humo *Γ et corr. A.* || 8. tumulus *Γ.* || contigit *D.* || memoriae traditam *Γ.* || 9. cotidiae *pr. A.* || florientiorem facit *E.* || 11. Vehementius — pudicitiae *om. Γ.* || illud — exemplum] *in rasura A.* || pudi . . tiae *(sed litt.* pudi *in rasura) A.* || 12. manilio *CDEFΓ et pr. A. Vt nos etiam Par. Vid. ad II.* 7, 6. || 13. orgiacontis *Par.* || 14. custodiendi *corr. A.* constituenda *C.* || 16. quem] *add.* iussi consulis *D.* || 17. afferte *C.* || expendente] numerante *D.* expetente *F.* || 18. pondus eius *Γ.*

---

exemplo commendatur. Praetuli equidem Paridensis compendii auctoritatem, quem fontem in nominibus propriis cum maxime sinceriorem esse saepius iam monui. Neque adhuc alii Cernii innotuerunt; Cerenia quaedam inuenta est in titulo ap. Grut. p. 687, 6.

Ext. 1. *Erythraeo litori)* Recte Torrenius reuocauit quod iam extat in editionibus Moguntina et Mediolanensi, *Erythraeo litori*, cum ab Aldo et reliquis ante Torrenium ederetur *Erechtheo*, quod ortum est e mendosa scriptura *erictheo*. Suspicatur autem intellegi litus prope urbem Erythras in Ionia, cui uicinae fuerint insulae Ἵπποι, fortasse ab hoc ipso casu et hac muliere nomen assecutae. Cf. Strabo XIIII, 31. p. 644.

2. Cf. Liu. XXXVIII, 24. Polyb. XXII, 21. Plut. de uirt. mul. 43 p. 258. Flor. II, 11, 6. Auct. de uir. ill. 55.

Orgiagontis reguli) Huius nominis scriptura non tam certe constat, quam uisum est Liuii, Flori librique de uiris illustribus nouissimis editoribus. Nam etiamsi a Graecis scriptoribus constanter, quod sciam, Ὀργιάγων uocatur (cf. Polyb. Plut. ll. cc. Suid. u. Ὀργιάγων), quibuscum sane Liuius facit XXXVIII, 19, 2, codices tamen Flori, (ubi in sola Aldina *Ortiagon,*) opusculi de uir. ill. *(orgiaguntis* uel *oriaguntis)* atque ipsius Liuii quoque XXXVIII, 24, 2, ubi praestantissimus codex Bambergensis *Orgyragontis* tradit, pro eo stant, quod nos

graecis lingua gentis suae imperauit ut eum occiderent. Interfecti deinde caput abscisum manibus retinens ad coniugem uenit abiectoque ante pedes eius iniuriae et ultionis suae ordinem exposuit. Huius feminae quid aliud quisquam quam corpus in potestatem hostium uenisse dicat? Nam neque animus uinci nec pudicia capi potuit.

Teutonorum uero coniuges Marium uictorem orarunt ut ab 3. eo uirginibus Vestalibus dono mitterentur, adfirmantes aeque se atque illas uirilis concubitus expertes futuras, eaque re non impetrata laqueis sibi nocte proxima spiritum eripuerunt. Dii melius, quod hunc animum uiris earum in acie non dederunt. Nam si mulierum suarum uirtutem imitari uoluissent, incerta Teutonicae uictoriae tropaea reddidissent.

LIBERE DICTA AVT FACTA.

Libertatem autem uehementis spiritus dictis pariter et factis II. testatam ut non inuitauerim, ita ultro uenientem non excluserim. Quae inter uirtutem uitiumque posita, si salubri modo se temperauerit, laudem, si quo non debuit profuderit, reprehensionem meretur. Ac uulgi sic auribus gratior quam sapientissimi cuiusque animo probabilior est, utpote frequentius aliena uenia quam sua prouidentia tuta. Sed quia humanae uitae partes

1. occiderunt *C.* || 3. adiectoque *E.* || eius] ei; *pr. A.* ei *CDΓ et corr. A. om. E. add.* et *Torr.* || et *om. F.* || 5. hostium uenisse *om. C.* || namque animus nec uinci *CEF.* || neque] nec *corr. A.* || 7. teuthonorum *pr. A.* theutonicorum *F.* Teutonum *Par.* || orauerunt *Par.* || 8. aeque *om. pr. D.* || 9. atque] ut *D.* || 10. nocte proxima sibi *F.* || die *pr. A.* || 11. aciem *ACF et pr. E.* || 12. incerte *pr. A.* || 13. teuthonicae *A.* || tropea *A.* || 14. LIBERE] QVAE LIBERE *Torr.* || 15. spiritus uehementis *Γ.* || et] ac *EFTorr.* || 17. modo se] modo m̃ (*i. e.* mihi) *E.* || temperauit *C et pr. D.* temptauerit *Γ.* || 18. profudit *ACDEΓ.*

supra cum prioribus editoribus posuimus, conspirante Paridis testimonio insigniter nunc confirmatum. Perizonius in margine Liuii ascripserat uernaculum reguli nomen fuisse Ortwin, uxoris, quae a Plutarcho Χιομάρα uocatur, Widmara. Dubito num recte.

3. Cf. Flor. III, 3, 17. Oros. V, 16.

persequi propositum est, nostra fide propria aestimatione referatur.

1. Priuerno capto interfectisque qui id oppidum ad rebellandum incitauerant, senatus indignatione accensus consilium agitabat quidnam sibi de reliquis quoque Priuernatibus esset faciendum. Ancipiti igitur casu salus eorum fluctuabatur, eodem tempore et uictoribus et iratis subiecta. Ceterum cum auxilium unicum in precibus restare animaduerterent, ingenui et Italici sanguinis obliuisci non potuerunt. Princeps enim eorum in curia interrogatus quam poenam mererentur, respondit 'Quam merentur qui se dignos libertate iudicant'. Verbis arma sumpserat exasperatosque patrum conscriptorum animos inflammauerat. Sed Plautius consul, fauens Priuernatium causae, regressum animoso eius dicto obtulit quaesiuitque qualem cum eis Romani pacem habituri essent inpunitate donata. At is constantissimo

1. sequi *EF.* prosequi *Γ.* || 4. incitauerunt *C.* || 5. cogitabat *F.* || faciendum esset *Torr.* || 6. casus *pr. A.* || fluctuabat˜ *A.* fluctuabat *CDEFΓTorr.* || 7. unicum auxillum *F.* || 8. ingenii *C et pr. A.* ingeniti *corr. A.* || 9. eorum *om. A.* || 10. Quam merentur *om. F.* || 11. libertate • *A.* || iudicarent *EF et pr. A.* iudicarint *corr. A.* iudicantes *C.* iudicarunt *DΓ.* || Verbis *om. CDEF.* || sumpserant *AD EFΓ.* sumpserunt *C.* || 12. exasperatos quoque *D.* || animos] *add.* uerbis *CD.* || inflammauerant *ADFΓ et corr. E.* inflammauerunt *C et pr. E.* || 13. plau • tius *A.* plaustius *CDFΓ.* || priuernatum *DF.* || regressum] *add.* tam *Γ.* || 15. is] *add.* cum *EF.*

II, 1. Cf. Liu. VIII, 21. Dion. Hal. exc. Vat. 33. (XIII, 23.) p. 495 Mai. Dio. Cass. exc. Vat. 31. p. 158 Mai.

salus eorum fluctuabatur) Ita solus codex Petri Danielis. Deponenti uerbo in simili prorsus locutione usus est Valerius VIII, 1, amb. 2, *Eadem haesitatione Publii quoque Dolabellae — animus fluctuatus est* et IX, 8, 1 *Itaque exiguo momento maximae rei casus fluctuatus est;* adeo ut fides h. l. certe non abroganda sit codici omnium longe optimo. Sed actiue dixit *fluctuabat* III, 8, ext. 6, *fluctuare* V, 5, 3, et impersonaliter *fluctuatur* III, 1, ext. 1.

dignos libertate iudicant) In codice archetypo haud dubie scriptum erat *iudicarent.* Quod cum uitiosum esse animaduerterent librarii, uariis coniecturis se permiserunt, nec male codices ad familiam, quam *x'* signaui, pertinentes *iudicarunt* substituerunt, ita ut intellegendum sit tempus illud, quo rebellarunt Priuernates. Iam uero Iulii Paridis compendium demonstrat recte Pighium edidisse *iudicant,* habetque praesens tempus Liuius quoque, e quo haec desumpsit Valerius. Imperfecti autem coniunctiuus a librario esse uidetur, qui obliqua quam dicunt oratione haec efferri putauerit. Paulo post omnes codices male pluratiuo numero produnt *sumpserant* et *inflammauerant.* De unius principis dicto Valerium cogitasse et praecedentia indicant et quae sequuntur *animoso eius dicto.* Ceterum duo cum Priuernatibus bella gesta sunt a. u. c. 397 C. Marcio, Cn. Manlio consulibus et a. 424 L. Papirio Crasso II, L. Plautio Vennone consulibus. Cf. Liu. VII, 16 et VIII, 19. Quorum in priore hoc factum esse refert Dionysius, in altero Liuius et Cassius Dio cum Valerio.

uultu 'Si bonum dederitis', inquit, 'perpetuam, si malam, non diuturnam'. Qua uoce perfectum est ut uictis non solum uenia, sed etiam ius et beneficium nostrae ciuitatis daretur.

Sic in senatu loqui Priuernas ausus est. Lucius uero Phi- 2.
lippus consul aduersus eundem ordinem libertatem exercere non dubitauit. Nam segnitiam pro rostris exprobrans, alio sibi senatu opus esse dixit, tantumque a paenitentia dicti afuit, ut etiam L. Crasso, summae dignitatis atque eloquentiae uiro, id in curia grauiter ferenti manum inici iuberet. Ille reiecto lictore 'Non es', inquit, 'mihi, Philippe, consul, quia ne ego quidem *tibi* senator sum'.

Quid? populum ab incursu suo libertas tutum reliquit? Immo 3.
et similiter adgressa et aeque experta patientiam est. Cn. Carbo tribunus plebis, nuper sepultae Gracchanae seditionis turbulentissimus uindex idemque orientium ciuilium malorum fax ardentissima, P. Africanum a Numantiae ruinis summo cum gloriae fulgore uenientem, ab ipsa paene porta in rostra perductum

2. prospectum *E.* || 3. daret *pr. D.* || 4. Sic — ausus est *om. Γ.* || Sic] *add.* enim *D.* || Priuernas] *ante* loqui *Torr.* priuato *E.* || 5. exercere libertatem *F.* || 6. segnitiem *DΓTorr.* senitiam *E.* || 7. poenitentia *(A.)* praesentia *F.* || affuit *CF.* abfuit *DEΓTorr.* || 8. etiam *om. F.* || atque] ac *EF.* et *Torr.* || id] haec *F.* || 9. manus *EF.* || 10. es] est *CEF et pr. A.* es tu *Γ.* || inquit mi *Γ et pr. A.* inquit mihi inquit *(sed prius* inquit *punctis notat.) E.* || philippus *CEF.* || nec *FPar. et in rasura D, Torr. Vid. ad II,* 1, 4. || ego tibi quidem *in rasura D.* || 11. tibi *om. CEFΓ et pr. A.* || sum *om. E.* || 12. Quid — (13.) patientiam est *om. Γ.* || tutum libertas *Torr.* || 13. patientia *CEF.* patiente *pr. D.* patientem *corr. D.* || C. Carbo *Torr.* || 14. gracchianae *DΓ.* || tribulentissimus *C.* || 16. P.] scipionem *D.* || 17. in rostra perductum] *ante* ab ipsa *F.*

2. Cf. Cic. de or. III, 1, 2. Quint. VIII, 3, 89.

'Non es', inquit, 'mihi) Liquet archetypum exemplar haec ita constituisse, *Non est inquit mi Philippe consul, quia ne ego quidem senator sum.* In quibus primaria sententia a correctore libri Bernensis e Paridis compendio ita emendata est, ut omnis sublata sit dubitatio; in altera enuntiati parte relatio quaedam ad Philippum, quem alloquitur Crassus, desideratur. Non omnino enim ne se quidem senatorem esse pronuntiare poterat ille, sed e Philippi mente id ponere debebat. Itaque Torrenius suspicabatur Valerium scripsisse *Non est, inquit, mihi Philippus consul, cui nec ego quidem senator sum,* et sic Cicero, *cum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset.* Sed probabiliorem emendationem idem corrector libri Bernensis ex eodem compendio asciuit, inserto *tibi* post *quidem.* Habet enim ea ipsa, quae supra posuimus, Paris, si leue mendum *nec* pro *ne* exceperis. Quintilianus hoc L. Crassi responsum ita reddidit, *Ego te consulem putem, cum tu me non putes senatorem?*

3. Liu. epit. libr. LIX. Cic. pro Mil. 3, 8. Plut. Ti. Gracch. 21. id. apophth. (Scip. min. 22.) App. ciu. I, 19. Auct. de uir. ill. 58.

Cn. Carbo) Ceteri scriptores Gaium eum appellant. Sed praeter Valerii codices Gnaei praenomen Iulius quoque Paris ei tribuit. Quare non ausus sum quicquam mutare, praesertim cum idem in eodem nomine error sit VI, 5, 6. Cf. praef. p. 33.

quid de Ti. Gracchi morte, cuius sororem in matrimonio habebat, sentiret interrogauit, ut auctoritate clarissimi uiri inchoato iam incendio multum incrementi adiceret, quia non dubitabat quin propter tam artam adfinitatem aliquid pro memoria interfecti necessarii miserabiliter esset locuturus. At is iure eum caesum uideri respondit. Cui dicto cum contio tribunicio furore instincta uiolenter succlamasset, 'Taceant', inquit, 'quibus Italia nouerca est'. Orto deinde murmure 'Non efficietis', ait, 'ut solutos uerear quos alligatos adduxi'. Vniuersus populus ab uno iterum contumeliose correptus erat, quantus est honos uirtutis! et tacuit. Recens ipsius uictoria Numantina et patris Macedonica deuictaeque Karthaginis auita spolia ac duorum regum, Syphacis et Persei ante triumphales currus † catenae ceruices totius tunc

2. uiri *om. F.* || inchoacto *F.* || 4. tam *om. F.* || interfecti necessarii memoria *Torr.* || 6. contio * * *(sed ultima littera in rasura) A.* continuo *CFΓ.* || instincti *Γ.* || 7. succlamassent *CΓ et pr. A.* || 8. uerear] uouerat *pr. E* * * uerat *corr. E.* || 9. ab uno iterum] *om. A.* iterum ab uno *Torr.* || 10. corectus *F.* || honus *A.* honor *DΓ.* || tacuit] *punctis notatum et suprascriptum* actuum *corr. A. add.* actutum *Torr.* || 11. Recens *om. C.* || ipsius] *om. A. post* uictoria *Torr.* || uictoria] memoria *F.* || numantia *pr. A.* || 12. kartaginis *A.* || habita *ACDFΓ.* || 13. persae *DE.* || tunc totius *DTorr.*

cum contio — uiolenter succlamasset) In archetypo codice nescio quo casu aut consilio a *contio* aberratum erat in *continuo;* quo facto, ne deesset subiectum, uerbum *succlamasset* in pluralem numerum mutatum est. Sententiam refecit censor codicis Bernensis adiutus Iulii Paridis epitome, in qua haec ipsa hodieque leguntur, *Cui dicto cum contio uiolenter subclamasset.*

et tacuit.) Correctura inter lineas codicis Bernensis ascripta et deinde in recentiores quosdam libros ueteresque editiones translata notabilis interpolationis causa extitit. Corrector enim codicis Danielini, cum non perspiceret interpositae exclamationis *Quantus est honos uirtutis!* rationem, ideoque non intellegeret sequentia *et tacuit,* punctis notato *tacuit* suprascripsit *actuum*, ut uerba fierent *quantus est honos uirtutis et actuum,* quibus haud dubie significare uoluit honorem uirtuti et actibus (i. e. rebus gestis) habitum. Quod quamquam otiosum est et ne Latine quidem dictum, transiit tamen, ut praediximus, in recentiores et deteriores quosdam codices, ibique inuentum Aldus, retento simul u. *tacuit*, mutauerat in *actutum.* Aldinam scripturam *et tacuit actutum* omnes deinceps editores receperunt, nisi quod Torrenius inuerso ordine maluit *et actutum tacuit.* Remota spuria uoce, cuius originem patefecimus, unum restat, quod parum concinne dictum est. Praepostere enim interiectio illa postposita copula *et* ab ea sententia seiungitur, ad quam necessario pertinet, cum non ideo Valerius admiratus sit honorem uirtuti tributum, quia uniuersus populus contumeliose correptus erat, sed quod contumeliose correptus tacuit. Itaque melius sane auctor hoc ordine scripsisset, *correptus erat, et, quantus est honos uirtutis! tacuit;* num scripserit ualde dubito. Neque enim talis neglegentia a Valerio plane aliena est.

† *catenae ceruices totius tunc fori clauserunt)* Ita bonis codicibus haec traduntur, neque aliter archetypum exemplum ea olim exhibuisse probabile est. In margine tamen Bernensis libri ascripta sunt uerba *prementes ora*, inserenda post *fori,* quemadmodum inserta in uulgatis editionibus circumferuntur.

fori clauserunt. Nec timori datum est silentium, sed quia beneficio Aemiliae Corneliaeque gentis multi metus urbis atque Italiae finiti erant, plebs Romana libertati Scipionis libera non fuit.

Quapropter minus mirari debemus, quod amplissima Cn. 4.

---

1. fori] *add.* prementes ora *(F,) margines A et D, Torr.* || 3. libertate *Γ.* || 4. Quapropter — (*p.* 474, 3.) tulit *om. Γ.*

Quibus manca sententia ita reficitur, ut iam Syphacis et Persei catenae, tunc quasi ceruicibus totius fori impositae easque onere suo prementes, effecisse dicantur ut uulgi ora obmutescerent. Et similis sententia sane desideratur. Inquiramus igitur de auctoritate additamenti illius. Dubitari enim potest utrum uerba *prementes ora*, quippe quae non e Paridis compendio ascita sint, merae coniecturae hominis haud inciti debeantur an ex alio integriore codice in marginem Bernensis libri translata sint, quali exemplo correctorem Bernensem in emendando Valerio adiutum esse, alius huius operis locus (III, 2, 10.) manifesto declarat. Cf. praef. p. 94. Nulla autem omnino eorum auctoritas erit, si euincere poterimus ea magis coniecturae quam genuinae Valerianae compositionis speciem prae se ferre. Atque mihi quidem non persuadetur uerba *prementes ora* a primario horum exemplorum auctore esse profecta. Nam praeterea quod ita nimis profecto argute atque improprie catenae regum deuictorum totius fori ceruices tunc pressisse dicuntur, ne satis apta quidem sententia est, quoniam illae catenae, gratissimae sane populo Romano, non poterant tamquam graue onus premere fori ceruices; atque ideo in sequentibus quoque non coactum, sed uoluntarium silentium Scipioni datum esse urgetur. Neque etiam Valerium solas catenas ante triumphales currus actas commemoraturum fuisse crediderim, sed ipsos potius catenatos reges, quos in triumpho ductos esse his quidem uerbis non denotatur. Denique, si quid uideo, particula *tunc* ad primariam sententiae partem *(ora clauserunt)*, non ad participium adiectum *prementes* pertinere debebat. Contra ea probabile cum maxime est illa uerba a librario quodam docto ascripta esse, qui cur in haec potissimum inciderit facile intellegitur. Nam ad uerbum *clauserunt* supplendum esse *ora* ambiguum esse poterat nemini, qui in praecedentibus de murmure, in sequentibus de silentio uulgi exposita legeret. Iam uero cum haec certa uiderentur, *Syphacis et Persei — catenae ora clauserunt*, et superessent manca uerba *ceruices totius tunc fori*, sponte se obtulit suspicio accusatiuum *ceruices* aptum esse a participio *prementes* pertinente ad catenas. At quo maior coniecturae in his probabilitas, eo minor additamenti auctoritas. Itaque uellem ut audacius in praefatione p. 94, cum de his uerbis dissererem, suspicionem meam de librarii coniectura protulissem. Videndum iam an ipsi faciliore medicina uulnus codici archetypo illatum sanare possimus. Quod spero fore ut nobis contigerit. Suppleto enim *ora*, quod omnino necessarium esse diximus, post *fori*, quo loco propter similitudinem litterarum facillime excidere poterat, et duobus praeterea insertis litterulis, quae cur interierint item planum est, haec uerba ita refingenda esse opinamur, *Syphacis et Persei ante triumphales currus catenatae ceruices totius tunc fori ora clauserunt*. Ita probe uictoriae ab ipso Scipione Aemiliano nuperrime de Numantia, a patre Aemilio de Macedonia, ab auo de Karthagine reportatae et catenatae ceruices regum Syphacis et Persei a populo ante triumphales currus conspectae, i. e. earum rerum memoria, effecisse dicuntur ut populi ora obmutescerent. *Catenatae* autem Aldus iam ediderat e coniectura, ut equidem existimo, librarii cuiusdam, retento tamen *prementes*, quo sententia perturbatur. Pighius *catenae* posuerat et paulo post *frementis*, quod in Bernensi quoque codice esse mentitur Colerus. Reliqui grammatici *catenae* et *prementes ora* defenderunt.

4. *Cn. Piso)* Cf. Drum. gesch. Rom's II, p. 90.

Pompei auctoritas totiens cum libertate luctata est, nec sine magna laude, quoniam omnis generis hominum licentiae ludibrio esse quieta fronte tulit. Cn. Piso, cum Manilium Crispum reum ageret eumque euidenter nocentem gratia Pompei eripi uideret, iuuenili impetu ac studio accusationis prouectus multa et grauia crimina praepotenti defensori obiecit. Interrogatus deinde ab eo cur non se quoque accusaret, 'Da', inquit, 'praedes rei publicae, te, si postulatus fueris, ciuile bellum non excitaturum, et iam de tuo prius quam de Manilii capite in consilium iudices mittam'. Ita eodem iudicio duos sustinuit reos, accusatione Manilium, libertate Pompeium, et eorum alterum lege peregit, alterum professione, qua solum poterat.

5. Quid ergo? libertas sine Catone? non magis quam Cato sine libertate. Nam cum in senatorem nocentem et infamem reum iudex sedisset tabellaeque Cn. Pompei laudationem eius continentes prolatae essent, procul dubio efficaces futurae pro noxio, summouit eas e quaestione, legem recitando, qua cautum erat ne senatoribus tali auxilio uti liceret. Huic facto persona admirationem ademit. Nam quae in alio audacia uideretur in Catone fiducia cognoscitur.

6. Cn. Lentulus Marcellinus consul, cum in contione de Magni Pompei nimia potentia quereretur adsensusque ei clara uoce uniuersus populus esset, 'Adclamate', inquit, 'adclamate, Quirites, dum licet; iam enim uobis inpune facere non licebit'.

---

1. autoritas *F.* || toties *pr. A, Torr.* || 2. quoniam] quin *D.* || licentia • *A.* || 3. esset *corr. A.* || crispinum *F.* || 4. cumque *AC.* || uideret eripi *Torr.* || 5. accusationem *pr. A.* ad accusationem *corr. A.* || prouocatus *F.* || 6. praeponenti *D.* || 7. deinde] *om. F.* demum *E.* || cur non se quoque] *sic DΓ et in rasura A.* cur se non quoque *EF.* cursu non quoque *C.* cur se quoque non *Torr.* || accusaretur *F.* || praesides *F.* || 9. et iam] etiam *ADΓ.* || prius] plus *F.* || 10. iudicium *E et in rasura D.* || 11. malium *pr. Γ.* || 12. profectione *F.* || 13. ergo *om. Γ.* || libertas] *add.* est *F.* || 16. pro noxio] proxia *pr. A.* proxima *CF et corr. E.* proximo *D.* proxime *pr. E.* protinus *Γ.* || 19. quae] *om. E.* quod *Γ.* || 21. §. 6. *om. Γ.* || marcelinus *pr. A.* || de *om. F.* || Magni *om. E.* || 22. Pompei *om. C.* || 23. Acclamate *(utroque loco) corr. A.* || adclamate Quirites] *transposuit ascriptis his notis "— '— corr. A.* quirites *(omisso* adclamate) *C.* Quirites acclamate *Par. Torr.* || 24. non *om. E.* || licet *CEF.* licebat *D.*

---

5. Cf. Plut. Cat. min. 48. id. Pomp. 55. Dio Cass. XL, 55. p. 256. Reim. *senatorem nocentem)* Munatius Plancus is erat, legemque illam ne senatoribus tali auxilio uti liceret Plutarcho et Dione testibus ipse tulerat Pompeius. Cf. etiam Dio Cass. XL, 52 p. 255 Reim.

6. *cum in contione de Magni Pompei nimia potentia quereretur)* Cf. Dio Cass. XXXIX, 28. p. 204 Reim.

Pulsata tunc est eximii ciuis potentia hinc inuidiosa querella, hinc lamentatione miserabili.

Cui candida fascia crus alligatum habenti Fauonius 'Non 7.
refert', inquit, 'qua in parte sit corporis diadema', exigui panni cauillatione regias ei uires exprobrans. At is neutra in parte mutato uultu utrumque cauit, ne aut hilari fronte libenter adgnoscere potentiam * * * profiteri uideretur. Eaque patientia inferioris etiam generis et fortunae hominibus aditum aduersus se dedit. E quorum turba duos retulisse abunde erit.

Heluius Mancia Formianus, libertini filius, ultimae senectutis, 8.

---

1. est tunc *Torr.* || 3. §. 7. *om. Γ.* || 4. corporis sit *Torr.* || 5. ei * uires *(sed litterae* ui *in rasura) A.* eius res *CDEF. Vt nos Par.* || neutram in partem *coniecit Perizonius. Vid. ad V,* 4, *ext.* 5. || 6. cauit] uitauit *E.* || ilari *A.* || adcognoscere *AC.* || 7. potentiam] aut potenciam *E. add.* aut tristi iram *DF et margo A, Torr. Et sic etiam Ioann. Sar. Policr. VII,* 25 *p.* 518. || 10. helnius *E.* elius *F.* helius *Γ.* || mancina *Γ. Cf. Cic. de or. II,* 66, 266. *Quint. VI,* 3, 38.

---

7. Cf. Amm. Marc. XVII, 11, 4.

libenter adgnoscere) Boni codices *adcognoscere* tradunt. Cuius uerbi alia exempla praeter ea, quae in Forcellinii lexico citantur, Senecae de ben. II, 13. Petr. Arbit. sat. 69. Tertull. ad uxor. II, 6. eiusd. adu. Marc. IIII, 20, nondum inueni. Sed in his apud Senecam ne est quidem *adcognoscere* in codicibus manuscriptis, quos Fickertus *agnoscere* exhibere refert praeter Nazarianum Gruteri, in quo *adagnoscere* legitur. Ipse Fickertus *adgnoscere* scripsit. De Tertulliano controuersiam non faciam. Valde dubito de Petronio. Valerium, cum totiens agnoscendi uerbo usus sit, solo hoc loco solumque inter aequales scriptores *adcognoscere* posuisse non mihi persuadetur. Suspicor autem emendationem librarii cuiusdam, qui, cum in exemplo quodam uetusto *cognoscere* perperam efferri animaduerteret, suprascripserit praepositionem *ad*, cum scriptura illa uitiosa ad unum coaluisse uocabulum.

*potentiam * * * profiteri)* Archetypi codicis lacuna, quam supra indicaui, in uulgatis editionibus expletur insertis post *potentiam* uerbis *aut tristi iram.* Silent grammaticorum commentarii de uarietate aut defectu scripturae, cum tamen in optimis quibusque libris manuscriptis tria illa uerba non reperiantur. Ascripta enim sunt *aut tristi iram* in margine libri Bernensis et inde recepta in deteriores quosdam codices. Est autem eadem prorsus eorum ratio atque uerborum *prementes ora*, quae in tertio huius capitis exemplo reieci, in sola librarii coniectura nitentia, nisi quod haec, de quibus agimus, et manifestius coniecturam produnt et a sententia magis suspecta sunt. Quaenam enim oppositio haec est inter *libenter agnoscere potentiam* et inter *iram profiteri?* aut quinam, si haec ita pronuntiantur, uerborum *aut tristi iram profiteri* nexus cum ipsa re, quam exposuit auctor? Anne Pompeio cur ab irato uultu sibi cauendum putaret alia causa esse debebat quam simplex illa iram profitendi uerecundia? Dicendum utique quo nexu tristis uultus atque ira eo prodita cum regia illa, quae exprobrabatur Pompeio, potentia cohaereret. Desidero igitur hanc sententiam, *ne aut hilari fronte libenter adgnoscere potentiam aut tristi. iam profiteri uideretur* (sc. potentiam). Ita demum recte Pompeius utrumque cauisse dicitur, ne aut hilari fronte libenter assentiri tribuentibus sibi singularem potentiam, aut irato uultu ipse eam profiteri et fere iam exercere uideretur. Atque id ipsum Valerium olim scripsisse equidem persuasissimum habeo. Lacunam autem ortam esse liquet, quia librarius a terminatione uocis *potentiam* ueloci oculo statim ad easdem litteras in uoce *iam* transilierat.

L. Libonem apud censores accusabat. In quo certamine cum Pompeius Magnus humilitatem ei aetatemque exprobrans, ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset, 'Non mentiris', inquit, 'Pompei. Venio enim ab inferis; in L. Libonem accusator uenio. Sed dum illic moror, uidi cruentum Cn. Domitium Ahenobarbum, deflentem quod summo genere natus, integerrimae uitae, amantissimus patriae, in ipso iuuentae flore tuo iussu esset occisus. Vidi pari claritate conspicuum *M.* Brutum ferro laceratum, querentem id sibi prius perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem, acerrimum pueritiae tuae bonorumque patris tui defensorem, in tertio consulatu catenis, quas tu ei inici iusseras, uinctum, obtestantem te aduersus omne fas ac nefas, cum in summo esset imperio, a te

1. licinum libonem *E.* || 4. enim] inquit *E.* || L.] *om. F.* || 5. morarer *D.* || 6. enobarbum *CF.* anobardum *E.* henobardum *Γ. add.* I. P. CN. pompei domitium ahen; *(sic) margo A.* || 7. iuuentute *A.* iuuentutis *CEFTorr. Vid. VI*, 1, *init. et ad II*, 1, 9. || 8. M.] *om. ACDEFΓTorr.* || 9. ferco *C.* || 12. ei] eius manibus *E.* || uictum *pr. A.* || 13. ac] et *F.*

8. *Cn. Domitium Ahenobarbum)* Cf. Liu. epit. libr. LXXXIX, *Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum et Hiarbam, regem Numidiae, bellum molientes, uictos occidit.* Sed Plut. Pomp. 12 et Oros. V, 21 eum in proelio contra Pompeium fortissime pugnantem cecidisse tradunt.

M. Brutum) Cf. Liu. epit. libr. XC. Cic. ad Att. IX, 14, 2. Plut. Pomp. 16. id. Brut. 4. Oros. V, 22. Zonar. X, 2. Marci notam, in Valerianis exemplis et manuscriptis et impressis omissam, suppleui ex epitome Iulii Paridis. Neque enim credibile est Valerium in hoc uiro solo praenomen reticuisse, cum id in ceteris posuerit. Excidit igitur sine dubio propter praecedentem litteram *m.*

Cn. Carbonem) Cf. Liu. epit. libr. LXXXIX. Cic. ad Att. l. c. Plut. Pomp. 10. App. ciu. I, 96. Flor. III, 21. Zonar. X, 1.

obtestantem te — trucidatum) Sic omnes codices, insolentissime omisso subiecto accusatiui cum infinitiuo, quod esse debebat pronomen reflexiuum *se.* Sat multa huius dicendi generis exempla congessi ad I, 7, 8 et IIII, 1, ext. 7. In quibus tamen praeter hoc unum nullum est omissi subiecti apud infinitiuum perfecti passiui, quam licentiam ne alii quidem scriptores, quod equidem sciam, sibi indulserunt. Solum Valerium tam soloece et ambigue locutum esse non mihi possum persuadere. Suspicor igitur cum scripsisse *obtestantem se.* Accedit etiam quod, si codicum testimonium amplecteremur, male Cn. Carbo obtestationem suam in ipsum Pompeium direxisse fingeretur, quam, si tamen omnino ad certam personam spectabat, ad Heluium Manciam inferorum sedes lustrantem direxisse dicendus erat. Iam uero, si *te* mutemus in *se,* quod mihi paene necessarium esse uidetur, absolute positum erit *obtestantem,* sicut in Taciti hist. III, 10, *Opposuit sinum Antonius — aut militum se manibus aut suis moriturum obtestans.*

aduersus omne fas ac nefas) Kappius 'ab Heluio exaggerari' putat 'Pompeii facinus, dicique Pompeium eo crudelitatis in Carbonem bene de se meritum processisse, quo nemo allus uel crudelissimus tyrannus in hominem etiam male de se meritum atque hostem acerrimum processurus fuisset'. Quam sententiam si effici putat uerbis *aduersus omne nefas,* certe fallitur. Torronius contra absurdum iudicauerat, quod etiam aduersus omne nefas Carbo trucidatus esse diceretur. Quamquam enim *fas* et *nefas* saepissime coniungerentur, uix tamen aliud exemplum inuentum iri, ubi alterutrum sententiae plane re-

equite Romano trucidatum. Vidi eodem habitu et quiritatu praetorium uirum Perpennam saeuitiam tuam execrantem, omnesque eos una uoce indignantes, quod indemnati sub te adulescentulo carnifice occidissent'. Obducta iam uetustis cicatricibus bellorum ciuilium uastissima uulnera municipali homini, seruitutem paternam redolenti, effrenatae temeritatis, intolerabilis spiritus, inpune reuocare licuit. Itaque eo tempore et fortissimum erat Cn. Pompeio maledicere et tutissimum. Sed non patitur nos hoc longiore querella prosequi personae insequentis aliquanto sors humilior.

Diphilus tragoedus, cum Apollinaribus ludis inter actum 9. ad eum uersum uenisset, in quo haec sententia continetur,

---

1. quiritatu] querimonia *D.* || 2. perennam *Γ.* Perpernam *Par. Torr. Vid. ad VIII,* 13, 4. || 3. indemnati] *add.* et sine causa *F.* || 4. uetustis] uictis *Γ.* || 6. temeritate *corr. A.* || intolerabiles *DΓ et pr. A. Vid. ad III,* 8, *ext.* 4. || 7. eo] eodem *F.* || 8. pompei *A et pr. Γ.* || Sed — (10.) humilior *om. Γ.* || * nos hoc *A.* nos haec *E.* hoc nos *F.* || 11. delphilus *E.*

---

pugnaret. Itaque cum Perizonius eadem de causa aut delendum censuisset *ac nefas* aut legendum esse *contra omne fas ac ius*, alterum hoc probauit Torrenius. Estque sane mira iunctura *aduersus omne nefas trucidatum*. Valde tamen dubito de mutanda scriptura, quam excusandam et ita concedendam existimo auctori neglegentius scribenti. Fas atque nefas et similia multa, quae inter se opponuntur, in designando liciti atque illiciti mixto confusoque discrimine adeo frequenter adhibebantur, ut in prouerbium paulatim abirent. (Cf. Donat. ad Ter. Andr. I, 3, 9, ubi ad poetae uerba, quae male sic legit, *quo iure quaque iniuria*, adnotauit haec, *Prouerbiale hoc est, qualia sunt fas et nefas.)* Itaque factum est ut coniuncta usurparentur, uel ubi alterius notio ita praeualebat, ut alterius propria uis fere non sentiretur. In hoc genere est quod Tacitus composuit in XV ann. 37, *Ipse per licita atque inlicita foedatus nihil flagitii reliquerat*, ubi plura congesserunt interpretes. Cf. etiam Orell. ad Hor. epod. 5, 87. Nec multo aliter Tac. II hist. 56 *Dispersi per municipia et colonias Vitelliani spoliare, rapere, ui et stupris polluere. In omne fas nefasque auidi aut uenales non sacro, non profano abstinebant.* Insolentius hoc esse, de quo agimus, non negauerim; uidetur tamen in solitum illud dicendi genus incidisse Valerius neque animaduertisse quantopere ab huius loci sententia id alienum sit.

praetorium uirum Perpennam) Cf. Plut. Pomp. 20. id. Sertor. 27. App. ciu. I, 115. Oros. V, 23.

Itaque eo tempore et fortissimum erat) Mira haec conclusio est. Neque enim qua de causa illa de tempore praedicentur, quod ne describitur quidem aut definitur accuratius, equidem intellego. Temporis hanc notam adici parum certe intererat. Nescio igitur an Valerius usitatissimo dicendi genere scripserit *Itaque eodem tempore et fortissimum erat* etc. Syllaba suppleta cur exciderit manifestum est.

9. Cf. Cic. ad Att. II, 19.

magnus est) Perizonius e Ciceronis epistola, in qua idem uersus sic legitur, *Nostra miseria tu es Magnus*, pro *est* scribendum censuit *es*. Cui astipulatur Torrenius. At mutatio neque necessaria est, cum non ipsum illum uersum, sed sententiam dumtaxat eius reddiderit Valerius, neque probabilis, quoniam tertiam personam nunc Paridis quoque compendium confirmat.

'Miseria nostra magnus est', derectis in Pompeium Magnum manibus pronuntiauit, reuocatusque aliquotiens a populo sine ulla cunctatione nimiae illum et intolerabilis potentiae reum gestu perseueranter egit. Eadem petulantia usus est in ea quoque parte, 'Virtutem istam ueniet tempus cum grauiter gemes'.

10. Marci etiam Castricii libertate inflammatus animus. Qui cum Placentiae magistratum gereret, Cn. Carbone consule iubente decretum fieri, quo sibi obsides a Placentinis darentur, nec summo eius imperio obtemperauit nec maximis uiribus cessit; atque etiam dicente multos se gladios habere respondit 'Et ego annos'. Obstipuerunt tot legiones, tam robustas senectutis reliquias intuentes. Carbonis quoque ira, quia materiam saeuiendi perquam exiguam habebat, paruulum uitae tempus ablatura, in se ipsa conlapsa est.

11. Iam Ser. Galbae temeritatis plena postulatio, qui diuum Iulium consummatis uictoriis in foro ius dicentem in hunc modum interpellare sustinuit: 'C. Iuli Caesar, pro Cn. Pompeio Magno, quondam genere tuo, in tertio eius consulatu pecuniam

---

1. est] *add.* etiam *D.* || derectis *DEΓPar. et corr. A. Torr. Cf. Lachm. ad Lucr. IIII, 609. p.* 247. ductus *F.* || 2. aliquoties *pr. A.* || 3. conctatione *pr. A.* || illum nimiae *F.* || 4. perseueranti *E et corr. A. Torr.* || 5. uirtutem istam] * * * *D.* uirtutem illam *F.* et iam (*omisso* uirtutem) *Par.* || dum *Par.* || gemas *ACDEFΓTorr.* || 7. Cn.] cũ *F.* || 10. etiam] *post* dicente *D.* || dicenti *Torr. Cf. VII, 2, ext. 1 fin. Vt nos etiam Par.* || Et ego] *add.* I. P. et se *a. margo A.* || 11. obstupuerunt *CDEFΓTorr. Cf. V, 1, 1.* || 13. ipsam *Γ.* || 15. Iam — (16.) Iulium] Seruius galba iulium caesarem *Γ.* || sergii *E. Sergium Galbam cum Paris appellat.* || qui diuum Iulium] *in rasura A.* qui diuum iulius *C.* quia illum iulius *F.* || 16. consummatis] *in rasura A.* || dicentem] *in rasura A. litt.* tem *in rasura E.* dicens *CF.* || in hunc modum] *in rasura A.* hoc modo *DΓ.* || 17. interpellare sustinuit] interpellauit *Γ.* || C.] *om. F.* || pro *om. C.*

---

derectis in Pompeium Magnum manibus) Hoc, quod de suo adiecit Valerius, certe falsum est. Illo enim tempore ne Romae quidem uersabatur Pompeius, sed Capuae, ubi agrum diuisit populo ex lege Iulia, ut e Tulliana epistola clare demonstrauit Lipsius I uarr. lect. 2. Dicuntur ibi litterae uolasse ad Cn. Pompeium. Pighius nimirum culpam a Valerio defendisse sibi uisus est statuendo Diphilum ita manuum gestus direxisse, ut populo palam fieret Pompeium ab eo designari, statuam forte uel monumentum eius aliquod indicando, quo cognosci posset. Sed recte Torrenius monuit neminem hoc e Valerii uerbis concludere posse, qui procul dubio ad id quod Pighius uoluit significandum alia quadam elocutionis forma usus esset.

cum grauiter gemes) Coniunctiuus *gemas*, quem omnes tuentur codices, in hac quidem sententia, a qua particulae *cum* causalis notio alienissima est, ferri nequit. Poterat de indicatiuo futuri temporis reponendo monere priores grammaticos Ciceronis epistola. Nunc idem Paridis quoque compendio commendatur.

10. *Cn. Carbone consule)* a. 669. Cf. Liu. epit. libr. LXXXIIII.

11. *pecuniam spopondi)* Cf. Cic. epp. VI, 18, 3. Galba ob repulsam con-

spopondi, quo nomine nunc appellor. Quid agam? dependam'? Palam atque aperte ei bonorum Pompeii uenditionem exprobrando ut a tribunali summoueretur meruerat. Sed illud ipsa mansuetudine mitius pectus aes alienum Pompeii ex suo fisco solui iussit.

Age, Cascellius, uir iuris ciuilis scientia clarus, quam pe- 12.
riculose contumax! Nullius enim aut gratia aut auctoritate conpelli potuit ut de aliqua earum rerum, quas triumuiri dederant, formulam conponeret, hoc animi iudicio uniuersa eorum beneficia extra omnem ordinem legum ponens. Idem cum multa de temporibus liberius loqueretur amicique ne id faceret monerent, duas res, quae hominibus amarissimae uiderentur, magnam sibi licentiam praebere respondit, senectutem et orbitatem.

Inserit se tantis uiris mulier alienigeni sanguinis, quae a Ext. 1.

---

1. spospondi *D.* || dispendam *C.* || 3. illud *om. F.* || 4. iussit] uoluit *F.* || 5. Age] *om. ΓTorr.* || pascellius *CDEF et pr. A.* pascellius *Γ.* A Cascellius *Torr.* Castellius *Paridi est.* || uir uirilis ciuili *D.* || quam — (9.) Idem *om. Γ.* || 6. uictoritate *pr. A.* || 7. earum] dictarum *E.* || 8. uniuersa] uictoriae *CEF.* || 9. omnium *EF.* || temporibus] *add.* caesaris *DPar. et margo A, Torr.* || 10. loqueretur liberius *F.* || amicique — monerent *om. Γ.* || 11. praebere licentiam *F.* || 12. senectutem] *add.* uidelicet *E.*

---

sulatus infensus Iulio Caesari, cuius legatus in Gallia fuerat, conspiratit postea cum Bruto et Cassio. Cf. Suet. Galb. 3.

12. *Age, Cascellius)* Iubentibus omnibus meis codicibus reuocaui illud *Age*, pro quo Pighius, nescio an nullo libro astipulante, eumque secuti ceteri deinceps editores Auli praenominis notam posuerant. Est autem usitatissimum hoc Valerio in transitu ad noua exempla dicendi genus. Cf. praef. p. 42. Torrenius legendum esse censuerat *Age A. Cascellius.* Nomen clarissimi illius ICti in praestantissimo pandectarum codice Florentino modo duplici, modo simplici *l* exarari monuerunt uiri docti, quorum hoc quidem propius ad mendum Valerianorum librorum accedere uidetur. Sed Paridis compendium et hoc loco geminatum *l* tuetur et VIII, 1, 2, ubi nostri codices et Paridis Vaticanus summo consensu Cascellium exhibent.

uniuersa eorum beneficia) In alterius familiae altera parte pro *uniuersa* scriptum est *uictoriae.* Quod cur factum sit non magis intellego quam cur Valerium eas res, quas triumuiri, Octauius, Antonius, Lepidus amicis dono dederant, uictoriae eorum beneficia dixisse putemus, cum uictoriae commemoratio certe otiosa sit in hoc nexu. Sed nihil disputo de uoce, quae etiamsi sententiae apprime conueniret, delenda tamen esset, quoniam omni auctoritate destituitur. Torrenius, quod pari fere fide dignum uidebatur *uniuersa* et *uictoriae*, utrumque coniunxit coniciendo *uniuersa uictoriae eorum beneficia.*

de temporibus liberius loqueretur) i. e. de statu et condicione sui temporis. Cf. Cic. ad Att. II, 19, 3, *eiusmodi sunt ii uersus, ut in tempus ab inimico Pompeii scripti esse uideantur;* et eiusd. epp. II, 18, 3; uit. Iuuenalis, quae Suetonio tribuitur, *Venit in suspicionem quasi tempora figurate notasset.* Itaque superuacuum est additamentum *Caesaris* post *tempora* aut ab ipso Paride aut a librario illius compendii insertum et inde assumptum a correctore libri Danielini. Retinuerunt tamen id in malis quibusdam codicibus inuentum omnes ante me editores.

Ext. 1. Paulo aliter eandem rem narrat Plutarchus apophth. (Philipp. 24.)

Philippo rege temulento immerenter damnata, 'Prouocarem ad Philippum', inquit, 'sed sobrium'. Excussit crapulam oscitanti ac praesentia animi ebrium resipiscere causaque diligentius inspecta iustiorem sententiam ferre coegit. Igitur aequitatem, quam impetrare non potuerat, extorsit, potius praesidium a libertate quam ab innocentia mutuata.

2. Iam illa non solum fortis sed etiam urbana libertas. Senectutis ultimae quaedam Syracusis, omnibus Dionysii tyranni exitium propter nimiam morum acerbitatem et intolerabilia onera uotis expetentibus, sola cotidie matutino tempore deos ut incolomis ac sibi superstes esset orabat. Quod ubi is cognouit, non debitam sibi admiratus beniuolentiam, accersiuit eam et quid ita hoc aut quo merito suo faceret interrogauit. Tum illa 'Certa est', inquit, 'ratio propositi mei. Puella enim, cum grauem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam. Quo interfecto aliquanto taetrior arcem occupauit. Eius quoque finiri domina-

1. Philippo] *post* rege $D\Gamma$. || rege — damnata] *in rasura A.* || immerens *D et in rasura A.* || Prouocarem] *litterae* pro *in rasura A.* prouocare uolo *Γ.* || 2. inquit ad Philippum *F.* || crapulam *pr. A.* || excitanti *C et pr. A.* ocitanti *D.* || 3. praesentis *CEF et pr. A.* praesenti *Γ.* || animo *Γ.* || respicere *C.* || 4. ferre sententiam *F.* || aequalitatem *pr. A.* || 6. mutuatã *pr. A.* mutuatum *CDEF.* || 7. Iam — libertas *om. Γ.* || illam *A. om. F.* || 8. syricusis *A.* syracusañ *D.* Syracusanis *Torr. Vt nos etiam Par, Vid. ad III, 8, ext.* 4. || dyonisii *A.* || 9. exitum *CF Torr.* || nimiam *om. E.* || aceruitatem *pr. A.* || 10. matutino — (13.) hoc aut] *in rasura A.* || incolumis *(in rasura A) CDEFΓ Torr.* || 11. sibi *om. EF.* || 12. accersit *CEF et pr. A.* accersiit *DΓ.* arcessit *corr. A, Torr.* || 13. suo merito *(E) Torr.* || 14. propositi mei ratio *F.* || 16. tretrior *C.* deterior *F.* || Eius quoque] eiusque *E.*

immerenter damnata) Aduerbium illud alibi non legi animaduertit Torrenius. Neque tamen ideo probandum correctoris libri Danielini factum, qui adiectiuum *immerens* pro eo interpolauit.

ab innocentia mutuata) Libri manuscripti tantum non omnes *mutuatum*, quod probauit Perizonius, passiua notione positum ratus, ut apud Iul. Firmicum de prof. rel. err. p. 176 ed. Commel. *Nomen a serendis fructibus mutuatum.* Coniungenda enim esse *Igitur aequitatem, quam impetrare non potuerat, extorsit, potius* (i. e. melius, fortius) *praesidium a libertate quam ab innocentia mutuatum.* Quae equidem aut non intellego aut putabat perperam Perizonius aequitatem illud fuisse praesidium. Sed ne dicam de eo, quod Valerius constanter deponenti huius uerbi forma usus est (III, 4, 2. VIII, 7, ext. 1.), leniore etiam mutatione corrector libri Bernensis primariam scripturam *mutuatã* transformauit in *mutuata.*

2. *accersiuit)* In codice archetypo scriptum erat *accersit.* Sed praesens, quod historicum uocant grammatici, et omnino a Valerio perquam raro adhibitum est, et ab hoc loco, interpositum tot aliis uerbis perfectae actionis alienissimum esse apparet. Frequentissime autem omissis litteris *ui* male a librariis praesens tempus pro perfecto positum est. Ita eadem de causa contra bonorum librorum consensum I, 8, ext. 3 *illo* (modo) *propitia donauit* edidi, cum uulgo circumferretur *donat.* Eadem de causa contra meliores codices

tionem magni aestimabam. Tertium te superioribus inportuniorem habere coepimus rectorem. Itaque ne, si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute deuoueo'. Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit.

Inter has et Theodorum Cyrenaeum quasi animosi spiritus 3.
coniugium esse potuit, uirtute par, felicitate dissimile. Is enim Lysimacho regi mortem sibi minitanti 'Enimuero', inquit, 'magnifica res tibi contigit, quia cantharidis uim adsecutus es'. Cumque hoc dicto accensus cruci eum suffigi iussisset, 'Terribilis', ait, 'haec sit purpuratis tuis, mea quidem nihil interest humi an sublime putrescam'.

DE SEVERITATE.

Armet se duritia pectus necesse est, dum horridae ac tristis III.
seueritatis acta narrantur, ut omni mitiore cogitatione seposita rebus auditu asperis uacet. Ita enim destrictae et inexorabiles uindictae et uaria poenarum genera in medium procurrent, utilia quidem legum munimenta, sed minime in placido et quieto paginarum numero reponenda.

2. coepimus] *ante* habere *Γ*. cupimus *pr. A.* cepimus *corr. A.* || Itaque] *add.* timens *corr. D, Torr. et uncis seclusum Kapp.* || assumptus *E.* || 3. decedat *Γ.* || 4. salute] *ante* tua *DΓ.* uirtute *C.* || tantam *D.* || dyonisius *A.* || 5. Inter — (6.) Is enim] Theodorus cyreneus *Γ.* || thodorum *pr. A.* || cyreneum *A.* || 7. rege *CE.* || 8. tibi res *D.* || 9. Cumque] cum *C.* || 10. ait hoc sit purpuratis *C.* sit haec ait purpuratis *F.* haec ait purpuratis sit *Torr.* || quidem] enim *F.* || 11. humine *(Γ)Par. et corr. A. Torr.* || putescam *Par.* || 14. omni *om. DΓ.* || mitiore] ore *pr. A.* || 15. districtae *CDEFΓ. Vid. ad II, 9, 6.* || inexorabilis *ACEFΓ.* || 16. uariae *A.* || percurrent *E.* || 17. placito *F.*

uulgatam scripturam retinui V, 1, 10, *cremandum curauit,* et VII, 3, 6, *Tunc barbarae contioni — subiecit,* ubi perfectum pro *subicit,* quod libri manuscripti tuentur, Paridis etiam compendio confirmatur.

3. Cf. Cic. Tusc. I, 43, 102. V, 40, 117. Senec. de tranq. anim. 14, 2.

humi an sublime) Ita boni codices. Fieri tamen potest ut Valerius scripserit *humine an sublime,* quemadmodum composuerunt Cicero, e quo haec desumpta sunt, et Paris. Res manet incerta, quia eodem iure ipse Paris interrogandi particulam adiecisse putari potest, qui certe causam praebuit, ut ea in Bernensi libro interpolaretur et inde transiret in uulgata exempla. Nam in archetypo codice simpliciter *humi* erat.

1. M. Manlius, unde Gallos depulerat, inde ipse praecipitatus est, quia fortiter defensam libertatem nefarie opprimere conatus fuerat. Cuius iustae ultionis nimirum haec praefatio fuit, 'Manlius eras mihi, cum praecipites agebas Senonas; postquam imitari coepisti, unus factus *es* ex Senonibus'. Huius supplicio aeternae memoriae nota inserta est. Propter illum enim lege sanciri placuit ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret, quia domum eo loci habuerat, ubi nunc aedem Monetae uidemus.

Par indignatio ciuitatis aduersus Sp. Cassium erupit, cui plus suspicio concupitae dominationis nocuit quam tres magnifici consulatus ac duo speciosissimi triumphi profuerunt. Senatus enim populusque Romanus, non contentus capitali eum supplicio adficere, interempto domum superiecit, ut penatium quoque strage puniretur. In solo autem aedem Telluris fecit. Itaque quod prius domicilium impotentis uiri fuerat nunc religiosae seueritatis monumentum est. Eadem ausum Sp. Maelium consimili exitu patria multauit. Area uero domus eius, quo iustitia supplicii notior ad posteros perueniret, Aequimaeli appellationem traxit.

Quantum ergo odii aduersus hostes libertatis insitum animis antiqui haberent parietum ac tectorum, in quibus uersati fuerant, ruinis testabantur. Ideoque et M. Flacci et L. Saturnini seditiosissimorum ciuium corporibus trucidatis penates ab imis funda-

---

1. manilius *CΓ.* malius *E.* mallius *F. Vt nos etiam Par. Vid. ad II, 7, 6.* || detulerat *Γ.* || 2. forte *E.* || coactus *F.* || 3. fuerat] erat *Γ.* || manilius *CΓ.* malius *E.* mallius *F.* || 4. mihi eras *Γ.* || senones *DE et corr. A, Torr.* || immutari *pr. D.* || 5. coepiti *pr. A.* || es *om. C et pr. A.* || ex *om. F.* || enonibus *pr. A.* || 6. lege * *A.* || 7. sanctiri *D.* || aut in capitolio *DΓ.* || 8. uidemus] habemus *(sed suprascriptum* i' uidemus) *Γ.* || 9. Par — (*p.* 483, 8.) praecipitati sunt *om. Γ.* || aduersum *E.* || eripuit *C.* || 14. tolleris *pr. A.* || 15. potentis *E.* || 16. monimentum *(litt.* imen *in rasura) D.* || st. p̃ melium *C.* Sp. Melium *Torr.* || 17. mulctauit *CD.* || uero] enim *E.* || eius *om. C.* || iusti * * *corr. A.* || 18. notio *corr. A.* || aequimeli *pr. A.* aequimelii *corr. A.* Aequimelii *Torr.* || 22. marcii flacci *E.* m. flaccii *C.* || seditiosorum *E.* || 23. infimis *D.*

III, 1. Cf. Liu. VI, 20. Plut, Cam. 36. A. Gell. XVII, 21, 24. Auct. de uir. ill. 24; alii.

Par indignatio) Cf. Liu. II, 41. Dion. Hal. VIII, 77. Cic. pro dom. 38, 101.

Eadem ausum Sp. Maelium) Cf. Liu. IIII, 16. Cic. pro dom. l. c.

M. Flacci) Cf. Cic. pro dom. 38, 102 et 43, 114. Liu. epit. libr. LXI. Plut. C. Gracch. 16. App. ciu. I, 26. Oros. V, 12; alii.

L. Saturnini) Cf. Liu. epit. libr. LXIX. App. ciu. I, 32. Auct. de uir. ill. 73. Oros. V, 17.

mentis eruti sunt. Ceterum Flacciana area, cum † diu paene uacua mansisset, a Q. Catulo Cimbricis spoliis adornata est.

Viguit in nostra ciuitate Ti. et C. Gracchorum summa nobilitas ac spes amplissima. Sed quia statum ciuitatis conati erant conuellere, insepulta cadauera iacuerunt supremusque humanae condicionis honos filiis Gracchi et nepotibus Africani defuit. Quin etiam familiares eorum, ne quis rei publicae inimicis amicus esse uellet, de robore praecipitati sunt.

---

1. paene] penatibus *in rasura A*, *(sed* paene *ibi antea fuisse uidetur,) Torr. add.* I. P. diis penatibus *margo A.* || 2. c. catulo *D.* || 3. tiberii et g. grachi grachorum *F.* || 4. ciuitatis statum *F et pr. E.* || 6. condicionis humanae *D.* || 7. ne] quae *pr. C.*

---

cum † diu paene uacua mansisset) Apparet ineptum esse illud *paene*, cum area Flacciana omnino uacua manserit, donec Q. Catulus porticum in ea aedificabat. Quod cum animaduertisset I. Fr. Gronouius (IIII obseru. 19), legendum esse coniecit *cum diu poenae uacua mansisset*, idque explicat esse 'poenae nomine' uel 'ut monumentum esset poenae'. Quae sententia apprime sane huic loco conueniret, dummodo tertio casu illud exprimeretur, quod putabat exprimi uir doctissimus. Sed inaudita prorsus ea loquendi ratio est. Debebat autem scribere uel ipsum illud *poenae nomine*, quod mihi admodum aliquando placuit, uel *ad memoriam poenae* uel simile nescio quid. Ita M. Tullius (pro dom. 38, 102), quem locum sine dubio ante oculos habuit Valerius, composuit *ut domus M. Tullii Ciceronis cum domo Fuluii Flacci ad memoriam poenae publice constitutae coniuncta esse uideatur.* Aliam emendandi uiam ingressus corrector libri Danieli e Paridis compendio, quod in Vaticano codice sic legitur, *M. Flacco et L. Saturnino occisis domus super diruta. Flacciana area cum diis penatibus uacua remansisset, a Q. Catulo Cimbricis spoliis adornata est,* ascitum illud *penatibus* pro inepto *paene* substituit atque ita causa extitit ut idem in recentiores Valerii codices uulgatasque editiones transferretur. At haec quoque emendatio, cum ita male diu penatibus caruisse dicatur area Flacciana, cui ne postea quidem Cimbricis spoliis adornatae penates erant, ratione omnino caret, nisi simul *diu* secundum illud compendium mutaueris in *diis.* Quod si feceris, sententia erit, cum post euersas Flacci aedes, alia domo in ea non extructa, area diis penatibus uacua mansisset, Catulum porticuum ibi aedificasse Cimbricisque spoliis ornasse. Sentio parum uenuste in his repeti penatum nomen; neque tamen facere possum quin ita Valerium scripsisse credam. Nam quomodo in hanc compendii formam epitomator incidere potuerit, nisi in codice suo Valerii illud *diis penatibus* inuenerit, id profecto non perspicio.

familiares eorum) Plutarchus in uita Ti. Gracchi c. 20 amicos eius partim in exilium missos partim occisos esse refert.

de robore praecipitati sunt) Robus testo Paulo diacono p. 264 Müll. 'in carcere dicebatur is locus, quo praecipitabatur maleficorum genus'. Quae si comparaueris cum Varr. de ling. Lat. V, §. 151, Fest. u. Tullianum p. 356 Müll., Liu. XXIX, 22 et XXXIIII, 44, Sall. Cat. 55, 4, Calp. Flacc. decl. 4, robore inferiorem illam carceris partem designari patebit, quae sub terra erat circiter duodecim pedes humi depressa, ubi supplicia de noxiis sumebantur quaeque ab aliis Tullianum appellabatur. Cf. Becker. handb. d. Röm. alterth. I, p. 264. Quod si ita est, non facile intellegitur quomodo Gracchorum familiares de robore praecipitati esse dici potuerint, ideoque grammatici legendum esse coniecerunt *in robur* uel sexto casu *in robore* (Vorstius) aut *de rupe*

2. Idem sibi licere † tam P. Mutius tribunus plebis quam senatui et populo Romano credidit, qui omnes collegas suos, *qui* duce Sp. Cassio id egerant ut magistratibus non subrogatis communis libertas in dubium uocaretur, uiuos cremauit. Nihil profecto hac seueritate fidentius. Vnus enim tribunus eam poenam nouem collegis inferre ausus est, quam nouem tribuni ab uno collega exigere perhorruissent.

3. Libertatis adhuc custos et uindex seueritas, sed pro digni-

1. tam] *om. pr. E. ante* sibi *Γ. ante* licere *Torr.* || 2. senatus *DE et corr. A.* || populus Romanus *E. per compendium* p. r. *AD.* || 3. qui] *om. C et pr. AD. Suppleuit e Paride corr. A.* quoniam *corr. D.* pro eo quod *E.* quod *Γ.* || non subrogatis *om. Γ.* || 5. ac *CF.* || 6. ausus est inferre *E.* || 8. adhuc] rigida *Γ.* || seueritas] *punctis notat. et suprascriptum* senatus *corr. A.* || sed *om. Γ.*

(Torrenius) sc. Tarpeia; nulla omnino cum similitudine ueri. Ego quoque anceps haereo nec satis me expedio. Suspicor autem Valerium non tam ad ipsum supplicium quam ad eam poenam respexisse, quae uel post mortem illis irrogata esset, ad ablatum ius humationis, atque ita significare uoluisse corpora in robore trucidata inde in locum quendam inferiorem abiecta esse, quo praecipitari solebant maleficorum cadauera. Nam et in Gracchis grauiorem morte poenam facit, quod insepultis cadaueribus supremus humanae condicionis honos defuerit. Necatos autem esse Gracchorum sodales in robore iam ex ipsa huius carceris commemoratione cuiuis Romano planum erat, cum in eum nonnisi ob nefaria scelera damnati conicerentur ibique adseruarentur ad supplicium, quod ipsum illic sumebatur. Locus autem, quo praecipitari solebant interfecti in Tulliano, scalae erant Gemoniae in crepidine Capitolii, atque inde uncis trahebantur in Tiberim. Cf. Suet. Tib. 61. Plin. h. n. VIII, 40, 61. Tac. hist. III, 74. Val. Max. insequenti exemplo et VI, 9, 13. Becker l. c. p. 415.

2. *Idem sibi licere † tam P. Mucius)* Sic omnes fere libri manuscripti et editiones ante Pighium. Quae uitiosa esse nemo non uidet. Comparatio enim non inter eum fit qui credit et eos quibus licet aliquid, sed inter personas, quibus idem licere putatur. Itaque transponendum saltem erat *tam* aut cum abbreuiatore Guelferbytano ante *sibi* aut cum Pighio et recentioribus grammaticis ante *licere*. Concinnum tamen et accuratum sermonem ne ita quidem efficiemus. Etenim cum per *tam — quam* comparentur quae eundem gradum obtineant, possum dicere, ut exprimam eandem mihi atque alteri potestatem esse faciendi aliquid, *id tam mihi licet facere quam illi;* non possum noua insuper ex alio genere (in subiecta re) addita aequalitatis notione, *idem tam mihi licet facere quam illi,* quod significaret mihi atque illi parem potestatem esse faciendi idem, quod tertius aliquis fecerit. Nam si comparationem in subiecta re positam esse uelis, dicendum utique *idem mihi licet atque illi.* Obiciat aliquis Valerium neglegentius scribentem alteram eiusdem sententiae formam cum altera confudisse atque in unam coniunxisse. Concedo talem neglegentiam ab hoc auctore non esse alienam. At sunt alienissima a melioribus certe libris menda ea, quae transpositis uocabulis maleque immutato uerborum ordine oriuntur. Itaque alia mihi opus esse uidetur medicina. Conicio deleto *tam,* quod iam a sede sua ualde est suspectum, hunc locum ita refingendum esse, *Idem sibi licere P. Mucius tribunus plebis quod senatui et populo Romano credidit.* Nam si aberratum fuerit a *quod* in *quam,* quae saepissime in codicibus confundi recte Drakenborchius animaduertit ad Liu. II., 5, 9, alium librarium, ut haberet insolens illud *quam* cui responderet, antea *tam* intrusisse admodum est uerisimile.

qui omnes collegas suos etc.) Cf. excurs. II.

tate etiam ac pro disciplina aeque grauis. Marcum enim Claudium senatus Corsis, quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit. Quem ab hostibus non acceptum in publica custodia necari iussit, semel laesa maiestate imperii quot modis irae pertinax uindex! Factum eius rescidit, libertatem ademit, spiritum extinxit, corpus contumelia carceris et detestanda Gemoniarum scalarum nota foedauit.

Atque hic quidem senatus animaduersionem meruerat. Gnaeus autem Cornelius Scipio Hispali filius prius quam mereri posset expertus est. Nam cum ei Hispania prouincia sorte obuenisset, ne illuc iret decreuit, adiecta causa, quod recte facere nesciret. Itaque Cornelius propter uitae inhonestum actum sine ullo prouinciali ministerio tantum non repetundarum lege damnatus est.

Ne in Gaio quidem Vettieno, qui sinistrae manus digitos, ne bello Italico militaret, absciderat, seueritas senatus cessauit. Publicatis enim bonis eius ipsum aeternis uinculis puniendum censuit, effecitque ut quem honeste spiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis consumeret.

---

1. etiam ac] etiam ad *D.* ac etiam *F.* ac *Γ.* || pro *om. DΓ.* || disciplinam *D.* || grauis] *add.* inuenta est *Γ.* || cladium *pr. A.* clodium *corr. A.* || 2. qua *pr. A.* || eis *Γ.* || 3. dedit *ACDEF et ante* quia *Γ.* || 4. quod *pr. A.* || 7. fedauit *corr. A.* || 8. Atque hic — (13.) damnatus est *om. Γ.* || Atque] aeque *ACEF.* || Gnaeus autem] quam *pr. D.* quam gn̄. *corr. D.* || 9. Ilispalli *Torr. Vt nos etiam Par. I.* 3. 2. || 11. quo *ACF.* || 13. tantum non] tantummodo *D.* tantum *EF.* || repetendarum *E.* || 14. uetieno *AF.* uectieno *DE.* || digito *C.* || 17. quem] qui *F.* || spiritum] *ante* quem *Γ.*

---

3. ***Marcum enim Claudium)*** Factum hoc est a. u. c. 518 P. Cornelio Lentulo, C. Licinio Varo consulibus. Cf. Dio Cass. exc. Peiresc. 45 p. 593. ap. Reim. p. 21. Ammian. Marc. XIIII, 11, 32. At Zonaras VIII, 18 eum Claudium Clineam appellat, unde Pighius in ann. II, p. 90 de Claudio illo Glicia cogitauit, quem a. u. c. 505 consul P. Claudius Pulcher, ut senatum luderet, dictatorem dixerat hominem de infima plebe. (Cf. Liu. epit. libr. XIX. Suet. Tib. 2.) Sed recte oblocutus est Drumannus gesch. Roms II, p. 390. Neque enim uerisimile esse propter ignobile et obscurum illius genus, eum cum parte exercitus a Licinio Varo consule aduersus Corsos missum esse. Ipse Drumannus hunc M. Marcellum patrem clarissimi illius M. Claudii Marcelli fuisse opinatur, qui Syracusas expugnauit. Quod si ita esset, neque Plutarchum in uita Marcelli neque Suetonium (Tib. 2), ubi Claudiorum egregia merita atque etiam secus admissa in rem publicam commemorauit, tantam ignominiam in eo homine silentio praetermissurum fuisse crediderim.

Atque hic quidem) Quod codex archetypus exhibuerat, ***Aeque hic quidem,*** uitiosum est, quia non praecesserat quocum ita comparari potuisset M. Claudius, ut aeque atque ille senatus animaduersionem meruisse diceretur. Nam P. Mutii collegae, de quibus antea agitur ne erant quidem a senatu puniti. Mendum recte sublatum est in codd. ad familiam x′ pertinentibus, qui restituerunt locutionem Valerio tritissimam in transeundo. Cf. I, 8, 10. II, 10, 3. III, 8, 2. V, 3, 2. V, 7, ext. 2. VI, 1, 2. VI, 4, ext. 4. VIII, 1, damn. 2. etc.

4. Id factum imitatus M'. Curius consul, cum delectum subito edicere coactus esset *et* iuniorum nemo respondisset, coniectis in sortem omnibus tribubus, Polliae, quae prima exierat, primum nomen urna extractum citari iussit, neque eo respondente bona adulescentis hastae subiecit. Quod ut illi nuntiatum est, ad consulis tribunal cucurrit collegiumque tribunorum adpellauit. Tunc Manius Curius praefatus, non opus esse eo ciue rei publicae, qui parere neseiret, et bona eius et ipsum uendidit.

5. Aeque tenax propositi L. Domitius. Nam cum Siciliam praetor regeret *et* ad eum eximiae magnitudinis aper allatus

1. Id factum imitatus *om. Γ.* || m. curius *ACDEFTorr.* curius *ΓPar.* || dilecto *pr. A.* dilectum *Γ, pr. Par. et corr. A.* deletum *E.* || subitum educere *CE.* || 2. et iuniorum] et *om. pr. A.* manioque *D.* iuniorumque *Γ.* || 3. prima] proxima *ACDEFΓTorr.* || 7. manius curius *(sic omnibus his litteris) AF.* manius (*om.* curius) *D.* m. curius *CΓ.* malius curius *E.* || esse opus *DΓ.* || 8. quia *pr. A.* || 9. tenacis *D.* || 10. et] tum *pr. A.* dum *CEF.* cumque *DΓ.* || nimiae *E.*

4. Cf. Liu. epit. libr. XIIII. Varro in *Γεροντοδιδασκάλῳ* ap. Non. u. nebulones et tenebriones.

Id factum imitatus) Parum accurate Valerium locutum esse, cum diceret M'. Curium senatus seueritatem in Vettienum imitatum esse, quia Curius duobus fere saeculis aetate praecessisset Italicum bellum, recte animaduertit Perizonius. Cf. praef. p. 28.

delectum) Optimi libri Valerii hoc loco et VII, 2, ext. 1, accedente etiam Paridis auctoritate *dilectum* exhibent, quemadmodum saepenumero aliorum quoque scriptorum, Ciceronis, Caesaris, Liuii, Taciti praestantissimi quique codices, quam scripturam tamquam antiquiorem probauit Ang. Maius. Cf. etiam Alschefsk. ad Liu. libr. XXX, p. CIIII. At ipse codex Bernensis in prioribus Valeriani operis uoluminibus praepositionem *de*, quae sola conuenit huius uocabuli significationi, recte seruauit. Cf. II, 3, 1. II, 7, 15. Moser ad Cic. de rep. I, 34.

Polliae, quae prima exierat, primum nomen) Omnes codices *quae proxima exierat* tradunt, quod uitiosum esse apparet. Neque enim illa tribus proxima exisse dici poterat, nisi alia antea iam exierat, quia proximum non id denotat, quod omnino primum est, sed quod inde a loco aut tempore certe definito minimo spatio distat. Quae relatio ad certum locum tempusue ab hac re alienissima est. Itaque recte Lipsius coniecit legendum esse *prima*, quod non ideo reiciendum erat, quia altero uerbo post sequitur *primum*. Nam si bis eadem notio exprimenda est, saepe consilio bis eodem utimur uocabulo, ita ut repetitio illa non moleste sentiatur. Confirmat autem Lipsii factum Paridis epitome, in qua legitur *quae prima exierat*. Notum est a librariis saepe confundi *primum* et *proximum*, quia hoc per compendium *pximum* scriptum alteri simillimum est.

5. Cf. Cic. in Verr. V, 3, 7. Quint. IIII, 2, 17.

regeret et ad eum) Mire codex Bernensis pro *et* exhibet *tum*, unde e coniectura, ut mihi quidem uidetur, in alterius familiae altera parte factum est *dum*, in altera *cumque*. Sed ne repetita quidem sine ulla necessitate intra breuissimum spatium particula *cum* bene se habet, et constanter Valerius in eo sententiarum nexu ita loquitur ut nos supra posuimus. Cf. I, 1, 10. I, 5, 3. I, 5, ext. 2. I, 6, 7. I, 8, 6 etc. Quapropter correctorem Bernensem et priores editores secutus uel inuitis libris manuscriptis copulam retinere non dubitaui, absumptam fortasse ultimis praecedentis uocabuli litteris.

esset, adduci ad se pastorem, cuius manu occisus erat, iussit, interrogatumque qui eam bestiam confecisset, postquam conperit usum uenabulo, cruci fixit, quia ipse ad exturbanda latrocinia, quibus prouincia uastabatur, ne quis telum haberet edixerat. Hoc aliquis in fine seueritatis et saeuitiae ponendum dixerit; disputatione enim utroque flecti potest. Ceterum ratio publici imperii praetorem nimis asperum existimari non patitur.

Sic se in uiris puniendis seueritas exercuit, sed ne in feminis quidem supplicio adficiendis segniorem egit. 6.

2. interrogauitque *E.* || qui] quo *in rasura D.* qua in ui *pr. E.* qua ui *corr. E.* || confixisset *DΓ.* || comperuit *F.* || 3. affixit *Γ.* suffixit *Torr. Vt nos etiam Par. Cf. Quint. VII*, 1, 30. *Suet. Domit.* 10 *et* 11. || quia ipse] quod *F.* || extirpanda *DE.* eturbanda *Γ.* || 4. dixerat *pr. A.* ediscerat *E.* || 5. finem *C et pr. A.* || duxerit *coniecit Perizonius.* || 6. enim] eius *F.* || utrumque *D.* || potest] *add.* et duci *E.* || 8. Sic — (9.) egit *om. Γ.* || 9. segniorem] *add.* se *corr. D, Torr.* segnior *C et pr. D.*

in fine seueritatis et saeuitiae ponendum) Optimi quidem libri accusatiuum *finem* produnt, quem defendere uidentur exempla ab Handio congesta in Turscll. III, p. 307, quamquam de Ciceronianis ipse dubitat. At Valerium constanter ponendi, collocandi, statuendi uerbis praepositionem *in* cum ablatiuo subiecisse, manifesto declarat magna exemplorum hunc casum prodentium frequentia. Vtitur enim eo apud *ponendi* uerbum IIII, 1, 6. IIII, 4, init. VII, 2, 3. VIII, 15, ext. 2. IX, 6, ext. 2; apud *deponere* IX, 8, 1; apud *constituere* I, 7, ext. 3. V, 4, ext. 7. VII, 3, 6; apud *collocare* II, 10, 2. IIII, 7, 7. VII, 4, ext. 2. VIII, 14, 1. IX, 2, ext. 6. IX, 14, ext. 1 cett. Reponendi uerbum, in quo accusatiuum cum praepositione *in* etiam Ciceroni concessisse uidetur Maduigius ad V de fin. 2, 5. p. 622, Valerius plerumque cum ablatiuo et praepositione composuit, (cf. I, 7, ext. 4. III, 4, ext. 1. III, 7, 7. III, 8, 1. IIII, 8, 4. V, 1, 1. V, 1, 6. V, 9, 2. VI, 3, 1. VI, 8, 2. VII, 4, 3. VIII, 10, 2. VIII, 11, 1, VIII, 15, 9. IX, 13, ext. 2; sed bis cum *in* et accusatiuo IIII, 3, 9, *quae in aerarium reposuerant* et VII, 8, 9, *in locellum repositos.* Vno dumtaxat loco, V, 5, 3, scriptura dubia uideri potest, ubi plerique libri sane tradunt *dexteram in partem statui.* Sed cum optimus omnium Bernensis habeat *dexteram in parte,* apparet litteram *m* in *dexteram* ex sequenti *in* ortam esse; quo facto recentiores librarii substantiuum *parte* adiectiuo praecedenti accommodarunt. Quae cum ita sint, temerarium non iudicabitur, quod hoc loco, de quo agimus, ultimam litteram in u. *finem* deleui, quo facillimo remedio pleraque ex hoc genere exempla ad uulgarem normam refingi posse recte animaduertit Maduigius l. c. Cf. etiam Dietsch. ad Sall. Iug. 17, 3.

6. Cf. Liu. I, 26. Dion. Hal. III, 21 et seqq. Flor. I, 3. Auct. de uir. ill. 4; alii.

segniorem egit) Editiones praeter Moguntinam et eam, qua usus est Kappius, omnes *segniorem se egit;* non male, quamuis probabilius ante *segniorem* supplessent illud pronomen, quod in bonis codicibus omittitur. Falluntur autem qui in hoc agendi significatu illud *se,* si absit, non desiderari arbitrantur, citantes exempla, in quibus, cum substantiua nomina obiecti locum teneant, necessario abest pronomen. Recte enim dicitur IIII, 5, 3, *competitoris sui suffragatorem agere coepit* et IIII, 2, 5 *amicum Lentulo agere.* Cf. II, 2, 4. III, 8, 3. IIII, 2, 2. V, 8, 1. VI, 1, 4. VII, 2, 5. VII, 7, 7. VIII, 2, 2. IX, 13, ext. 4. Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 87. Orelli ad Tac. hist. III, 2. Dietsch. ad Sall. Iug. 56, 5. Sed non recte hoc loco simplici adiectiuo diceretur *segniorem egit,* nisi pronomen *se* e praecedentibus *Sic se in uiris puniendis seueritas*

Horatius [prius] proelio trium Curiatiorum, condicione pugnae omnium Albanorum uictor, cum ex illa clarissima acie domum repetens sororem suam uirginem Curiati sponsi mortem profusius quam illa aetas debebat flentem uidisset, gladio, quo patriae rem bene gesserat, interemit, parum pudicas ratus lacrimas, quae praepropero amori dabantur. Quem hoc nomine reum apud populum actum pater defendit. Ita paulo propensior animus puellae ad memoriam futuri uiri et fratrem ferocem uindicem et uindictae tam rigidum adsensorem patrem habuit.

7. Consimili seueritate senatus postea usus Sp. Postumio Albino, Q. Marcio Philippo consulibus mandauit ut de his, quae sacris Bacchanalium inceste usae fuerant, inquirerent. A quibus cum multae essent damnatae, in omnes cognati intra domos

1. prius] post *E.* unus *Torr.* || proelio — pugnae] *in rqsura A.* || proelium *CEF.*||curiatum *in rasura A.* curiatium *CEF.* curiatorum *D.*||condicione] ceterum condicione *rasura A.* condictione *F.* || pugnae] *add.* ac *D.* || 2. acie * *A.* || 3. curiatis *A.* || sponsi] *in rasura A.* sponsam *E.* || 4. gaudio *Γ.* || 5. praepropero] propero *A. uacuum spatium relictum in D, sed. add.* praepropero *margo D.* || 7. paulo *om. E.* || 8. et uindictae *om. E.* || 9. patrem asessorem *E.* patrem assensorem *F.* || 10. §. 7. *om. Γ.* || usus] *add.* est *E.* || postumo *E.* || Albino] *add.* et *corr. D. Torr.* || 11. q. martio *(sed litt.* q *a corr.) A.* || 12. incertae *pr. A.* incestae *corr. A.* incesto *CF.* incestu *Torr.* || 13. cognat * *A. (sed* cognata *olim fuisse uidetur.)* cognata *(ultima litt. erasa) E.* cognatae *C.* cognatas *DFTorr.* || intra *om. C.* || domus *C.* domum *F.*

exercuit repeti posset, quemadmodum sane repetendum est in prorsus similibus exemplis IIII, 1, 6, *paene tantum se in recusandis honoribus gessit quantum egerat in emerendis*, et VIII, 7, ext. 8, *dum ad discendum semper se pauperem credidit, ad docendum fecit locupletissimum*, ubi grammatici praeter necessitatem inuitis libris manuscriptis post *fecit* inseruerant *se*.

Horatius [prius] proelio) Pighius e codicibus manuscriptis, ut ait, pro *prius* posuerat *unus*, quod receperunt omnes deinde grammatici, quamuis parum uerisimile sit ita aberrasse librarios. Neque omnino ad rem pertinet oppositio inter unum illum Horatium et inter Curiatiorum Albanorumque numerum. Ni fallor, similis haec interpolatio est eius, quam detexi I, 8, 4 in illis *[prius] his uerbis, 'Rite me matronae dedistis riteque dedicastis'*. Videtur enim nugator nescio quis, sicut illic duo Iunonis responsa accepit, ubi unum est, ita hoc quoque loco discrimen inter uictoriam de tribus Curiatiis et illam de omnibus Albanis reportatam statuisse easque tempore seiunxisse. Fieri uero etiam potest, ut illud *prius* miro quodam casu nasceretur e litteris proxime sequentibus *(pr)* et praecedentibus *(ius)*. Quo remoto omnia optime procedunt. Quare uocem ualde suspectam seclusi.

7. Cf. Liu. XXXIX, 18.

inceste usae) inceste, quae recentior scriptura est pro eo, quod archetypus codex exhibuisse uidetur, *incestae*, Torrenius inuenerat in codicibus Vltraiectinis, Leidensi quinto, editione Moguntina, idque prae ceteris ei placuit; recepit Kappius, confirmat nunc Paridis compendium. Cf. Cic. pro Cael. 14, 34.

cognati intra domos) In archetypo codice *cognat* aut *cognata* fuisse uidetur. Vnde quod in plerisque libris factum erat, *cognatas*, nimis securi receperunt grammatici. Desideratur enim ita subiectum uerbi *animaduerterunt*, cuius locum certe non obtinent consules, ut opinabatur Torrenius. Quod si uoluisset Va-

animaduerterunt, lateque patens opprobrii deformitas seueritate supplicii emendata est, quia quantum ruboris ciuitati nostrae mulieres turpiter se gerendo incusserant, tantum laudis grauiter punitae adtulerunt.

Publicia autem, quae Postumium Albinum consulem, item 8.
Licinia, quae Claudium Asellum uiros suos ueneno necauerant, propinquorum decreto strangulatae sunt. Non enim putauerunt seuerissimi uiri in tam euidenti scelere longum publicae quaestionis tempus exspectandum. Itaque quarum innocentium defensores fuissent, sontium mature uindices extiterunt.

Magno scelere horum seueritas ad exigendam uindictam 9.
concitata est; Egnatî autem Mecennî longe minore de causa. Qui uxorem, quod uinum bibisset, fusti percussam interemit. Idque

2. emendata est] dempta est *in rasura A.* || 3. incurserant *CF.* || 4. attulerant *E.* || 5. §. 8. *om. Γ.* || publica *pr. A.* Publia *Par.* || postumum *E.* || 6. Asellum] nellum *Par.* N•ellum *(sed* N *in rasura) A.* asellium *D.* || •ui•ros *A.* || 7. strangilatae *pr. A.* || 8. quaesitionis *pr. A.* || 9. innocentum *E.* || 10. maturi *DF et corr. AE. Torr.* || 11. Magno — (12.) concitata est *om. Γ.* || exiendam *pr. A.* || 12. eginati *E.* euagni *D.* Enagnus *Γ.* || metelli *ACDEF Torr.* metellus *Γ.* || longe — causa. Qui *om. Γ.* || maiore *pr. A.* minori *Torr.* || 13. uinum biberet *C.* biberat uinum *E.* bibisset uinum *F.* || fustim *A.* fustî *pr. Γ.* furtim *CF.* finitim *D.* fuste *Par. et litt.* ste *in rasura E. Torr.*

lerius, priorem quoque sententiae partem actiue pronuntiasset, *Qui cum multas damnassent.* Ac ne satis uerum quidem est ipsos consules in eas intra priuatas domos animaduertisse. Mulieres damnatae, teste Liuio, cognatis aut in quorum manu erant tradebantur, ut ipsi in priuato animaduerterent in eas. Itaque omnino recipiendum erat quod Pighius proposuerat, *cognati.* Vltima littera propter sequens *i* olim excidisse et iam ab aliis aliter suppleta esse uidetur.

8. Cf. Liu. epit. libr. XLVIII.

9. Cf. Plin. h. n. XIIII, 3, 14. Seru. ad Aen. I, 737. Tertull. apolog. 6.

Egnatî autem Mecennî) Egnatius Mecennius uocatur a Plinio et Seruio ll. cc., unde non multum discrepat Vaticanum huius exempli compendium, in quo legitur *Egnatius Metenius.* Correxi igitur mendum librorum Valerianorum *Metelli*, cum recte iam Glareanus dubitauerit num Romuli temporibus Metelli Romae uixerint. Perizonius ad Ael. u. h. II, 38 ei Egnato Metenno nomen fuisse arbitrabatur.

fusti percussam) Optimorum librorum mendum *fustim* procul dubio ortum est ex ablatiui forma exeunte in litteram *i*, qua usi sunt Sallustius in fragm. ap. Seru. ad Aen. II, 201. ap. Gerl. fr. inc. 96, Velleius Pat. II, 78, Tacitus III, ann. 21, Plinius h. n. l. c.. saepissime Plautus, alii. Quis enim crediderit Pighio somnianti de aduerbio *fustim?* Atque ut concedam Valerio eam aduerbii formam alibi non inuentam, quid tandem intererat rationem modumque percutiendi hoc loco describi? Sed oblitus esse uidetur uir doctissimus solam agendi rationem, non instrumentum, quo actio perpetratur, exprimi aduerbio. An pugione interemptum aliquem punctim percussum dici posse putauerit, quia Liuius composuit *punctim magis quam caesim petere hostem?* Itaque restitui illam ablatiui formam, quamuis Paridis codex Vaticanus hoc loco et nostri libri VIII, 1, amb. 1 omnes *fuste* exhibeant. Parum enim in his sibi constant librarii, modo *igni, aui*, similia, modo *igne, aue*, etc. exarantes. Et

factum non accusatore tantum, sed etiam reprehensore caruit, unoquoque existimante optimo illam exemplo uiolatae sobrietatis poenas pependisse. Et sane quaecumque femina uini usum inmoderate appetit, omnibus et uirtutibus ianuam claudit et delictis aperit.

10. Horridum Gaii quoque Sulpicii Galli maritale supercilium. Nam uxorem dimisit, quod eam capite aperto foris uersatam cognouerat; abscisa sententia, sed tamen aliqua ratione munita. 'Lex enim' inquit 'tibi meos tantum praefinit oculos, quibus formam tuam adprobes. His decoris instrumenta conpara; his esto speciosa; horum te certiori crede notitiae. Vlterior tui conspectus superuacua inritatione arcessitus in suspicione et crimine haereat necesse est'.

11. Nec aliter sensit Q. Antistius Vetus repudiando uxorem, quod illam in publico cum quadam libertina uulgari secreto loquentem uiderat. Nam, ut ita dicam, incunabulis et nutrimentis culpae, non ipsa commotus culpa, citeriorem delicto praebuit ultionem, ut potius caueret iniuriam quam uindicaret.

12. Iungendus est his P. Sempronius Sophus, qui coniugem

2. sobrietati *A.* || 4. omnibus *om. CDEF.* || et uirtutibus] et *om. CEF.* || delictis] uiciis *EF.* || 6. Horridum — (7.) Nam] Gallus quoque sulpicius *Γ.* || Gaii quoque] Gaii *om. D.* quoque gaii *E.* quoque gnei *F.* || galbi maritale supplicium *D.* || 7. operto *Par.* || 8. munita] mota *ADΓ Vinc. Bell. sp. doctr. V.* 99. || 9. meos tibi *EF.* || quibus] *add.* et *corr. D.* || 10. adprobes] *ante* tuam *E. add.* et placere desideres *margo D.* || 11. ulteriori *C.* || tui] enim tui *in rasura D.* || 12. superuacua — crimine *om. Γ.* || arcersitus *A.* accersitus *DE.* || suspitione *A.* || 13. subhereat *Γ.* || 15. quidam *pr. A.* || 17. culpa commotus *F.* || delicta *C.* || 18. iniuriam] ultionem *E.* || 19. est *om. Γ.* || P.] *a corr. adiectum esse uidetur in A.* publicis *F.* || solfus *E.*

fortasse ipsi ueteres scriptores uariarunt has formas. Alii pro *fustim* e coniectura posuerant *furtim*, quod ad bibendi uerbum referunt. Sed plane otiosum hoc esset, quia uini usus omnino interdictus erat mulieribus Romanis.

11. *cum quadam libertina uulgari secreto loquentem)* Perizonius pro *secreto* legendum esse opinabatur *scorto*, quod illae in publico uix secreto locutae esse uiderentur. Sed recte haec Torrenius explicauit 'in uia publica remotis aliis arbitris'. Ibi quod secreto locutae esse dicuntur, ut nemo alius eas audiret (cf. Petr. Sat. 28. Cic. epp. VII, 25.), ea culpae nota erat. Ceterum scortum fuisse illam libertinam adiectiuo *uulgari* declaratur. Cf. Ouid. fast. IIII, 865, *Numina uulgares Veneris celebrate puellae.* Suet. Vitell. 2. *ex muliere uulgari.* Idem Perizonius paulo post fortasse scribendum esse coniecit *citeriorem delicto praetulit ultionem*, comparans Liuii XXXIX, 5, *ne plus in triumpho certaminum quam in bello haberet, praetulit triumphi diem.* Sed sine dubio hoc uoluit auctor, Antistium incunabulis et nutrimentis culpae maturam illam ultionem praebuisse, quae notio e praecedentibus repetenda et ad praebendi uerbum absolute positum subintellegenda est.

12. *P. Sempronius Sophus)* Cf. Consul. a. u. c. 450. Dig. I, 2, 2 §. 37. Liu. IX, 45.

repudii nota adfecit, nihil aliud quam se ignorante ludos ausam spectare. Ergo dum sic olim feminis occurritur, mens earum a delictis aberat.

Ceterum etsi Romanae seueritatis exemplis totus terrarum Ext. 1.
orbis instrui potest, tamen externa summatim cognosse fastidio non sit. Lacedaemonii libros Archilochi e ciuitate sua exportari iusserunt, quod eorum parum uerecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret quam ingeniis prodesset. Itaque maximum poetam aut certe summo proximum, quia domum sibi inuisam obscenis maledictis lacerauerat, carminum exilio multarunt.

Athenienses autem Timagoran inter officium salutationis 2.
Dareum regem more gentis illius adulatum capitali supplicio adfecerunt, unius ciuis humilibus blanditiis totius urbis suae decus Persicae dominationi summissum grauiter ferentes.

Iam Cambyses inusitatae seueritatis, qui mali cuiusdam 3.
iudicis e corpore pellem detractam sellae intendi in eaque filium eius iudicaturum considere iussit. Ceterum et rex et barbarus atroci ac noua poena iudicis ne quis postea corrumpi iudex posset prouidit.

GRAVITER DICTA AVT FACTA.

Magnam et bonam laudis partem in claris uiris etiam illa IIII.
uindicant, quae aut ab his dicta grauiter aut facta pertinax

1. ausa *F.* || 4. totius *E.* totum *F.* || 5. cognoscere *DEFTorr.* || 6. lacedaemones *D.* macedoni *E.* || libros *om. pr. A.* || e *om. Par.* || 7. iusserunt] fecerunt *E.* || et pudicam locutionem *F.* || 8. librorum *E.* || 9. nocerent *F.* || prodessent *F.* || 10. maximum] summum *Γ.* || certe *om. E.* || summo] ** summo *A.* aut summo *C.* || sibi inuisam domum *F.* || 11. obscoenis *corr. A.* || mulctarunt *CD.* || 13. thymagoran *Γ.* timagoram *DEFPar. Torr.* || 14. darium *DEFΓPar. Torr.* || 17. Iam Cambyses] *add.* I. P. hic habet titulum seq. *margo A. Non ita Par. ap. Ang. Maium.* || cambisses *E.* cambisies *F.* || 18. e] *om. F.* ex *(E) Torr.* || intendit *Par. et corr. A.* || 19. consedere *F.* sedere *Par.* || et rex] et *om. F.* || 20. iudici *pr. A.* iudicii *DΓ.* || iudex corrumpi *Γ.* || 22. DE GRAVITER DICTIS AVT FACTIS *Torr.* || 24. grauiter dicta *Torr.*

Ext. 1. Cf. Plut. inst. Lacon. 33.

2. Plutarchus in uita Artax. 22. Timagoran propter dona a rege Artaxerxe accepta damnatum scribit.

IIII. *aut ab his dicta grauiter) ab his* ad utrumque oppositionis membrum

memoria uiribus aeternis conprehendit. Quorum ex abundanti copia nec parca nimis nec rursus auida manu quod magis desiderio satisfaciat quam satietati abundet hauriamus.

1. Ciuitate nostra Cannensi clade perculsa, cum admodum tenui filo suspensa rei publicae salus ex sociorum fide penderet,

1. apprehendit *F.* || 2. parta *C.* || abida *C.* || 3. satietate *CDEF.* || 4. ciuitati nostrae *C.* || percussa *EF.* || 5. filio *C.* || sotiorum *A.*

aeque pertinet. Itaque si orationem ad regulam exegeris compositam, omnino *ab his* ex oppositione eximendum et scribendum erat *ab his aut dicta.* Sed interdum neglegentius quae sine pondere orationis efferuntur in disiunctiuis sententiis, etiamsi proprie non comprehendantur disiunctione, ita cum altero membro coniunguntur, ut ipsa non tangantur oppositione, quae aliis duabus notionibus inter se disiunctis efficitur. Eodem prorsus modo Cornelius Nepos in Alcib. 7, 2 composuit, *Ex quo fiebat ut omnia minus prospere gesta culpae tribuerent, cum aut eum neglegenter aut malitiose fecisse loquerentur.* Sed ne ii quidem, qui diligentius atque accuratius scripsere quam Valerius Neposque a simili neglegentia plane sibi cauerunt. Vid. quae adnotauit Madvigius ad Cic. de fin. II, 5, 15. p. 162.

quam satietati abundet) Duas maxime res sibi uitandas esse dicit, primum ne exempla desint ex hoc quoque genere documenta desiderantibus, deinde ne nimis multa congerat atque adeo abundantia iis, quos propter copiam relatam satietas iam ceperit complurium exemplorum. Itaque, cum abstractas desiderii et satietatis notiones posuerit pro concretis hominum, quos desiderium aut satietas ceperit, dubito num uera sit Perizonii coniectura ex recentioribus aliquot libris scribendum esse *satietate;* necessaria certe non est. Similiter desiderio satietatem opposuit Cic. in epp. II, 11, 1.

1. *Cannensi clade)* Respexit haud dubie res a Liuio commemoratas libr. XXIII, 22, ubi ille tradidit post cladem Cannensem Sp. Caruilium propter inopiam et paucitatem ciuium, e quibus in patres legerentur, suasisse ut ex singulis populis Latinorum binis senatoribus ciuitas daretur atque in demortuorum locum in senatum legerentur; restitisse in primis Manlium ac dixisse esse etiam nunc stirpis eius uirum, ex qua quondam in Capitolio consul minatus esset, quem Latinum in curia uidisset, cum sua manu se interfecturum. Ille qui quondam ita minatus erat, T. Manlius Torquatus, tertium consul cum P. Decio Mure, responsum hoc, quod Valerius posteriori Manlio tribuit, Latinis dederat postulantibus ut alter consul et dimidia pars senatus e Latinis crearentur. (Cf. Liu. VIII, 5.) Idem ille Torquatus apud Veserim fluuium Latinos Decii collegae deuotione superauit, sed non pater esse potuit huius Manlii, de quo Valerius hoc loco et Liuius XXIII, 22, cum inter illius tertium consulatum et inter cladem Cannensem centum et triginta amplius anni intercesserint. Iam longe grauior atque impeditior eo fit error, quod hoc loco Annium intrusit, qui T. Annius Setinus, Latinorum praetor, a superiore illo Manlio repulsus erat teste Liuio VIII, 5. Quem cum falso Campanum dicat et in senatu adseuerasse tradat alterum consulem Capua creari debere, uerisimile est auctorem confudisse cum hac Latinorum postulatione eam Campanorum, ut alter consul Campanus fieret, de qua Liuius XXIII, 6. Denique, si uerum est Valerium hac narratione de reiecta sociorum petulentia ad posteriorem Manlium respexisse, male pergit in sequentibus *Par illius quoque Manli grauitas.* Quibus uerbis alium iam Manlium significari liquet, cum tamen idem ille fuerit, qui Sp. Caruilium de ciuitate Latinis donanda perorantem repulit, idem qui recusauit consulatum. Cf. Liu. XXVI, 22. Atque in eadem re auctorem quoque de uir. ill. lapsum esse uideo c. 28, cum superiorem T. Manlium, cui primo Torquati nomen inditum est, illis uerbis consulatum recusasse scripserit. Omnem uero

ut eorum animi ad imperium Romanum tuendum constantiores essent, maiori parti senatus principes Latinorum in ordinem suum sublegi placebat. Annius autem Campanus etiam consulem alterum Capua creari debere adseuerabat. Sic contusus et aeger Romani imperii spiritus erat. Tunc Manlius Torquatus, filius eius qui Latinos apud Veserim inclita pugna fuderat, quam poterat clara uoce denuntiauit, si quis sociorum inter patres conscriptos sententiam dicere ausus esset, continuo eum interempturum. Hae unius minae et Romanorum languentibus animis calorem pristinum reddiderunt et Italiam ad ius ciuitatis nobiscum exaequandum consurgere passae non sunt. Namque ut patris armis, ita uerbis filii fracta cessit.

Par illius quoque Manli grauitas, cui cum consulatus omnium consensu deferretur eumque sub excusatione aduersae ualitudinis oculorum recusaret, instantibus cunctis, 'Alium', inquit, 'Quirites, quaerite, ad quem hunc honorem transferatis. Nam si me gerere eum coegeritis, nec ego mores uestros ferre nec uos meum imperium perpeti poteritis'. Priuati tam ponderosa uox; quam graues fasces consulis extitissent!

Nihilo segnior Scipionis Aemiliani aut in curia aut in 2. contione grauitas. Qui cum haberet consortem censurae Mummium, ut nobilem ita eneruis uitae, pro rostris dixit se ex

2. princeps *F et pr. A.* || 3. legi *F.* || anius *ACF.* amius *D. Vt nos etiam Par.* || 4. capuae *ACDEFΓTorr.* || 5. manilius *C.* malius *E.* mallius *F.* || 6. uesserim *ACDEFΓ.* || 8. continuo] *post* eum *E. add.* se *Par. et corr. A.* || eum] *add.* se *Torr. Vid. ad I, 7, 8 et IIII, 1, ext. 7.* || 9. languentium *F.* || 10. italia *C.* || 11. exequendum *DEF.* || 13. quoque] *add.* et *D et pr. A.* || manlii *corr. A. add.* I. P. torquati *margo A.* || cui] *add.* non *C.* || cum] *post* consulatus *CE.* || coñs * *(sed lineola a corr. et suprascriptum in rasura* tus) *A.* consulatum *Γ.* || omnium — cumque sub *om. Γ.* || 14. deferetur *A.* referretur *D.* || cumque *C.* || excusatione] *post* oculorum *Γ.* || 15. excusaret *F.* || 17. cogeritis *pr. A.* || 18. imperium meum *EF.* || Priuati] Si priuati *DF et corr. A, Torr.* || tamen *Γ.* || ponderata *DΓ.* || 19. faces *A.* || 21. contentione *C.* || * mummium *A.* numium *E.* || 22. ex] pro *F.*

hanc historiae confusionem in Valerio castigatam, quam primus animaduertit Glareanus, Pighius librariis imputandam arbitrabatur; itaque hoc loco legendum censuit *Tunc Manlius Torquatus, stirpis eius, qui Latinos — fuderat,* et paulo post *Namque ut p. r.* (i. e. *populi Romani*) *armis ita uerbis illius fracta cessit. Par eiusdem quoque Manlii grauitas,* quae ne Latine quidem dicta sunt.

Capua creari) Priores grammatici Valerianos codices secuti sunt mendose exhibentes *Capuae.* Neque enim tam intererat Campanorum alterum consulem in sua urbe creari quam creari ex se ipsis. Itaque necessario *Capua* ponendum erat sexto casu, quem in compendio huius exempli seruauit Iulius Paris. Atque eodem modo Liuius VIII, 5, 5 composuit *Consulem alterum Roma, alterum ex Latio creari oportet.*

2. *Qui cum haberet consortem censurae)* Cf. auct. de uir. ill. 58.

maiestate rei publicae omnia gesturum, si sibi ciues uel dedissent collegam uel non dedissent.

Idem, cum Ser. Sulpicius Galba et Aurelius consules in senatu contenderent uter aduersus Viriathum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter patres conscriptos dissensio esset, omnibus quonam eius sententia inclinaretur expectantibus, 'Neutrum', inquit, 'mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil est satis', aeque malam licentis imperii magistram iudicans inopiam atque auaritiam. Quo dicto ut neuter in prouinciam mitteretur obtinuit.

3. C. uero Popilius a senatu legatus ad Antiochum missus, ut bello se, quo Ptolemaeum lacessebat, abstineret, cum ad eum uenisset atque is prompto animo et amicissimo uultu dexteram ei porrexisset, inuicem illi suam porrigere noluit, sed tabellas senatus consultum continentes tradidit. Quas ut legit Antiochus, dixit se cum amicis conlocuturum. Indignatus Popilius, quod aliquam moram interposuisset, uirga solum quo insistebat denotauit, et 'Prius', inquit, 'quam hoc circulo excedas da reponsum, quod senatui referam'. Non legatum locutum, sed ipsam curiam ante oculos positam crederes. Continuo enim rex adfirmauit fore ne

---

1. rei publicae] p. r. *F.* || gestarum *C.* || si *om. pr. A.* || 3. cum Ser.] conseruius *C.* || sulpitius *A.* || galba *C.* gleba *F.* || Aurelius] aur. *A.* aurum *C.* aulus *Γ.* Aurelius Cotta *Torr.* || coñs. *AC.* consul *Par.* || 4. contenderent in senatu *Γ.* || utrum (*litt.* rum *in rasura*) *D.* || 6. sententia eius *Γ.* || 7. inquit *om. F.* || mitti *om. E.* || qui *pr. A.* || 9. mitteretur in prouinciam *EF.* || 11. CN. uero *ACDFΓ.* || pompilius *C.* || anthiocum *A.* || 12. ptolaemeum *A.* ptolomeum *CDF.* ptholomeum *EΓ.* || lacessibat *Γ.* || 13. promptissimo *Γ.* || dextram *Torr.* || 14. illi] ei (*F*) *Torr.* || 15. continentes *DEFΓPar. Torr.* || anthiocus *A.* || 16. amicis] comitibus *D.* || conlocaturum *pr. A.* || 17. insistebat] *add.* I. P. instabat *margo A.* || 18. recedas *D.* || 19. locutum legatum *DΓ.*

Aurelius consules) Fieri sane potest ut exciderit Aurelii cognomen Cotta, quod suppleuerunt editores inde a Pighio omnes. Nam quae sequitur uox, *consules*, non semel eius omittendi nominis causam praebuit. Vid. ad II, 7, 3. Sed cum a Iulii Paridis quoque epitome absit *Cotta*, equidem supplere non sum ausus.

3. Cf. Polyb. XXIX, 11. Cic. in M. Anton. VIII, 8, 23. Liu. XLV, 12. Diod. Sic. exc. Vat. 31, 2. Mai. coll. II, p. 79. ap. Dind. uol. III, p. 88. Vell. I, 10. Plin. h. n. XXXIIII, 6, 11. Iustin. XXXIIII, 3. Plut. apophth. p. 202. Appian. Syr. 131.

C. uero Popilius) Sic Paridis epitome, quacum consentiunt Liuius (XLII, 9, 8. 10, 9. XLIIII, 19, 13. 29, 1.), Cicero, Plutarchus, alii, cum interim Valeriani codices summo consensu Gnaei praenomen tueantur. At litteram *n* e sequenti littera *u* adhaesisse uerisimile est. Marcum Popilium eum appellat Velleius, Cn. Octauium Plinius, notatus ob hunc errorem a Drakenborchio ad Liu. XLV, 12, 5.

amplius de se Ptolemaeus quereretur, ac tum demum Popilius manum eius tamquam socii adprehendit. Quam efficax est animi sermonisque abscisa grauitas! Eodem momento Syriae regnum terruit, Aegypti texit.

Publii autem Rutilii uerba prius an facta aestimem nescio; 4. nam utrisque aeque admirabile inest robur. Cum amici cuiusdam iniustae rogationi resisteret atque is per summam indignationem dixisset 'Quid ergo [inquit] mihi opus est amicitia tua, si quod rogo non facis'? respondit 'Immo quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum'? Huic uoci consentanea illa opera, quod magis ordinum dissensione quam ulla culpa sua reus factus nec obsoletam uestem induit nec insignia senatoris deposuit nec supplices ad genua iudicum manus tetendit nec dixit quicquam splendore praeteritorum annorum humilius, effecitque ut periculum non impedimentum grauitatis eius esset,

1. ptolomeus *ACDF.* tholomeus *E.* ptholomeus *Γ.* || quaeretur *pr. A.* conquereretur *E.* || ac tum — (2.) adprehendit *om. F.* || at *C.* || tunc *D.* || 3. et syriae *F.* || 5. existimem *DΓ.* || 6. nam — robur] hic *Γ.* || 7. iniustae *om. F.* || resisteret] *ante* rogationi *F.* desisteret *C.* || 8. quid ergo mihi inquit opus *C.* quid mihi ergo inquit opus *D.* quid igitur opus mihi *E.* quid mihi opus *F.* quid mihi ergo opus *Γ.* || 9. si quod — mihi tua *om. C.* || 10. propter] pro *F.* || 11. opera illa *F.* || quo *DΓ.* || discensione *E.* || 12. sua *om. F.* || obsolitam *pr. A.* || 14. praeteritorum splendore *F.* || 15. eius] tunc *F.* || essent *F.*

4. *uerba prius an facta aestimem)* i. e. prius iudicium proponam. Nam Valerius, cum non simpliciter exponat facta et dicta memorabilia, sed ita ut singulis pretium suum statuat easque ponderet, Rutilii et egregium dictum et praeclarum factum relaturus, incertus utrius commendatio praecurrere deberet, dicere poterat nescire se utrum prius uerba an facta eius aestimaret; utrisque enim idem pretium esse. Quapropter non necessaria Perizonii coniectura pro *prius,* quod plane insulsum ei uidetur, scribendum esse *pluris.* Probauit tamen Perizonii emendationem Torrenius.

'Quid ergo [inquit] mihi opus est) Abundat interdum post dicendi uerba interiectum dicentis orationi *inquit,* si aut pronomen demonstratiuum *(hoc, id)* aut particula eiusdem notionis *(sic, ita)* priori uerbo adicitur, eoque soluitur artior ille nexus inter dicendi uerbum et ipsum inde pendens dictum, quod per *inquit* inducitur, ut apud Corn. Nep. Hann. 2, *cum multa — commemorasset, hoc adiunxit, Pater meus, inquit* etc. et in bell. Afric. 16, *nonnumquam legionarios Caesaris ita appellare, Quid tu, inquit, miles* etc. (cf. A. Gell. IIII, 1, 17.), aut si remotior in eo uerbo est dicendi notio, quemadmodum in subiciendo, excipiendo, et similibus. Nec infrequentia ex utroque genere exempla. Rarius iam inueneris talia, *exclamat 'Aspice imperator', inquit,* quod composuit Liuius VII, 16, 5. Haec uero coniunctio uocis *inquit* cum ipso dicendi uerbo, pendente e particula *cum*, et mutatio modi in his uerbis, cum alterum coniunctiuo efferatur, alterum indicatiuo, omnino intolerabilis est. Perizonius parum probabiliter scribi iussit *Quid ergo? quid mihi opus est,* quod tamen placuit Torrenio. Equidem molestam uocem delendam censeo auctore Paride, qui retentis ceteris Valerii uerbis hoc unum non habet. Addidit eam procul dubio librarius, Rutilii dictum a *Quid ergo* incipere ratus.

Huic uoci consentanea) Cf. Cic. de or. I, 53, 229. Oros. V, 17.

sed experimentum. Atque etiam cum ei reditum in patriam Syllana uictoria praestaret, in exilio, ne quid aduersus leges faceret, remansit. Quapropter felicitatis cognomen iustius quis moribus grauissimi uiri quam inpotentis armis assignauerit. Quod quidem Sylla rapuit, Rutilius meruit.

5. M. Brutus suarum prius uirtutum quam patriae parentis parricida, uno enim facto et illas in profundum praecipitauit et omnem nominis sui memoriam inexpiabili detestatione perfudit. ultimum proelium initurus, negantibus quibusdam id committi oportere, 'Fidenter', inquit, 'in aciem descendo. Hodie enim aut recte erit aut nihil curabo'. Praesumpserat uidelicet neque uiuere se sine uictoria neque mori sine securitate posse.

Ext. 1. Cuius mentio mihi subicit quod aduersus D. Brutum in Hispania grauiter dictum est referre. Nam cum ei se tota paene Lusitania dedidisset ac sola gentis eius urbs Cinginnia pertinaciter arma retineret, temptata redemptione propemodum uno ore legatis Bruti respondit ferrum sibi a maioribus, quo urbem tuerentur, non aurum, quo libertatem ab imperatore auaro emerent, relictum. Melius sine dubio istud nostri sanguinis homines dixissent quam audissent.

---

2. presteneret *pr. A.* prestaret *corr. A.* || in exilio *om. Γ.* || aduersum *CFTorr.* || 5. Quod] et quod *F.* || scilla *Γ.* || rutilianus *E.* || 8. sui nominis *(F)Torr.* || profudit *EF.* || 11. erit] *add.* I. P. ero *margo A.* || praesumserat *A.* || uidelicet] enim *F.* || 13. subicit] *ante* mihi *E.* subiacet *A.* || decium brutum *E.* D ex brutum *F.* || 14. ei] *om. E. post* se *Torr.* || 15. urbis *F.* || cinginia *pr. A.* cininnia *corr. A.* cinrania *C.* cytannia *E.* cirania *F.* cinninia *DΓTorr. Vt nos Par.* || 16. arma retineret] resisteret *Γ.* || legatis bruti uno ore *E.* || 17. a *om. F.* || tueretur *Par. Vid. ad VIII*, 11, 2. || 18. libertatem] *post* auaro *F.* || 19. istud] *om. E. ante* sine dubio *DΓ.* istut *pr. A.* || hominis *A.*

Atque etiam cum ei reditum) Cf. Ouid. ex Pont. I, 3, 63. Senec. epp. ad Lucil. 24 et 79. id. de prouid. 3. id. de benef. V, 17. Tac. ann. IIII, 43. Suet. de ill. gramm. 6. Athen. IIII, p. 375. VI, p. 593. XII, p. 1211 Dind. Dio Cass. exc. Peiresc. p. 106 et 107. ap. Reim. p. 44.

5. Cf. Plut. Brut. 40.

Ext. 1. *D. Brutum)* Consul a. u. c. 616, qui anno 618 Lusitaniam usque ad Oceanum perdomuit. Vrbis autem nomen alibi nondum repertum est. Posuerant priores grammatici *Cinninia*. Quod nos Bernensem codicem secuti edidimus nunc Paridis quoque auctoritate stabilitur. Fortasse eandem haec appellatio habet radicem atque flumen Cinga in Hispania Tarraconensi (Caes. b. c. I, 48. Lucan. IIII, 21) aut eandem atque Gallorum nomen Cingetorix (Caes. b. G. V. 3.)

temptata redemptione) Brutus per legatos incolas urbis temptauerat, ut se redimerent a Romanis, i. e. ut pro libertate illis concedenda pecuniam soluerent. Ita recte haec intellexisse uidetur Kappius; nec opus est Perizonii coniectura *ostentata redemptione*. Torrenius praefert quod in codice Harleiano scriptum inuenit, *temptata de redemptione*.

Sed illos quidem natura in haec grauitatis uestigia deduxit; 2.
Socrates autem, Graecae doctrinae clarissimum columen, cum Athenis causam diceret defensionemque ei Lysias a se conpositam, qua in iudicio uteretur, recitasset, demissam et supplicem, inminenti procellae adcommodatam, 'Aufer', inquit, 'quaeso, istam. Nam ego si adduci possem ut eam in ultima Scythiae solitudine perorarem, tum me ipse morte multandum concederem'. Spiritum contempsit, ne careret grauitate, maluitque Socrates extingui quam Lysias superesse.

Quantus hic in sapientia, tantus in armis Alexander illam 3.
uocem nobiliter edidit. Dareo enim uno iam et altero proelio uirtutem eius experto atque ideo et partem regni Tauro tenus monte et filiam in matrimonium cum decies centum milibus talentum pollicente, cum Parmenion dixisset se, si Alexander esset, usurum ea condicione, respondit 'Et ego uterer, si Parmenion essem'. Vocem duabus uictoriis respondentem dignamque cui tertia, sicut euenit, tribueretur.

Atque haec quidem et animi magnifici et prosperi status; 4.
illa uero, qua legati Lacedaemoniorum apud patrem eius mi-

---

1. induxit *E.* || 2. Graecae] certe *F.* || doctrina *F.* || grauissimum *C.* || 3. dicturus esset eique lysias defensionem *Γ.* || ei] et *C.* || 4. dimissam *EF et pr. A.* || subplicem *pr. A.* simplicem *F.* || 5. inminentique *E et corr. A, Torr.* || inquid *pr. A.* || 6. ea *Par.* || scytiae *A.* sithie *E.* sitye *F.* || 7. pererrarem *F.* || tum] tu *C.* tamen *E.* || ipsum *DFPar.* || multandum morte *F.* || 9. lysiae *D.* || 10. §. 3 *om. Γ.* || hii *F.* || in armis] in *om. E.* || 11. nobilem] *litterae* ilem *in rasura A.* nobiliorem *D.* notabiliter *E.* || edidit] *in rasura A.* dedit *D.* || dario *CDEF Par. Torr.* || 12. uirtutem] *litt.* e *in rasura A.* uirtutum *CF.* || et partem] et *om. Torr.* ex parte *ACF.* || 14. pollicentem *A.* || 15. ea] se *in rasura A. om. Torr.* || condicione] *in rasura A.* || 17. euenit] *add.* sic *F.* || 18. §. 4 *om. Γ.* || hoc *EF et corr. D.* || et animi] et *om. Torr.*

---

2. Cf. Cic. de or. I, 54, 231. Quint. II, 25, 30 et XI, 1, 9. Diog. Laert. II, 40.

3. Cf. Curt. IIII, 11. Arrian. II, 25. Plut. Alex. 29.

Tauro tenus) Curtio, Arriano, Plutarcho testibus Darius Alexandro cum filia obtulit quidquid inter Euphratem et Hellespontum est. Valerio erroris causam extitisse Antiochum, hac parte regni a Romanis multatum, non iniuria suspicabantur Perizonius et Torrenius. De dotis summa magna inter ueteres scriptores dissensio est. Arrianus et Plutarchus decem, Diodorus XVII, 54 p. 202 tria, sed idem in excerptis Vatic. p. 77 ap. Maium quadraginta, Curtius triginta milia talentum commemorant. Valerius quam posuit summam, ea certe omnem fidem longe excedit. Non deerant igitur qui illud *centum* delendum opinarentur. Sed confirmat codicum nostrorum scripturam Paridis compendium. Nec semel hic auctor res praeter modum in maius extulit.

4. Paulo aliter hoc legatorum Spartanorum dictum referunt Cic. Tusc. V, 14, 42 et Front. strat. IIII, 5, 12. Cf. etiam Plut. apophth. Lacon. ignot. 50 et 51.

seram fortitudinis suae condicionem testati sunt, gloriosior quam optabilior. Intolerabilibus enim oneribus ciuitatem eorum implicanti, si quid morte grauius imperare perseueraret, mortem se praelaturos responderunt.

5. Nec parum graue Spartani cuiusdam dictum. Siquidem nobilitate et sanctitate praestans, sed in petitione magistratus uictus, maximae sibi laetitiae esse praedicauit, quod aliquos patria sua se meliores uiros haberet. Quo sermone repulsam honori adaequauit.

DE IVSTITIA.

V. Tempus est iustitiae quoque sancta penetralia adire, in quibus semper aequi ac probi facti respectus religiosa cum obseruatione uersatur et ubi studium uerecundiae, cupiditas rationi cedit nihilque utile, quod parum honestum uideri possit, ducitur. Eius autem praecipuum et certissimum inter omnes gentes nostra ciuitas exemplum est.

---

1. fortitudinis] fortunae *in rasura A.* || suae] eius *F.* || condictionem *F.* || 2. obtabilior *pr. A.* || eorum *om. F.* || implicati *F.* || 5. paruum *F.* || 6. sed] *om. Γ.* et *ACDEF Torr.* || 7. esse laeticiae *E.* || 10. Liber VI de iusticia *Γ.* || 12. ac] atque *E.* || 13. uerecundiae] *add.* uiget *corr. D. add.* et *Γ. add.* est et *Torr.* || nihilque] que *om. E.* || 15. et] ac *E.*

---

5. Cf. Plut. apophth. Lac. Paedareti 3.

sed in petitione magistratus) Inepte hucusque per copulam *et* haec annectebantur prioribus, ita ut ex aequo ponerentur *praestans nobilitate et sanctitate* cum illo *uictus in petitione magistratus.* Quod non recte fieri sentire debebant interpretes, quemadmodum sensit abbreuiator Guelferbytanus, qui non male copulam *et* omnino expunxit. At legendum sine dubio *sed impetitione.* Mendum ortum esse uidetur e scriptura *set*, omissa littera *s* propter finalem praecedentis uerbi.

V. *studium uerecundiae, cupiditas rationi)* Sic restitui, cum uulgo contra librorum manuscriptorum testimonium ederetur *ubi studium uerecundiae est et cupiditas rationi cedit;* minus bene. Neque enim facile quisquam uerecundiae studium per se inter primarias iustitiae notas posuerit. Studium hoc loco significat affectum animi in fauorem aut odium concitati et propensi. Qui affectus cedere dicitur uerecundiae, quemadmodum cupiditas rationi cedit. Gronouius obseru. IIII, 19 male quidem copulam *et* retinuit ante *cupiditas*, deterioribus libris fisus; sed de sententia recte monuit. Quem audire debebant insequentes editores.

Camillo consule Falerios circumsedente magister ludi plu- 1.
rimos et nobilissimos inde pueros uelut ambulandi gratia eductos in castra Romanorum perduxit. Quibus interceptis non erat dubium quin Falisci deposita belli gerendi pertinacia traditurí se nostro imperatori essent. Ea re senatus censuit ut pueri uinctum magistrum uirgis caedentes in patriam remitterentur. Qua iustitia animi eorum sunt capti, quorum moenia expugnari non poterant. Namque Falisci beneficio magis quam armis uicti portas Romanis aperuerunt.

Eadem ciuitas aliquotiens rebellando semperque aduersis contusa proeliis tandem se Q. Lutatio consuli dedere coacta est. Aduersum quam saeuire cupiens populus Romanus, postquam a Papirio, cuius manu iubente consule uerba deditionis scripta erant, doctus est Faliscos non potestati, sed fidei se Romanorum conmisisse, omnem iram placida mente deposuit, pariterque et uiribus odii non sane facile uinci adsuetis et uictoriae obsequio, quae promptissime licentiam subministrat, ne iustitiae suae deesset obstitit.

Idem, cum P. Claudius Camerinos ductu atque auspiciis

1. falericos *E.* faliscos *DFΓ.* || circumsedente * *pr. A.* circumsidente * *corr. A.* || 2. et nobilissimos *om. D.* || uelud *A.* || amandi *AC.* animandi *in rasura D.* uagandi *E.* || 4. belligerandi *EΓ.* || pertinatia *A.* || 5. re] *add.* cognita *corr. D, Torr.* || 6. uictum *pr. A.* || 7. moenia] *add.* armis *Γ.* || 8. armis] annis *C.* || 10. aliquotios *pr. A.* || aduersus *DEFΓTorr.* || 12. seruire *F.* || 13. deditionis *om. F.* || conscripta *F.* || 14. doctus] totus *F.* || romanorum se *E.* || 15. iram] rem *Γ et pr. A.* nostram *F.* || disposuit *Γ.* || 19. amerinos *Par. et corr. A.* camarinos *FTorr.*

1. Cf. Liu. V, 7. Dion. Hal. exc. Vat. (XIII, 1.) p. 477 Mai. Front. strat. IIII, 4, 1. Plut. Cam. 10. Polyaen. strat. VIII, 7. Auct. de uir. ill. 23. Zonar. VII, 22.

Camillo consule) Fallitur Valerius, ut alias saepius in significandis dignitatibus (praef. p. 29.), sic hoc quoque loco, quod Camillum consulem dixit, qui numquam consulatum obtinuit. Erat tunc temporis quartum tribunus militum consulari potestate.

Ea re senatus censuit) Editiones inde a Venetis usque ad Torrenianam post *re* addunt *cognita*, quod ab omnibus melioris notae codicibus alienum est. Pighius *de ea re* maluit. Sed ablatiuos *ea re* uel *hac re* eodem modo pro *propterea* dici atque *quare* recte animaduertit Perizonius. Laudat Torrenius Burmannum ad Phaedr. IIII, 9 de ea re disputantem, sed tamen spuriam uocem retinet, quam primus eiecit Kappius. Cf. Val. VII, 8, 2. Lucret. I, 172. Cic. acad. quaest. IIII, 34, 111. id. de off. III, 13, 1 et Tusc. IIII, 38, 83.

Eadem ciuitas aliquotiens) Haec noua habet auctor. Cf. Liu. epit. libr. XIX. Eutrop. II, 28. Oros. IIII, 6. Zonar. VIII, 28.

a Papirio) Hic ille C. Papirius Maso esse uidetur, qui Corsis ad deditionem adactis primus in monte Albano triumphauit, consul a. u. c. 523.

cum P. Claudius Camerinos) Omnis haec narratio de Camerinorum fortuna, quam solus memoriae tradidit Valerius, admodum obscura est atque dubia.

suis captos sub hasta uendidisset, etsi aerarium pecunia, fines agris auctos animaduertebat, tamen, quod parum liquida fide id gestum ab imperatore uidebatur, maxima cura conquisitos redemit iisque habitandi gratia locum in Auentino adsignauit et praedia restituit. Pecuniam etiam † non ad curiam sed sacraria aedificanda sacrificiaque facienda tribuit, iustitiaeque promptissimo tenore effecit ut exitio suo laetari possent, quia sic renati erant.

1. aerarium] eorum *D.* || 2. quod] quia *CEFTorr.* quod hic *Γ.* || id *om. Γ.* || 3. ab imperatore gestum *Γ.* || 4. isque *A.* bisque *CEFΓ.* || aduentino *AF.* || 5. predia *A.* || sed] *add.* ad *CDEΓ et corr. A. Torr.* || 6. edificanda *A.* edificandi *F.* || 7. efficit *F.* || exercitio *C.*

Nam praeterquam quod mire tacent singulare prorsus factum reliqui, qui hodie ex antiquitate supersunt scriptores, inter omnes qui innotuerunt Claudiae gentis uiros nemo est, de quo auctor hoc loco cogitasse dici possit praeter Appium Claudium Crassum, Caeci filium, quo consule cum P. Sempronio Sopho a. u. c. 486 debellatum est cum Picentibus coloniaeque sunt deductae Ariminum in Vmbria et Beneuentum in Samnio (cf. Liu. epit. libr. XV. Vell. I, 14, 7. Eutrop. II, 16.), quamquam ita quoque confitendum erit aut ipsius Valerii aut antiquissimi cuiusdam librarii errore praenomen esse corruptum. Nam P. Claudium Paridis quoque compendium eum appellat. Quod si conceditur, Valerius de Camerino locutus esse uideri potest, oppido in Vmbria haud procul a Picentum finibus sito, quod commemorant Strabo V, 2, §. 10 p. 227 Cas. Caes. b. c. I, 15, 5. Cic. ad Att. VIII, 12. B. 2. Atqui huius oppidi incolae semper, quod sciam, Camertes dicuntur a Romanis scriptoribus et ab ipso Valerio V, 2, 8. Sed *Καμερίνων ἄνδρας* dixit Plutarchus Mar. 28, Camerinum agrum Frontinus de colon. p. 143. Accedit quod Camertes iam diu aequo foedere iuncti Romanis, constanter in fide mansisse uidentur. Cf. Liu. IX, 36. XXVIII, 45. Cic. pro Balb. 20, 47. Itaque ueram scripturam fortasse Paridis compendium huius exempli seruauit, qua Ameriam, Vmbriae urbem, Sex. Roscii patriam significari puto, commemoratam a Strabone l. c. Plinio h. n. III, 14, (19,) 113, aliis. Atque cum Vmbris quoque ea tempestate rem fuisse Romanis indicat colonia App. Claudio, P. Sempronio consulibus Ariminum deducta. Neque tamen suspicionem remouere possum ex animo hanc quoque historiam a Valerio non uno nomine esse corruptam. Vix enim credibile est illo tempore genti subactae et uenditae, iam uero in libertatem restitutae sedes in Auentino monte esse datas, quem montem constat olim Latinis ab Anco Marcio assignatum esse. Cf. Liu. I, 36. Quod mouisse uidetur Forcellinium ut de Cameria, priscorum Latinorum urbe cogitaret, deleta a Tarquinio Prisco, teste Liuio I, 38.

† *non ad curiam sed sacraria aedificanda)* Ineptam esse hanc sententiam primus perspexit Torrenius. Neque enim intellegitur cur potissimum Camerini non ad curiam aedificandam illam accepisse dicantur pecuniam. Nam quod Kappius exprimi putat, pecuniam a senatu 'non ad politicos, sed ad sacros usus' datam esse, id profecto et alienissimum est a sententiarum nexu, cum simpliciter beneficia recenseantur, quibus senatus iniuriam illi populo illatam emendauerit, nec facile quisquam in his uerbis inuenerit. Atque ipsae quoque illae curiae ad rem sacram cum maxime pertinebant. Cf. Varro de ling. Lat. V, §. 13. Praeterea alterum *ad*, quod circumfertur in plerisque codicibus ante *sacraria*, quodque in illa, quam uulgo esse putarunt grammatici, sententia abesse uix poterat, ne habebatur quidem in archetypo exemplo. Difficile atque anceps remedium est in re, de qua aliunde nihil constat. Scripserit fortasse Valerius *pecuniam etiam ad curiam et sacraria aedificanda*

Moenibus nostris et finitimis regionibus quae adhuc retuli; quod sequitur per totum terrarum orbem manauit. Timochares Ambraciensis Fabricio consuli pollicitus est se Pyrrum ueneno per filium suum, qui potionibus eius praeerat, necaturum. Ea res cum ad senatum esset delata, missis legatis Pyrrum monuit ut aduersus huius generis insidias cautius se gereret, memor urbem a filio Martis conditam armis bella, non uenenis gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit, utroque modo aequitatem amplexus, quia nec hostem malo exemplo tollere neque eum, qui bene mereri paratus fuerat, prodere uoluit.

Summa iustitia in quattuor quoque tribunis plebis eodem tempore conspecta est. Nam cum L. Atratino, sub quo duce aciem nostram apud Verruginem a Volscis inclinatam cum ceteris equitibus correxerant, diem ad populum L. Hortensius collega eorum dixisset, pro rostris iurauerunt in squalore se esse, quoad imperator ipsorum reus esset futurus. Non susti-

2.

1. Moenibus — (2.) manauit *om. Γ.* || moeniis *D.* || 2. orbem terrarum *D.* || timoclares *pr. A.* tymoclares *D.* thimoclares autem *Γ.* timocrates *FPar. add.* I. P. timocrates *margo A.* || 3. ambrachensis *E.* || purum *F.* || 5. rex *F.* || purum *F.* || 7. uenenum *pr. C.* ueneno *DΓ et corr. C.* || 8. thimochares *pr. A.* thimocharis *corr. A.* timoclaris *D.* thimoclaris *Γ.* timocratis *F.* || aut *C.* || 11. quoque] *ante* iustitia *D.* || tribunos *E.* || 12. C. Atratino *Torr. praenomen om. Γ.* || 13. ferruginem *ACDEFΓPar.* || uolcis *A.* uulscis *Γ.* || 15. uitauerunt *C.* || 16. quoad] quo *F.* || futuros *Γ.*

sacrificiaque facienda tribuit. Nam si ab *et* aberratum fuerit in *set*, fieri potuit facillime ut ante *ad curiam* intruderetur negandi particula, ut esset quod opponeretur uerbis *sed sacraria aedificanda.* Torrenius Valerium scripsisse suspicabatur *ad curiam aedificandam et sacrificia facienda* et per curiam intellexisse sacrarium, in quo curiones sacra fecissent; quod cum non intellexisset glossator, adiecisse eum *non ad curiam sed sacraria.*

Timochares Ambraciensis) Cf. Valer. Ant. ap. Gell. III, 8. Cic. de off. III, 22, 86. Liu. epit. libr. XIII. Front. strat. IIII, 4, 2. Tac. ann. II, 88. Senec. epp. ad Lucil. 120. Plut. Pyrrh. 21. At Claudius Quadrigarius in libro tertio ap. Gell. l. c. non Timocharem, sed Niciam adiisse ad consulem scribit, quem sequitur Aelianus in u. h. XII, 33. Democharem illum medicum appellant Ammiani Marcellini exempla (XXX, 1, 22) librariorum, ut equidem opinor, errore, sed additur ab aliis eum Niciam uocari.

2. Cf. Liu. IIII, 42.

L. Atratino) Erat is Gaius Sempronius Atratinus, consul a. u. c. 331. Gaius certe appellatur a Liuio l. c. et ab ipso Valerio III, 2, 8, et hoc loco, de quo agimus, in editionibus inde a Colero. Emendauerat errorem Pighius in ann. ad a. 331. Sed cum Lucii praenomen conspirante librorum nostrorum et Paridis auctoritate firmissimum sit, intactum reliqui. Cf. praef. p. 33. Fieri sane potest ut ipse Valerius hoc loco eum confuderit cum L. Sempronio Atratino, consule a. u. c. 310.

in squalore se esse) Perizonius legendum coniecit *in squalore se esse, quoad imperator ipsorum reus esset, futuros*, quod in mentem iam uenerat abbreuiatori Guelferbytano, nec improbauit Torrenius. Sed ne dicam de eo,

nuerunt enim egregii iuuenes, cuius armati periculum uulneribus et sanguine suo defenderant, eius togati ultimum discrimen potestatis insignia retinentes intueri. Qua iustitia mota contio actione Hortensium desistere coegit.

3. Nec * se eo facto, quod sequitur, exhibuit. Cum Ti. Grac- 5
chus et C. Claudius ob nimis seuere gestam censuram maiorem partem ciuitatis exasperassent, diem iis P. Popilius tribunus

---

1. enim] *ante* sustinuerunt *Torr.* optimi *F.* || 3. retinentis *CDE.* || commota *F.* || 4. accusatione *DE.* actio *F.* || cogit *pr. A.* || 5. Nec — exhibuit] Item *Γ.* || Nec * se] Quae etiam iusticia *in rasura D. add.* etiam aliter *Torr.* || sequitur] *add:* dissimilem *margo A.* || 6. L. Claudius *Par.* || 7. ciuitatis partem *Torr.* || is *pr. A.* his (hiis) *CDEFΓTorr.* || P. Popilius] *praenomen om. A.* P. Rutilius *Torr.*

---

quod perquam dure ita atque sine ulla necessitate *futuros* diuelleretur ab *esse*, infinitiui praesentis temporis de futura actione post uerba, quae pollicendi notionem habent, quemadmodum *iurare*, non sine aliis exemplis sunt. Cf. Oudend. ad Caes. b. G. II, 32. Similiter Valerius VII, 3, 3 scripsit *remittere Scipio illam expeditionem, si arma et equos militibus suis tradere uoluissent, edixit.* Apud iurandi uerbum infinitiuum praesentis posuerunt Front. ad M. Caes. II ep. 11. Plaut. Pers. III, 2, 2. Sil. Ital. II, 351. Calpurn. Sic. ecl. 6, 58. Iulius Paris, cum haec Valerii uerba ita redderet, *iurauerunt in squalore esse futuros, si imperator eorum reus esset futurus*, illud *futuros* ipse uidetur interposuisse, ut uulgarem dicendi normam sequeretur; refragatur certe Perizonii coniecturae hoc compendium.

desistere coegit) Haec parum accurate a Liuio descripsit Valerius. Ille enim sponte L. Hortensium collegarum precibus cessisse, neque pietatem quattuor tribunorum quam Hortensii tam placabile ingenium pariter plebi patribusque gratiorem fuisse refert.

3. Cf. Liu. XLIII, 16. Paulo aliter eandem rem narrat auct. de uir. ill. 57.

*Nec * se eo facto)* Manifesta lacuna est, sed incerta sede uulneris incertum remedium. Priores grammatici cum supplerent *Nec se etiam aliter eo facto, quod sequitur, exhibuit*, ne soloecismum quidem ueriti sunt. Suspicor Valerium scripsisse *Nec secus se* uel *Nec segniorem se eo facto — exhibuit*, uel simile nescio quid.

P. Popilius tribunus plebis) Nimium quantum sibi indulsit Pighius, ut discrepantiam tolleret inter Valerianam et Liuianam huius facti relationem. Nam a Liuio accusator ille tribunus non Popilius, sed P. Rutilius appellatur, necessarii eius, qui Valerio Rutilius est, nomen omnino reticetur, cliens autem libertinus tribuni fuisse traditur. Mutauerat igitur Pighius, nec semel, sed bis, Popilii nomen in Rutilii, quod ipsum, ubi apparet in codicibus manuscriptis, deleuit. Refelluntur nunc temerarii eius conatus, quibus nimis secuti astipulabantur omnes deinceps editores, compendio huius exempli in Paridis epitome, quod praetermissis aliis de tribuni nomine cum Valerii libris consentit. Quapropter hunc scriptorem aut alium fontem secutum esse credamus oportet aut ipsum errasse, quae multo probabilior est sententia, etiamsi cur in Popilii potissimum nomen inciderit nondum diuinare potui. Dubito praetera de praenomine Popilii. Qui cum priore loco in omnibus codicibus praeter Bernensem P. Popilius dicatur, altero loco in archetypo libro certe erat M. Popilius. Sed ut illic in Bernensi codice Publii nota facillime propter sequens *P* omitti potuit, atque omittitur etiam in compendio epitomae, ita altero loco librarium quendam notam *M* propter finalem litteram praecedentis uocabuli adiecisse non abhorret a similitudine ueri.

plebis perduellionis ad populum dixit, praeter communem consternationem priuata etiam ira accensus, quia necessarium eius Rutilium ex publico loco parietem demoliri iusserant. Quo in iudicio primae classis permultae centuriae Claudium aperte damnabant, de Gracchi absolutione uniuersae consentire uidebantur. Qui clara uoce iurauit, si de collega suo grauius esset iudicatum, in factis se paribus eandem cum illo poenam exilii subiturum, eaque iustitia tota illa tempestas ab utriusque fortunis et capite depulsa est. Claudium enim populus absoluit, Graccho causae dictionem Popilius remisit.

4. Magnam laudem et illud collegium tribunorum tulit, quod, cum unus ex eo L. Cotta fiducia sacrosanctae potestatis creditoribus suis satisfacere nollet, decreuit, si neque solueret pecuniam neque daret cum quo sponsio fieret, se appellantibus eum creditoribus auxilio futurum, iniquum ratum maiestatem publicam priuatae perfidiae obtentu esse. Itaque Cottam in tribunatu quasi in aliquo sacrario latentem tribunicia inde iustitia extraxit.

5. Cuius ut ad alium aeque inlustrem actum transgrediar, Cn. Domitius tribunus plebis M. Scaurum principem ciuitatis in iudicium populi deuocauit, ut, si fortuna aspirasset, ruina, sin minus, certe ipsa obtrectatione amplissimi uiri incrementum cla-

---

3. Rutilium *om. Torr.* || loco *om. pr. D.* || paricetem *F.* || demoli *pr. A.* demolire *corr. A.* deli *C.* || 4. classis] elapsis *F.* || 6. Cui *D.* || clara] *litt. r in rasura A.* || grauiter *F.* || 7. paribus se *Torr.* || eadem *pr. A.* || exilii *om. E.* || 10. Popilius] m. popilius *ACEF.* p. popilius *DΓ.* tribunus Rutilius *Torr?* || 12. cota *C.* cocta *D.* tota *F.* || 13. nollet] *ante* satisfacere *Torr.* nollent *F et pr. A.* || decreuit] *add.* ut *F.* || 15. ratus *ACDΓ et pr. E.* || 16. priuatae perfidiae] *post* esse *F.* || obtentui *DΓ et corr. E et ultima litt. in rasura A, Torr.* obtentum *(sed* m *punctis notat.) C.* obtentũ *F.* || esse] *in rasura A.* || Itaque — (17.) extraxit *om. Γ.* || cocca *C.* coctam *D.* || 17. tribuniciam *C.* || iustitia] *ante* inde *E.* iusticiam *C.* || traxit *E.* || 18. Cuius — transgrediar *om. Γ.* || aeque *om. F.* || Cn. quoque domitius *Γ.* || 20. aspiraret *F.* || ruinam *ADEΓ.* || sin] si *DF.* || 21. atrectatione *F.*

---

4. *L. Cotta)* Fortasse hic L. Aurelius Cotta est, consul cum Ser. Sulpicio Galba a. u. c. 610, quem Valerius VI, 4, 2 auctore Scipione Aemiliano ob angustias rei familiaris in prouinciam non missum esse retulerat.

obtentu esse) Hanc archetypi scripturam fuisse opinor. Certius scirem, si primarium libri Bernensis testimonium sub litura cognosci posset. Neque uero aliud indicare uidetur mendum in alterius familiae codicibus *obtentum*. Valerium nonnulla istius modi in casu dandi quartae declinationis sine littera *i* dixisse docui ad III, 7, 10.

5. Cf. Cic. pro Deiot. 11, 31.

in iudicium populi deuocauit) Cf. de hoc iudicio Ascon. in Scaur. p. 20, 21. Orell. Dio. Cass. fragm. 100. Drumanns. gesch. Roms I, p. 27.

ritatis adprehenderet. Cuius opprimendi cum summo studio flagraret, seruus Scauri noctu ad eum peruenit, instructurum se eius accusationem multis et grauibus domini criminibus promittens. Erat in eodem pectore inimicus et Domitius [et dominus], diuersa aestimatione nefarium indicium perpendens. Iustitia uicit odium. Continuo enim et suis auribus obseratis et indicis ore clauso duci eum ad Scaurum iussit. Accusatorem etiam reo suo, ne dicam diligendum, certe laudandum. Quem populus cum propter alias uirtutes tum hoc nomine libentius et consulem et censorem et pontificem maximum fecit.

6. Nec aliter *se* L. Crassus in eodem iustitiae experimento gessit. Cn. Carbonis nomen infesto animo utpote inimicissimi sibi detulerat, sed tamen scrinium eius a seruo adlatum ad se,

---

2. ad eum noctu *(E) Torr.* || 3. domini *om. F.* || 4. et dominus] *punctis notat. A. om. Torr.* || 5. Iustitia] *add.* tamen *corr. E.* || 6. obseruatis *pr. A.* || iudicis *DF.* || 7. O accusatorem *Γ.* || 8. cum] tum *CDEFΓ.* || 11. Nec] haec *pr. D.* || se *om. CDEF et pr. A.* || s. crassus *F.* || 12. C. Carbonis *Torr.* || 13. detulerat] *ante* utpote *Γ.* || scrineum *E.* || allatum a seruo a se *F.*

---

inimicus et Domitius [et dominus], diuersa) Valerius, ut solet, concretas quas nunc dicimus notiones pro abstractis posuit. Insignitur enim appellatione *inimicus*, quae ad Domitium referenda est, odium eius aduersus Scaurum, nomine proprio ipsius Domitii iustitia eius atque morum probitas. Inimicitia ut reciperet, iustitia ut reiceret serui indicium suadebat. Quibus si tertium accederet, *et dominus*, significaretur eo, ut recte animaduertit Perizonius, reputasse Domitium ipsum se dominum esse seruorum et posse similia a suis seruis sibi quoque accidere, atque adeo utique puniendam esse laesam a seruo fidem. Quod quam alienum sit a Valerii mente quamque contrarium nemo non sentiet. De duobus tantum affectibus auctorem cogitasse sequentia, *iusticia uicit odium*, satis superque declarant. Sed quid multa? Manifesta est librarii cuiusdam infelix coniectura, qui cum non perspiceret uim nominis proprii, quod ipse Domitius in Domitii pectore fuisse diceretur, in margine antiqui codicis ascripserat pro *et Domitius* legendum esse *et dominus*, quod deinde alius librarii culpa inter genuina Valerii uerba receptum est. Delendum esse spurium additamentum intellexit primus Perizonius, emphasin illam, quae in nomine proprio inest, magna copia exemplorum cum aliorum scriptorum tum Valerii illustrans. Et Valerii quidem haec sunt II, 9, 3 *et censor et Cato, duplex seueritatis exemplum.* III, 3, ext. 2 *et tyranno et Phalari.* VI, 3, 1 *Manlius eras mihi, cum praecipites agebas Senonas.* VI, 4, ext. 2 *maluitque Socrates extingui quam Lysias superesse.* Probauit Perizonii opinionem Torrenius, cum inde a Pighio male editum esset *in eodem pectore Domitii et inimicus et dominus.*

6. *Cn. Carbonis)* Idem ille Carbo est, quem supra III, 7, 6 a L. Crasso damnatum scripserat, propter quod iudicium filius eius C. Carbo ad speculanda L. Crassi acta in Galliam profectus erat. Sed et patri Carboni praenomen erat Gaio. Cf. Cic. in Verr. III, 1, 3. id. epp. IX, 21, 3. Brut. 27, 103. de orat. I, 10, 40. Qui cum non solum hoc loco, de quo agimus, uerum etiam VI, 2, 3 in omnibus codicibus, conspirante utroque loco Paride, Gnaeus appelletur, nescio an error ipsius Valerii sit, non librariorum. Cf. praef. p. 33. In uulgata exempla Gaii praenomen induxerat Pighius.

conplura continens quibus facile opprimi posset, ut erat signatum cum seruo catenato ad eum remisit. Quo pacto igitur inter amicos uiguisse tunc iustitiam credimus, cum inter accusatores quoque et reos tantum uirium obtinuisse uideamus?

Iam L. Sylla non se tam incolomem quam Sulpicium Rufum 7. perditum uoluit, tribunicio furore eius sine ullo fine uexatus. Ceterum cum eum proscriptum et in uilla latentem a seruo proditum conperisset, manumissum parricidam, ut fides edicti sui exstaret, praecipitari protinus saxo Tarpeio cum illo scelere parto pilleo iussit, uictor alioquin insolens, hoc imperio iustissimus.

Verum ne alienigenae iustitiae obliti uideamur, Pittacus Ext. 1. Mytilenaeus, cuius aut meritis tantum ciues debuerunt aut moribus crediderunt, ut ei suffragiis tyrannidem deferrent, tamdiu illud imperium sustinuit, quamdiu bellum de Sigeo cum Atheniensibus gerendum fuit. Postquam autem pax uictoria parta est, continuo reclamantibus Mytilenaeis deposuit, ne dominus ciuium ultra quam rei publicae necessitas exegerat permaneret. Atque etiam cum recuperati agri dimidia pars consensu omnium offerretur, auertit animum ab eo munere, deforme iudicans uirtutis gloriam magnitudine praedae minuere.

Alterius nunc mihi prudentia referenda est, ut alterius re- 2. praesentari iustitia possit. Cum saluberrimo consilio Themistocles

1. plura *Γ*. || potuisset *D*. || 2. inter *om. C*. || 4. uirum *CE*. || 5. Iam] nam *C*. || incolumem *corr. A cum reliquis et Torr.* || supplicium *F*. || 6. ullo *om. Γ*. || 9. exstaret] *sic h. l. omnibus his litteris A*. || e saxo *EΓ*. || 10. pileo *E Torr.* || alioqui *C*. || 12. ne *om. pr. E*. || alienae *E*. || 13. mitilenus *E*. mictilenus *F*. mitileneus *Γ*. Mitylenaeus *Torr. Cf. IX*, 11, 4. *Eckhel. doctr. n. II, p.* 303. *Orell. ad inscr. n.* 4111. || ciues tantum *E*. || 14. ut ei] uteis *pr. A*. ut eius *corr. A*. aut eius *F*. ut suis ei *Torr.* || 15. sigaeo *A*. || 17. mytylenaeis *A*. mitilenis *E*. mitilenis *F*. || 18. ciuium] *ante* dominus *F*. cium *pr. A*. || 19. cum consensu *E*. || 20. offereretur *E*. || animum auertit *F*. || eo] illo *F*. || 22. mihi nunc *EF*. || 23. iusticia repraesentari *EF*.

7. Cf. Liu. epit. libr. LXXVII. Plut. Syll. 10.

Ext. 1. Cf. Diog. Laert. I, 75.

ut ei suffragiis tyrannidem deferrent) Ita legendum esse iam Perizonius suspicabatur, cum antea inde a Pighio ederetur *ut suis ei suffragiis*, neque tamen auditus est a recentioribus grammaticis. *eis* ille ortum esse uidit male assumpta prima littera insequentis uocabuli. Pronomen autem *suis* ab omnibus melioris notae codicibus abest, neque profecto desideratur. Ita eodem simplici ablatiuo Cic. in Verr. II, 51, 127 scripsit *Cum suffragiis tres ex tribus generibus creati sunt, res reuocatur ad sortem.*

Atque etiam cum) Cf. Corn. Nep. Thrasyb. 4, 2. Diod. Sic. exc. Vat. 22 p. 19 Mai.

2. Cf. Cic. de off. III, 11, 49. Plut. Them. 20.

migrare Athenienses in classem coegisset Xerxeque rege et copiis eius Graecia pulsis ruinas patriae in pristinum habitum reformaret et opes clandestinis molitionibus ad principatum Graeciae capessendum nutriret, in contione dixit habere se rem deliberatione sua prouisam, quam si fortuna ad effectum perduci passa esset, nihil maius aut potentius Atheniensi populo futurum, sed eam uulgari non oportere, postulauitque ut aliquis sibi, cui illam tacite exponeret, daretur. Datus est Aristides. Is postquam recognouit classem illum Lacedaemoniorum, quae tota apud Gytheum subducta erat, uelle incendere, ut ea consumpta dominatio maris ipsis cederet, processit ad ciues et retulit Themistoclen ut utile consilium, ita minime iustum animo uoluere. E uestigio uniuersa contio quod aequum non uideretur ne expedire quidem proclamauit, ac protinus Themistoclen incepto iussit desistere.

3. Nihil illis etiam iustitiae exemplis fortius. Zaleucus urbe Locrensium a se saluberrimis atque utilissimis legibus munita, cum filius eius adulteri crimine damnatus secundum ius ab ipso constitutum utroque oculo carere deberet ac tota ciuitas in honorem patris necessitatem poenae adulescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit. Ad ultimum populi precibus euictus, suo prius, deinde filii oculo eruto usum uidendi utrisque reliquit. Ita de-

1. in classem athenienses *Γ*. || xerseque *F*. || 2. gratia *CF*. || 3. reformasset *D*. || 4. nutriuisset *D*. || 5. suam C. || fortunam *F*. || ad effectum] adfectum *pr. A*. ad adfectum *corr. A*. || 9. cognouit *DE Torr*. || classem] *litterae* clas *a corr. A*. || illam *CEF*. || 10. Gythaeum *Torr*. || 11. praecessit *F*. || rettulit *corr. A*. || themitoclen *pr. A*. themistodem *DEF*. Themistoclem *Torr*. || 13. ne] non *F*. || 14. themistodem *DEF*. Themistoclem *Torr*. || 15. desistere iussit *Torr*. || 16. saleucus *(sed prima litt. in rasura) D*. zalencus *E*. caleneus *F*. || 17. lucrentium *F*. || legibus munita] munita consiliis *F*. || 18. adulterii *corr. A*. cum *reliquis et Torr*. || 19. patris honorem *F*. || 20. poenae necessitatem *Torr*. || adulescentulo] *ante* necessitatem *F*. || 21. precibus populi *(E) Torr*. || 22. erupto *F*. || uidendi] *in rasura A*. || utrique *DFΓPar. et in rasura A, Torr*.

3. Cf. Ael. u. h. XIII, 24. Stob. serm. 42.

usum uidendi utrisque reliquit) Non dubito quin *utrisque* prima manu scriptum fuerit in Bernensi codice atque adeo in archetypo quoque. Nota sunt exempla huius pronominis pluraliter positi, ubi de duobus tantum hominibus rebusue agitur. Ex quo genere citauit Torrenius Corn. Nep. Hann. 4, 2, ubi male Lambinus coniecerat *utrumque profligauit* et Timol. 2, 2 *utrumque Dionysiorum*. Iustin. IX, 7, 8. Senec. Herc. fur. 1062. Quibus adde Valerii V, 4, 6. VII, 3, ext. 5. Corn. Nep. Datam. 11, 2. Cic. in Verr. IIII, 14, 32. pro Ligar. 12, 36 pro Mur. 12, 26, quamquam de Ciceronianis ambigebat Zumpt. ad Verr. III, 60, 140. Caes. b. G. I, 53, 4, ubi licet aliud eiusdem generis exemplum in his commentariis non extet, recte bonorum librorum scripturam, *utraeque in ea fuga perierunt*, Caesari uindicauit Nipper-

bitum supplicii modum legi reddidit, aequitatis admirabili temperamento se inter misericordem patrem et iustum legislatorem partitus.

Sed aliquanto Charondae Thurii praefractior et abscisior 4.
iustitia. Ad uim et cruorem usque seditiosas contiones ciuium pacauerat lege cauendo ut, si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur. Interiecto deinde tempore e longinquo rure gladio cinctus domum repetens, subito indicta contione sicut erat in eam processit, ab eoque, qui proxime constiterat, solutae a se legis suae admonitus, 'Idem' inquit, 'ego illam sanciam', ac protinus ferro, quod habebat, destricto incubuit, cumque liceret culpam uel dissimulare uel errore defendere, poenam tamen repraesentare maluit, ne qua fraus iustitiae fieret.

DE FIDE PVBLICA.

Cuius imagine ante oculos posita uenerabile fidei numen VI.
dexteram suam, certissimum salutis humanae pignus, ostentat. Quam semper in nostra ciuitate uiguisse et omnes gentes senserunt et nos paucis exemplis recognoscamus.

4. charondae *in rasura A.* carumde *CΓ.* charunde *D.* carunde *EF.* ‖ syrii *in rasura A. add. λ.* tyrii *margo A.* tyrii *CDEΓ.* turii *F. Vt nos Par.* ‖ praefatior *D.* praeferatior *F.* ‖ et] atque *Torr.* ‖ absicisior *A.* ascisior *E.* ‖ 5. iustitia] in sicilia *F.* ‖ seditiosus *D.* ‖ contines *pr. A.* condiciones *D.* ‖ 6. pacauerat] *litt.* a *primae syllabae in rasura A.* ‖ 7. e lugiquo *F.* ex longinquo *Torr.* ‖ 8. subito — (9.) processit *om. C.* ‖ subiecto *F.* ‖ indicta] in ipsa *E.* indita *Γ.* ‖ 9. in eam] *om. D.* in ea *F.* ‖ eoque] eo *EF.* ‖ constiterat] *litt.* stite *a corr. A.* ‖ 10. inquit] *post* ego *E. post* illam *FTorr.* inquid *A.* ‖ sanciam] sauciam *pr. A.* sarciam *corr. A.* sanctiui *D.* curabo qui sauciaui *Γ.* ‖ 11. districto *EΓ.* ‖ 12. culpam *om. E.* ‖ errorẽ *A.* ‖ 13. representare *A.* ‖ fraus] *ultima litt. in rasura A.* ‖ 15. Huius *Torr.* ‖ imagine • *A.* imaginem *CF et pr. D.* ‖ positam *CF et pr. AD.* ‖ uenabile *C.* ‖ 16. certissimam *pr. A.* ‖ humanae salutis *F.* ‖ ostendat *AΓ.* ostendit *D.* ‖ 18. recognoscemus *coniecit Perizonius.*

deius. Cf. eius quaest. Caes. p. 57. Tac. ann. XI, 1. XV, 55. XVI, 7 et 21. dial. de or. 2. Liuii sat multos locos congessit Drakenb. ad XXXVI, 16, 5, Sallustii Kritzius ad Cat. 30, 4. Cf. etiam Ramsh. gramm. §. 157 n. 7. Grysar. theor. d. Lat. stils p. 133 et 139. In Valeriano hoc exemplo *utrisque* confirmatur etiam Vinc. Bell. sp. hist. III, 105 et doctr. V, 66 et 162; *utrique* compendio Paridis, qui tamen et hoc loco, de quo agimus, et VII, 3, ext. 5 Valerii dictionem ex arbitrio suo mutasse existimandus est.

1. Cum Ptolemaeus rex tutorem populum Romanum filio reliquisset, senatus M. Aemilium Lepidum pontificem maximum, bis consulem ad pueri tutelam gerendam Alexandriam misit, amplissimique et integerrimi uiri sanctitatem, rei publicae usibus et sacris operatam, externae procurationi uacare uoluit, ne fides ciuitatis nostrae frustra petita existimaretur. Cuius beneficio regia incunabula conseruata pariter ac decorata incertum Ptolemaeo reddiderunt patrisne fortuna magis an tutorum maiestate gloriari deberet.

---

1. §. 1 *om. Γ.* || ptolaemeus *A.* ptolomeus *CDEF.* || romanum populum *F.* || 2. l. aemilium *F.* || 5. eterne *F.* || procuracioni *A.* || uacere *pr. A.* || 6. nostrae ciuitatis *F.* || 7. ptolemeo *A.* ptolomeo *CEF.* ptolomeum *D.* Ptolemaeum *Torr.* || 8. fortuna *om. pr. E.* || magis *om. E.* || tutoris *DE et litt.* is *in rasura A. Torr.* || 9. deberetur *F.*

VI, 1. *Cum Ptolemaeus rex)* Cum incertum reliquerit Valerius quemnam potissimum Ptolemaeorum in mente habuerit, Glareanus laudato Iustino (XXX, 2 et 3) Ptolemaeum quartum, Philopatorem cognomine, hoc loco denotari censuit. Et sane Iustinus hoc rege mortuo (a. u. c. 550.), cum quinquennem filium reliquisset et mulieres inita cum perditissimis societate imperium occupassent, legatos ab Alexandrinis Romam missos esse tradidit, orantes ut tutelam pupilli (Ptolemaei V Epiphanis) susciperet populus Romanus tueretur que regnum Aegypti contra Philippi et Antiochi conatus; nec displicuisse Romanis eam legationem; itaque missos esse qui Antiocho et Philippo denuntiarent ut Aegypti regno se abstinerent; missum esse et M. Lepidum in Aegyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administraret. Sed iam Glareanus animaduertit M. Aemilium tunc temporis consulem nondum fuisse, arguitque eo nomine erroris Valerium Perizonius (anim. hist. c. 7. p. 319 ed. Harl.), quod M. Aemilium consulem creatum esse constaret a. 567, iterum a. 579, pontificem maximum a. 574 (cf. Liu. XL, 42.). Atqui ipsum potius Iustinum, cuius auctoritatem socordius paulo secuti sunt uiri diligentissimi, quam Valerium errasse et eiusdem nominis reges confudisse luce clarius demonstrauit Champollion-Figeac (annales des Lagides II, p. 130—132 et II, p. 95. not. 1.), et aliunde notissimos esse obiciens Epiphanis tutores et aetatem L. Aemilii omnino obstare quominus ille admodum etiam tum adulescentulus in eorum numero referatur. Euicit autem Champollion, ita ut nulla iam relinquatur dubitatio, Lepidi tutelam ad huius Ptolemaei pertinuisse filios, Philometorem et Physconem siue Euergeten II Ptolemaeos, quos ut a Seleuci regis insidiis tutos praestarent, per legatos tutorem a Romanis petiisse uidentur Alexandrini. Constat igitur nunc inter uiros doctos ad hos respexisse Tacitum ann. II, 67, cum exemplum referret malorum, qui M. Lepidum Ptolemaei liberis tutorem in Aegyptum misissent, eiusque tutelae monumentum esse denarium illum cum muliebri capite, inscriptum *ALEXANDREA* et in auersa parte *M. LEPIDVS. PONT. MAX. TVTOR. REG. S. C.*, cuius fidem iniuria impugnauit Perizonius. Itaque, cum Ptolemaeus Epiphanes diem obierit supremum a. 573, a. u. c. Valerius in eo certe parum accuratus est, quod Lepidum bis iam consulem eo tempore fecit. Nam alterum consulatum sexto demum anno post Epiphanis mortem obtinuit.

an tutorum maiestate) Non negauerim sententiae magis accomodatum esse singularem numerum, *tutoris*, quem receptum uideo in uulgatis editionibus. Sed cum archetypum exhibuisse appareat *tutorum*, fierique possit ut Valerius pluratiuum numerum omnium Romanorum respectu posuerit, ab illius codicis testimonio discedi non licuit.

Speciosa illa quoque Romana fides. Ingenti Poenorum 2.
classe circa Siciliam deuicta, duces eius fractis animis consilia petendae pacis agitabant. Quorum Hamilcar ire se ad consules negabat audere, ne eodem modo catenae sibi inicerentur, quo ab ipsis Cornelio Asinae consuli fuerant iniectae. Hanno autem, certior Romani animi aestimator, nihil tale timendum ratus, maxima cum fiducia ad conloquium eorum tetendit. Apud quos cum de fine belli ageret et tribunus militum ei dixisset posse illi merito euenire quod Cornelio accidisset, uterque consul tribuno tacere iusso 'Isto te', inquit, 'metu, Hanno, fides ciuitatis nostrae liberat'. Claros illos fecerat tantum hostium ducem uincire potuisse, sed multo clariores fecit noluisse.

Aduersus eosdem hostes parem fidem in iure legationis 3.
tuendo patres conscripti exhibuere. Marco enim Aemilio Lepido, L. Flaminio consulibus L. Minucium et L. Manlium Karthagi-

1. Speciosa — fides *om. Γ.* || quoque illa *CEFTorr.* || poenarum *pr. A.* || 2. classe] *ante* Poenorum *Γ.* glasse *C.* || circa] contra *F.* || deuicta] *sic Par.* deducta *ADEFΓ.* reducta *C.* || consilium *F.* || 3. Quorum] *add.* dux *CDEFΓ.* || humilcar *A.* || cons. *A.* || 5. ab] ad *pr. A.* || asiae *E.* || haimo *C.* hanc *F.* || 8. belli fine *Torr.* || ei] *add.* hannoni *D.* || 9. illi] ei *FΓ.* || accedisset utrique consuli *F.* || 11. uincere *ACEFΓ et in rasura D. Correxit Ian. Parrhasius.* || 12. potuisse] potius se *C.* || 13. eundem hostem *DΓ.* || in *om. Γ.* || ire *C.* || 14. exhibere *pr. A.* exibere *Γ.* || Marco — (*p.* 510, 3.) aspexit *om. Γ.* || 15. l. flãmino *A.* l. flaminino *C.* et l. flaminio *corr. D.* l. flamineo *EF.* C. Flaminio *Torr.* || l. minutium *A.* minucuum *(omisso praenomine) D.* || manilium *EF.*

2. *classe circa Siciliam deuicta)* Valerius de quanam Romanorum uictoria et de quibus consulibus locutus sit ipse incertum reliquit. Vorstio de uictoria a C. Duellio consule apud Mylas a. u. c. 494 reportata interpretanti merito Torrenius obiecit tunc temporis uictoris consulis collegam Cn. Cornelium Asinam in potestate hostium fuisse neque cum utroque consule Hannonem de pace agere potuisse; atque etiam Hamilcarem ea tempestate non classi praefuisse, uerum pedestri exercitui. (Polyb. I, 21 et 22. Liu. epit. libr. XVII. Flor. II, 2. Zonar. VIII, 10. Val. VI, 9, 11.) Accedit quod neque Polybius neque alius quisquam ueterum scriptorum post illam cladem pacem a Karthaginiensibus petitam esse memoriae prodidit. Sed ne ipse quidem Torrenius opinionem suam in medium protulit. Docemur nunc excerptis Vaticanis Cassii Dionis (n. 63. p. 183; apud Zonar. VIII, 12.) proelium nauale iuxta Heracleam Minoam a. u. c. 498 L. Manlio, M. Atilio consulibus factum hoc loco significari, ubi superata Karthaginiensium classe Hamilcar non amplius resistere ausus, ut tempus traheret, per speciem pacis petendae Hannonem ad consules misit. Quem cum quidam comprehendendum clamassent eodem modo, quo ipsi Cn. Cornelium perfide cepissent, Hanno 'Si hoc feceritis', inquit, 'nihilo meliores eritis Poenis', eaque astuta adulatione tutus tunc euasit. Polybius tamen (I, 31) insequenti demum anno, cum iam in Africam traiecisset Atilius Clupeamque cepisset, a Karthaginiensibus frustra pacem petitam esse tradidit.

3. Cf. Liu. XXXVIII, 42.

L. Flaminio) Hunc Gaium, non Lucium Flaminium fuisse certo constat. Sed cum Paridis codex Vaticanus cum integris Valerii codicibus in hoc praenomine consentiat, dubitans de auctore erroris, manum abstinui. In eo certe

niensium legatis, quia manus his attulerant, per fetiales *a M.* Claudio praetore dedendos curauerunt. Se tunc senatus, non eos quibus hoc praestabatur aspexit.

4. Cuius exemplum superior Africanus secutus, cum onustam multis et inlustribus Karthaginiensium uiris nauem in suam potestatem redegisset, inuiolatam dimisit, quia se legatos ad eum missos dicebant, tametsi manifestum erat illos uitandi praesentis periculi gratia falsum legationis nomen amplecti, ut Romani imperatoris potius decepta fides quam frustra implorata iudicaretur.

1. legato *pr. A.* legationi *CF.* || a M. Claudio] *om. E.* claudio *(omisso* a M.) *ACDF.* || 2. praetori *F.* p. r. *D.* prēs. c. *(i. e.* praetore senatus consulto) *E.* || 3. hoc *om. F.* || 4. Cuius — secutus] Superior quoque africanus *Γ.* || exempla *F.* || secus *pr. A.* || 5. inlustrium *CEF et pr. A. et litt.* um *in rasura D.* || 6. inuolatam *pr. A.* inuolutam *C.* inuiolatos *F.* || 8. nomen] uocabulum *EF.* || 9. imperii potius *CEF.* potius imp̄. *D.* || fides decepta *E.*

ipse Valerius falsus est, quod omnino horum consulum nomina posuit. Praecedenti enim anno 566 *a.* u. c., ut recte adnotauit Perizonius, M. Valerio Messala, C. Liuio Salinatore consulibus, quo anno praetor urbanus erat M. Claudius, iussu eius L. Minucius et L. Manlius dediti sunt Karthaginiensibus. Cuius anni exitu, cum comitia magistratibus subrogandis haberentur, consules in proximum annum creati sunt M. Aemilius Lepidus, C. Flaminius Nepos. De quibus comitiis postquam retulit Liuius, ita pergit, *Eo anno L. Minucius Myrtilus et L. Manlius, quod legatos Karthaginiensium pulsasse dicebantur, iussu M. Claudii praetoris urbis per fetiales traditi sunt legatis et Karthaginem missi.* Valerius autem, cum haec exscriberet, obiter tantum inspectis praecedentibus, eos consules posuit, in quos proxime offenderat, non scilicet animaduertens eos designatos demum in sequentem annum 567 fuisse. Cf. Drumann. gesch. Roms II, p. 392. n. 59 b. Quae Valerii negligentia cum fugisset Pighium, legendum hoc loco coniecit esse *per fetiales Culeo praetor ea S. C. dedendos curauit;* Quintum enim Terentium Culeonem a. 567 praetorem peregrinum fuisse ex Liuio constare, (cf. Pigh. ann. II, p. 294.) persuasitque suspicionem suam Colero.

per fetiales a M. Claudio praetore dedendos) Libri manuscripti *per fetiales claudio praetore* exhibent. Quod ferri nequit, non magis quam dandi casus *Claudio praetori.* Vid. ad III, 8, 7. Equidem Paridis epitome adiutus suppleui praepositionem *a* cum Vorstio ac Perizonio et praenominis notam, simul cum illa omissam. Paridis enim compendium ita legitur in codice Vaticano, *M. Aemilio Lepido, L. Flaminio consulibus senatus L. Minucium et L. Manlium Karthaginiensium legatis, quia manus intulerant, per fetiales a M. Claudio praetores curauit* (leg. cum A. Maio *praetore dedendos curauit.*); Quae abbreuiatoris uerba recentiorum editorum opinionem redarguunt, qui Kappium secuti illud *Claudio praetore* tamquam sparsum uncis inclauserunt.

4. Polybius XV, 4, Liuius XXX, 25, Appianus Pun. 35 Karthaginiensium legatos Roma redeuntes, cum in potestatem Scipionis uenissent et propter iniuriam a ciuibus suis Romanorum naui et legatis inter indutias illatam magnopere timerent, inuiolatos a Scipione dimissos esse referunt. De simulato legationis nomine cum Valerio consentit Dio Cassius in exc. Petresc. 65. Cf. Zonar. IX, 12.

Repraesentemus etiam illud senatus nullo modo praetermittendum opus. Legatos ab urbe Appollonia Romam missos Q. Fabius, Cn. Apronius aedilicii orta contentione pulsauerunt. Quod ubi comperit, continuo eos per fetiales legatis dedidit, quaesteremque cum his Brundisium ire iussit, ne quam in itinere a cognatis deditorum iniuriam acciperent. Illam curiam mortalium quis concilium, an non Fidei templum dixerit? Quam ut ciuitas nostra semper benignam praestitit, ita in sociorum quoque animis constantem recognouit. 5.

Post duorum in Hispania Scipionum totidemque Romani sanguinis exercituum miserabilem stragem Saguntini, uictricibus Ext. 1.

---

3. et Cn. Apronius *Par. Torr.* cn. sempronius *D.* ‖ aedili *A.* aedilis *pr. C.* aediles *DEFΓ et corr. C, Torr.* u. aedilicii *margo A. Vt nos Par.* ‖ pullauerunt *D.* pulsarunt *E.* ‖ 4. conceperit *pr. A.* ‖ dedit *CE et pr. A. et ante* legatis *F. Vt nos etiam Par.* ‖ 5. iis *E.* ‖ brundusium *CEFΓ Torr.* ‖ 6. dedictorum *F.* ‖ reciperent *F.* ‖ curiam illam *F.* ‖ 7. consilium *DE.* ‖ an] ac *DΓ Torr.* ‖ non] *add.* potius *Γ.* ‖ 8. sotiorum *A.* ‖ 10. Post] Nam post *Torr.* ‖ in *om. F.* ‖ hispaniam *pr. C.* ‖ totidemque] que *om. CEF.* ‖ 11. exercitium *F.* ‖ mirabilem *D.*

---

5. Cf. Liu. epit. libr. XV. Dio. Cass. exc. Peiresc. 43 p. 20 Reim. Zonar. VIII, 7.

an non Fidei templum dixerit?) Sic boni codices summo consensu; quod sane insolens est, cum in disiunctiua interrogatione sine negandi particula dici expectes *mortalium quis concilium an Fidei templum dixerit?* uel *anne Fidei templum dixerit?* quod tamen Valerium scripsisse probabile non est; neque enim ita peccant librarii. Nihilo uerisimilius illud est, quod Pighius tacite recepit, retinuerunt recentiores grammatici, *ac non Fidei templum*, cum antea ederetur *an non*. Iam uero mihi quidem non uidetur disiunctiue hoc loco interrogari, sed primariae interrogationi *(illam curiam mortalium quis concilium dixerit?)* subiungi responsionem, qua id fieri debere negetur et illam curiam Fidei potius templum dicendam esse asseueretur. Quae responsio, cum ipsa quoque interrogationis formam induerit, recte priori adiungitur per particulam *an*. Cf. Madu. gramm. §. 463 b p. 419. Cic. Caec. 18, 50. *Quid ergo? hoc interdictum putamus eorum esse causa compositum, qui ac praecipitatos ex locis superioribus dicerent? — an non, cum uoluntas et consilium et sententia interdicti intellegatur, impudentiam summam aut stultitiam singularem putabimus in uerborum errore uersari?* Itaque nemo facile in his offenderet, si sic pronuntiarentur, *Illam curiam mortalium quis concilium iudicat (dixerit)? an non Fidei templum dixerit?* Sed insolenter duae interrogationes uno uerbo coniunctae sunt, fortasse quia scribentis animo disiunctiuae interrogationis figura obuersabatur, quam neglegenter cum altero illo interrogandi modo miscuit. Sed talia non semel in hoc opere notauimus.

Ext. 1. Cf. Liu. XXI, 14. App. Hisp. 12.

Post duorum in Hispania Scipionum) Foedissimum Valerii errorem iam Glareanus detexit. Notum est enim Saguntum ab Hannibale expugnatum esse nouem annis ante quam in Hispania perirent Publius et Gnaeus Scipiones. Pighius nimirum hanc quoque culpam a Valerio defendere conatus, legendum esse coniecerat *Nam ante duorum*, quod ne reliquae quidem narrationi satis conuenire admonuit Vorstius, quippe in qua omnia Saguntum a Valerio post Scipionum cladem excisum putari declararent.

Hannibalis armis intra moenia urbis suae conpulsi, cum uim Punicam ulterius nequirent arcere, collatis in forum quae unicuique erant carissima atque undique circumdatis accensisque ignis nutrimentis, ne a societate nostra desisterent, publico et communi rogo semet ipsi superiecerunt. Crediderim tunc ipsam Fidem humana negotia speculantem maestum gessisse uultum, perseuerantissimum sui cultum iniquae fortunae iudicio tam acerbo exitu damnatum cernentem.

2. Idem praestando Petelini eundem laudis honorem meruerunt. Ab Hannibale, quia deficere *a* nostra amicitia noluerant, obsessi legatos ad senatum auxilium inplorantes miserunt. Quibus propter recentem Cannensem cladem succurri non potuit. Ceterum permissum est uti facerent quod utilissimum incolomitati ipsorum uideretur. Liberum ergo erat Karthaginiensium gra-

1. moenia *om. C.* || 2. publicam *pr. E.* || arcere nequirent in forum collatis *F.* || uniculusque *F.* || 3. accessisque *F.* || 4. desciscerent *Torr.* || 5. ipsos *EF et litt.* os *in rasura D.* || 6. speculantem negotia *Γ.* || aestum *pr. A.* || 8. aceruo *pr. A.* || cernendo *D.* || 9. petilini *ACEF.* petiliani *DΓ.* Petellini *Torr.* || 10. a nostra] nostra *pr. A.* ab nostra *Γ.* nostram *CEF.* || amicitiam *CEF.* || 11. legatum *DΓ.* || 12. recentem] *add.* communem *Γ.* || Cannensem] *post* cladem *E Torr.* casanensem *F.* || 13. uti] ut ei *AC.* ut *D.* eis ut *EFΓ. Vt nos Par.* || incolumitati eorum utilissimum *E.* || incolumitati *corr. A cum reliquis et Torr.* || 14. ergo] *add.* eis *Γ.*

ne a societate nostra desisterent,) Fieri potest ut Valerius scripserit, quemadmodum inde a Pighio uulgo edebatur, *desciscerent.* Saepe enim a librariis, at in recentioribus plerumque codicibus, alterum uerbum cum altero permutatur. (Vid. Drak. ad Liu. XXX, 3, 5.) Sed cum desistere dicantur homines a sententia, ab incepto, quae omittunt, quidni a societate? Itaque recte in IIII dig. 5, 5 scribi opinor *Deficere autem dicuntur qui ab his, quorum sub imperio sunt, desistunt et in hostium numerum se conferunt.* Torrenius, qui et ipse probat *desisterent*, deficere et desciscere conuenientius illos dici contendit, qui ultro fidem fallant; *desistere* de iis magis aptum esse, qui illam colere desinant, citatque Val. VII, 6, 2. Sed ibi, siquidem sinceri cum maxime testes audiendi sunt, Valerius in simili prorsus re exponenda desciscendi et in sequenti exemplo de Petelinis deficiendi uerbo usus est.

2. Cf. Liu. XXIII, 20 et 30. Polyb. VII, 1. App. Hann. 29. Sil. Ital. XII. 431. Athen. deipnos. XII, 36 p. 528.

Petelini) Ita hoc loco et infra emendaui librorum scripturam *petilini, petilia, petiliae.* Paridis maxime auctoritatem secutus, quocum consentiunt optimi codices Liuii l. c., Mediceus Vergilii (III Aen. 402) et Graeci scriptores, quibus constanter fere *Πετηλῖνοι* uocantur. Cf. Polyb. l. c. Strab. VI, 1, 3 p. 254 Cas. Dubito omnino de altera illa forma per tertiam uocalem scripta, postquam in inscriptione ap. Grut. p. 215, 5 non PETILINORVM, sed PETELINORVM legi docuit Fabrett. inscr. p. 404, (cf. etiam Orell. inscr. n. 3678) eamque communi librariorum errori tribuo in hoc opere et in Plinii h. n. III, 10 et in Silli Punicis l. c.

uti facerent) Boni codices *ut ei facerent.* Probabat pronominis demonstratiui abundantiam si non uitiosam, cum praesertim Valerius uel cum anacoluthia quadam similia in hoc genere sibi indulserit, (cf. I, 7, 5 *urbe pulsus M. Cicero, cum in uilla quadam campi Atinatis deuersaretur, is animo in*

tiam amplecti. Illi tamen feminis omnique aetate inbelli urbe egesta, quo diutius armati famem traherent, pertinacissime in muris constiterunt, expirauitque prius eorum tota ciuitas quam ulla ex parte respectum Romanae societatis deposuit. Itaque Hannibali non Peteliam, sed fidum Peteliae sepulcrum capere contigit.

DE FIDE VXORVM ERGA VIROS.

Atque ut uxoriam quoque fidem attingamus, Tertia Aemilia, Africani prioris uxor, mater Corneliae Gracchorum, tantae fuit comitatis et patientiae, ut, cum sciret uiro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulauerit, ne domitorem orbis Africanum femina magnum uirum inpatientiae reum ageret, tantumque a VII. 1.

1. inbecilli *Γ*. || 2. tutius *ACDEFΓ. Correxit Pighius.* || 3. perstiterunt *Torr.* || tota eorum *E.* || 4. respectum] *post* societatis *Torr.* || societatis] seueritatis *Γ*. || 5. petiliam *ACDΓ*. petiliani *E*. petilina *F*. Petelliam *Torr.* || fidei *ΓTorr.* || petiliae *ACDF*. poetiliae *pr. E*. petilianae *Γ*. Petellinae *Torr.* || sepulchrum *pr. A.* || 6. contingit *F.* || 7. ERGA VIROS] *om. Par.* ERGA MARITOS *Torr.* || 10. cum sciret] conciret *F.* || ancillam *E.* || 11. dissimulauit *F.* || 12. incontinentiae *D.* || eum *F.*

somnum profuso — uaganti sibi C. Marium — putauit obuium factum, et satis mire I, 1, 4 *Sulpicio inter sacrificandum e capite apex prolapsus eidem sacerdotium abstulit)* at certe in simplicissima hac sententia insolentem. Maxime uero ut desererem archetypi codicis testimonium mouit me Paridis epitome, in qua consilio Valerii uerba *ut ei facerent* ita immutata esse, quemadmodum supra eduntur, persuadere mihi non poteram.

fidum Peteliae sepulcrum) Sic e more suo locutus est Valerius, artificiosum poetica licentia affectans sermonem. Pighius e codice Cauchiano, quem nobis *Γ* esse diximus, pro his substituerat *fidei Petellinae sepulcrum*, quem sequuntur recentiores grammatici, non percipientes, ut uidetur, sepulcrum quomodo fidum appellari potuerit. At uid. praef. p. 37. Itaque iubentibus codicibus manuscriptis ueterum editionum scripturam reuocaui.

VII, 1. *inpatientiae reum ageret)* Offenderunt in hac uoce grammatici, adeo ut Pighius pro ea *impudicitiae* efferret e codicibus, ut ait, Cauchiano et Campensi, quorum de altero illo, qui nobis *Γ* est, falso relatum esse scio. Vorstius praetulit *incontinentiae*, Lipsius non male quidem, sed praeter omnem necessitatem coniecit scribendum esse *impotentiae*. Etenim impatientiam exprimere uehementem affectum animi cupiditate aliqua accensi in primis liquet e Senec. I epp. ad Lucil. 9, ubi hoc uocabulum non solum Graecorum *ἀπάθειαν*, sed contrarium etiam *πάθος* significare perhibetur. Cf. praeterea Quint. decl. 5, 12, *impatientius diligere.* Plin. epp. II, 7, 6. VI, 1, 1. IX, 22, 2. Cuiusnam uero affectus impatientiam Scipioni condonauerit uxor, per se intellegitur, ut recte animaduertit Torrenius. De ipsa re cf. Gell. VI, 8.

uindicta mens eius afuit, ut post mortem Africani manumissam ancillam in matrimonium liberto suo daret.

2. Q. Lucretium proscriptum a triumuiris uxor Turia inter cameram et tectum cubiculi abditum una conscia ancillula ab imminente exitio non sine magno periculo suo tutum praestitit, singularique fide id egit ut, cum ceteri proscripti in alienis et hostilibus regionibus per summos corporis et animi cruciatus uix euaderent, ille in cubiculo et in coniugis sinu salutem retineret.

3. Sulpicia autem, cum a matre Iulia diligentissime custodiretur, ne Lentulum Cruscellionem, uirum suum, proscriptum a triumuiris in Siciliam persequeretur, nihilominus famulari ueste sumpta cum duabus ancillis totidemque seruis ad eum clandestina fuga peruenit, nec recusauit se ipsam proscribere, ut ei fides sua in coniuge proscripto constaret.

DE FIDE SERVORVM.

VIII. Restat ut seruorum etiam erga dominos quo minus expectatam hoc laudabiliorem fidem referamus.

1. mens ei (*sed litterae* s *et* ei *in rasura*) *A.* m̃desse *Γ.* || afuit] *in rasura A.* abfuit *DEFΓ et in rasura C. Torr.* || 2. in matrimonium] uxorem *F.* || daret suo *Γ.* || 3. curia *F.* Tyria *Par.* Thuria *Torr.* || intra *F.* || 4. abadictum *F.* || ancilla *Par. Torr.* || 6. fide] fidei *C.* facto *F.* || id *om. CF.* || degit *C.* || 7. animis cruciatis uis *F.* || 11. crustellionem *D.* trascelionem *E.* cruscellionem *F.* Cruscilionem *Par.* || 12. sicilia *E.* || sequeretur *A.* prosequeretur *DE.* sequeretur *FPar. Torr.* || familiari *DE et pr. A.* stoliari *F.* || 15. sua *om. Γ.* || 16. *Inscriptionem om. pr. C. Habet eam post u.* (18.) referamus *D et corr. C.* || SERVORVM] *add.* erga dominos *DEFΓ et corr. C. Torr.* || 17. Restat — dominos quo] *in rasura A.* || etiam ut seruorum *DΓ.*

mens eius afuit) Incerta hoc loco propter lituram codicis Bernensis archetypi exempli scriptura est. Suspicor in eo exaratum olim fuisse aut id ipsam, quod hodieque extat in abbreuiato Guelferbytano aut certe simile aliquid. At correctoris Bernensis emendatio, dummodo pro *ei* cum recentioribus libris posueris *eius*, eam habet probabilitatem, ut intactum relinquendum esse censuerim quod priores editores sine ulla suspicione receperant.

2. Cf. App. ciu. IIII, 44.

3. Cf. App. ciu. IIII, 39.

in Siciliam persequeretur) Sic in archetypo codice erat; unde quibus persequendi uerbum hostilem dumtaxat notionem habere uidebatur aut omnino

M. Antonius, auorum nostrorum temporibus clarissimus orator, incesti reus agebatur. Cuius in iudicio accusatores seruum in quaestionem perseuerantissime postulabant, quod ab eo, cum ad stuprum iret, lanternam praelatam contenderent. Erat autem is etiam tum inberbis et stabat coram uidebatque rem ad suos cruciatus pertinere, nec tamen eos fugitauit. Ille uero, ut domum quoque uentum est, Antonium hoc nomine uehementius confusum et sollicitum ultro est hortatus ut se iudicibus torquendum traderet, adfirmans nullum ore suo uerbum exiturum, quo causa eius laederetur, ac promissi fidem mira patientia 1.

1. M. Antonius] *Praenomen om. F.* || temporibus *om. F.* || 3. quaestione *F.* || 4. irent *A.* iretur *Par.* || laternam *CE et corr. APar., Torr.* lucernam *D.* laterinam *F. Vt nos pr. APar.* || erant *C.* || 5. hiis *F.* || et stabant *C et pr. AΓ.* constabat *(omisso et) F.* || coram] coronam *pr. A.* corona *C.* sub corona *D.* || uidebantq. *pr. A.* uidebat quia *F.* || rem *om. F.* || 6. ad] aduersus *F.* || 7. domi *Γ.* || uehementius hoc nomine *F.* || 8. hortatus est *F.* || 9. traderet] daret *F.* || uerbum] fore *F.* || 10. eius causa *F.* || ac] Haec *Γ.* || promissi fidem] proximidem *A.* proximi de *C.* protinus idem *E.* proxime idem *F.* promissa idem *DΓ.*

delerunt praepositionem *per*, quod Paridem quoque fecisse existimo, aut permutarunt eam cum *pro*. At cf. quae exempla citauit Forcellinius, Terent. Andr. V, 4, 32, *Is hinc bellum fugiens meque in Asiam persequens proficiscitur*, ad quae Donatus adnotauit, *Persequens dicit perseuerationem sequentis ostendens; persequitur enim qui non desinit sequi.* Cf. Cic. in Verr. V, 35, 91. Petron. Sat. 6.

VIII, 1. *M. Antonius — incesti reus)* Cf. quae de hoc iudicio adnotauimus ad III, 7, 9.

quod ab eo, cum ad stuprum iret) Verbum *iret*, quod, si orationem ad artis regulam conformatam exegeris, necessario pertinet ad praecedens pronomen *eo* intellegendumque est de seruo, Valerius neglegentius ita posuisse uidetur, ut in eo subaudiatur prioris enuntiati subiectum *M. Antonius*. Quae neglegentia excusatur, quod ab illo uiro, in quo hactenus summa narrationis uersabatur, haec quoque sententia incipit *(Cuius in iudicio)*, quodque nemo ambigere poterat in re tam perspicua quonam referendum sit hoc uerbum. Nam de scriptura plurimorum codicum dubitare eo minus licebit, quo manifestiores sunt interpolationes ab his, qui in ea dissentiunt, consilio factae, ut emendarent praedictam inconcinnitatem grammaticam. Eam enim ob causam librarius in codice Bernensi uel in antiquiore quodam libro pro *iret* pluraliter *irent* scripserat, cum tamen seruus Antonii ipse quoque ad stuprum iuisse ne potuerit quidem dici, eademque de causa Paris in compendio suo *iretur* posuerat, in quo ualde displicet generalis notio uerbi, quod de uno M. Antonio intellegendum est.

lanternam) Ita Valeriani codices Bernensis atque Guelferbytanus abbreuiatus et prima manus in Paridis Vaticano; quae scriptura quin genuina sit dubitari uix potest, praesertim cum in aliorum quoque scriptorum operibus sincerrimis confirmetur testibus. Nam in codice Mediceo Cic. epp. ad Att. IIII, 3, 5 *sine alanterna* uitiose scriptum est pro *linea lanterna*. In Ciceronis Pisoniana 9, 20 codex Erfurtensis *Catilinae lanternario* exhibet itemque *lanterna* optimi libri tradere uidentur in Plauti Aul. III, 6, 30 et in Amphitr. prol. 149.

promissi fidem) Ingeniosa haec et felix docti cuiusdam Itali, ut equidem opinor, emendatio est eius, quod in archetypo erat *proximidem*. Quam receptam

praestitit. Plurimis etenim laceratus uerberibus eculeoque inpositus, candentibus etiam lamminis ustus, omnem uim accusationis custodita rei salute subuertit. Argui fortuna merito potest, quod tam pium et tam fortem spiritum seruili nomine inclusit.

2. Consulem autem C. Marium, Praenestinae obsidionis miserabilem exitum sortitum, cuniculi latebris frustra euadere conatum leuique uulnere a Telesino, cum quo conmori destinauerat, perstrictum seruus suus, ut Syllanae crudelitatis expertem faceret, gladio traiectum interemit, cum magna praemia sibi proposita uideret, si eum uictoribus tradidisset. Cuius dexterae tam opportunum ministerium nihil eorum pietati cedit, a quibus salus dominorum protecta est, quia eo tempore Mario non uita, sed mors in beneficio reposita erat.

3. Aeque inlustre quod sequitur. C. Gracchus, ne in potestatem inimicorum peruenire, Philocrati seruo suo ceruices incidendas praebuit. Quas cum celeri ictu abscidisset, gladium cruore domini manantem per sua egit praecordia. Euporum ali hunc uocitatum existimant. Ego de nomine nihil disputo. Famularis tantummodo fidei robur admiror. Cuius si praesentiam animi generosus iuuenis imitatus foret, suo, non serui

1. Plurimis etenim] plurimis etiam *A C D F Γ*. pluribusque *E. Correxit Lipsius.* || 2. cadentibus *pr. A.* || laminis *A. (non* lamĩs, *ut dixi ad III. 3. ext. 5.) C D F Γ Torr.* lamĩs *E. Cf. Lachm. ad Lucret. III.* 1017 *p.* 205. || 5. §. 2 *om. Γ.* || 7. perstructum *F.* || 8. syllene *pr. A.* syllane *corr. A.* || 11. dominorum salus *F.* || 12. Mario] maior *E F.* || uita sed mors] *in rasura A.* || sed] et *F.* || 14. Aeque — sequitur *om. Γ.* || C. Gracchus] *Praenomen om. F.* || potestate *A.* || 15. ueniret *E Par. Torr.* || phylocati *F.* philochrati *Γ.* || ceruices] *add.* suas *Γ.* || 16. ictu celeri *F.* || 17. cruore] sanguine *F.* || manentem *pr. A.* madentem *D Γ et corr. A, Torr.* || Euporum — (19.) admiror *om. Γ.* || eum porum *C E.* eum perum *F.* alii porum *D.* Euparum *eum uocat Par.* || 18. ali hunc] alii *(omisso* hunc*) pr. E.* alii philocratem hunc seruum *D.* || 19. familiaris *E et corr. D.* familiaris autem *F.* || fidei *om. F.* || Huius *Γ.* || praesentiam] *add.* serui *F.* praestantiam *E.* || 20. sui *D.*

iam esse uideo in editione Veneta a. 1478. De Moguntina non mihi constat.

2. Cf. Liu. epit. libr. LXXXVIII coll. cum Strab. V, 3, 11 p. 239 Cas. Diod. Sic. exc. de uirt. et uit. p. 614. Vell. II, 27. Plut. Syll. 32. App. ciu. I, 94. Auct. de uir. ill. 68. Oros. V, 21.

3. Cf. Vell. II, 6, 6. Plut. C. Gracch. 17. App. ciu. I, 26. Macrob. Sat. I, 11. Auct. de uir. ill. 65. Oros. V, 12.

manantem) Discrepantia inter diuersa codicum genera orta est ex archetypi uitiosa scriptura *manentem*, seruata in codice Bernensi. Mire idem prorsus mendum hunc librum occupauit II, 7, 6, sed mutatum a correctore in *manantes*. Nos igitur hoc quoque loco reuocauimus quod et facilius aliquanto in manendi uerbum transire potuit et saepius a Valerio adhibitum est in hoc nexu. Cf. VI, 9, ext. 5. Drak. ad Liu. I, 59, 1.

beneficio inminentia supplicia uitasset. Nunc conmisit ut Philocratis quam Gracchi cadauer speciosius iaceret.

Alia nobilitas, alius furor, sed fidei par exemplum. Pin- 4.
darus *C.* Cassium Philippensi proelio uictum, nuper ab eo manumissus, iussu ipsius obtruncatum insultationi hostium subtraxit seque e conspectu hominum uoluntaria morte abstulit, ita ut ne corpus quidem eius absumpti inueniretur. Quis deorum grauissimi sceleris ultor illam dexteram, quae in necem patriae parentis exarserat, tanto torpore inligauit, ut se tremibunda Pindari genibus summitteret, ne publici parricidii quas merebatur poenas arbitrio piae uictoriae exsolueret? Tu profecto, tu diue Iuli, caelestibus tuis uulneribus debitam exegisti uindictam, perfidum erga te caput sordidi auxilii supplex fieri cogendo, eo animi aestu conpulsum ut neque retinere uitam uellet neque finire sua manu auderet.

Adiunxit *se* his cladibus C. Plotius Plancus, Munatii Planci 5.
consularis et censorii frater. Qui cum a triumuiris proscriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore uitae genere et odore

1. uitasset • *A.* || Nunc — (2.) iaceret *om. Γ.* || philocrates *pr. A.* philocalis *F.* || 3. §. 4 *om. Γ.* || 4. C. Cassium] *Praenomen om. CDEF et pr. A.* || ab eo *om. E.* || 5. iussu ipsius *om. F.* || insultationi] *ultima littera in rasura A.* insultationibus *Torr.* || 7. adsumpti *pr. A.* assumpti *F.* || 8. quae] *litterae* ae *a corr. in margine A.* || 9. tempore *F.* || tremibunda] *sic A.* tremebunda *CDEFTorr. Vid. Lachm. ad Lucret. I, 95 p. 23.* || 10. publica *F.* || patricidii *D.* || 11. pii uictoris *D et corr. A. Torr.* || ei solueret *F.* || 11. tu diue] tunc diue *CD.* || 12. iulia *A.* iulii *EF.* || exigistis *F.* || uindictam] *add.* infidelem *F.* || 13. te *om. F.* || sordidis *corr. A.* || auxiliis *A.* || 14. gestu *DE.* exitu *F.* || 15. finiri *EF.* || manu sua *Torr.* || 16. Adiunxit — cladibus *om. Γ.* || se *om. ACEF.* || iis *Torr.* || g. plotinus *ACDEFΓ.* || plantus *C.* plaucius *D.* || numatii *CΓ.* || plaucii *D.* plancii *E.* || 17. Qui *om. Γ.* || 18. salonitana *Par.*

4. Cf. Plut. Brut. 43, coll. cum Vell. II, 70, 2. Flor. IIII, 7, 13. App. ciu. IIII, 113. Dio. Cass. XLVII, 46 p. 523 Reim. Auct. de uir. ill. 83. Oros. VI, 18. Zonar. X, 19.

C. Cassium) Praenominis notam omissam a librariis propter sequentem litteram *C* suppletamque a Pighio retinui, confirmatam nunc Iulii Paridis epitome. Paulo post abstractum quod uocant grammatici uocabulum *piae uictoriae* pro concreto *pii uictoris*, quod uulgo edebatur, reuocaui positum e more Valerii, de quo dixi in praef. p. 38.

5. Cf. Plin. h. n. XIII, 3, 5. Solin. 46.

C. Plotius Plancus) Lucium, non Gaium eum appellant Plinius et Solinus ll. cc. Denarium illum, in quo item L. Potium Plancum esse monuerunt uiri docti, (cf. Eckh. doctr. n. V, p. 276.) ad hunc uirum pertinere pro certo non affirmauerim. Neque uero obstat, quin eum Lucium uocatum fuisse putemus, quod frater quoque eius consularis et censorius Lucii praenomine utebatur, quia Plotius Plancus adoptione in aliam transierat familiam. Cf. Drumann. gesch. Roms I, p. 374. Nescio tamen an non recte de mendo Valerianorum librorum cogitauerit Vrsinus, cum ipsum auctorem in praenominibus ponendis parum diligentem fuisse satis constet. Vid. praef. p. 33.

unguenti occultam salutis custodiam detexit. Istis enim uestigiis eorum, qui miseros persequebantur, sagax inducta cura abditum fugae eius cubile odorata est. A quibus conprehensi serui latentis multumque ac diu torti negabant se scire ubi dominus esset. Non sustinuit deinde Plancus tam fideles tamque boni exempli seruos ulterius cruciari, sed processit in medium iugulumque gladiis militum obiecit. Quod certamen mutuae beniuolentiae arduum dinosci facit utrum dignior dominus fuerit, qui tam constantem seruorum fidem experiretur, an serui, qui tam iusta domini misericordia quaestionis saeuitia liberarentur.

6. Quid, Vrbinî Panapionis seruus quam admirabilis fidei! Cum ad dominum proscriptum occidendum domesticorum indicio certiores factos milites in Reatinam uillam uenisse cognosset, commutata cum eo ueste, permutato etiam anulo illum postico clam emisit, se autem in cubiculum ac lectulum recepit et ut Panapionem occidi passus est. Breuis huius facti narratio, sed non

3. aditum *F.* || eius] illius *Torr.* || 4. latentes *ACDFΓ. om. (E) Torr.* || multumque] que *om. F.* || 5. deinde] demum *F.* || plantus *CF.* plaucius *D.* || 6. medium] meum *F.* || 8. fecit *F.* || 9. constante seruorum fide *F.* || 11. urbini *DΓ et pr. A.* uruon *Par. et corr. A.* urbani *CEF.* Vrbinli *Torr.* || panopionis *DΓ et corr. A. Torr.* || Cum] Qui cum *Torr. Vid. ad II*, 10, *ext.* 2. || 12. iudicio *EF.* || 13. cognosceret *CEF.* cognouisset *DΓ. Vid. ad. II*, 10, 8. || 14. anullo *pr. A.* || postica *Γ.* || 15. et ut] et se ut *D.* utque *Γ.* || panopionem *DΓ Torr.* panpionem *E.*

serui latentis) latentis omissum est in uulgatis editionibus, quamuis nulla omnino interpolationis suspicio sit. Vitiose tamen in codicibus legitur *latentes;* nam seruos quoque latuisse dici nihil intererat. Quapropter sine dubio recte Perizonius coniecerat legendum esse *latentis*, quod cur transierit in *latentes* facile perspicitur. Probauit Perizonii coniecturam Torrenius. Sed cum haesitaret anne *latentes* significaret seruos illos se quoque abdidisse, ne conspecti et cogniti dominum proderent, neutrum recepit.

deinde Plancus) Perizonius legendum esse censuit *demum* pro *deinde*, falsus, si librorum scripturam sententiae non conuenire putauerit. Nam particula *deinde* saepe sequentia annectit ita, ut simul cum singulari ui ac pondere comprehendat praecedentia et significet fere *post talia*. Cf. Gronou. ad Liu. IIII, 49, 15, quem citauit Torrenius, recte oblocutus Perizonio.

6. Cf. Senec. de benef. III, 25. App. ciu. IIII, 44. Macrob. Sat. I, 11. Dio. Cass. XLVII, 10 p. 497 Reim. Zonar. X, 17.

Vrbinî Panapionis) Mire prius nomen corruptum est in codice Vaticano Iulii Paridis, exhibente *uruon*, quod temere asciuit corrector libri Bernensis, cum antea ibi recte legeretur *urbini*. In cognomine plus tribuendum est consensui Paridis, qui bis exhibet Panapionem, et Valerianorum codicum, inter quos Bernensis prima manus alteram syllabam bis per uocalem *a*, semel per *o* effert, quam deriuationi alterius formae perquam certe ambiguae a *πάν* et *ὄπιον* pro *ὤψ*, qua Forcellinius illam tuetur. Idemque nomen, quod nos posuimus, apud Appianum quoque in mendo codicum latere arbitramur, ubi *nunc* quidem legimus *Ἄπιων*. Macrobio, ni codices fallunt, recto casu Vrbinus est, sed uerior gentilicii nominis forma ea esse uidetur, cuius genitiuum proprie duplice *i* scribendum esse indicaui.

parua materia laudationis. Nam si quis ante oculos ponere uelit subitum militum adcursum, conuulsa ianuae claustra, minacem uocem, truces uultus, fulgentia arma, rem uera aestimatione prosequetur, nec quam cito dicitur aliquem pro alio mori uoluisse, tam id ex facili etiam fieri potuisse arbitrabitur. Panapio autem quantum seruo deberet amplum ei faciendo monumentum ac testimonium pietatis grato titulo reddendo confessus est.

Contentus essem huius exemplis generis, nisi unum me 7.
adicere admiratio facti cogeret. Antius Restio, proscriptus a triumuiris, cum omnes domesticos circa rapinam et praedam occupatos uideret, quam maxime poterat dissimulata fuga se penatibus suis intempesta nocte subduxit. Cuius furtiuum egressum seruus ab eo uinculorum poena coercitus inexpiabilique litterarum nota per summam oris contumeliam inustus curiosis speculatus oculis ac uestigia huc atque illuc errantia beniuolo studio subsecutus lateri uoluntarius comes adrepsit. Quo quidem tam exquisito tamque ancipiti officio perfectissimum *in*expectatae pietatis cumulum expleuerat. His enim, quorum

1. materia parua *F.* || 2. subitum militum] militum subiectum *F.* || occursum *E.* || castra minantem *F.* || 3. rem uera] *in rasura D.* re uera *CEFΓ.* || aestimationem *EΓ et pr. A.* || 4. prosequeretur *pr. A.* || ne *EF.* || 5. arbitrabitur] mirabitur *in rasura A.* || 6. panopio *CΓ et pr. A.* panopius *D.* Panopion *Torr.* || autem quantum] an quam *F.* || faciendum *Γ.* || 7. gratum titulum *corr. Γ.* || 9. huius generis exemplis *D Torr.* huius exempli generis *E.* huiusmodi exempli generis *F.* exemplis huius generis *Γ.* || 10. dicere *ACDEFΓTorr.* || resto *D.* || 11. circa] contra *F.* || 13. intempestate *pr. A.* || furtium *pr. A.* fortiuum *F.* || 14. seruos *pr. A. quae fortasse antiqua Valerii scriptura est.* || cohercitus *EΓ et pr. A.* || inexpiabilique] que *om. C.* || 15. continentiam *C.* || 18. ancipici *A.* || 19. expectatae *ADEΓTorr.* expectare *C.* spectatae *F.* || Iis *E.*

7. Cf. App. ciu. IIII, 43. Macrob. Sat. I, 11. Dio. Cass. XLVII, 10 p. 498 Reim. Zonar. X, 17.

huius exemplis generis) Insolens prorsus uerborum ordo ille, quo genitiui arte cohaerentes dirimuntur interposito ablatiuo. Neque tamen quicquam mutandum erat, cum similiter Valerius locutus sit VI, 9, ext. 1, *Cuius grauitate sermonis resipiscere coactus Polemo* et VII, 8, 5 *Aeque felicis impunitatis, sed nescio an taetrioris haec delicti testamenta*, quae intacta reliquerunt priores editores, qui hoc loco transposuerant *huius generis exemplis*.

me adicere) Secutus sum coniecturam Perizonii, cum codicum et editionum scriptura *me dicere* sensu plane careat, omnino necessariam, sed uix commemoratam a recentioribus Valerii enarratoribus.

inexpectatae pietatis) Omnes fere codices *expectatae* tradunt. At expectari ab hoc quidem seruo nihil tale poterat, ut in sequentibus uberius etiam exponitur. Quapropter Torrenius, qui primus restituit illud *expectatae*, cum inde a Pighio editum esset *spectatae*, non recte enarrat, 'fecerat quod summum a tali seruo expectari poterat'. Si genuina esset scriptura, quod mihi non persuadetur, *expectatae* cum pondere quodam pronuntiari et explicari deberet,

felicior in domo status fuerat, lucro intentis ipse, nihil aliud quam umbra et imago suppliciorum suorum, maximum esse emolumentum eius, a quo tam grauiter punitus erat, salutem iudicauit, cumque abunde foret iram remittere, adiecit etiam caritatem. Nec hactenus beniuolentia processit, sed in eo conseruando mira quoque arte usus est. Nam ut sensit cupidos sanguinis milites superuenire, amoto domino rogum extruxit eique egentem a se conprehensum et occisum senem superiecit. Interrogantibus deinde militibus ubinam esset Antius, manum rogo intentans, ibi illum datis sibi crudelitatis piaculis uri respondit. Quia uerisimilia loquebatur, habita est uoci fides. Quo euenit ut Antius statim quaerendae incolomitatis occasionem adsequeretur.

1. status in domo *EF.* || ipse] *add.* cum *CDEF et corr. A*, *Torr.* || aliud quam] aliud *om. pr. A.* aliudque *F.* || 2. esset *ACDF et pr. E et ante* maximum *Torr.* || 3. salutem] *add.* suam *corr. A.* || 5. Nec] *add.* solum *D.* || actenus *A.* || conseruando mira *om. F.* || 6. arte usus] arcessus *F.* || cupido *pr. A.* || 7. regum *F.* || 8. senem] *ante* a se *E. ante* et occisum *F.* || 9. manu in rogum *F.* || 11. loquebatur] uidebatur *F.* || habita] data *EF.* || 12. statum *A.* || incolumitatis *corr. A cum reliquis et Torr.* || occisionem *pr. A.* occasione *corr. A.*

'fecerat quod summum fidei documentum foret uel in his, a quibus pietas expectari poterat'. Sed ne ita quidem satis concinne sequentia sic adiungerentur, *His enim quorum felicior in domo status fuerat* etc. Contra omnia plana sunt aptissimeque cohaerent, si cum Perizonio scripseris *inexpectatae*, suppletis duabus litteris, quae quam frequenter exciderint post litteram m sciunt qui aliquanto accuratius inspexerunt ueterum scriptorum codices manuscriptos

ipse nihil aliud quam umbra — maximum esse emolumentum) Cum archetypus codex pro infinitiuo *esse* mendose traderet *esset*, a correctore libri Bernensis et in plerisque codicibus ante *nihil aliud* inserta est particula *cum*, ut haberet ille coniunctiuus unde aptus esset. Retinuerunt hanc interpolationem tacite editores aeque omnes, mutato insuper uerborum ordine, adeo ut fieret *ipse, cum nihil aliud quam umbra et imago suppliciorum suorum esset, maximum emolumentum eius — salutem iudicauit.* Quae sententiae quidem satisfaciunt; probabilia certe non sunt. Mihi lenissima facilique inuentu emendatione antiquam Valerii scripturam restituisse uidetur abbreuiator Guelferbytanus, quem supra secutus sum. Dubitari tantummodo potest de u. *aliud*, quod abest a Bernensi libro; sed cum idem summo alterius familiae consensu confirmetur neque ullus, quod equidem sciam, Valeriani aeui scriptor *nihil quam* pro eo posuerit, quod uulgo dicebatur *nihil nisi*, peculiari huius codicis corruptela illud uocabulum interiisse credo.

DE MVTATIONE MORVM AVT FORTVNAE.

Multum animis hominum et fiduciae adicere et sollicitu- IX.
dinis detrahere potest morum ac fortunae in claris uiris recognita
mutatio, siue nostros status siue proximorum ingenia contem-
plemur. Nam cum aliorum fortunas spectando ex condicione
abiecta atque contempta emersisse claritatem uideamus, quid
aberit quin et ipsi meliora de nobis semper cogitemus, memores
stultum esse perpetuae infelicitatis se praedamnare, spemque,
quae etiam incerta recte fouetur, interdum certam in despera-
tionem conuertere?

Manlius Torquatus adeo hebetis atque obtunsi cordis inter 1.
initia iuuentae existimatus, ut a patre L. Manlio amplissimo
uiro, quia et domesticis et rei publicae usibus inutilis uidebatur,
rus relegatus agresti opere fatigaretur, postmodum patrem reum
iudiciali periculo liberauit, filium uictorem, quod aduersus im-
perium suum cum hoste manum conseruerat, securi percussit,
patriam Latino tumultu fessam speciosissimo triumpho recreauit,

1. AVT FORTVNAE] *om. Par.* ac fortunae *D.* et fortunae *Γ.* || 3. potest detrahere *DΓ.* || 4. complectemur *Γ.* || 5. spectando ex] *in rasura A.* spectando et ex *CEF.* et pectora ex *Γ.* || 6. adiecta *F.* || contemperata *F.* || in claritatem *DΓ.* || 7. oberit *D.* || semper meliora cogitemus de nobis *F.* || 8. infelicitati *Γ.* || se praedamnare] saepe damnare *pr. A.* saepre damnare *corr. A.* se sepe damnare *D.* sepe dampnare *Γ.* se damnare *CEF.* || spemque quae etiam] *exceptis litteris* spem *in rasura A.* || 9. fouet *Γ.* || certa *F.* || 11. malius *E.* manilius *F.* || habetis *pr. A et pr. Γ.* || obtusi *CDEFΓ et pr. A, Torr. Vt nos Par.* || 12. existimatus] *add.* est *corr. D, Torr.* || manlio *EF.* || 13. qui *pr. A.* || et rei publicae] et *om. D.* || 14. eligat augusti *F.* || 15. iudicali *pr. A.* || 16. conseuerat *pr. F.* || 17. tumultu • *A.*

IX. *perpetuae infelicitatis se praedamnare)* Egregia haec emendatio est uiri docti, qui codicem Bernensem recensuit, pro inepta archetypi scriptura *saepe damnare.* Translatam inde in codices Pulmannianum, Susianum, Coloniensem receperat Pighius. Praedamnat se, ut recte exposuit Torrenius, perpetuae infelicitatis 'qui antequam sciat quae sua aliquando fortuna sit futura ita animum despondet ac si perpetuae infelicitatis esset destinatus'.

1. Cf. Liu. VII, 4. Auct. de uir. ill. 28. Val. V, 4, 3 et quos ibi citaui.

obtunsi cordis) Sic Iulius Paris et ex eo correctus liber Petri Danielis. Quod recepi, quia altero loco, ubi in hoc opere occurrit illud uocabulum, VII, 3, 2 item *obtunsi* exaratum est in optimis codicibus, ut dubitari fere nequeat quin ita scripserit ipse Valerius, quamuis constanter sine littera *s* posuerit *contusus.* (Cf. II, 7, 7. III, 2, 23. III, 8, ext. 6. VI, 4, 1. VI, 5, 1 etc.). Eandem pleniorem formam compositorum, nam de simplici *tunsus* non ambigitur, aliorum quoque scriptorum optimi quique codices saepenumero exhibent. Cf. exempla quae citauit Wagner in orthographia Vergiliana uolum. V editionis Verg. p. 457, quibus addo Liu. V, 18, 4. A. Gell. XIII, 24, 21. In Lucretianis libris littera *s* non inuenitur in his participiis, uerum saepius in Plautinis.

in hoc, credo, [ne] fortunae nubilo adulescentiae contemptu perfusus, quo senectutis eius decus lucidius enitesceret.

2. Scipio autem Africanus superior, quem dî inmortales nasci uoluerunt, ut esset in quo uirtus se per omnes numeros hominibus efficaciter ostenderet, solutioris uitae primos adulescentiae annos egisse fertur, remotos quidem a luxuriae crimine, sed tamen Punicis tropaeis, deuictae Karthaginis ceruicibus inposito iugo teneriores.

3. Gaius quoque Valerius Flaccus secundi Punici belli temporibus luxu perditam adulescentiam inchoauit. Ceterum a P. Licinio pontifice maximo flamen factus, quo facilius a uitiis recederet, ad curam sacrorum et caerimoniarum conuerso animo, usus duce frugalitatis religione, quantum prius luxuriae fuerat exemplum, tantum postea modestiae et sanctitatis specimen euasit.

4. Nihil Q. Fabio Maximo, qui Gallica uictoria cognomen Allobrogici sibimet ac posteris peperit, adulescente magis infame, nihil eodem sene ornatius aut speciosius illo saeculo nostra ciuitas habuit.

---

1. ne] *om. CEFTorr.* malignae *F.* || 2. euiresceret *E.* || 3. autem *om. F.* || 4. uirtus] *post* se *Torr.* || se per] super *pr. A.* || 6. luxoriae *A.* || 7. tropeis *A.* || 8. tenoriores *F.* || 9. Gaius] marcus *F.* || belli punici *E.* || 11. Licino *E.* licinio *F.* || 12. ad] ac *F.* || et] atque *F.* || cerimoniarum *A.* || 13. fragilitatis *pr. A.* frugilitatis *corr. A.* fragalitatis *F.* || quam *FT.* || luxoriae *A.* || 14. ac sinceritatis *F.* || 16. Q.] quia *F.* || 17. allobrogi *ACDEF. (Idem mendum III, 5, 2.* alligobri *F.* || 18. nil *Torr.*

---

in hoc, credo, [ne] fortunae nubilo) Particulam *ne*, quae sententiam male interrumpit sensumque tollit, locum non habere facile intellegitur. Quod cum sensissent librarii, nonnulli *(x'')* ineptam uocem omnino eiecerunt; nec profecto male. Videtur enim auctor argutius quidem, sed e more suo dixisse ideo nubilo fortunae caelo Manlium perfusum esse contemptu adulescentiae, quo clarius postea uirtus eius enitesceret. Ita nubilum absolute de nubilo caelo dixerunt Plin. epp. II, 17, 7, Suet. Ner. 13, alii; et imagine inde petita saepe tristis rei alicuius aspectus ita describitur. Minime certe placet adiectiuum *nubilo* coniunctum cum *contemptu*, quemadmodum coniungitur in Torrenii coniectura *in hoc, credo, a fortuna nubilo adulescentiae contemptu perfusus*, quo etc. Abbreuiator Guelferbytanus, cum in archetypo suo repperisset suspectam illam particulam, non sine specie quadam artis posuit *in hoc, credo, malignae fortunae nubilo*, quod receperat Pighius. Verum maligna dici uix poterat fortuna, quae eo consilio obscurauit adulescentiam, quo lucidius enitesceret uirilis aetas. Quapropter redeundum uidetur ad ea, quae inde a Vorstio edebantur, deleta particula *ne*, quamuis me subdubitare confitear, quia idoneam causam, cur eam a librario insertam putem, perspicio nullam.

2. Cf. A. Gell. VI, 8.

3. Cf. Liu. XXVII, 8.

Quis ignorat Q. Catuli auctoritatem in maximo clarissimorum uirorum prouentu excelsum gradum obtinuisse? Cuius si superior aetas reuoluatur, multi luxus, multae deliciae repperientur. Quae quidem ei inpedimento non fuerunt quo minus patriae princeps existeret nomenque eius in Capitolino fastigio fulgeret ac uirtute ciuile bellum ingenti motu oriens sepeliret. 5.

Lucius uero Sylla usque ad quaesturae suae comitia uitam libidine, uino, ludicrae artis amore inquinatam perduxit. Quapropter C. Marium consulem moleste tulisse traditur quod sibi asperrimum in Africa bellum gerenti tam delicatus quaestor sorte obuenisset. Eiusdem uirtus, quasi perruptis et disiectis nequitiae qua obsidebatur claustris, catenas Iugurthae manibus iniecit, Mitridatem conpescuit, socialis belli fluctus repressit, Cinnae dominationem fregit, eumque, qui se in Africa quaestorem fastidierat, ipsam illam prouinciam proscriptum et exulem petere 6.

1. §. 5 *om. F.* || 2. prouentu] *om. F.* prouectu *D et pr. A.* || aetas superior *F.* || 3. lusus *ACDEF.* || et multae *F.* || repperiantur *pr. A.* reperientur *corr. A.* || 5. nomenque] uocabulumque *E.* || capitolio *EF.* || 7. Lucius uero] *Nouum caput h. l. incipit, inscriptum* DE MVTATIONE FORTVNAE *Par.* || quaestore *F.* || 10. africam *AC.* || 11. uenisset *pr. F.* deuenisset *corr. F.* || desictis *F.* || 12. obsiderebatur *pr. A.* considebatur *F.* || castris *F.* || Iugurthae] *in rasura A.* || 13. luctus *aut* fluctus *pr. A.* luctus *CDEFΓ.* || 15. illam ipsam *Torr.*

5. *multi luxus)* Codices *luxus*, quo uocabulo adulescentiae mores, libidinis item et uini indulgentiam denotari putat Colerus. Neque tamen, si ita absolute dicitur *luxus*, etiamsi leuius deuerticuli genus denotat, in uitiorum numero ponitur. Itaque cum uulgatis editionibus legendum *luxus*. Pluraliter hoc uerbo usi sunt Lucan. Phars. X, 109 et Sil. Ital. XI, 102, quos citauit Forcellinius, qui etiam confundi saepissime in codicibus alterum uocabulum cum altero docuit.

nomenque eius in Capitolino fastigio fulgeret) quia dedicauerat templum Iouis Capitolini. Cf. Liu. epit. libr. XCVIII. Cic. in Verr. IIII, 31, 69. Plin. h. n. XIX, 1, 6. Tac. hist. III, 72. Orell. inscr. n. 31.

6. Cf. Sall. Iug. 95. Vell. II, 17, 2. Plut. Syll. 2.

belli fluctus) Non satis liquet fueritne in codice Bernensi prima manu scriptum *fluctus*, ut mihi quidem uidetur, an *luctus*, quod reliqui codices tantum non omnes tradunt. Sed utut est, Latine ne recte quidem dicuntur *socialis belli luctus* quos illud bellum excitauit, nec, si dicerentur, Sylla luctus hos repressisse apte scribi poterat, cum interim et usitatissimum sit et sententiae maxime conueniat quod ab emendatore libri Danielini profectum receperat Pighius. Comparat Torrenius Cic. I de orat. 1, 3. Corn. Nep. Att. 6, quibus addo Lucret. V, 1290. Hor. epp. II, 2, 83.

fregit) sc. reditu suo ex Asia. Miserat enim Sylla Athenis epistolam, qua, minatus uenturum se caedium a Cinna et Mario factarum uindicem, adeo auxerat animum senatui et amicis suis, ut resistere auderent Cinnae impedirentque eius delectus. Cf. App. ciu. I, 77. Ita quodammodo, quamuis ante Cinna a militibus interficeretur quam cum ipso decertasset, dominationem eius fregisse dici poterat. Quae uerba certe multo minus cadunt in Octauium, Cinnae collegam, quem h. l. a Valerio cum Sylla confusum esse statuit Dru-

coegit. Quae tam diuersa tamque inter se contraria si quis apud animum suum attentiore conparatione expendere uelit, duos in uno homine Syllas fuisse crediderit, turpem adulescentulum et uirum, dicerem fortem, nisi ipse *se* felicem appellari maluisset.

7. Atque ut nobilitati beneficio paenitentiae se ipsam admonitae respicere altiora modo suo sperare ausos subtexamus, T. Aufidius, cum Asiatici publici exiguam admodum particulam habuisset, postea totam Asiam proconsulari imperio obtinuit. Nec indignati sunt socii eius parere fascibus, quem aliena tribunalia adulantem uiderant. Gessit etiam se integerrime atque splendidissime. Quo quidem modo demonstrauit, pristinum quaestum suum fortunae, praesens uero dignitatis incrementum moribus ipsius inputari debere.

8. At P. Rupilius non publicanum in Sicilia egit, sed operas

---

2. expendere] expectare *E.* || 3. adolescentem *F.* || 4. fortem dicerem *Γ.* || se] *om. ACEF. post* felicem *Torr.* || 6. §. 7 *om. Γ.* || nobilitatem *(sed litt.* em *in rasura) A, Torr.* nobilitatis *CEF et post* beneficio *D.* || ipsum *CDEF et pr. A.* || admonit • *A.* admonui *corr. A.* admonuimus *Torr.* || 7. respicere] *add.* ita *margo A, Torr.* || ausus *pr. A.* || subtextamus *D.* || P. Aufidius *Par.* Ti. Aufidius *Torr.* || 8. publici] publicam *D.* supplicii *F.* || 12. Quo quidem] quoq. id *AC.* quoque idem *D.* in quoque id *F.* eoque *Torr.* || 15. §. 8 *om. Γ.* || ac *D.* || p. rutilius *ACDF.* titus p. rutilius *E.* || siciliam *F.*

---

mannus gesch. Roms II, p. 582, cum is urbe quidem paulo ante expulerit Cinnam, sed mox morte sua ad tres deinceps consulatus aditum ei dederit.

7. *ut nobilitati)* Cum bonis codicibus haec tradita sint, *ut nobilitatis beneficio paenitentiae se ipsum admonitae respicere altiora modo suo* etc., lenissima mutatione genuina Valerii uerba restituit Gronouius IIII obseru. 19; quem secutus sum, cum uulgo ederetur *ut nobilitatem beneficio paenitentiae se ipsam admonuimus respicere, ita altiora modo suo — subtexamus.* Quod profectum ab emendatore libri Danielini manifestam prodit coniecturam, cum audacissimam tum, quia uu. *beneficio paenitentiae* in ea non habent quo referantur, omnino falsam. Neque enim ipse Valerius in admonenda nobilitate paenitentiae beneficio usus est. Sententiam hanc auctor posuit, 'Nobilitati degenerae, sed paenitentia admonitae ut a prauis operibus desisteret, subiungamus eos, qui ad maiora prouecti sunt quam pro humili loco, unde orti erant, sperare poterant'.

T. Aufidius) Vulgo male inuitis libris edebatur *Ti. Aufidius.* Haud dubie idem ille est T. Aufidius, qui a Cicerone commemoratur pr. Flacc. 19, 45 et Brut. 48, 179. Asiam prouinciam obtinuisse uidetur anno 685 aut 686.

Quo quidem modo) Ita haud dubie uitiosa archetypi scriptura *quoq.* (i. e. *quoque*) *id modo* emendanda est. Pighius audacter e 'manuscriptis,' ut ait, *eoque modo* receperat, cum antea ederetur *miroque id modo.* Confirmant coniecturam meam similia exempla sat multa. Cf. III, 8, 3 *Quo quidem tam abscise responso;* V. 1, 5 *Quo quidem tam clementi facto;* V, 1, ext. 3 *Qua quidem clementia et moderatione*; V. 4, ext. 5 *Quo quidem uno tam pio dicto;* et sic etiam V, 6, ext, 3. VI, 8, 7. VIII, 7, 2. VIII, 12, 1.

8. *P. Rupilius)* Idem commemoratur II, 7, 3. IIII, 7, 1. IX, 12, ext. 1. Sed librarii pro eo solito errore Rutilium posuerunt. Vid. ad II, 7, 3. De

publicanis dedit. Idem ultimam inopiam suam auctorato sociis officio sustentauit. Ab hoc postmodum consule leges uniuersi Siculi acceperunt acerbissimoque praedonum ac fugitiuorum bello liberati sunt. Portus ipsos, si quis modo mutis rebus inest sensus, tantam in eodem homine uarietatem status admiratos arbitror. Quem enim diurnas capturas exigentem animaduerterant, eundem iura dantem classesque et exercitus regentem uiderunt.

Huic tanto incremento maius adiciam. Asculo capto Cn. Pompeius, Magni pater, P. Ventidium aetate *im*puberem in triumpho suo populi oculis subiecit. Hic est Ventidius, qui postea Romae ex Parthis et per Parthos de Crassi manibus in 9.

1. sociis *om. F.* || 2. Ab] ad *pr. A.* || 3. singuli *F.* || aceruissimoque *pr. A.* || 9. §. 9 *om. Γ.* || cn. pompei *ACE.* cum pompei *F.* || 10. Magni] *add.* pompeli *D.* || puberem *ACDEF Torr.* || 12. et per Parthos *om. F.*

legibus, quas Siculis conscripsit, ex publicano dictus consul cf. Pseudoascon. in Verr. II §. 32 p. 212 Orell.

diurnas capturas exigentem) Enarratores capturam de uectigalibus explicant, quae P, Rutilius, publicanorum minister, exigere solitus fuerit. In quae inciderunt, ni fallor, propter portuum commemorationem. Sed de uectigalibus sermo non est. Recte igitur Kappius capturas uilem 'mercedem humilis et miselli hominis' esse adnotauit, eademque lucri parum honesti significatione hoc uocabulo Valerius usus est III, 4, 4 et IX, 4, 1 Cf. Plin. h. n. XXIIII, 1, 4. Suet. Cal. 40. Senec. contr. I, 2. V, 33.

9. Cf. Vell. II, 65, 3. Plin. h. n. VII, 43, 44. Iuuen. sat. 7, 199. Gell. XV, 4. Dio. Cass. XLIII, 51 et XLIX, 21.

Cn. Pompeius, Magni pater) Ita Pighius edidit, cum Aldus conspirantibus codicibus manuscriptis tantum non omnibus posuisset *Cn. Pompeii Magni pater*, contra morem ueterum scriptorum. Est autem admodum uerisimile librarium aliquem, cum legeret *Cn. Pompeius Magni pater*, diuersos casus non conuenire inter se arbitrantem, ita archetypi scripturam e coniectura immutasse. Quam suspicionem nonnihil etiam confirmat Paridis compendium, cuius uerba sunt *Ventidius — a Cn. Pompeio patre captus.*

aetate impuberem) aetate puberem, quod omnes codices et editiones exhibent, a Valerio scriptum esse nequit. Praeterquam enim quod historiae ueritati illud repugnat, cum Ventidium puerum etiamtum a Cn. Pompeio in triumpho ductum esse omnes aperte tradiderint, qui de ea re mentionem fecerunt ueteres scriptores, inter quos Gellius etiam sinu matris ante currum imperatoris eum uectum esse narrat, quid, quaeso, si pubertatis annos iam ingressus fuisset tunc temporis Ventidius, quid interesse poterat Valerii hoc commemorare, quod non adiectum per se intellegebatur, cum nemo tum non de pubere Ventidio cogitasset? Certa uero aetatis descriptio, propter quam a Valerio appositum esse credant oportet qui defendunt illud *aetate puberem*, ne efficitur quidem eo uocabulo, quo omnis aetas praeter infantiam ac pueritiam denotatur. Itaque omnino legendum est *impuberem*, quemadmodum Pighius propter historiae discrepantiam scribi iusserat, cui astipulatur Vorstius. Perizonius auctorem aut idem illud aut *puerum* posuisse coniecit, quod, licet minus probabile sit, non displicuit Torrenio. Iam uero Paridis compendium Pighianae emendationi refragari codicumque scripturam *puberem* tueri uidetur. At, cum ibi legatur *aetatis admodum puberis*, ueri simile certe est

hostili solo miserabiliter iacentibus triumphum duxit. Ita qui captiuus carcerem exhorruerat uictor Capitolium felicitate celebrauit. In eodem etiam illud eximium, quod eodem anno praetor *et consul* est factus.

10. Casuum nunc contemplemur uarietatem. L. Lentulus consularis lege Caecilia repetundarum crimine oppressus censor cum L. Censorino creatus est. Quem quidem fortuna inter ornamenta et dedecora alterna uice uersauit, consulatu illius damnationem, damnationi censuram subiciendo et neque bonis eum perpetuis frui neque malis aeternis ingemiscere patiendo.

11. Isdem uiribus uti uoluit in Cn. Cornelio Scipione Asina. Qui consul a Poenis apud Liparas captus, cum belli iure omnia perdidisset, laetiore subinde uultu eius adiutus cuncta recuperauit; consul etiam iterum creatus est. Quis crederet illum a duodecim securibus ad Karthaginiensium peruenturum catenas? Quis rursus existimaret a Punicis uinculis ad summi imperii peruenturum insignia? Sed tamen ex consule captiuus et ex captiuo consul est factus.

12. Quid, Crasso nonne pecuniae magnitudo locupletis nomen

1. dixit *pr. A.* || Ita] itaque *FTorr.* || 4. et consul *om. ACDEF.* || factus est *CDE.* || 5. contemplamur *F.* || 6. ceclia *C.* || rependarum oppressus crimine *F.* || 8. tormenta *CEF et pr. A.* || consulatu] *sic pr. AC.* consulatui *DEFΓ et corr. AC. Vid. ad III, 7,* 10. || 9. dampnationem *A.* || 10. ingemescere *pr. A. Cf. V,* 10, 2. || 11. idem *C et pr. A.* hisdem *F.* || nasica *ACDEFΓ.* || 13. uultus *CF.* || eius *om. F.* || recuperauit] *add.* et *E.* || 15. duodecim] ccii *Γ.* || 16. rursum *FΓ.* || summũ *pr. A.* || 18. factus est *DTorr.* || 19. nonne] non et *pr. A.*

aut mendose in codice Vaticano ita scribi pro *aetatis adhuc impuberis* aut Paridem, cum in suo Valerii codice iam inuenisset *puberem*, ita immutasse quod sententiae parum conuenire animaduerteret, ut puberem pro adulescentulo positum esse appareret.

praetor et consul est factus) In archetypo codice omissa erant uu. *et consul*, tamquam eodem anno et triumphasset Ventidius et praetor factus esset. Sed praeturam et consulatum obtinuit a. u. c. 711, triumphauit de Parthis a. 716. Lacuna recte iam expleta est in ed. Venet. a. 1478. Cf. Vell. II, 65, 3.

10. *L. Lentulus)* L. Cornelius Lentulus Lupus consul a. u. c. 598, censor a. 607. Cf. fast. Cap. Fest. u. religionis p. 285 Müll., qui etiam publici illius iudicii mentionem fecit.

11. Cf. Val. VI, 6, 2 et quos ibi citaui testes.

Scipione Asina) Ita archetypi codicis mendum *scipione nasica* correxit Glareanus. Est enim idem ille Cn. Cornelius, quem commemorauit Valerius VI, 6, 2, eumque Asinae cognomine usum esse constat. Confirmat nunc Glareani coniecturam Paridis epitome.

12. Cf. Plin. h. n. XXXIII, 9, 47.

locupletis nomen dedit) Lapsus est Valerius et cum eo Plinius, ut recte animaduertit Drumann. gesch. Roms IIII, p. 71, quod hunc primum Diuitis cognomen assecutum esse tradiderunt, cum fuerit nepos P. Licinii Crassi Diuitis, consulis a. 657. Cf. Cic. Tusc. I, 33, 81. id. ad Att. II, 13, 2.

dedit? Sed eidem postea inopia turpem decoctoris apellationem inussit. Siquidem bona eius a creditoribus, quia solidum praestare non poterat, uenierunt. † Itaque qui amara suggillatione non caruit, cum egens ambularet, dies ab occurrentibus salutabatur.

Crassum casus acerbitate Q. Caepio praecucurrit. Is nam- 13.
que praeturae splendore, triumphi claritate, consulatus decore, maximi pontificis sacerdotio ut senatus patronus diceretur adsecutus, in publicis uinculis spiritum deposuit, corpusque eius

1. inopiam *Γ et pr. C.* || decocoris *D.* decotoris *F.* || superlationem *ADEFΓ Torr.* superlatione *C.* || 2. immisit *D.* iussit *F.* iniunxit *Torr.* || a *om. Γ.* || 3. uenerunt *DFΓ et pr. A.* || Itaque qui] itaque quia *corr. A.* itaque quoque *CEFTorr.* itaque *(om.* qui*) Γ.* || sugillatione *(A.)* sigillatione *C.* subgillatione *F.* || 4. caruit] *add.* quia *FΓ.* || 6. Crassum — Is namque] Q. etiam caepio *Γ.* || aceruitate *pr. A.* || praecurrit *E Torr. Vid. ad III.* 1. 1. || 7. splendore] splendor et *pr. A.* splendore et *CDEFΓ.*

decoctoris appellationem) In bonis codicibus tantum non omnibus scriptum est *superlationem*, quod commodum sensum non praebet. Falluntur autem Pighius, qui superlationem esse 'superflui nominis adiectionem', et Kappius, qui inopiam Crasso turpem et 'hyperbolicum' decoctoris nomen peperisse opinabantur. Nam ut concedam *decoctoris superlationem* eo significatu, quo illi uoluerunt, Latine dici posse, hyberbole certe in eo cognomine nulla omnino inest, et si inesset, non magis ad rem pertineret eam indicari quam superfluam illam appellationem fuisse, quod auctoris menti prorsus contrarium est. Torrenio non longe a uero abesse uidetur, quod Perizonium aliquando coniecisse sed postea obelo transfixisse narrat, *Decoctoris insuper appellationem inussit.* Cui suspicioni libenter subscriberem, si decoctoris appellatio re uera cognominis uicem obtinuisset, ita ut Crassus ea iuxta alteram usus esse dici potuisset. Iam uero credo recte Lipsium coniecisse *decoctoris appellationem.* Mendum ortum esse uidetur, aut quia littera *s* e fine alterius uocis alteri adhaesit, aut quia haec confundebatur cum suggillationis uocabulo, quod statim sequitur. Deinde pro eo, quod uulgo edebatur *iniunxit,* iubentibus libris reuocaui uerbum de his qui ignominiosa nota afficiuntur usitatissimum. Cf. Val. III, 7, ext. 6, *Thrasymenum lacum dira inustum memoria.* Aliorum scriptorum multa exempla congessit Forcellinius.

† *Itaque qui amara suggillatione)* Vitiosam et sensu plane carentem archetypi scripturam mire probauit Kappius, adnotans ita non male in editione sua uetere legi. Sed aeque falsum et soloecum est quod codicibus ad familiam x'' pertinentibus proditum receperant grammatici, *Itaque quoque amara.* Sententiae magis quam criticae arti satisfactum est in alterius familiae (x') scriptura *Ita amara suggillatione non caruit, quia cum egens* etc. Equidem anceps haereo. Scripserit forsan Valerius *Itaque, quod amara suggillatione non caruit* (i. e. quod non sine amaritudine quadam fiebat), *cum egens ambularet, Dies ab occurrentibus salutabatur.*

13. *in publicis uinculis spiritum deposuit)* Quam uere hoc retulerit Valerius nescio. Eundem enim Q. Caepionem in carcerem coniectum, sed L. Rhegini tribuni plebis manibus custodia liberatum, uoluntario exilio supplicium effugisse tradidit IIII, 7, 3, quibuscum consentiunt ceteri quos ibi citaui scriptores. Neque etiam alio iudicio postea damnatum esse Caepionem aut constat aut credibile est. Nam si A. Gellius III, 9, 7 refert *Cum oppidum Tolosanum in terra Gallia Q. Caepio consul diripuisset, multumque auri in eius oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit misero cruciabiliqua*

funesti carnificis manibus laceratum in scalis Gemoniis iacens magno cum horrore totius fori Romani conspectum est.

14. Iam C. Marius maxima fortunae luctatio est. Omnes enim eius impetus qua corporis qua animi robore fortissime sustinuit. Arpinatibus honoribus iudicatus inferior quaesturam Romae petere ausus est. Patientia deinde repulsarum inrupit magis in curiam quam uenit. In tribunatus quoque et aedilitatis petitione consimilem campi notam expertus praeturae candidatus supremo in loco adhaesit, quem tamen non sine periculo obtinuit. Ambitus enim accusatus uix atque aegre absolutionem ab iudicibus impetrauit. Ex illo Mario tam humili Arpinate, tam ignobili Romae, tam fastidiendo candidato ille Marius euasit, qui Africam subegit, qui Iugurtham regem ante currum egit,

1. gemoniarum *D.* || 2. honore *F.* || 3. Marius] maximus *F.* || maximae *pr. A.* maxime *CF.* || luctatio est] luctatione *pr. A.* luctatio *(om.* est*) corr. A.* || 4. impetus eius *Γ.* || quo corporis quo *DΓ et corr. A.* tam corporis quam *CEF.* || 9. suppino *F.* || in *om. D Torr.* || adhaesit] ita haesit *CDE et pr. A.* inhaesit *FΓ et corr. A. Torr.* || quam *DE et corr. A. Torr.* || 11. a iudicibus *DEFΓ Torr.* || arpina *pr. A.* arpini *Γ Torr.* || 12. tamque fastidiendo *corr. D. Torr.* tam faustidiendo *F.* || 13. subegit, qui] subegit qui subegit *pr. A.* subegit *(omisso* qui*) CF et corr. A.* || Iugurtham] ingratam *F.*

exitu periit, et si Iustinus XXXII, 3, 11 declarat id sacrilegium causam exitii Caepioni exercituique eius postea fuisse, ita ut rem obiter intuenti hi quidem scriptores de uiolenta Caepionis morte cum Valerio consentire uideri possint, probabile tamen est eos quoque misero cruciabilique exitu et exitio Caepionis nihil aliud significasse quam quod distinctius Strabo (IIII, 1, 13 p. 188 Cas.) uocat *ἐν ἀτυχήμασι καταστρέψαι τὸν βίον ὡς ἱεροσύλον ἐκβληθέντα* [*ὑπὸ τῆς πατρίδος*.

14. Cf. Cic. pro Planc. 21, 51. Plut. Mar. 5. Auct. de uir. ill. 67.

supremo in loco adhaesit) Ita probabiliter Gronouius ad Liu. V, 2, 10 emendauit bonorum librorum et ueterum editionum uitiosam scripturam *supremo in loco ita haesit*, cum inde a Pighio uulgo circumferretur *supremo loco inhaesit*, comparans Cic. in Vat. 5, 11, *Quaero abs te teneasne memoria, cum P. Sestius quaestor sit cunctis suffragiis factus, tunc te uix inuitis omnibus — extremum adhaesisse* et citans praeterea Ouid. met. IX, 563. Ter. Eunuch. V, 9, 24. Senec. controu. 28. Mart. epigr. IX, 49, 9. Quod autem relatiuum sequens masculino genere efferri uoluit idem Gronouius, non *quam*, quemadmodum uulgo edebatur, haec quidem coniectura uiri doctissimi optimis quibusque codicibus manuscriptis accuratius nunc collatis comprobatur. Atque melius ita dici Marium, supremo demum loco praetorem creatum, ne eum quidem sine periculo obtinuisse, Torrenius quoque agnouit.

tam humili Arpinate, tam ignobili Romae) Discrepantiam codicum partim *arpinate* partim *arpini* exhibentium apparet ortam esse ex archetypi scriptura *arpina* uarie emendata. Discessi equidem a uulgatis editionibus, alterum *illud* praeferens *Arpinate*, quia dubitari uix potest quin librarius a finali syllaba *te* statim ad proximam uocem per eandem litteram incipientem transierit, quamuis non negauerim paulo concinniorem etiam alteram scripturam uideri, receptam a Pighio, quod auctor in comparandis similibus locis uersaretur. Sed res eodem fere redit, si coniunctis notionibus haec efferuntur, *tam humili Arpinate*.

qui Teutonorum Cimbrorumque exercitus deleuit, cuius bina tropaea in urbe spectantur, cuius septem in fastis consulatus leguntur, cui post exilium consulem creari proscriptoque facere proscriptionem contigit. Quid huius condicione inconstantius aut mutabilius? Quem si inter miseros posueris, miserrimus, inter *felices* felicissimus repperietur.

Gaius autem Caesar, cuius uirtutes aditum sibi in caelum 15. struxerunt, inter primae iuuentae initia priuatus Asiam petens, a maritimis praedonibus circa insulam Pharmacusam exceptus quinquaginta se talentis redemit. Parua igitur summa clarissimum mundi sidus in piratico myoparone rependi fortuna uoluit. Quid est ergo quod amplius de ea queramur, si ne consortibus quidem diuinitatis suae parcit? Sed caeleste numen se ab iniuria uindicauit. Continuo enim captos praedones crucibus adfixit.

Adtento studio nostra commemorauimus; remissiore nunc Ext. 1. animo aliena narrentur. Perditae luxuriae Athenis adulescens Polemo, neque inlecebris eius tantummodo, sed etiam ipsa infamia gaudens, cum e conuiuio non post occasum solis, sed post ortum surrexisset domumque rediens Xenocratis philosophi patentem ianuam uidisset, uino grauis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, perlucida ueste amictus refertam turba doctorum hominum scholam eius intrauit. Nec contentus tam

1. teuthonorum *A.* theutonicorum *F.* || 2. tropea *A.* || urbem *A.* || fascis *D.* || 4. contingit *F.* || condictionem *F.* || 5. miserrimus] *add.* si *D Γ Torr.* || 6. felices] *om. C. et pr. A.* felicissimos *F.* || felicissimus] felicissimos *C et pr. A.* || repperiretur *pr. A.* reperiretur *corr. A.* || 7. §. 15. *om. Γ.* || 8. instruxerunt *C D F et pr. A. Cf. V*, 4, 1. || 9. pharnacusam *corr. A.* || 10. carissimum *pr. A.* || 11. fortuna rependi *F.* || 12. est *om. E.* || queramus *C.* || ne] non *D F.* || 14. praedones captos *F.* || 17. luxuriae] *post* athenis *Γ.* luxoriae *A.* || adolescens athenis *F.* || 18. polenio *E.* || 19. cum *om. pr. A.* || non post] *in rasura A.* || 20. rediens] repetens *Γ.* || 21. ianuam patentem *E.* || ungentis *D.* || 22. remedito *pr. A.* || perlucida *E Torr.* || refertam] *add.* tam *F.* || turbam *pr. A et pr. E.* || 23. doctorem *A.*

miserrimus, inter felices felicissimus) Deleui condicionalem particulam *si,* ante *inter felices* insertam in codicibus familiae x' et in uulgatis editionibus, sed alienam ab archetypo exemplo. Sentio eam facillime excidere potuisse interpositam inter litteras *s* et *i*; omnino necessariam esse non concesserim, cum fieri possit ut auctor parum quidem concinne deserta condicionali figura simpliciter pronuntiauerit Marium inter felices felicissimum repertum iri. Interierat autem in archetypo codice *felices* ante *felicissimos.* Supplementum lacunae iam a correctore libri Bernensis recte inuentum est, quem plerique secuti sunt recentiorum librariorum.

15. Cf. Plut. Caes. 1 et 2. Suet. Caes. 4. (Vell. II, 41.)

Ext. 1. Cf. Hor. II, sat. 3, 254. Diog. Laert. IIII, 16. Suid. u. *Πολέμων Φιλοσοφίου.* August. epp. ad Cirtens. 130. id. contr. Iulian. I, 12.

deformi introitu consedit etiam, ut clarissimum eloquium et prudentissima praecepta temulentiae lasciuiis eleuaret. Orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates uultum in eodem habitu continuit omissaque re, quam disserebat, de modestia ac temperantia loqui coepit. Cuius grauitate sermonis resipiscere coactus Polemo, primum coronam capite detractam proiecit, paulo post brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris conuiualis hilaritatem deposuit, ad ultimum totam luxuriam exuit, uniusque orationis saluberrima medicina sanatus ex infami ganeone maximus philosophus euasit. Peregrinatus est huius animus in nequitia, non habitauit.

2. Piget Themistoclis adulescentiam adtingere, siue patrem aspiciam, abdicationis iniungentem notam, siue matrem, suspendio finire uitam propter filî turpitudinem coactam, cum omnium postea Graî sanguinis uirorum clarissimus extiterit mediumque Europae et Asiae uel spei uel desperationis pignus fuerit. Haec enim eum salutis suae patronum habuit, illa uadem uictoriae adsumpsit.

3. Cimonis uero incunabula opinione stultitiae fuerunt referta. Eiusdem [stultitiae] imperia salutaria Athenienses senserunt. Itaque coegit eos stuporis semet ipsos damnare, qui eum stolidum crediderant.

4. Nam Alcibiaden quasi duae fortunae partitae sunt, altera quae ei nobilitatem eximiam, abundantes diuitias, formam praestantissimam, fauorem ciuium propensum, summa imperia, praecipuas potentiae uires, flagrantissimum ingenium adsignaret, altera quae damnationem, exilium, uenditionem bonorum, in-

---

2. temulente *F.* || lasciuis *pr. A.* || 4. obmissaque *F.* || 5. respicere *pr. C.* || 6. polenio *E.* || primo *EFΓ.* || corona de capite detracta *F.* || 8. conuiuialis *CD.* || luxoriam *pr. A.* || 9. exiuit *F.* || unius cuiusque *C.* || orationi *A.* || senatus *C et pr. A.* || 10. est *om. pr. A.* || huius] eius *E.* || 16. et] ac *E.* || 17. salutis eum *(F) Torr.* || 19. §. 3 *om. Γ.* || opinione] *ultima litt. in rasura A.* || 20. eidem *F.* || stultitiae *om. DE Torr.* || 22. crediderunt *F.* || 23. Iam *corr. A. Torr.* namque *corr. D.* || alcibiadem *DEFΓ.* || 26. potentiae] pone *F.* || 28. inopia *F.*

---

2. Cf. Corn. Nep. Them. 1. Ael. u. h. II, 12. Stob. serm. 116. Libanius decl. 20. At Plutarchus Them. 2 omnem illam famam de abdicatione patris et de matris uoluntaria morte falsam atque commenticiam habet.

3. *Eiusdem [stultitiae] imperia)* Vocem uncis a me inclusam tollendam esse uidit Lipsius, neque quisquam [oblocutus est. Ascripta esse uidetur ab inepto interpolatore, qui pronomen *eiusdem*, quod manifesto ad Cimonem pertinet, ad stultitiam referendum esse censeret.

4. Cf. Corn. Nep. Alcib. 1. Plut. Alcib. 1; etc.

opiam, odium patriae, uiolentam mortem infligeret. Nec aut haec aut illa uniuersa, sed uaria perplexa, freto atque aestui similia.

Ad inuidiam usque Polycratis, Samiorum tyranni, abun- 5.
dantissimis bonis conspicuus uitae fulgor excessit; nec sine causa. Omnes enim conatus eius placido excipiebantur itinere; spes certum cupitae rei fructum adprehendebant; uota nuncupabantur simul et soluebantur; uelle ac posse in aequo positum erat. Semel dumtaxat uultum mutauit, perquam breui tristitiae salebra succussum, tunc cum admodum gratum sibi anulum de industria in profundum, ne omnis incommodi expers esset, abiecit. Quem tamen continuo recuperauit capto pisce, qui eum deuorauerat. Sed hunc, cuius felicitas semper plenis uelis prosperum cursum tenuit, Orontes, Darii regis praefectus, in excelsissimo Mycalensis montis uertice cruci adfixit. E qua putres eius artus et tabido cruore manantia membra atque illam laeuam, cui Neptunus anulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam Samos, amara seruitute aliquandiu pressa, liberis ac laetis oculis aspexit.

Dionysius autem, cum hereditatis nomine a patre Syracu- 6.
sanorum ac paene totius Siciliae tyrannidem accepisset, maximarum opum dominus, exercituum dux, rector classium, equitatuum potens, propter inopiam litteras puerulos Corinthi docuit, eodemque

---

1. ne *CEF et pr. A.* || 2. uarie *F.* || 4. policratis *ACDEFΓ.* || samniorum *Γ.* || 7. fractum *pr. A.* factum *DΓ et corr. A.* || apprehendebat *DF.* || nota *E.* || 8. ac] et *E.* || aequo] eo *F.* || 9. perq. *pr. A* perque *F.* || breuis *DΓ. Cf. praef. p.* 37. || 10. selebra *pr. A.* || gratum *om. F.* || 11. nec *F.* || 13. cuius] huius *Γ.* || felicitatis *Γ.* || 14. tenuit] ad extremum usq. diem non retinuit; comprehensum enim *Γ.* || orantes *pr. A.* || dari *C et pr. A.* || 15. quo *CEF.* || putes *F.* || 16. manantia] *in rasura A.* || leuam *A et ante* illam *F.* || 18. aliquamdiu *CDEFΓ Torr.* || 21. tyrannidem] tyrannide a patre *F.* || 23. litteras *om. F.* || paruulos *DΓ.* || decuit *F.*

---

5. Cf. Her. III, 39 et 120. Cic. de fin. V, 30, 92. Strabo XIIII, 1, 16 p. 638 Cas. Plin. h. n. XXXVII, 1.

Orontes, Darii regis praefectus,) Ab Herodoto Ὀροίτης uocatur. Sed Valerianorum librorum scriptura confirmatur etiam Iulii Paridis compendio. Ceterum non satis accurate auctorem de Darii regis praefecto scripsisse recte adnotauit Vorstius. Oroetes enim supplicio affecit Polycratem a. 523 a. Chr. n., cum iam in morbum incidisset Cambyses. Cf. Herod. III, 120.

6. Cf. Cic. Tusc. III, 12, 27. epp. IX, 18, 1. Iustin. XXI, 5. Amm. Marc. XIIII, 11, 30. Dionysium Corinthi multas uariasque uitae uicissitudines expertum tandem metragyrtam stipem ab hominibus petendo tympanaque pulsando uitam exegisse scripsit Ael. u. h. IX, 8. Cf. VI, 12 et Athen. XII, p. 541.

tempore tanta mutatione maiores natu ne quis nimis fortunae crederet, magister ludi factus ex tyranno, monuit.

7. Sequitur hunc Syphax rex, consimilem fortunae iniquitatem expertus, quem amicum hinc Roma per Scipionem, illinc Karthago per Hasdrubalem ultro petitum ad penates deos eius uenerat. Ceterum eo claritatis euectus, ut ualidissimorum populorum tantum non arbiter uictoriae existeret, parui temporis interiecta mora catenatus a Laelio legato ad Scipionem imperatorem pertractus est, cuiusque dexteram regio insidens solio adroganti manu attigerat, eius genibus supplex procubuit. Caduca nimium et fragilia puerilibusque consentanea crepundiis sunt ista, quae uires atque opes humanae uocantur. Adfluunt subito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt, sed incertissimo flatu fortunae huc atque illuc acta quos sublime extulerunt inprouiso recursu destitutos profundo cladium miserabiliter inmergunt. Itaque neque existimari neque dici debent bona, quae, ut inflictorum

---

1. tantam mutationem *pr. A.* || nimius *F.* || 3. sypax *pr. A et pr. C.* syfax *corr. A.* || 5. hannibalem *D.* || penatos *pr. A.* || 7. non tantum arbiter *D.* non arbiter tantum *F.* || • uictoriae *A.* sed et uictor *D.* sed uictoriae *F.* || 9. protractus *EF.* || 10. attingerat *AF.* || suplex *A.* || 11. nimirum *Γ.* || crepundiis] *litterae* un *in rasura et alterum* i *a correctore A.* crepidis *CDE.* trepidis *F.* || 12. quae] quaeque *CE.* || 14. fixa *F.* || fortuua • *A.* || 15. in sublime *D Γ.* || recussu *pr. A.* recessu *D Γ.* || 16. demergunt *pr. Γ.* || Itaque neque] neque *om. pr. A.* ita neque *E.* || 17. ut] *delet corr. A et corr. C. om. DEFTorr.*

---

7. *hinc Roma per Scipionem)* Cf. Liu. XXVIII, 18. App. Hispan. 29. id. Pun. 10.

catenatus a Laelio legato) Cf. Liu. XXX, 12 et 17. App. Pun. 16, 17.

neque dici debent bona, quae, ut inflictorum) Manifesta archetypi lacuna in codice Guelferbytano abbreuiato, qui Pighio Cauchianus est, in hunc modum expletur, *neque existimari neque dici debent bona, quae, ut inflictorum malorum amaritudine desiderium sui duplicent, propensiori fauore primo delinitos maiori postea malorum cumulo opprimere solent.* Quod supplementum antiquum et genuinum ratus recipere non dubitauit Pighius secumque traxit Vorstium. Si sententiam accuratius animo perpendere uoluisset uir doctissimus, sensisset uerba ita constituta ne ferri quidem posse, sed profecta esse ab eo homine, qui, cum Valerii memorabilia in breuius contraheret, multa ingenio suo indulsit. Quis enim Valerium scripsisse crediderit ea bona, ut malorum acerbitatem desiderio suo augerent, maiora mala in homines cumulare? An ipsa illa quae putantur bona, ea enim subiecti locum tenent, homines malorum cumulo opprimere solent? An ipsa duplicant inflictis malis desiderium sui? Minime profecto! Quod fati est ac fortunae, ut prosperam uitae condicionem in miseram eo acerbius conuertat quo antea erat felicior et dulcior, id male in hoc sententiae nexu illis, quae uulgo bona praedicantur, diuitiis atque opibus tribuitur. Immo dicendum illa bona amaritudinem malorum postea inflictorum augere desiderio sui. Itaque omnino legendum *amaritudinem desiderio*, non

malorum amaritudinem desiderio sui duplicent, * * * *.

---

1. amaritudine *EFΓ.* || desiderium *CDEFΓ et pr. A.* || suum *F.* || duplicent] duplicant *EF et corr. A. add.* propensiori fauore primo delinitos maiori postea malorum cumulo opprimere solent *Γ.*

---

amaritudine desiderium. Quod si certum est, de sententia eorum, quae in fine huius libri interierunt, dubitari uix poterit. Rerum nexus haec fere flagitat, *quae, ut inflictorum malorum amaritudinem desiderio sui duplicent, aliquamdiu blando fauore hominum animos permulcent.* Ipsa uerba, nisi alia integriora accedant criticae artis adminicula, restitui nequeunt. Torrenius ea, quae Pighius e codice Cauchiano addiderat, alia de causa reiecit, quod scilicet eadem prorsus sententia, sed 'cum maiore etiam uiolentiae significatione' in praecedentibus iam occurreret, *quos sublime extulerunt improuiso recursu destitutos profundo cladium miserabiliter inmergunt,* neque in animum inducere poterat tam multa in codicibus desiderari. Itaque particulam *ut* additam putat ab ignaris unde penderet coniunctiuus *duplicent*, quem explicat 'quae talia sunt ut duplicent', et ita a Valerio positum esse persuasit Kappio.

VALERI MAXIMI

FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM

LIBER SEPTIMVS.

DE FELICITATE.

I. Volubilis fortunae complura exempla retulimus, constanter propitiae admodum pauca narrari possunt. Quo patet eam aduersas res cupido animo infligere, secundas parco tribuere. Eadem, ubi malignitatis obliuisci sibi imperauit, non solum plurima ac maxima, sed etiam perpetua bona congerit.

1. Videamus ergo quot gradibus beneficiorum Q. Metellum a primo originis die ad ultimum usque fati tempus numquam cessante indulgentia ad summum beatae uitae cumulum perduxerit. Nasci eum in urbe terrarum principe uoluit; parentes ei nobilissimos dedit; adiecit animi rarissimas dotes et corporis uires, ut sufficere laboribus posset; uxorem pudicitia et fecunditate conspicuam conciliauit; consulatus decus, imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi praetextum largita est; fecit

1. VALERI (Valerii *CDF*) MAXIMI LIB. VI EXPLIC INCIPIT LIBER VII. *ACDF*. Valerii maximi uiri clarissimi Expl. lib VI incip. lib'. septimus *E. om. Γ.* || 4. DE FELICITATE] DE FORTVNA CONSTANTER PROPITIA *Par.* || 5. constanter] *litt.* ter *in rasura A.* constantis *CDEF.* || propitiae] *in rasura A.* propriae *pr. C.* ac propiciae *D. om. F.* || 7. secondas *pr. A.* || 8. sibi obliuisci *F.* || ac] et *Torr.* || 10. quod *Γ.* || Q. Metellum] *in rasura A.* || 12. cumulum] columen *Par.* culmen *coniecit Pighius. Sed cf. III,* 1, *init. VIII,* 7, *init.* || 13. eum] enim *D.* || orbe *ACD.* || principem *CDFΓ et pr. A.* || 15. possent *ACDFΓ. Correxit Perizonius.* || 16. consiliauit *D.*

I. *constanter propitiae)* Exhibuerat codex archetypus aut *constantis propitiae*, quemadmodum uulgo edebatur ante Pighium, aut *constantis propriae*. Quod nos posuimus, abbreuiatorem Guelferbytanum, Ascensium, Pighium secuti, Iulium quoque Paridem in suo Valerii exemplo repperisse documento est inscriptio huius capitis DE FORTVNA CONSTANTER PROPITIA, discrepans ab ea, quae legitur in capitum indiculo epitomae illi praemisso.

1. Cf. Cic. de fin. V, 27, 82. id. Tusc. I, 35, 85. Vell. I, 11. Plin. h. n. VII, 13 et 44. Plut. de fort. Rom. 4. Acron. ad Hor. II serm. I, 65. Auct. de uir. ill. 61.

ut eodem tempore tres filios consulares, unum etiam censorium et triumphalem, quartum praetorium uideret, utque tres filias nuptum daret earumque subolem sinu suo exciperet. Tot partus, tot incunabula, tot uiriles togae, tam multae nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis denique gratulationis summa abundantia, cum interim nullum funus, nullus gemitus, nulla causa tristitiae. Caelum contemplare, uix tamen ibi talem statum repperies, quoniam quidem luctus et dolores deorum quoque pectoribus a maximis uatibus adsignari uidemus. Hunc uitae actum eius consentaneus finis excepit. Namque Metellum ultimae senectutis spatio defunctum lenique genere mortis inter oscula conplexusque carissimorum pignorum extinctum filii et generi humeris suis per urbem latum rogo inposuerunt.

Clara haec felicitas; obscurior illa, sed diuino splendore 2.

---

1. unum] *add.* l. P. uno etiam censorio et triumphali *margo A.* || 2. et triumphalem] triumphalem et *ACDEFΓ.* ac triumphalem et *Torr.* || utqui *pr. C.* et qui *E.* ut quis *F.* || 3. sobolem *CDEFΓ.* || 5. omnis] omnisque *F.* || 7. uis *F.* || tamen ibi] ibi *F.* in numinibus *DΓ.* || 8. decorum *F.* || 9. uideamus *E et pr. A.* || Hunc] *add.* autem *Torr.* || 10. nam Q. Metellum *E.* || 11. leuique *D.* leui *E.* || 12. et complexus *F.* amplexusque *Par.* || 14. Clara — praeposita *om. Γ.* || splendori *A.*

---

et triumphalem) Omnes nostri codices *censorium triumphalem et quartum,* quod uereor ut recte emendauerint grammatici inserto *ac* ante *triumphalem.* Transponenda potius fuisse uerba *triumphalem et* nunc Paridis quoque compendium indicat, in quo haec casu mire mutato sic redduntur, *quattuor filiorum pater, trium consularium, uno etiam censorio et triumphali, quarto praetore.* Neque aliter Cicero de fin. l. c., *qui tres filios consules uidit, e quibus unum etiam et censorem et triumphantem, quartum autem praetorem.* Ceterum errasse uidetur Cicero et cum eo Valerius, quod tres filias tribuunt Metello, cum duae tantum fuerint, Scipionum et Seruilliorum matres. Tertia enim Metella, quae ea aetate uixit, Lucullorum mater, patruelis illarum soror erat, filia Calui, fratris Macedonici. Plutarchus l. c. duos Metelli generos consulares commemorat, quod tamen non excludit tertium non consularem. Sed aperte sex tantum liberos ei fuisse testatur Plin. h. n. VII, 13. Cf. Periz. anim. hist. cap. 15 p. 406 ed. Harl. Drumann. gesch. Roms II, p. 21.

2. Cf. Plin. h. n. VII, 46.

diuino splendore praeposita) Haec uerba suspecta erant Perizonio, quia obscuram Aglai felicitatem regio splendori ac splendidissimae felicitati diuino oraculo praepositam esse dici oportere sibi persuaserat. Itaque legendum esse censuit *diuine* aut *diuinitus splendori praeposita,* quod ita explicat, claram quidem esse Metelli felicitatem, obscuriorem Aglai; sed tamen a deo splendori regis Gygae praepositam. Sensit igitur comparationem inter Metelli et Aglai sortem hoc loco fieri debere, sed non animaduertit nihil esse in Metelli exemplo, cui opponi in Aglai felicitate possit illud *sed diuinitus splendori praeposita.* Nam Metelli uitam alii splendori praeferendam uel a quoquam praelatam esse dictum non erat. Itaque coniectura Perizonii etiamsi nonnihil commendari uidetur codice Bernensi *splendori* exhibente, falsa tamen est. Sententiam recte enarrauit Torrenius, praepositam esse obscuram Aglai sortem clarae Metelli felicitati, quia illi diuinus accessit splendor, ex approbatione uidelicet diuini oraculi.

praeposita. Cum enim Gyges regno Lydiae, armis et diuitiis abundantissimo, inflatus animo Apollinem Pythium sciscitatum uenisset an aliquis mortalium se esset felicior, deus ex abdito sacrarii specu uoce missa Aglaum Psophidium ei praetulit. Is erat Arcadum pauperrimus, sed aetate iam senior terminos agelli sui numquam excesserat, paruuli ruris fructibus *et* uoluptatibus contentus. Verum profecto beatae uitae finem Apollo non adumbratum oraculi sagacitate conplexus est. Quocirca insolenter fulgore fortunae suae glorianti respondit magis se probare securitate ridens tugurium quam tristem curis et sol-

1. enim *om. Γ.* || 2. animo] *in rasura D. om. Γ Par. Torr.* || phitium *AΓ.* phicium *E.* || scitatum *F.* || 3. abdicto *F.* || 4. emissa *F.* || aglasium *E.* anglauit *F.* Agrauum *Par.* || sophidium *ACDEFΓ.* pisophidium *Par. add.* I. P. agrauum pisophidium *margo A. Cf. Paus. et Plin. ll. cc.* || 5. termines anguli *F.* || 6. paruuli — contentus *om. pr. C.* || fructibus contentus (*omisso* et uoluptatibus) *in rasura A.* fructuum uoluptatibus *D.* fructibus ac uoluptatibus *EF et margo C. Torr.* || 8. oraculis agitate *pr. A.* oraculi sagitate *pr. C.*

inflatus animo) Vocem *animo* optimorum librorum testimonio et Vincentii quoque Bellou. excerptis (spec. hist. III, 105 et doctr. V, 87) stabilitam inconsideratius paulo eiecerunt priores editores, cum recte omnino dicatur aliquis animo efflatus esse neque quicquam obstet quin adiciatur simul causae significatio ablatiuo casu ponenda, quae illum animi habitum effecerit. Num bene et uenuste tot ablatiui diuersae rationis ac naturae in unius uersus spatio coaceruentur, ea alia quaestio est. Itaque abbreuiator Guelferbytanus, cum omitteret illud *animo*, ipsius potius auctoris neglegentiam emendasse mihi uidetur quam remouisse librariorum interpolationem, quam cur factam putemus causa ideonea certe non suppeditat. Nec magis mirum, si Iulius Paris, breuitatis quam maxime studiosus, in compendio praeteriit uocem plane otiosam et superuacuam, quae melius sane abesset.

sed aetate iam senior) Suspicatus sum aliquando legendum esse *et aetate*, quia aduersatiua particula *sed*, siue eam coniunxeris cum uerbis *aetate iam senior* siue cum illis *terminos agelli sui numquam excesserat*, ad quae sane pertinet, si grammaticam admiseris rationem, ineptam prorsus efficit oppositionem inter haec uerba et paupertatem Aglai. Vereor nunc ne auctor mente quidem recte coniunxerit *pauperrimus, sed paruuli ruris fructibus et uoluptatibus contentus, terminos agelli sui numquam excesserat*, sed, cum haec animo obuersarentur, inter scribendum sententiae ordinem neglegenter admodum ita confuderit transpositis singulis eius partibus, ut iam oppositio illa omnino tolleretur. Nec semel iam in praecedentibus uidimus Valerium alia uoluisse, alia scripsisse. Pungit me praeterea nescio quibus stimulis *illud uoluptatibus*, quod in archetypo codice sine copula adiunctum fuisse *(fructibus uoluptatibus)*, deficiente primario libri Danielini testimonio, reliquorum codicum in supplendo discrepantia manifesto declarat. Abunde certe erat agrum annuis uictibus suffecisse commemorari; uoluptatum mentio, si quid uideo, molesta et aliena est in hac sententia. Idem Pighium sensisse credo, cum uu. *ac uoluptatibus* ex annotationibus assuta iudicaret, neque alia causa correctorem libri Bernensis commouisse uidetur ut suspectam uocem cum in Paridis compendio eam abesse animaduerteret, in illo quoque exemplo radendo deleret. Quid igitur si *uoluptatibus* ascriptum esse putemus a librario, qui fructus cum metaphora de uoluptatibus dictos crediderit? Eas enim plerumque esse, quae homines, etiamsi domus ad beate uiuendum necessaria praeberet, inde eliceret.

licitudinibus aulam paucasque glebas pauoris expertes quam pinguissima Lydiae arua metu referta et unum aut alterum iugum boum facilis tutelae quam exercitus et arma et equitatum uoracibus inpensis onerosum et usus necessarii horreolum nulli nimis adpetendum quam thesauros omnium insidiis et cupiditatibus expositos. Ita Gyges, dum adstipulatorem uanae opinionis deum habere concupiscit, ubinam solida et sincera esset felicitas didicit.

SAPIENTER DICTA AVT FACTA.

Nunc id genus felicitatis explicabo, quod totum in habitu animi, nec uotis petitur, sed in pectoribus sapientia praeditis natum, dictis factisque prudentibus enitescit. II.

App. Claudium crebro solitum dicere accepimus negotium populo Romano melius quam otium conmitti; non quod ignoraret quam iucundus tranquillitatis status esset, sed quod animaduerteret praepotentia imperia agitatione rerum ad uirtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolui. Et sane negotium, nomine horridum, ciuitatis nostrae mores in suo statu continuit; blandae appellationis quies plurimis uitiis respersit. 1.

Scipio uero Africanus turpe esse aiebat in re militari dicere 'Non putaram', uidelicet quia explorato et excusso consilio quae 2.

1. glebens *F.* || 3. equitatus impensis uoracibus honorosum *F.* || 6. oppositos *F.* || astipulatorem *corr. A.* stipulatorem *D.* || 9. DE SAPIENTER DICTIS AVT FACTIS *Torr.* || 10. quod] *add.* non *E.* || 11. animi] *add.* est *D et corr. A C, Torr.* || 12. uatum *E.* || 13. solitum crebro *E.* || accipimus *F.* || 14. conmitti] *add.* I. P. dari *margo A.* || ignoret *pr. A.* || 15. iocundus *CDEFΓ.* || 17. capescendam *FΓ.* || dissolui *F.* || 19. pluribus uiciis respexit *F.* || 20. Scipio] hoc loco I. P. titulum habet de felicitate quae in animi habitu est *sic margo A. Nil tale enotauit Ang. Maius.* || 21. putaui *Par. Senec. de ira II*, 31. || quia] quod *E.*

II. *in habitu animi,)* Verbum *est,* quod alienum a bonis codicibus post *animi* inserucrat primus corrector libri Bernensis, hoc loco, si reliqua sana sint, omitti posse non mihi persuadetur. Subintellegitur omnino perquam raro in enuntiatis relatiuis (uid. ad IX, 12, 8.), numquam uero, ubi alia uerba ex aequo illi posita ab eodem relatiuo pendent, qualia sunt in hoc exemplo *petitur* et *enitescit.* Nolui tamen illud interpolare, cum nesciam an Valerius accuratius et debuerit scribere et scripserit *quod totum in habitu animi, nec uotis petitum, sed in pectoribus — natum, dictis factisque prudentibus enitescit.*

2. *Scipio uero Africanus)* Fabio imperatori idem dictum tribuit Senec. de ira II, 31, 2.

ferro aguntur administrari oportere arbitrabatur. Summa ratione; inemendabilis est enim error, qui uiolentiae Martis committitur. Idem negabat aliter cum hoste confligere debere, quam aut si occasio obuenisset aut necessitas incidisset. Aeque prudenter; nam et prospere gerendae rei facultatem omittere maxima de-
5 mentia est et in angustias utique pugnandi conpulsum abstinere se proelio pestiferae ignauiae adfert exitum, eorumque, qui ista conmittunt, alter beneficio fortunae uti, alter iniuriae nescit resistere.

3. Quinti quoque Metelli cum grauis tum etiam alta in senatu
10 sententia, qui deuicta Karthagine nescire se illa uictoria bonine plus an mali rei publicae adtulisset adseuerauit, quoniam ut

---

2. enim est *F Torr. Vid. ad III*, 2, 23. || quia *F.* || 3. confligi *Torr.* || si] *ante* aut *D Γ Par. Torr. om. F.* || 4. aduenisset *E.* || 5. prosperae *pr. A.* || prosperam *C E F.* || 7. pestifere *A C D E F.* pestiferum *Torr.* || efert *E.* || 10. Quinti *om. F.* || cum] tum *E Γ et corr. C.* quam *D.* || tum] quam *D.* || etiam *om. F.* || 11. Kartagine *A.* || scire *pr. A.* || boniue D. || 12. attulisse *F.*

Idem negabat aliter) Cf. Sempron. Asellio ap. A. Gell. XIII, 3, 6. App. Hisp. 87.

confligere debere) Ita Valerius interdum infinito et generali subiecto simplicem infinitiuum, quem passiue efferri expectares, actiue posuit, tamquam supplendus sit accusatiuus pronominis cuiusdam indefiniti. Eodem prorsus modo in huius capitis exemplo externorum septimo scripsit *non oportere in urbe nutrire leonem.* Ita enim optimus omnium codex Bernensis, quod in alterius familiae libris et in editionibus uulgatis mutatum erat in *nutriri.* Nec multo aliter II, 6, 7 *(Massilienses) tres in eodem manumissiones rescindere permittunt.* ubi inuitis omnibus codicibus edebatur hucusque *rescindi.* Quapropter non dubitaui hoc quoque loco archetypi scripturam reuocare, praesertim cum eam confirmet Paridis compendium.

quam aut si occasio obuenisset) Archetypi codicis scriptura, quam reddidimus, sine dubio ita defendenda est, ut Valerium neglegentius priorem disiunctionis partem hoc modo incepisse concedamus ac si pergere uoluisset in altera *aut si necessitas incidisset.* Quod tamen non fecit, ad simpliciorem illam disiunctionem *(si aut — aut)* conuersus. Miscuit igitur et confudit duas diuersas eiusdem sententiae figuras. Atque interdum sane uel castigatissimos auctores in talibus a stricta et exacta dicendi norma declinasse cernimus, praesertim in sententiis condicionalibus et finalibus cum dilemmate pronuntiandis. Ita in contrario genere aeque neglegenter Cicero de fin. II, 5, 15, cum condicionem ita incepisset, *si aut de industria facias*, et sequi oporteret *aut rerum obscuritas facit*, post alterum *aut* inseruit particulam *quom*, tamquam praemisisset *aut si de industria facias*, quod ipsum Lambinus transpositis his uerbis effecit. Nec longe ab his remota est illa inconcinnitas, qua interdum post *ut aut* alteri *aut* subicitur *ut.* Cf. Hand. Turs. II, p. 554. Cic. orat. 44, 149. In Paridis quidem compendio et in codicibus ad alterius familiae alteram partem pertinentibus *si aut* legitur, sed haec epitomatoris et librarii cuiusdam coniectura est. Constat enim Paridem ipsum nonnulla, quae minus recte a Valerio dicta animaduerteret, emendasse.

3. *Quinti quoque Metelli)* Q. Metelli Macedonici pater hic erat consul a. u. c. 548. Cf. Liu. XXX, 27. XXXI, 4.

pacem restituendo profuisset, ita Hannibalem summouendo nonnihil nocuisset. Eius enim transitu in Italiam dormientem iam populi Romani uirtutem excitatam, metuique debere ne acri aemulo liberata in eundem somnum reuolueretur. In aequo igitur malorum posuit uri tecta, uastari agros, exhauriri aerarium et prisci roboris neruos hebetari.

Quid, illud factum Lucii Fimbriae consularis quam sapiens! 4. A M. Lutatio Pinthia, splendido equite Romano, iudex aditus de sponsione, quam is cum aduersario quod uir bonus esset fecerat, numquam id iudicium pronuntiatione sua finire uoluit, ne aut probatum uirum, si contra eum iudicasset, fama spoliaret aut iuraret uirum bonum esse, cum ea res innumerabilibus laudibus contineatur.

---

2. transitum *pr. A.* || dormientis *D.* || 3. populi Romani] rei. p. *F.* || excitatam] *add.* dicebat *E.* || metuisse *D.* || acri] graui *F.* || 4. somnium *C et pr. A.* || 5. exauriri *pr. A.* et auriri *E.* || 6. neruo *CF.* || habitari *pr. A.* hebitari *corr. A.* || 7. factum *(litt.* ctum *in rasura) A.* || Lucii] L. *Par. et in rasura A.* licinii *CD E et corr. Γ, Torr.* lucinie *F.* liciniae *pr. Γ.* || finbrae *E.* fibriae *F.* || 8. A M. Lutatio] Q. enim luctatio *E.* || pinchia *D.* pinthie *E.* picthio *F.* Pythia *Torr. Vt nos etiam Par.* || addictus *AΓPar.* additus *C.* || 9. sponsione * *A.* || quod uir] *add.* I. P. ni uir bonus esset f. *margo A.* || 10. numquam — finire] *in rasura A.* || nunquam *rasura A.* || uoluit] *om. F et pr. C.* noluit *rasura A. Vt nos etiam Par.* || 11. expoliaret *F.* || 13. continebatur *E.* contineretur *Par. Cic. l. c.*

---

4. Cf. Cic. de off. III, 19, 77.

Lucii Fimbriae) Edebatur uulgo, suadente Perizonio, quemadmodum in plerisque libris manuscriptis inuentum est, *Licinii Fimbriae.* At Fimbriae non erant inter Licinios, sed inter Flauios, neque alius Fimbria consulatum obtinuit praeter C. Flauium Fimbriam, collegam C. Marii in altero eius consulatu a. u. c. 650. Itaque Licinii gentilicium nomen utique falsum est. Dolendum propter lituram codicis Bernensis archetypi scripturam non satis liquide cognosci posse. Ni tamen omnia me fallunt, illo libro *Liciniae* traditum erat, quod etiam Moguntinam occupauit. Iam uero Paridis epitome, quae Fimbriae Lucii praenomen tribuit, perquam ueri simile reddit ex hoc Lucii nomine archetypi mendum ortum esse, siue in *Licinii* siue in *Liciniae* aberratum erat. Longius progredi in emendando hoc loco non licet, quamquam pronomen quoque illud falsum est; erat enim Gaius Fimbria. Sed cum pro Lucio Paridis auctoritas faciat, fieri potest ut ipse auctor in praenomine ponendo lapsus sit, quod frequenter accidisse diximus in praef. p. 33. Itaque reuocauimus quod iam Pighius ediderat, cum editiones ante eum plerumque *Licinii* circumferrent.

quod uir bonus esset) Cicero, e quo singula fere uerba hoc loco surripuit Valerius, propria sponsionis formula utitur, *ni uir bonus esset.* Quod cum etiam in Iulii Paridis epitome inuentum sit et inde transierit in recentiores aliquot libros, erant qui Valerium ita emendandum crederent. Sed eadem prorsus particula hic auctor sponsionem incipit VI, 1, 10. A qua quod discessit Paris aut ex ingenio fecisse existimandus est, cum ei sponsionum formulae sine dubio notae fuerint, aut quia ad primarium rediit Valerii fontem, M. Tullii de officiis libros. Vide quae adnotauimus ad II, 8, 2.

5. Forensibus haec, illa militaribus stipendiis prudentia exhibita. Papirius Cursor consul, cum Aquiloniam oppugnans proelium uellet conmittere pullariusque non prosperantibus auibus optimum ei auspicium renuntiasset, de fallacia illius factus certior sibi quidem et exercitui bonum omen datum credidit ac pugnam iniit. Ceterum mendacem ante ipsam aciem constituit, ut haberent dî cuius capite, si quid irae conceperant, expiarent. Directum est autem siue casu siue etiam caelestis numinis prouidentia quod primum e contraria parte missum erat telum in ipsum pullarii pectus eumque exanimem prostrauit. Id ut cognouit consul, fidente animo et inuasit Aquiloniam et cepit. Tam cito animaduertit quo pacto iniuria imperatoris uindicari deberet, quemadmodum uiolata religio expianda foret, qua ratione uictoria adprehendi posset. Egit uirum seuerum, consulem religiosum, imperatorem strenuum, timoris modum, poenae genus, spei uiam uno mentis impetu rapiendo.

6. Nunc ad senatus acta transgrediar. Cum aduersus Hannibalem Claudium Neronem et Liuium Salinatorem consules mitteret eosque ut uirtutibus pares, ita inimicitiis acerrime inter se dissidentes uideret, summo studio in gratiam reduxit, ne propter priuatas dissensiones rem publicam parum utiliter administrarent, quia consimili imperio nisi concordia inest, maior aliena opera interpellandi quam sua edendi cupiditas nascitur; ubi uero etiam

1. Forensibus — exhibita *om. Γ.* || prudentia] *post* exhibita *F.* prudentiae *AD.* || 2. cursorius *D.* || 3. pullari quoque *F.* || properantibus *DFΓ et pr. AC. add.* I. P. non prosperantibus auibus ementitus esset auspicia *margo A.* || 4. certior factus *DΓ.* || 5. omen bonum *F.* || credit *F.* || 8. sine casu sine *F.* || luminis *D.* || 9. iussum *F.* || in *om. F.* || 10. prostrauerit *F.* || consul cognouit *FΓ.* || 11. fidenti *CDΓ.* || animo et] *add.* hostes *Torr.* || coloniam et cepit *F.* et Aquiloniam cepit *Torr.* || 13. religio] regia *A.* || 17. Hannibalem] *add.* senatus *margo A.* || 18. mitterent *pr. A.* || 21. administraret *F.* || 22. nisi] ubi *CEF.* || 23. sua edendi] suadendi *Γ et pr. A.*

5. Cf. Liu. X, 40. Oros. III, 22.

et inuasit Aquiloniam et cepit) Pighius truncam existimans esse orationem, quod Liuius non in ipsa Aquiloniae oppugnatione, sed in proelio antea commisso pullarium occidisse tradidisset, ex uno codice Campensi nullius omnino fidei ediderat reliquisque grammaticis persuaserat *et hostes inuasit et Aquiloniam cepit.* At discrepantia inter Liuium et Valerium aut nulla est aut perquam exigua, cum secundum illius quoque relationem eo ipso proelio uel certe statim ex proelio eodem die Aquilonia capta sit, pullarius autem instructa acie priusquam concurreretur pilo temere emisso perforatus ceciderit. Itaque *renocaui* codicum ueterumque editionum scripturam, ne tum quidem deserendam, si longius a fonte suo aberrasset Valerius.

6. *Cum aduersus Hannibalem)* Cf. Val. IIII, 2, 2 et quos ibi citaui testes.

pertinax intercedit odium, alter alteri quam uterque contrariis castris certior hostis proficiscitur. Eosdem senatus, cum ob nimis aspere actam censuram a Cn. Baebio tribuno plebis pro rostris agerentur rei, causae dictione decreto suo liberauit, uacuum omnis iudicii metu eum honorem reddendo, qui exigere debet rationem, non reddere.

Par illa sapientia senatus. Ti. Gracchum tribunum plebis agrariam legem promulgare ausum morte multauit. Idem ut secundum legem eius per triumuiros ager populo uiritim diuideretur egregie censuit, siquidem grauissimae seditionis eodem tempore et auctorem et causam sustulit.

Quam deinde se prudenter in rege Masinissa gessit! Nam cum promptissima et fidelissima eius opera aduersus Karthaginienses usus esset eumque in dilatando regno auidiorem cerneret, legem ferri iussit, qua Masinissae ab imperio populi Romani solutam libertatem tribueret. Quo facto cum optime meriti beniuolentiam retinuit tum Mauritaniae et Numidiae ceterarumque illius tractus gentium numquam fida pace quiescentem feritatem a ualuis suis reppulit.

Tempus deficiet domestica narrantem, quoniam imperium Ext. 1. nostrum non tam robore corporum quam animorum uigore incrementum ac tutelam sui conprehendit. Maiore itaque ex parte Romana prudentia in admiratione tacita reponatur alienigenisque huius generis exemplis detur aditus. — Socrates, humanae sapientiae quasi quoddam terrestre oraculum, nihil ultra petendum a dis inmortalibus arbitrabatur quam ut bona tribuerent, quia ii demum scirent quid unicuique esset utile; nos autem plerumque

---

1. alter alterius *F.* || 6. debent *ACE.* deberet *corr. D.* || 7. Par — (11.) sustulit *om. Γ.* || senatus] *add.* qua *Torr.* || 8. ut] et *pr. A.* || 10. egregiae *pr. A.* || 11. uictorem *F.* || 12. Quam — (19.) reppulit *om. Γ.* || se prudenter] sapienter se *D.* || 13. fidelissima et prumptissima *F.* || 14. cumque *F.* || 15. fieri *F.* || quae *coniecit Perizonius.* || imperio romano insolutam *F.* || 16. cum] tum *EF.* || optimi *C.* || 17. tam *pr. A.* || 18. tractus illius *EF.* || 20. narrare *D.* || 22. maior *pr. A.* maiori *DΓ et corr. A.* || 25. quodam *pr. A.* || 26. ii demum] idem * * *A.* hii demum *CDΓ.* idem *Par.* || 27. autem plerumque] amplexurum *F.*

Eosdem senatus) Cf. Liu. XXIX, 37.

Par illa sapientia senatus.) Cf. Liu. epit. libr. LVIII. Plut. Ti. Gracch. 19 et 21. App. ciu. I, 17 et 18.

Ext. 1. *Socrates, humanae sapientiae)* Cf. Pseudoplaton. Alcib. sec. p. 142. E. Pythagorae hoc dictum tribuit Diod. exc. Vat. libr. VII — X, 39. Mai. coll. II, p. 32. ap. Dind. uol. III, p. 35.

id uotis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quam late patentem errorem caecas precationes tuas spargis! Diuitias adpetis, quae multis exitio fuerunt; honores concupiscis, qui conplures pessumdederunt; regna tecum ipsa uoluis, quorum exitus saepenumero miserabiles cernuntur; splendidis coniugiis inicis manus; at haec ut aliquando inlustrant, ita nonnumquam funditus domos euertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis quasi felicissimis rebus inhiare *et* te totam caelestium arbitrio permitte, quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissime possunt.

Idem expedita et conpendiaria uia eos ad gloriam peruenire dicebat, qui id agerent ut quales uideri uellent tales etiam essent. Qua quidem praedicatione aperte monebat ut homines ipsam potius uirtutem haurirent quam umbram eius consectarentur.

Idem ab adulescentulo quodam consultus utrum uxorem duceret an se omni matrimonio abstineret, respondit, utrum eorum fecisset, acturum paenitentiam. 'Hic te', inquit, 'solitudo, hic orbitas, hic generis interitus, hic heres alienus excipiet, illic perpetua sollicitudo, contextus querellarum, dotis exprobratio, adfinium graue supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonii, incertus liberorum euentus'. Non passus est iuuenem in contextu rerum asperarum quasi laetae materiae facere delectum.

---

1. expeteremus *Γ*. || enim *C*. || 2. in quam] inque *C*. || late] *in rasura A*. lesa *C*. lecta *F*. || patentes errores *Torr*. || 4. fuere *F*. || honorem *F*. || quae *AC*. || 5. pessumdederant *C*. || saepe nimie (?) *D*. || 6. coniugis *pr. A*. || 7. illustrent *F*. || 8. stulta] *add.* mens *E*. || futuris *om. EF et pr. C*. || 9. felicissimis] *post* rebus *F*. || rebus — caelestium] *in rasura A*. || et te] teque *DΓ et rasura A. Torr*. || totum *rasura A*. || 10. committe *F*. || bona tribuere *DΓ*. || 11. aptissime] ex facili *F*. aptissima *corr. A*. || 13. id agerent] *add.* I. P. ita agerent *margo A*. || 14. aperte] *post* monebat *E*. apte *F*. || potius ipsam *F*. || 15. haurirent *om. Γ*. || eius umbram *F*. || 16. ab ulescentulo *A*. || 17. omnium *AC*. ab omni *B*. || matrimonio] numero *F*. || substineret *F*. || utrum] uerum *F*. || 18. penitentiam *A*. || hinc *(quater pro* hic*) EPar*. || 19. accipiet *F*. || illinc *E*. || 20. exprobatio *F*. || 21. supplicium *Γ*. || lingua *om. F*. || subcessor *corr. C*. subsor *F*. || 22. est passus *FΓ*. || 23. dilectum *ACDF. Vid. ad VI*, 3, 4.

---

et te totam) Copulam in archetypo codice omissam fuisse colligitur e discrepantia supplementorum in diuersis codicum generibus, aut *et te* aut *teque* prodentibus, simulque patet probabilius *et* suppleri quam *que*, quia illud inter litteras *e* et *t* facillime excidere poterat.

Idem expedita et compendiaria) Cf. Cic. de off. II, 12, 43.

Idem ab adulescentulo quodam) Cf. Diog. Laert. II, 16, 33.

omni matrimonio) Aldus pro archetypi mendo *omnium* ediderat *omnino*,

Idem, cum Atheniensium scelerata dementia tristem de capite eius sententiam tulisset fortique animo et constanti uultu potionem ueneni e manu carnificis accepisset, admoto iam labris poculo, uxore Xanthippe inter fletum et lamentationem uociferante innocentem eum periturum, 'Quid ergo', inquit, 'nocenti mihi mori satius esse duxisti'? Immensam illam sapientiam, quae ne in ipso quidem uitae excessu obliuisci sui potuit!

Age quam prudenter Solo neminem, dum adhuc uiueret, 2. beatum dici debere arbitrabatur, quod ad ultimum usque fati diem ancipiti fortunae subiecti essemus? Felicitatis igitur humanae appellationem rogus consummat, qui se incursui malorum obicit.

Idem, cum ex amicis quendam grauiter maerentem uideret, in arcem perduxit hortatusque est ut per omnes subiectorum aedificiorum partes oculos circumferret. Quod ut factum animaduertit, 'Cogita nunc tecum', inquit, 'quam multi luctus sub his tectis et olim fuerint hodieque uersentur *et* insequentibus saeculis

---

1. clementia *Γ*. || eius capite tulisset sententiam *F*. || 2. forti *C*. || et *om*. *F*. || 4. uxori *F et corr. A*, *Torr*. || xanthippoe *pr. A*. xantippo *pr. C*. xantippe *D EΓ et corr. C*. satipe *F*. Xanthippàe *Torr*. || flictum *F*. || uociferantē *pr. A*. uociferanti *F et corr. A*, *Torr. Cf. VI*, 2, 10. || 5. nocenti inquit *E*. || 6. dixisti *F*. || 7. nec *F*. || excelsu *F*. || sui obliuisci *E*. || 8. Solo neminem] solo nem *pr. A*, *(sed a corr. insertum* nemi*)*. solon *(omisso* neminem*) pr. C*. solon neminem *DEΓ et corr. C*, *Torr*. solum neminem *F*. *add*. I. P. solo legum lator neminem d. a. u. beatum d. d. a. *(sic) margo A*. || 9. facti *F*. || 11. consumat *AΓ*. || 12. obiecit *CE*. || 13. merentem *A*. || 15. circumduceret *F*. || 16. luctus olim sub hiis tectis fuerunt *F*. || 17. hodieque] et hodie *EFPar*. et hodieque *Γ*. || et insequentibus] insequentibus *C et pr. A*. insequentibusque *EF et corr. A*, *Torr*. inque sequentibus *DΓ*.

---

quod defenderunt Torrenius et Kappius. Nos probabiliorem retinuimus uulgatam scripturam, restitutam a Pighio, quam confirmat nunc Iul. Paridis epitome.

Idem, cum Atheniensium) Cf. Diog. Laert. II, 16, 35. Tertull. de anim. 1. At Apollodoro ita respondisse Socratem testatur Xenoph. apolog. 28.

2. Cf. Herod. I, 32. Plut. Solon. 27.

et insequentibus saeculis) Copulam, quae deerat in archetypo codice, suppleui e compendio Paridis, a quo rectius omnino haec ita constituuntur, *et olim fuerint et hodie reuertantur* (leg. *uersentur*) *et insequentibus saeculis sint futuri*. Proprie enim, cum praesens tempus *(hodie)* eadem ratione opponatur praeterito *(olim)* qua futurum, neque illi adiungatur, ita ut quasi una notio fieret, sed trium temporum significationes ex aequo ponantur, dicendum erat, quemadmodum dixit Paris, *et olim — et hodie — et insequentibus saeculis*. Cuius tripartitae orationis cum alterum membrum induxerit per affixum *que*, eam sibi licentiam atque inconcinnitatem indulsit, quam permultis cum Ciceronis tum aliorum scriptorum congestis exemplis illustrauit Maduigius ad Cic. de fin. V, §. 64 et in excurs. I, paucis equidem Valerianis notaui in commentario III, 2, ext, 9.

sint habitaturi, ac mitte mortalium incommoda tamquam propria deflere'. Qua consolatione demonstrauit urbes esse humanarum cladium consaepta miseranda. Idem aiebat, si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum ut propria deportare domum quam ex communi miseriarum aceruo portionem suam ferre mallent. Quo colligebat non oportere nos quae fortuito patiamur praecipuae et intolerabilis amaritudinis iudicare.

3. Bias autem, cum patriam eius Prienen hostes inuasissent, omnibus, quos modo saeuitia belli incolomes abire passa fuerat, pretiosarum rerum pondere onustis fugientibus, interrogatus quid ita nihil ex bonis suis secum ferret, 'Ego uero', inquit, 'bona mea mecum porto'. Pectore enim illa gestabat, non humeris, nec oculis uisenda, sed aestimanda animo. Quae domicilio mentis inclusa nec mortalium nec deorum manibus labefactari queunt, et ut manentibus praesto sunt, ita fugientes non deserunt.

4. Iam Platonis uerbis astricta, sed sensu praeualens sententia. Qui tum demum beatum terrarum orbem futurum praedicauit, cum aut sapientes regnare aut reges sapere coepissent.

5. Rex etiam ille subtilis iudicii, quem ferunt traditum sibi diadema priusquam capiti inponeret retentum diu considerasse ac dixisse 'O nobilem magis quam felicem pannum! Quem, si quis penitus cognoscat quam multis sollicitudinibus et periculis et miseriis sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere uellet.

1. habituri *C D E F et pr. A. add.* I. P. sint futuri *margo A.* || dimitte *(litt.* di *in rasura) D.* omitte *E F.* || propia *F.* || 2. consulatione *A.* || 3. cladum *F.* || consepta *A.* consecta *F.* || 4. sua mala *F.* || propriam *A F Γ.* || reportare *F.* || 5. quam] quasi *F.* || 6. colligabat *pr. A.* colligebatur *D.* || sortito *coniecit Lipsius.* || 8. prienem *C E F Torr.* || hoste *F.* || 9. incolumes *C D E Γ et corr. A. Torr. om. F.* || 10. pondere *om. F.* || interrogantibus *F.* || quod *F et corr. D.* || 11. uero *om. F.* || 12. porto] omnia fero *Par.* || 16. §. 4 *om. F.* || astricta] *ante* uerbis *E.* stricta *D.* || 19. fecerunt *pr. A.* || sibi] *add.* p̃m *F.* || 22. paenitus *pr. A.* || agnoscat *F.* cognosceret *Vinc. Bellou. sp. hist. VII,* 127. *sp. doctr. V,* 127. || 23. uelit *Γ.*

3. Cf. Cic. parad. 1, 1. Stilponi idem dictum tribuit Seneca de const. sap. 5. epist. ad Lucil. 9. Cf. Diog. Laert. II, 115. Plut. de tranq. anim. p. 475 C.

4. Cf. Pseudoplat. epp. 7, p. 335. Cic. epp. ad Q. frat. I, 1, 29.

5. Cf. Stob. serm. 47.

penitus cognoscat) Parum concinne in hoc condicionali enuntiato alio tempore protasis effertur, alio apodosis. Cf. Madu. gramm. §. 347. Quod sensisse uidentur Vincentius Bellouacensis et abbreuiator Guelferbytanus, cum ille pro *cognoscat* substitueret *cognosceret*, hic *uelit* pro *uellet*. Vtrumque probe, neque tamen sine aliquo sententiae discrimine dicitur; probabilitate emendationis aliquantulum abbreuiatoris Guelferbytani coniectura praestat. Nescio tamen an ipse auctor utramque condicionis formam permiscuerit, et ita in fine *uellet* posuerit, quasi praemisisset *cognosceret*. Cuius leuitatis complura iam in hoc scriptore deteximus exempla.

Quid, Xenocratis responsum quam laudabile! Cum maledico 6.
quorundam sermoni summo silentio interesset, uno ex his quaerente cur solus linguam suam cohiberet, 'Quia dixisse me', inquit, 'aliquando paenituit, tacuisse numquam'.

Aristophanis quoque altioris est prudentiae praeceptum, qui 7.
in comoedia introduxit remissum ab inferis Atheniensem Periclen uaticinantem non oportere in urbe nutrire leonem; sin autem sit altus, obsequi ei conuenire. Monet enim ut praecipuae nobilitatis et concitati ingenii iuuenes refrenentur; nimio uero fauore ac profusa indulgentia pasti, quominus potentiam optineant ne impediantur, quod stultum et inutile sit eas obtrectare uires, quas ipse foueris.

Mirifice etiam Thales. Nam interrogatus an facta hominum 8.
deos fallerent, 'Ne cogitata *quidem*', inquit; ut non solum manus, sed etiam mentes puras habere uellemus, cum secretis cogitationibus nostris caeleste numen adesse credidissemus.

---

1. Quid — laudabile] Xenocrates *Γ*. || 2. sermoni quorundam *Torr.* || 3. solus] *add.* ita *Torr.* || suam *om. Γ*. || 4. aliquando inquid *E*. || 5. aristopanes *pr. A.* || 6. inferis] *add.* ducem *Γ*. || atheniensium *CDEFΓ*. || peridem *E*. peritiem *F*. Periclem *Torr.* || 7. in urbem non oportere *E*. || nutriri *CDEFΓTorr. Vid. ad VII, 2, 2.* || sin] si *D*. || 8. alitus *DEFTorr.* || praecipue *pr. A.* || 9. feruore *D*. || 10. potentiam — (11.) impediantur] *in rasura A.* || 11. sit et inutile *Torr.* || 12. foueres *pr. A.* || 13. Nam *om. E*. || 14. nec *DΓTorr.* || quidem *om. ACD EFΓTorr. Suppleui e Par. Vid. ad V*, 6, 8. || 15. pura *F*. || 16. credissemus *F*.

---

6. Stob. serm. 31 et Plut. de tuenda sanitate praecepta 7 Simonidi hoc dictum tribuunt.

7. Cf. Aristoph. ran. u. 1431 et schol. ad h. u. Suid. u. *Οὐ χρὴ λέοντος. Atheniensem Periclen)* Apud Aristophanem non Periclis, sed Aeschyli haec uerba esse monuerat iam Glareanus, Valerii *μνημονικὸν ἁμάρτημα* esse statuens. Cui praeter Pighium omnes astipulantur editores. Pighius nimirum, ut facere solet, hanc quoque culpam librariis potius imputandam esse censuit. Kappius autem cum in editione uetere repperisset *Atheniensium principem periden*, Valerium scripsisse suspicabatur *Atheniensium principem*, iisque Aeschylum significari credidit, interpolatorem uero quendam male Periclis nomen adiecisse, cum manifesto appareat propter archetypi mendum, *atheniensium* pro *atheniensem*, in illa editione eodem modo principem esse suppletum, quo in abbreuiato exemplo Guelferbytano *ducem*. Fortasse Valerius non intellecto Aristophane his uerbis Periclem tangi ratus, deinde memoria etiam lapsus, ipsum Periclem Atheniensibus illud consilium dedisse scripsit. Respicit autem Aristophanes Alcibiadem.

altus) Sic optimi codices hoc loco, nec aliter Plaut. in rudent. III, 4, 36 Varro ap. Non. p. 237, 15. Cic. epp. VI, 1, 6. id. Brut. 10, 39. de nat. deor. II, 46, 118. Sall. Iug. 63, 3. Cf. Prisc. X, p. 897. Charis. III, p. 220. Diomed. I, p. 371. Quapropter non reicienda erat haec forma, quamuis alibi in hoc opere constanter *alitus* occurrit (III, 4, 4. VII, 4, 1. IX, 3, 8.), quod uulgo post Augusti demum aeuum usu receptum esse putatur. Cf. Wunder. ad Cic. pr. Planc. p. 201.

8. Cf. Diog. Laert. I, 36.

9. Ac ne quod sequitur quidem minus sapiens. Vnicae filiae pater Themistoclen consulebat utrum eam pauperi sed ornato an locupleti parum probato conlocaret. Cui is 'Malo', inquit, 'uirum pecunia quam pecuniam uiro indigentem'. Quo dicto stultum monuit ut generum potius quam diuitias generi legeret.

10. Age, Philippi quam probabilis epistola, in qua Alexandrum quorumdam Macedonum beniuolentiam largitione ad se adtrahere conatum sic increpuit, 'Quae te, fili, ratio in hanc tam uanam spem induxit, ut eos tibi fideles futuros existimares, quos pecunia ad amorem tui conpulisses'? † a caritate istud pater auus o Philippus maiore ex parte mercator Graeciae quam uictor.

---

1. Ac ne quod] at neque *F.* || minus quidem *E.* || 2. themistoclem *CD Torr.* themistodem *EF.* Themistoclea *Par. Cf. V*, 3, *ext.* 3. || 3. parum] sed parum *Torr. Vt nos etiam Par.* || is] *post* inquit *F.* || 4. pecunia] pecuniae *F et pr. A.* || 6. quam] qua *F.* || epistula *corr. A.* || 7. ad se *om. F.* || contrahere *E.* ac trahere *F.* || 8. increpauit *F.* || filii *E.* || 9. existemus *F.* || pecunia tui ad amorem *D.* ad tui amorem pecunia *F.* || 10. compulisset *E.* || a caritate — (11.) uictor *om. F.* || pater] praestatur *Torr.* || auus o] auus quoque *D.* auus *E.* ac uero eius auus *F.* at uero *margo A.* At uero ante *Torr.*

---

9. Cf. Cic. de off. II, 20, 71. Diod. Sic. exc. Vat. VII — X, 48. p. 39 Mai. Plut. Them. 18. id. apophth. (Them. 11.)

10. Cf. Cic. de off. II, 15, 53.

† *a caritate istud pater auus o Philippus)* Haec in codicibus tam foede deprauata circumferuntur, ut de emendandis plane desperauerim. Exhibui supra archetypi scripturam, quam reconcinnare cum aliqua ratione solus temptauit Perizonius; probabilem ne ille quidem exitum inuenit. Coniecerat aliquando legendum esse *ad amorem tui conpulisses ac caritatem. Istud pater eius Philippus maiore ex parte* etc. atque ultimis his uerbis transitum ad proximum exemplum fieri arbitrabatur. 'Videntur sane', inquit, 'non incommode sequenti exemplo praemittenda more Valerii sollemni, hoc modo, *Istud pater eius Philippus maiore ex parte mercator Graeciae quam uictor* scil. monuit Alexandrum: Aristoteles autem Callisthenem ad eundem Alexandrum dimittens monuit etc.' Quae cum Perizonius ipse postea reiecerit, non refutarem accuratius, nisi recentioribus grammaticis et in primis Torrenio haec potissimum tamquam a Valerio profecta placuissent. Iam uero transitus ad sequentia ita fieri nequit, cum in his uerbis praeter nomen Alexandri plane diuerso relatu positum nihil aut commune sit cum insequentibus aut ita illis contrarium, ut inde uinculum quoddam et nexus utriusque exempli repeti potuerit. Deinde certum est Valerium non scripsisse *ac caritatem*, cum in toto hoc opere particulam *ac* ante uocabula per litteras C, G, Q, K incipientia diligenter euitauerit. Vid. ad III, 2, ext. 6. Et quam misere, quam abundanter et languide ita postponeretur illud *ac caritatem?* Taceo enim de probabilitate mutationis, quae ne in altera quidem Perizonii coniectura huic longe, ut mihi uidetur, praeferenda satisfacit. Pergit namque uir doctissimus. 'Vix dubito scripsisse auctorem et multo propius ac phrasiologiae illius conuenientius, *quos pecunia ad amorem tui conpulisses, non caritate? Istud pater eius Philippus* etc. Iubet ergo illum Philippus non pecunia, sed sui caritate homines ad amorem compellere. Caritas autem non paratur pecunia, sed humanitate, obsequio et officiis. Addit ad haec praecepta auctor, illud monuisse patrem eius Philippum, qui adeo feliciter pecunia uti sciebat, ut Graeciae maiore ex parte mercator fuerit quam uictor. In aliorum lectionibus hoc subiungitur, quasi contrarium esset priori

Aristoteles autem Callisthenen auditorem suum ad Alexan- 11.
drum dimittens monuit cum eo *aut rarissime* aut quam iucundissime loqueretur, quo scilicet apud regias aures uel silentio tutior uel sermone esset acceptior. At ille, dum Alexandrum Persica Macedonem salutatione gaudentem obiurgat et ad Macedonicos mores inuitum reuocare beniuole perseuerat, spiritu carere iussus, seram neglecti salubris consilii paenitentiam egit.

Idem Aristoteles de semet ipso in neutram partem loqui debere praedicabat, quoniam laudare se uani, uituperare stulti esset. Eiusdem est utilissimum praeceptum ut uoluptates abeuntes

---

1. aristotiles *EF.* || callistenen *pr. A.* allestenen *C.* calistenen *D.* calistonem *E.* callistenem *FΓ.* Callisthenem *Torr. Vt nos Par.* || 2. mittens *CDEF et pr. A. Vt nos etiam Par.* || monuit] *add.* ut *DEPar. Torr. Cf. VII, 2, ext.* 16. || aut rarissime] *om. pr. A et pr. C.* aut quam rarissime *D et corr. C.* aut quam racto *F.* || iocundissime *CDEFΓ.* || 5. Macedonem] *ante* Persica *Torr.* macedonum *E et corr. A.* macedonica *(sed post* gaudentem*) D.* || 6. inuitum *om. F.* || 8. Idem] *prima littera in rasura A.* || aristotiles *EFΓ.* || ipsos *Par.* || 10. esset] esse *E.* || est] eciam *E.* esse *F.* || uoluntates *C.*

---

praecepto, ut ipse Vorstius innuit: quod minime uoluit auctor, cum aliud plane sit populos sub dicionem suam redegisse pecunia captos, atque amicos, quorum constantem fidem desideres et quibus quotidie uti debeas, pecunia parare. — *Pater auus eius* est in manuscripto Copesiano haud dubie ex diuersa lectione. Solet enim uarias lectiones in textu saepe utrasque ponere.' Ita Perizonius. At uix crediderim humanitatem illam, obsequium et officia, quibus Philippus ad amorem homines compelli putasse dicitur, caritatis uocabulo in hoc nexu exprimi posse, quod certe rem desideratam parum accurate describit. Deinde, cur tandem ad Philippi nomen denuo adicitur *pater eius?* quaenam emphasis in eo? quae tecta sententia? Nam patrem fuisse Alexandri Philippum qui nescierat ex ipsa hac narratione uel non adiectis illis uerbis didicisset. En causas cur ne hanc quidem Perizonii coniecturam probandam esse praedixerim. Neque tamen quae proferam nunc habeo probabiliora. Longe omnium pessimum est quod uulgo edebatur, *ad amorem tui compulisses? A charitate istud praestatur. At uero ante Philippus maiore ex parte mercator Graeciae quam uictor.* Itaque altiori feliciorique ingenio loci desperatissimi relinquam emendationem.

11. Cf. Diog. Laert. V, 4.

aut rarissime aut quam iucundissime) Lacunam codicis archetypi, ortam quod librarius a priore *aut* statim ad alterum transiliit, librarii alii aliter expleuerunt. Maiorem etiam quam nostri discrepantiam Torreniani libri praebent, inter quos sunt qui habent *cum eo ut (aut) numquam aut quam rarissime loqueretur,* et sic fere Ioannes Saresberiensis Policr. VIII, 14 p. 162, *ut cum eo numquam aut iucundissime loqueretur.* Apud Vincentium Bellou. spec. hist. V, 46 ed. Mentel. contra legitur *ut cum eo quamquam iocundissime.* In utriusque excerptis etiam *mittens* scriptum est mendo ex archetypo libro in nostros quoque codices propagato pro *dimittens.* Recte e Paridis compendio corrector libri Daniclini *dimittens* recepit, indidemque lacunam expleuit inserto *aut rarissime.* Cf. praef. p. 95.

spiritu carere iussus) De supplicii genere notabiliter inter se discrepant ueteres scriptores. Cf. Freinshem. ad Curt. VIII, 8, 21. Eamque ob causam consilio Valerium tam indefinite locutum esse existimat Torrenius.

consideremus; quas quidem sic ostendendo minuit. Fessas enim paenitentiaeque plenas animis nostris subicit, quo minus cupide repetantur.

12. Nec parum prudenter Anaxagoras interroganti cuidam quisnam esset beatus 'Nemo', inquit, 'ex his quos tu felices existimas, sed cum in illo numero repperies, qui a te ex miseriis constare creditur. Non erit ille diuitiis et honoribus abundans, sed aut exigui ruris aut non ambitiosae doctrinae fidelis ac pertinax cultor, in secessu quam in fronte beatior.

13. Demadis quoque dictum sapiens. Nolentibus enim Atheniensibus diuinos honores Alexandro decernere, 'Videte', inquit, 'ne, dum caelum custoditis, terram amittatis'.

14. Quam porro subtiliter Anacharsis leges aranearum telis conparabat? Nam ut illas infirmiora animalia retinere, ualentiora transmittere, ita his humiles et pauperes constringi, diuites et praepotentes non adligari.

15. Nihil etiam Agesilai facto sapientius. Siquidem cum aduersus rem publicam Lacedaemoniorum conspirationem ortam noctu conperisset, leges Lycurgi continuo abrogauit, quae de indemnatis supplicium sumi uetabant; conprehensis autem et interfectis sontibus e uestigio restituit atque utrumque simul prouidit, ne salutaris animaduersio uel iniusta esset uel iure impediretur. Itaque ut semper esse possent, aliquando non fuerunt.

---

2. penitentiaeque *A.* potentia *F.* || subiecit *corr. D, Torr.* || 3. repentatur *C.* || 4. ne *F.* || prudens *CEF.* || anazagoras *F.* || 5. iis *E.* || 6. eum] illum *EΓ.* || illo] *post* numero *F.* eo *Γ.* || miseris *EΓ.* || 7. erit] enim *F.* || 9. recessu *Torr.* || 10. demalis *CEF et pr. A.* Demades *uocatur a Par.* || uolentibus *D.* || enim] autem *F.* || 12. celos *F.* || 13. anaxarsis *D.* anacarsis *EF.* || telis aranearum leges *F.* || araneorum *CE.* || 14. retinere] *Vid. ad. IIII, 1, 10.* || 16. potentes *(operarum errore) Torr.* || 18. rem publicam] p. r. *F.* || conspirationē ▪ ortam *corr. A.* conspiratione mortem *pr. A.* || 19. noctu] notum *F.* || comperuisset *F.* || Lycurgi continuo] *litt.* gi conti *in rasura A.* || 21. sontibus] *add.* easdem *corr. D et margo A, Torr. add.* easdem leges *Par.* || utrumque] que *om. C.* || 23. possent] *add.* leges *D.*

---

12. *in secessu quam in fronte beatior.)* Pighius in margine editionis suae pro uaria scriptura adnotauit *recessu*, quod receperunt Colerus et qui post eum Valerium ediderunt, haud dubie quia *secessus* eo significatu nondum inuentum est, cum interim tritissimum sit *recessus*. Eodem prorsus modo fronti recessum opposuit Quint. I, 4, 2, *plus habet in recessu quam fronte promittit.* Neque tamen intellego quid obstet quin ab altero quoque uocabulo eam translationem aut factam esse aut fieri potuisse credamus, eamque ob causam recte manum abstinuisse mihi uideor.

13. Cf. Suid. u. (*Δημάδης*) *Δημέου ναύτου*. Ael. u. h. V, 12.

14. Cf. Plut. Sol. 5. Stob. serm. 43.

15. Cf. Plut. apophth. Lac. (Ages. 73), qui tamen paululum discedit a Valerio.

Sed nescio an Hannonis excellentissimae prudentiae con- 16.
silium. Magone enim Cannensis pugnae exitum senatui Poenorum nuntiante inque tanti successus fidem anulos aureos trium modiorum mensuram explentes fundente, qui interfectis nostris ciuibus detracti erant, quaesiuit an aliquis sociorum post tantam cladem a Romanis defecisset, atque ut audiuit neminem ad Hannibalem transisse, suasit protinus legati Romam, per quos de pace ageretur, mitterentur. Cuius si sententia ualuisset, neque secundo Punico bello uicta Karthago neque tertio deleta foret.

Ne Samnites quidem paruas poenas consimilis erroris pe- 17.
penderunt, quod Herennî Pontî salutare consilium neglexerant. Qui auctoritate et prudentia ceteros praestans, ab exercitu et duce eius, filio suo, consultus quidnam fieri de legionibus Romanis apud furcas Caudinas inclusis deberet, inuiolatas dimittendas respondit. Postero die eadem de re interrogatus, deleri eas oportere dixit, ut aut maximo beneficio gratia hostium emeretur aut grauissima iactura uires confringerentur. Sed improuida temeritas uictorum, dum utramque partem spernit utilitatis, sub iugum missas in perniciem suam accendit.

Multis et magnis sapientiae exemplis paruulum adiciam. 18.
Cretes, cum acerbissima execratione aduersus eos quos uehementer oderunt uti uolunt, ut mala consuetudine delectentur

---

1. consilium] *add.* fuerit *E.* || 2. in agone *C.* || enim *om. C.* || 3. nontiante *pr. A.* || 5. a ciuibus *E.* || 7. suasit ut protinus *corr. A.* protinus suasit ut *Par.* suasit protinus ut *DEFΓ et corr. C, Torr.* || 9. delata *pr. C.* || foret] fuisset *F.* || 10. perpenderunt *F.* || 11. herennii pontii *DΓTorr.* herenii ponti *E.* herini pontii *F.* || neglexerunt *F et corr. D, Torr.* || 13. eius duce *Torr.* || 14. furculas *Par.* || 15. de re *om. F.* || delere *Γ.* || 17. confringerent *pr. C.* confrigerentur *F.* || 18. uictoris *E et litt.* is *in rasura C.* || utilitates *Γ et pr. A.* || 19. iugum] *add.* suum *Γ.* || perniciam *A.* || 20. Multis — adiciam *om. Γ.* || 21. Cretenses *Torr. Vt nos etiam Par.* || aceruissima *pr. A.* || 22. ederunt *F.* || uti] ut *Γ.*

---

16. Cf. Liu. XXIII, 12 et 13. Zonar. IX, 2.

suasit protinus legati Romam — mitterentur) Satis notum est suadendi et hortandi uerba saepius simplici coniunctiuo excipi sine particula *ut.* Cf. Sall. Iug. 35, 2, *Huic Sp. Albinus — persuadet, quoniam ex stirpe Masinissae sit, — regnum Numidiae ab senatu petat;* et sic Valerius huius capitis §. 11 externorum *Aristoteles autem Callisthenen — ad Alexandrum dimittens monuit cum eo aut rarissime aut quam iucundissime loqueretur.* Quapropter particulam *ut,* cum in duorum optimorum codicum scriptura non appareat, delendam censui. Suppleta est e coniectura a Parido in compendio huius exempli, indeque translata in codicem Bernensem et in recentiores aliquot, sed a librariis uariis locis inserta, uel incerta sede interpolationem prodit.

17. Cf. Liu. IX, 3. Dion. Hal. exc. Vat. (XVI, 3) ap. Mai. coll. II, p. 498. Flor. I, 16, 10.

optant modestoque uoti genere efficacissimum ultionis euentum repperiunt. Inutiliter enim aliquid concupiscere et in eo perseueranter morari, exitio ea uicina dulcedo est.

VAFRE DICTA AVT FACTA.

III. Est aliud factorum dictorumque genus, a sapientia proximo deflexu ad uafriti*a*e nomen progressum; quod, nisi fallacia uires adsumps*er*it, finem propositi non inuenit, laudemque occulto magis tramite quam aperta uia petit.

1. Ser. Tullio regnante cuidam patri familiae in agro Sabino praecipuae magnitudinis et eximiae formae uacca nata est. Quam oraculorum certissimi auctores in hoc a dis inmortalibus editam responderunt, ut quisquis eam Auentinensi Dianae immolasset,

---

1. optant modestoque] *in rasura A.* || 3. ea *om. EF.* || 4. *Titulum hunc om. Par.* De uafre dictis aut factis *ETorr.* || AVT] an *Γ.* || 5. proxime *F.* || 6. deflectu *C.* || uafriae *A.* uafre *CEFΓ.* uafer *D. Correxit Vorstius. Cf. Senec. epp. ad Lucil.* 49, 7. || 7. adsumpsit *A.* assumpsit *CΓ.* || fidem *ACDEFΓTorr.* || 9. tullo *E.* || patriciae *ACDΓ.* patricidae *E. Vt nos etiam Par.* || 10. formae] fortitudinis *F.* || 12. auentiniensi *ACDFΓTorr.*

III. *nisi fallacia uires adsumpserit, finem propositi)* Perizonius legendum esse suspicabatur *fallaciae.* Torrenius *a fallacia*, utrumque probum, necessarium neutrum. Sexto enim casu haec efficitur sententia, 'nisi per fallaciam uel adhibita fallacia uires sibi parauerit'. Recte autem idem Perizonius sensit, cum pro codicum scriptura *fidem* legendum esse diceret *finem.* Etenim propositi sui quam fidem astutia aut quaesierint aut inuenerint qui recensentur hoc capite homines, antistes Dianae, qui Romam orbis terrarum dominam reddere animo proposuerat, aut Iunius Brutus, qui ut aliquando ipse regnaret Romae, matri terrae osculum impressit, aut P. Cornelius Scipio, qui callide sine ullis impensis trecentos equites armis instruxit, id equidem profecto non intellego. Viribus opus est, ut ad finem perducatur propositum, eaeque uires uafritiae fallacia tribui dicuntur. Vereor autem ne qui tacite probarunt librorum scripturam *fidem*, perperam subdolam rationem, qua illi propositum ad optatum exitum perduxerunt, cum ipso confuderint proposito.

1. Cf. Liu. I, 45. Plut. quaest. Rom. 4.

patri familiae) Nolo silentio praeterire suspicionem meam archetypi ineptam scripturam *patriciae familiae*, cuius emendatio neque per se dubia esse potest et nunc Iulii Paridis compendio confirmatur, ortam esse e marginali correctura uocabuli, quod paulo ante uitiose in eo librum scriptum erat *uafriae.* Significauerat, ni omnia me fallunt, antiqui cuiusdam exempli corrector, ascriptis in margine litteris *ciae, uafriciae*, non *uafriae* legendum esse, quae litterae postea male alieno uocabulo adhaeserunt.

Auentinensi Dianae) Sic emendaui librorum manuscriptorum et impressorum formam *Auentiniensi*, quoniam cum inscriptionibus constanter litteram *i* ante *e* elidentibus consentit Paridis codex Vaticanus in huius exempli compendio.

eius patria totius terrarum orbis imperium obtineret. Laetus eo dominus bouem summa cum festinatione Romam actam in Auentino ante aram Dianae constituit, sacrificio Sabinis regimen humani generis daturus. De qua re antistes templi certior factus religionem hospiti intulit ne prius uictimam caederet quam *se* proxima aqua abluisset, eoque alueum Tiberis petente uaccam ipse immolauit et urbem nostram tot ciuitatium, tot gentium dominam pio sacrificii furto reddidit.

Quo in genere acuminis in primis Iunius Brutus referendus 2. est. Nam cum a rege Tarquinio, auunculo suo, omnem nobilitatis indolem excerpi interque ceteros etiam fratrem suum, quod uegetioris ingenii erat, interfectum animaduerteret, obtunsi se cordis esse simulauit eaque fallacia maximas uirtutes suas texit. Profectus etiam Delphos cum Tarquinii filiis, quos is ad Apollinem Pythium muneribus et sacrificiis honorandum miserat, aurum deo nomine doni clam cauato baculo inclusum tulit, quia timebat ne sibi caeleste numen aperta liberalitate uenerari tutum non esset. Peractis deinde mandatis patris Apollinem iuuenes consuluerunt quisnam ex ipsis Romae regnaturus uideretur. At is penes eum summam urbis nostrae potestatem futuram respondit, qui ante omnes matri osculum dedisset. Tum Brutus perinde

---

1. terrarum] *om. FPar. post* orbis *Γ*.|| Laetus] actus *F*.||2. bouem] uaccam *D*. || cum summa *DΓPar*. || Romam] *om. F*. roma *C*.|| mactam *C*. mactandam *EF*. || 3. aduentino ante dyanam *F*.||4. generis humani *E*. || 5. caederet quam] *in rasura A*. || se proximi amnis aqua *Par. et in rasura A*. proxima se aqua *CEF*. proxima aqua se *Γ*. proximi amnis aqua se *Torr*. || 7. ipse *om. C*. || ciuitatum *CDEFΓTorr*. || 9. §. 2 *om. Γ*. || uinius *D*. || 10. tarquino *E*. || 11. suum — (12.) ingenii erat *om. F*. || 12. obtusi *DETorr*. obtuxisse *F*. *Vid. ad VI*, 9, 1. || 13. esse cordis *F*. || texit suas *D*. || 14. hiis *F*. || appollinem *pr. A*. || 15. cum muneribus *F*. || et sacrificiis] et *om. A*. sacrificiisque *corr. A*, *Torr*. || 16. adeo *C*. || nomine *om. D*. || clam] causa *F et pr. CD*. cum *E*. || 18. peractus *F*. || 19. ipsis] hiis *F*. || 21. osculum matri *D*. || tunc *CEF*.

Cf. Grut. inscr. 39, 5 (ap. Orell. n. 44.), si tamen haec antiqua et genuina inscriptio est, et Grut. p. 290, 2 in nominibus propriis consulum Gnaei et Lucii Genuciorum Auentinensium. Atque eodem modo *Dianae Auentinen* . . . legitur in Festi cod. Farn. u. Nesi p. 165 Müll.

quam se proxima aqua abluisset) Iulius Paris, cum haec immutatis Valerii uerbis ita redderet, *quam se proximi amnis aqua abluisset*, correctorem libri Bernensis commouit ut in hunc modum suum quoque exemplar emendaret. Quae interpolatio, recepta a Pighio, non tamen, ut falso refert confusis librorum suorum testimoniis, e codice Cauchiano (*Γ*), mansit in omnibus deinceps editionibus, quamquam nostram scripturam non improbarunt Perizonius et Torrenius.

2. Cf. Liu. I, 56. Dion. Hal. IIII, 59. Dio. Cass. exc. Vat. 7. p. 139 Mai. Auct. de uir. ill. 10. Zonar. VII, 11.

atque casu prolapsus de industria se abiecit, terramque communem omnium matrem existimans osculatus est. Quod tam uafre telluri inpressum osculum urbi libertatem, Bruto primum in fastis locum tribuit.

3. Scipio quoque superior praesidium calliditatis amplexus est. Ex Sicilia enim petens Africam, cum e fortissimis peditibus Romanis trecentorum equitum numerum conplere uellet neque tam subito eos posset instruere, quod temporis angustiae negabant sagacitate consilii adsecutus est. Namque ex his iuuenibus, quos secum tota Sicilia nobilissimos et ditissimos sed inermes habebat, trecentos speciosa arma et electos equos quam celerrime expedire iussit, uelut eos continuo secum ad oppugnandam Karthaginem auecturus. Qui cum imperio ut celeriter, ita longinqui et periculosi belli respectu sollicitis animis paruissent, remittere Scipio illam expeditionem, si arma et equos militibus suis tradere uoluissent, edixit. Rapuit condicionem inbellis ac timida iuuentus instrumentoque suo cupide nostris cessit. Ergo calliditas ducis prouidit ut, † si quod protinus imperaretur, grato prius, deinde remisso militiae metu maximum beneficium fieret.

1. communem *om. E.* || 4. fascis *corr. D.* || 5. calliditatis] *add.* laudabiliter *margo D.* || 6. ex fortissimis *(F)Torr.* || 7. numerum equitum *E.* || 8. eos] *ante* tam *EΓ. post* posset *Torr.* || uetabant *Γ.* || 9. ex iis *Torr. Vt nos etiam Par.* || 10. de tota *E.* ex tota *FTorr.* tota ex *Par.* || et ditissimos] *om. pr. A.* et diuitissimos *Par.* || 11. trecentos] tricentos *D.* catos *C.* c'atos (*i. e.* creatos) *F.* ad se uocatos *E.* || 12. expediri *Par.* || continuo *C.* || oppugnandum *Γ.* || 13. Kartaginem *A.* || auecturus *D.* aduecturus *F.* || 15. remittere] *add.* se *margo A et corr. D. add.* se eis *Par.* || 16. ac] et *DΓ.* || 17. instrumentaque sua *DΓ et corr. C. Vt nos etiam Par. Vid. ad IIII*, 1, 7. || Ergo — (19.) fieret *om. Γ.* || erga *pr. C.* || 18. quid *D.* || grauato *corr. A.* gratum *CDEF.* graue *Torr.* || 19. remissum *CDEF.*

3. Cf. Liu. XXIX, 1.

trecentos speciosa arma) Ante Pighium plerumque edebatur *trecentos ad se uocatos speciosa arma* etc. Negabat deinde, quod ualde miror, Perizonius Pighium recte eiecisse ex his uerba *ad se uocatos*, quae ipse inuenerat in codice Copesiano. Nunc e uarietate scripturae supra enotata manifesto apparebit omnem istam interpolationem ortam esse e compendio numeri *trecentos (ccctos)* corrupto in *catos.*

remittere) Facillime sane post ultimam huius uerbi syllabam in archetypo codice excidere poterat pronomen, quod desideratur, *se*, habetque id Paridis epitome. Sed cum Valerius saepissime subiectum accusatiuo pronominis reflexiui efferendum apud infinitiuum omiserit, in re tam incerta deserendum non erat librorum manuscriptorum testimonium. Vid. ad IIII, 1, ext. 7. Epitomator Paris certe ex ingenio et *eis* addidit post *remittere se*; quidni igitur ipsum illud *se?*

prouidit ut, † si quod protinus) Sententia eorum quae sequuntur necessario haec fuisse debet, Scipio, quoniam, si sine ambagibus arma et equos pro suis militibus flagitasset a Siculis, grauius onus iis imposuisse uideretur, callida ratione ut illi et postulata praestarent et simul maximum beneficium accepisse

Quod sequitur narrandum est. Q. Fabius Labeo, arbiter 4.
a senatu finium constituendorum inter Nolanos ac Neapolitanos datus, cum in rem praesentem uenisset, utrosque separatim monuit ut omissa cupiditate regredi [modo controuersia] quam

1. Quod — narrandum est *om. Γ.* || 2. ac] et *EFPar. Torr.* || 3. separanti *F.* || 4. controuersia] *punctis notatum A.* controuersiam *E.* controuerso *Torr.*

se putarent effecit, iniciendo nempe prius molestae militiae metum eumque metum deinde hac condicione remittendo, si uellent armis et equis Romano militi cedere. Ita inter se oppositas esse particulas *prius* et *deinde* cum non intellegerent Perizonius et Torrenius, in emendando hoc loco, praeterquam quod inauditam inferunt uerbi ellipsin, aut sententiae non satisfecerunt aut audacius archetypi scripturam deseruerunt, seruatam in codice Bernensi et ex eo supra editam, e qua factum esse liquet quod in reliquis codicibus habetur, *gratum prius deinde remissum*. Proposuerat enim Perizonius legendum esse *prouidit ut quod, si protinus imperaretur, graue* (scil. *fuisset*), *remisso militiae metu* etc., uel *ut si, quod* (pro *quia*) *protinus imperaretur, graue prius* (scil. *fuit*), *deinde remissum militiae metu*, quod alterum ne Latine quidem dictum est; Torrenius autem *ut quod, si protinus imperaretur, graue prorsus* (scil. *fuisset*), *deinde remisso militiae metu* etc. Probo equidem transposita uerba *si quod*, quae inuerso ordine efferri debere nemo non uidet. De reliquis eo magis despero quo certius genuinam scripturam aliquot uerborum defectu truncatam esse ex iis apparet, quae de sententia huius loci praemisimus. Quam lacunam haud incommode sic explere possis, *prouidit ut quod, si protinus imperaretur, grau*e onus fuisset, excita*to prius, deinde remisso militiae metu maximum beneficium fieret*. Kappius, antequam Perizonii et Torrenii animaduersiones legerat, nihil difficultatis in traditis uerbis deprehenderat, (num deprehenderit postea nescio,) et sic explicauerat, 'ut, si illud, quod Scipio protinus imperauerat nobilibus iuuenibus Siculis ab initio graue fuisset; deinde, postquam Scipio iis metum militiae ademit, pro maximo beneficio condicionem haberent.'

4. Cf. Cic. de off. I, 10, 33.

regredi [*modo controuersia*] *quam progredi)* Pighius e quinque, ut ait, codicibus (dubito autem de numero,) ediderat *regredi modo controuerso quam progredi*, et citato Ciceronis exemplo e Flacciana addit 'ita saepe modus pro agri mensura'. Torrenio haec, quia res, cuius modus esset controuersus, omnino non significaretur, dura, mihi ne Latine quidem dicta uidentur. Neutiquam enim modus controuersus eam agri partem denotare potest, de qua litigatur uel disceptatio suscipitur, quae Vorstii sententia est, neque omnino, si quid uideo, a quantitate controuersa regredi aut progredi quis recte dicitur. Itaque hoc loco potius *in metiendo regredi quam progredi* desideres, si tamen quid desideratur. Nam cum ambigua ista uerba, quae in archetypo scribebantur *modo controuersia*, aeque aliena sint et a Ciceronis narratione, quam retentis singulis fere locutionibus sequitur Valerius, et a compendio huius exempli in Paridis epitome, *(ut omissa cupiditate regredi magis quam progredi mallent)*, quod una uocula interposita integrum e Valeriano opere translatum est, reprimi non potest suspicio ea ne a Valerio quidem profecta, sed fortasse in margine antiqui cuiusdam libri ascripta, perperam postea inter genuina esse recepta. Quae suspicio insigniter confirmabitur uerique iam simillima erit, si causa indicari poterit, cur haec uerba in margine illius libri apposita credamus idque spero fore ut mihi contigerit. Persuasissimum enim habeo doctum aliquem lectorem in margine adnotasse *de modo controuersia*, ut significaret certum illud litis genus, quod inter Nolanos ac Neapolitanos intercessisse existimabat. Notissima enim inter quindecim illas, quas Frontinus (p. 9 ed. Lachm.) et alii agrimensores distinxerunt agrorum controuersias, de modo controuersia erat, quae et in adsignatis agris fiebat et in ceteris, ut ponam exemplum,

progredi mallent. Idque cum utraque pars auctoritate uiri mota fecisset, aliquantum in medio uacui agri relictum est. Constitutis deinde finibus ut ipsi terminauerant, quidquid reliqui soli fuit populo Romano adiudicauit. Ceterum etsi circumuenti Nolani ac Neapolitani queri nihil potuerunt, secundum ipsorum demonstrationem dicta sententia, improbo tamen praestigiarum genere nouum ciuitati nostrae uectigal accessit. Eundem ferunt, cum a rege Antiocho, quem bello superauerat, ex foedere icto dimidiam partem nauium accipere deberet, medias omnes secuisse, ut eum tota classe priuaret.

5. Nam M. Antonio remittendum conuicium est, qui idcirco se aiebat nullam orationem scripsisse, ut, si quid superiore iudicio actum quem postea defensurus esset nociturum foret,

1. utroque *pr. A.* || 2. aliquantulum *EF.* || medio] meo *F.* || 3. quicquid *corr. A.* || 4. circumti *pr. A.* certumuenti *F.* || 5. quaeri *pr. A.* || 6. improba *pr. A.* || praestigiorum *CDEFΓ et pr. A, Torr.* || 7. ciuitate *C.* || 11. Iam *E et corr. A, Torr.* num *D. Vid. ad I,* 6, 10. || conuitium *pr. A.* || qui] quid *F.* || iccirco *Γ.* || 13. actum] *add.* ei *EΓPar. et corr. A, Torr. add.* esset quod ei *D. Vid. ad I,* 7, *ext.* 9. || quem] quod *F.*

quotiens modus agri non quadrabat promissioni (Frontin. p. 16. Lachm. et Goesii not. p. 184.). Quae marginalis nota cum non intellegeretur, fieri potuit facillime ut ab imperitis librariis inter Valerii uerba reciperetur. De ipsa re num recte iudicauerit doctus ille quem dixi interpres, alia quaestio est. Nescio enim an illa lis inter Nolanos et Neapolitanos non tam de modo quam de loco controuersiam habuerit, de qua controuersia cf. Iul. Front. pp. 9 et 13. Lachm. Sed haec peritioribus iuris Romani arbitris enucleanda relinquam; de additamento illo ne ita quidem dubitabo, si auctor eius lapsus fuerit. Et quoniam in hanc materiam deducti sumus, adnotatu dignum uidetur Valerium in toto hoc exemplo uocabulis usum esse gromaticae disciplinae propriis. Itaque dixit *arbiter finium constituendorum* (cf. Agg. Vrbic. p. 4 et 5 Lachm.), *in rem praesentem uenire* (cf. Agg. Vrbic. p. 3 Lachm. cum not. Rigaltii p. 243. ed. Goes. Cic. de or. I, 58, 250. Liu. XL, 17. Gell. XX, 10, 7. Dig. XXXIX, 1, 5.), *secundum ipsorum demonstrationem* (cf. Iul. Front. p. 13 Lachm. Dig. VIII, 1, 13. X, 1, 12.)

improbo tamen praestigiarum genere). Codices et editiones omnes *praestigiorum.* Mihi non probabile est Valerii aetate quemquam dixisse *praestigium*, quod hucusque nonnisi in glossis ad Prudentium inuentum est, unde citant Vorstius et Forcellinius. Hoc loco librarii cuiusdam mendum puto, qui confusis et transpositis uocalibus litteris *a* et *o* in archetypo *improba praestigiorum* exarasse uidetur, cum uellet *improbo praestigiarum*, quod ipse reddere Valerio non dubitaui.

Eundem ferunt, cum a rege Antiocho) Haec et quae sequuntur fabulae quam historiae similiora sunt. Pactum enim erat inter condiciones foederis cum Antiocho rege icti, siquidem certissimos eius rei testes audimus, Polybium XXII, 26 et Liuium XXXVIII, 38, 39, ut omnes naues longas traderet Antiochus neue plures haberet quam decem actuarias. Quinquaginta autem tectas naues aut concidit aut incendit Labeo. Nec magis uerum illud quod hic Q. Fabius Labeo tamquam uictor Antiochi celebratur, cum classi tantum praefuerit Romanorum.

5. Cf. Cic. pro Cluent. 50, 140.

non dictum a se adfirmare posset, quia facti uix pudentis causam tolerabilem habuit. Pro periclitantium enim capite non solum eloquentia sua uti, sed etiam uerecundia abuti erat paratus.

Sertorius uero, corporis robore atque animi consilio parem 6. naturae indulgentiam expertus, proscriptione Syllana dux Lusitanorum fieri coactus, cum eos oratione flectere non posset ne cum Romanis uniuersa acie confligere uellent, uafro consilio ad suam sententiam perduxit. Duos enim in conspectu eorum constituit equos, ualidissimum alterum, *alterum* infirmissimum, ac deinde ualidi caudam ab inbecillo sene paulatim carpi, infirmi a iuuene eximiarum uirium uniuersam conuelli iussit. Obtemperatum imperio est. Sed dum adulescentis dextera inrito se labore fatigat, senio confecta manus ministerium executa est. Tunc barbarae contioni quorsum ea res tenderet cognoscere cupienti subiecit equi caudae consimilem esse nostrum exercitum, cuius partes aliquis adgrediens opprimere possit; uniuersum conatus prosternere, celerius tradiderit uictoriam quam occupauerit. Ita gens barbara, aspera et regi difficilis, in exitium suum ruens quam utilitatem auribus respuerat, oculis peruidit.

---

1. qui *D et corr. A, Torr.* quae *E.* || uis *EF.* || prudentis *DEF.* || tolerabilem causam *(Γ) Torr.* || 3. uti sua *E.* || paratus erat *Γ.* || 4. pari *C.* || 5. indigentiam *F.* || 6. conatus *E.* || 9. alterum, alterum] *Priorem uocem habet ante* ualidissimum *DΓ Torr. om. alteram F et pr. A.* || 10. caudam ualidi *F.* || imbecille *F.* || sene • *A.* || iuuene • *A.* || 11. uirum *C.* || 12. dum] *add.* ab *F.* || fatigaret *F.* || 13. exsecuta *A.* || tum *ΓPar. Vid. ad I, 7, ext.* 10. || 14. subicit *CΓ et pr. A. Vt nos etiam Par. Vid. ad VI, 2, ext.* 2. || 16. conatum *ACEF.* || 17. uictoriam quam] uictoriamque *F.* || 18. barbara *aut* barbare *A, neque enim dinosci potest utra scriptura a prima manu sit.* barbara et *corr. D.* || exitum *F.* || 19. perdidit *corr. A.*

---

quia facti uix pudentis) Restitui causalem coniunctionem probante Perizonio pro relatiuo *qui*, quod uulgo inuitis libris edebatur. Subiungitur enim in sequentibus causa cur M. Antonio conuicium remittendum esse putatur.

6. Cf. Front. strat. I, 10, 1. IIII, 7, 6. Plin. epp. III, 9, 11. Plut. Sert. 16. *ualidissimum alterum, alterum infirmissimum)* Pronomen *alterum*, quod bis ponendum et bis a Valerio positum fuisse apparet, altero loco in archetypo codice exciderat. Inde tanta in recentioribus libris discrepantia. Ita codex Copesianus cum utroque Mediceo Torrenii *ualidissimum unum, infirmissimum alterum* exhibet. Nc Paris quidem satis recte suppleuit, *ualidissimum alterum, infirmissimum alterum.* Sedes lacunae dubia esse nequit. Solet enim auctor in his oppositionibus iuxta ponere illa pronomina, quae inter se opponuntur. Sic IX, 1, 6 diuersorum sacculorum *frugalissimum alterum, alterum nequissimum* dixit et VII, 4, 2 composuit *cognito adulescens silentio patris simul ac facto causam alterius, alterius argumentum peruidit*, quo loco et lacuna enarratores et sententia fugerat, quam equidem recte restituisse mihi uideor. Et Frontinus quoque IIII, 7, 6 de eadem re disserens *ualido alteri, alteri admodum exili* scripsit.

7. Fabius autem Maximus, cuius non dimicare uincere fuit, cum praecipuae fortitudinis Nolanum peditem dubia fide suspectum et strenuae operae Lucanum equitem amore scorti deperditum in castris haberet, ut utroque potius bono milite uteretur quam in utrumque animaduerteret, alteri suspicionem suam dissimulauit, in altero disciplinam paululum a recto tenore deflexit. Namque illum plene pro tribunali laudando omnique genere honoris prosequendo animum suum a Poenis ad Romanos coegit reuocare, et hunc clam meretricem redimere passus paratissimum pro nobis excursorem reddidit.

8. Veniam nunc ad eos, quibus salus astutia quaesita est. M. Volusius aedilis plebis proscriptus adsumpto Isiaci habitu per itinera uiasque publicas stipem petens, quisnam re uera esset occurrentis dinoscere passus non est, eoque fallaciae genere tectus in M. Bruti castra peruenit. Quid illa necessitate miserius, quae magistratum populi Romani abiecto honoris praetexto alienigenae religionis obscuratum insignibus per urbem iussit incedere? † Omnes aut hi suae uitae aut illi alienae mortis cupidi, qui talia uel ipsi sustinuerunt uel alios perpeti coegerunt.

---

3. strenuum *F.* || amore] *post* scorti *F.* amare *pr. A.* || depereuntem *Par.* || 5. alteri] altius *F.* || 6. in alterum *ACDEF.* || 7. Nam *Torr.* || 8. reuocare coegit *Γ.* || 10. excussioremque *ADEFΓ.* excursatoremque *C.* || reddidit] *Sequitur hoc loco noui capitis titulus* DE ASTVTIA *in Par.* || 11. §. 8 *om. Γ.* || ueniamque *F.* || 12. uolutius *F.* Volsius *Par.* || isiaco *D.* || 14. occurrentes *DFTorr.* occurrenti *ante* re uera *E.* || 16. obiecto *pr. A.* || praetesto *F. Vid. ad II*, 10, *init.* || 18. omnis *C.* || autem hi *E.* hii autem *F.*

---

7. Cf. Plut. Fab. 20. Auct. de uir. ill. 43. Eandem astutiam Liuius XXIII, 15 a Marcello adhibitam esse scribit in L. Bantium Nolanum, sociorum ea tempestate prope nobilissimum equitem, attemptatae defectionis suspectum. Sed simile quid de Fabio et praefecto praesidii Bruttiorum narrat XXVII, 15. Cum Valerio consentiunt Plutarchus et auctor libri de uiris illustribus, nisi quod ille pro Nolano pedite Marsum quendam posuit, hic Marium Statilium, qui praefectus erat Lucanorum. Cf. Liu. XXII, 42, 4.

excursorem) Codex archetypus *excussioremque*, quod correxit Aldus. Cum enim aberratum esset in *excussiorem*, librarii, ut conecterent duo quae sensu cohaerere putabant adiectiua, copulam addiderunt.

8. Cf. App. ciu. IIII, 47.

† *Omnes aut hi suae uitae)* Sententia haec non frigida, ut ait Torrenius, sed plane insulsa atque inepta est. Quid enim sibi uult illud, quod hi propriam salutem, illi aliorum caedem cupide quaesiuisse dicuntur, qui talia uel ipsi fecerunt uel alios facere coegerunt? An non ipsa res satis superque declarat hos uitae suae, illos alienae mortis cupidos fuisse? Aut nihil iudico equidem, aut exprobauit auctor alteri parti nimiam patientiam, alteri nimiam saeuitiam. Itaque probarem quod Perizonius ex 'uetere codice' Schotti asciuit, *O nimis aut hi suae uitae* etc., nisi insolentius in hac interioctione uocatiuus personarum adhiberi uideretur, quas scriptor ne alloquitur quidem ipsas; ex quo genere

Aliquanto speciosius Sentii Saturnini Vetulonis in eodem 9.
genere casus ultimae sortis auxilium. Qui cum a triumuiris inter proscriptos nomen suum propositum audisset, continuo praeturae insignia inuasit praecedentibusque in modum lictorum et apparitorum et seruorum publicorum subornatis uehicula conprehendit, hospitia occupauit, obuios summouit ac tam audaci usurpatione imperii in maxima luce densissimas hostilibus oculis tenebras offudit. Idem ut Puteolos uenit, perinde ac publicum ministerium agens summa cum licentia correptis nauibus in Siciliam, certissimum tunc proscriptorum perfugium, penetrauit.

His uno adiecto leuioris notae exemplo ad externa deuertar. 10.

---

1. Aliquanto — (2.) auxilium *om. Γ.* || speciosius] spetius *F.* || SeNtii *in rasura A.* sententiis *CEF.* || ultulionis *E.* uetulionis *FTorr.* || 2. Qui] Saturnius quoque uetulo *Γ.* || inter scriptos a triumuiris *E.* || 3. proprium *F.* || 5. apparitorum publicorum seruis ue hicula *(sed litterae* um publicorum seruis ue hi *in rasura, omisso* subornatis, *A.* apparitorum publicorum seruis subornatis uehicula *Torr. et litteris* publicorum seruis *in rasura D.* || 6. ac] hac *Γ.* || 8. effudit *ACDF.* || putelos *D.* || ac] ut *CEF.* ac si *Γ.* || 9. correctis manibus *F.* || 10. profugium *DETorr.* refugium *F.* || 11. Iliis — deuertar *om. Γ.* || lenioris *C.* || reuertar *ACDEF.* conuertar *Torr.*

---

aliud exemplum me nondum inuenisse confiteor. Expectares enim scribi uel *O nimis aut hos suae uitae aut illos alienae mortis cupidos, qui talia — sustinuerunt,* uel certe *O nimis — cupidi, qui talia sustinuistis.* Itaque nescio an retento *omnes* alio loco supplendum sit *nimis,* fortasse post *mortis,* ubi facillime propter similem terminationem excidere poterat.

9. App. ciu. IIII,45 idem narrat de Pomponio quodam.

Sentii Saturnini Vetulonis) Librorum mendum in nomine *(sententiis)* emendauit corrector libri Danielini e Paridis epitome (cf. Vell. II, 77, 3.), quae cum optimis quibusque Valerianis codicibus in cognomine quoque consentit, quod uulgo male *Vetulio* scribebatur.

apparitorum et seruorum publicorum subornatis) Immutatis ex arbitrio Valerii uerbis ita haec in breuius contraxit Iulius Paris, *praeturam ementitus, praecedentibus seruis in modum lictorum adparitorumque uehicula comprehendit;* unde fluxerunt quae corrector in libro Petri Danielis et recentiores aliquot librarii posuerunt, nullo iure recepta ab omnibus editoribus pro archetypi scriptura. Nam ut mittam quod, cum alii non fuerint apparitores nisi publici, plane otiosa est illa appellatio, bonorum librorum scriptura, quam in Bernensi quoque sub litura latere liquet, nihil habet quo offendat. Magistratus in prouinciam euntes praeter lictores et apparitores, qui ciues Romani erant, seruos quoque publicos secum duxisse ad humilia seruillaque officia praestanda nota res est. Cf. A. Gell. X, 3, 19. Paul. diac. u. Brutiani p. 31 Müll.

oculis tenebras offudit.) Optimi codices *effudit.* Et dicuntur sane effundi tenebrae. Cf. Curt. IIII, 12, 20. Valer. Flacc. VII, 566. Atqui oculis alicuius non effunduntur, sed offunduntur. Cf. Val. Max. II, 7, 6 et III, 8, 3, ubi item in deterioribus quibusdam *effusam* est, Cic. de nat. deor. I, 3, 6. Front. strat. II, 4, 3. Curt. VII, 6, 22. Plin. epp. III, 9, 16. Valer. Flacc. IIII, 482. Solito autem errore alterum uerbum cum altero confundi docuit Drakenborchius ad Liu. XXXIII, 7, 8 et ad Sil. Ital. X, 366. Itaque retinui uulgatam scripturam uel inuitis libris.

10. *deuertar)* Apparet uitiosum esse quod codices manuscripti tradunt, *reuertar.* Neque enim auctor ad ea, quae pro deuerticulo Romanis exemplis

Amantissimus quidam filii, cum eum inconcessis ac periculosis facibus accensum ab insana cupiditate [pater] inhibere uellet, salubri consilio patriam indulgentiam temperauit. Petit enim ut prius quam ad eam quam diligebat iret uulgari et permissa uenere uteretur. Cuius precibus obsecutus adulescens infelicis animi impetum, satietate licentis concubitus resolutum, ad id quod non licebat tardiorem pigrioremque adferens paulatim deposuit.

Ext. 1. Cum Alexander, Macedonum rex, sorte monitus ut eum, qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici iuberet, asinarium forte sibi obuiam factum ad mortem abripi imperasset, eoque quaerente quidnam se immerentem capitali supplicio innocentemque addiceret, cum ad excusandum factum suum oraculi praeceptum retulisset, asinarius 'Si ita est', inquit, 'rex, alium sors huic morti destinauit; nam asellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit'. Delectatus Alexander et illius tam callido dicto et quod ipse ab errore reuocatus erat, occasionem

---

2. pater] *punctis notatum A. om. Torr.* || 3. petiit *CDEFΓTorr. Vt nos etiam Par.* || 4. et] ac *Torr.* || 6. concubitus licentis *Torr.* || 8. rex macedonum *DΓ.* || 9. asinarium] *in rasura A.* asinariumque *F.* || 10. forte sibi] forte ante omnes *in rasura A, Torr.* sorte ominis *Γ. add.* ante omnes *D.* || arripi *CDEFΓ.* || 11. querite *F.* || quidnam] *littera* d *a corr. A.* || si *F.* || immerente *CF.* || capitali] capi mandaret et tali *D.* || innocentemque] que *om. CDFΓ.* || 12. adiceret *EΓ.* || excussandum *A.* || 13. praetextum *D.* || o rex *Γ.* || 16. ab errore ipse *Torr.*

---

ita immiscuit, ut secundariam dumtaxat partem in hoc opere obtineant, tamquam a degressione reuertentem se fingere potuit. Vidit Torrenius *reuertar* confusum esse cum *deuertar*, quod habet codex Leidensis primus, quemadmodum confunditur in codicibus Liuii XXXVIII, 15, 5. Cf. Cic. epp. XII, 25, 5. Liu. XXXV, 40. Plin. h. n. II, 7, 5, §. 27, ubi miror Silligium scripsisse *diuertisse*.

ab insana cupiditate [pater] inhibere uellet) Ineptam et satis manifestam interpolationem, quam uncis seclusi, recte iam Pighius sustulerat. Profecta esse uidetur aut ex interpretatione uerborum, quae praecedunt, *amantissimus quidam filii*, aut ab indocto quodam homine, qui alium putauerit patrem filium inhibere uolentem, alium amicum salubris consilii auctorem.

Ext. 1. *asinarium forte sibi obuiam factum)* Restitui quod edebatur ante Pighium, quem e tribus codicibus iisque pessimae notae, Atrebatensi, Coloniensi, Susiano recipientem *asinarium forte ante omnes obuiam factum*, secordius secuti sunt recentiores grammatici. Aberat autem *ante omnes* non solum ab archetypo, uerum etiam ab eo codice, quo Iulius Paris usus est. Quis enim epitomatorem haec sola consilio omissurum fuisse crediderit? Neque sane desiderantur haec uerba, quoniam relato oraculi responso per se intellegitur eum a rege arreptum esse, qui primus e porta egredienti occurrerat. Recentiores igitur libri ubique interpolati uerba a nobis reiecta e rasura codicis Bernensis acceperunt. Eodem uitio codex Valerianus Vincentii quoque Bellouacensis infectus erat, qui in spec. hist. V, 62 *ante omnes* tueri uidetur. Dubito de abbreuiatoris Guelferbytani exemplo, cuius scriptura *ominis* fortasse non ex *omnes* nata est, sed e coniectura, addito *ominis* propter mendum, quo *forte* mutatum erat in *sorte*.

in aliquanto uiliore animali expiandae religionis rapuit. Summa in hoc mansuetudo, in alterius regis equisone calliditas.

Sordida Magorum dominatione oppressa Darius sex adiu- 2.
toribus eiusdem dignitatis adsumptis pactum cum praeclari operis consortibus fecit ut equis insidentes solis ortu cursum in quendam locum dirigerent isque regno potiretur, cuius equus in eo primus hinnisset. Ceterum maximae mercedis conpetitoribus fortunae beneficium expectantibus, solus acumine equisonis sui Oebaris prosperum exoptatae rei effectum adsecutus est, qui in equae genitalem partem demissam manum, cum ad eum locum uentum esset, naribus equi admouit. Quo odore inritatus ante omnes hinnitum edidit auditoque eo sex reliqui summae potestatis candidati continuo equis delapsi, ut est mos Persarum, humi prostratis corporibus Darium regem salutauerunt. Quantum imperium quam paruo interceptum est uaframento!

---

2. in hoc] *add.* cum calliditate *margo A, Torr.* || mansuetudo] *add.* summa quoque *corr. A, Torr.* || in alterius] et alterius *Γ.* || equisona *EF.* || 3. maiorum *C.* || damnatione *et in marg. add.* perside *D.* || rex *ACDEFΓ. Correxit Geuartius in 1 elect. cap.* 1. || aduictoribus *F.* || 4. absumptis *E.* || 6. potiretur *om. E.* || 7. hinnisset] inh'itum dedisset *F.* || 8. equisoni sui hebaris *E.* || 9. prosperum] *post* rei *E.* || exobtatae *pr. A.* || qui — (10.) genitalem] *exceptis litteris* talem *in rasura A.* || 10. dimissam *E.* admissam *F.* || 11. Quo] Qui *coniecit Perizonius.* || 12. inh'itum *F.* || 13. mox *C.* || 14. Quantum imperium] *om. D.* quam imperium *F.*

Summa in hoc mansuetudo) Perperam uulgo edebatur *Summa in hoc cum calliditate mansuetudo; summa quoque in alterius regis equisone calliditas.* In quibus sustulimus interpolationem eiusdem originis, cuius uerba *ante omnes*, supra a nobis deleta, sed eo manifestiorem, quod illa superuacua tantum, haec et sententiae et linguae legibus uel maxime contraria est. Primum enim, cum in alio homine mansuetudo, in alio calliditas fuerit, nescio quomodo concoquere potuerint enarratores, quod in hoc (Alexandro) summa cum calliditate mansuetudo fuisse dicitur. Deinde grammatica ratio obstat quominus Valerium *summa quoque in alterius* scripsisse putemus, quae certe hoc ordine ponenda erant, *summa in alterius quoque regis.* Miror Torrenium tam peruerse pronuntiata probantem. Nam Kappius, nulla offensus prauitate, in pronomine *hoc* subaudiens *exemplo*, summam in hoc exemplo regis mansuetudinem et asinarii calliditatem fuisse enarrat, 'nec minus summam calliditatem in alterius regis equisone', egregie prorsus relationem Valerii de regis mansuetudine cum ipsa equisonis calliditate comparans eodemque relatu positam accipiens. Et haec omnia, postquam Perizonius monuit concisius et rectius in codice Copesiano ea legi, quae nos supra exhibuimus. Valerius, ut solet in transitu ad nouum exemplum, medium quoddam instituendae comparationis cupido quaerens, arripuit quod se obtulit unicum in regis uocabulo, in eoque parum eleganter ludens mansuetudinem in altero rege (Alexandro) animaduersam cum calliditate comparat in alterius regis (Darei) equisone repraesentanda, et ita proximum superiori annectit exemplo.

2. Cf. Herod. III, 85 — 87. Iustin. I, 10.

cum ad eum locum uentum esset) Valerius, ab Herodoto in eo discedens, quod inter septem candidatos regiae potestatis pactum narrat ut ad certum

3. Bias autem, cuius sapientia diuturnior inter homines est quam patria Priene fuit, siquidem haec etiam nunc spirat, illius perinde atque extinctae uestigia tantummodo extant, ita aiebat oportere homines in usu amicitiae uersari, ut meminissent eam ad grauissimas inimicitias posse conuerti. Quod quidem praeceptum prima specie nimis fortasse callidum uideatur inimicumque simplicitati, qua praecipue familiaritas gaudet; sed si altius animi cogitatio demissa fuerit, perquam utile repperietur.

4. Lampsacenae uero urbis salus unius uaframenti beneficio constitit. Nam cum ad excidium eius summo studio Alexander ferretur, progressumque extra moenia Anaximenen, praeceptorem suum, uidisset, quia manifestum erat futurum ut preces suas irae eius opponeret, non facturum se quod petisset iurauit. Tunc Anaximenes 'Peto', inquit, 'ut Lampsacum diruas'. Haec uelo-

1. §. 3. *om. Γ.* || est] *om. C. ante* inter *D.* || 2. hic *EF et corr. D.* || 4. eas *F.* || 6. prima *om. E.* || specie] *add.* tenus *E.* facie *D.* || 7. altiorib. * *(litt. b. in rasura) A. antea* altiorius *fuisse uidetur.* altior *CE F.* arcior *D.* altioribus *Torr.* || 8. animis *(litt. s a corr. add.) A, Torr.* || 9. Lamsacenae *ACD Γ.* Lasacene *E.* lansacene *F.* Lampsaci *Par.* || uero] *post* urbis *A.* quoque *Γ.* || nauframenti *F.*||constitit beneficio *D Γ.*||10. excidium] *Par. et in rasura A.* exitium *CD F.* exicium *E Γ. Vid. ad V*, 2, 1. || alexander summo studio *F.* || 11. anaximenem *CDEF Torr.* || 14. inquid *pr. A.* || lamsacum *AC Γ.* lamsacenam *D.* lassacum *E.* lansacrum *F.*

locum cursum dirigerent et eo loco primum equi hinnitum expectarent, non nimis lepide immutauit, paene dixerim inscite corrupit quod ille de certo loco et certo tempore in ea fabula tradidit.

3. Chiloni hoc dictum tribuit A. Gell. I, 3, 30. sed simile quid Bianti Diog. Laert. I, 87.

si altius animi cogitatio demissa fuerit) Codices ad alteram familiam pertinentes tantum non omnes *altior animi cogitatio* tradunt; quod ne ita quidem ferri potest, si e Perizonii coniectura *animis* posueris, cum Latine non magis altior animi cogitatio absolute demitti dicatur quam res demitti alicui loco uel aliquo loco pro eo quod uulgo est in aliquem locum. Sed longe aliud in archetypo codice fuisse e litura Bernensis libri colligitur, sub qua nunc quidem eadem prodente, quae hucusque inepte prorsus edebantur, *altioribus animis*, latere uidetur *altiorius*. Atque ex hac archetypi exempli scriptura facillime sane reliquorum codicum modo *altior*, modo *altioris*, modo *altioribus* exhibentium discrepantia deriuatur. Quod si uerum est, apparet illud *altiorius* profectum esse a librario, qui, cum perperam exaratum esset *altior*, uitiosam terminationem emendauerat supra uel iuxta scripto *ius*, ut *altius* legendum esse indicaret. Quod siue ex archetypo suo Valerii exemplo petiuit, siue ex alio emendatiore libro, siue diuinando repperit, unice uerum atque genuinum iudicamus. Vt similia exempla ponam, loquitur ita Iustinus VIII, 5, 11, *dolor hoc altius demissus, quo minus profiteri licet*, Sallust. Iug. 11, 7 *Quod uerbum in pectus Iugurthae altius quam quisquam ratus erat descendit.* Cf. Cic. in Verr. act. I, 9, 17. Tac. ann. I, 32 et 69. II, 82. IIII, 41. Mendum igitur eodem modo ortum est atque illa, quae notaui III, 7, 9, ubi in codicibus *quae uota* circumfertur pro *quo tã* et V, 4, ext. 5, ubi, cum *ultimum* librarius suprascripto *as* in *ultimas* mutandum esse indicasset, factum est *ultimum asiam solitudinis* pro *ultimum iam solitudinis.*

4. Cf. Pausan. VI, 18, 2, Suid. u. *Ἀναξιμένης.*

citas sagacitatis oppidum uetusta nobilitate inclitum exitio, cui destinatum erat, subtraxit.

Demosthenis quoque astutia mirifice cuidam aniculae suc- 5. cursum est, quae pecuniam depositi nomine a duobus hospitibus acceperat ea condicione ut illam simul utrisque redderet. Quorum alter interiecto tempore tamquam mortuo socio squalore obsitus deceptae omnis nummos abstulit. Superuenit deinde alter et depositum petere coepit. Haerebat misera et in maxima pariter et pecuniae et defensionis penuria, iam[que] de laqueo et suspendio cogitabat. Sed opportune Demosthenes ei patronus adfulsit. Qui ut in aduocationem uenit, 'Mulier', inquit, 'parata est depositi se fide soluere; sed nisi socium adduxeris, id facere non potest, quoniam, ut ipse uociferaris, haec dicta est lex, ne pecunia alteri sine altero numeraretur.

Ac ne illud quidem parum prudenter. Quidam Athenis 6.

---

3. ancillae *A C D E F Γ Torr.* || succueurrit *F.* || 4. est *om. C F.* || deposita *pr. A.* || hospitiis *A.* || 5. utriusque *F.* utrique *Par. Vid. ad VI, 5, ext.* 3. || 6. mortuo] *add.* uo *pr. C. add.* suo *corr. C.* || 7. decepta ea *D Γ.* || omnes *C D E F Γ Torr.* || 8. et in] ∗ in *A.* in *(omisso* et*) D Γ Torr.* || 9. iamque] que *om. C E F. sine uncis Torr.* || 10. oportunae *(sed litt. a induct.) A.* || ei] *ante* Demosthenes *E. om. F.* || adfuit *uel* affuit *C E F Par.* || 11. in] *om. pr. A.* ad *D. Vt nos etiam Par.* || uocationem *C F.* euocationem *E.* || 12. se depositi *E.* || fidem *E et corr. D.* || 13. ut] *add.* tu *F.* || 14. numeretur *corr. A, Torr.* minaretur *C.* || 15. At *F.* || ille *E.* || quidem] *post* parum *Torr.* quid *F. om. Γ.* || Quidam] qui *C E.*

---

5. *aniculae)* Codices et editiones summo consensu *ancillae* praebent. *Aniculae* e Iulii Paridis compendio est, quod is certe non ex ingenio pro illo substituit, sed traditum accepit, adeo ut necessario ab altero ad alterum aberratum esse debeat. At quanto facilius poterat ab anicula in ancillam quam contra? Accedit quod omnia, quae de muliere ab hospite circumuenta narrantur, in ingenuam multo melius cadunt quam in seruam. Quapropter illud recipere non dubitaui.

et in maxima — iam[que] de laqueo) Retinuit archetypi testimonium primaria libri Danielini scriptura, *Haerebat misera et in maxima — penuria iamque de laqueo et suspendio cogitabat.* In quibus emendandis, cum aut *et* aut *que* in *iamque* redundet, alterius familiae codices in duas partes digrediuntur modo hanc modo illam copulatiuam particulam delentes. Credo equidem librarium altero loco *que* interpolasse, qui ignoraret uerbi *haerere* absolute positi significationem. Paris certe id ipsum, quod nos edidimus, in suo Valerii libro legisse uidetur, cum hanc sententiam breuius ita reddiderit, *Aniculae haerenti atque penuria defensionis territae Demosthenes patronus adfuit.* Idem autem Paris usitatissimam locutionem, qua adesse patroni dicuntur clientibus, pro arcessito et improprio in ea re adfulgendi uerbo substituit. Quod si idem factum est in codicibus familiae, quam x″ notaui, uereor ne quis inde adfinitatem quandam inter haec exempla et epitomatorem Iulium Paridem repetendam esse existimet. Nam in eandem coniecturam facillime alius quoque librarius incidere poterat. Comprobatur autem ea uerbi adfulgendi translatio in hoc opere simili exemplo VII, 6, ext. 1., *Cretensibus nil tale praesidii adfulsit.* Cf. Liu. XXX, 30, 15.

uniuerso populo inuisus, causam apud eum capitali crimine dicturus, maximum honorem subito petere coepit, non quod speraret se illum consequi posse, sed ut haberent homines ubi procursum irae, qui acerrimus esse solet, effunderent. Neque eum haec tam callida consilii ratio fefellit. Comitiis enim clamore infesto et crebris totius contionis sibilis uexatus, nota etiam denegati honoris perstrictus, eiusdem plebis paulo post in discrimine uitae clementissima suffragia expertus est. Quod si adhuc ei ultionem sitienti capitis sui periculum obiecisset, nullam partem defensionis odio obseratae aures reciperent.

7. Huic uaframento consimilis illa calliditas. [Superior] Han-

1. apud] caput *F.* || capitalis criminis *Par.* || 2. sperabat *Par.* || 3. posse consequi *E.* || 4. irae] *add.* suae *punctis notat. E.* || quia cernimus *C.* || effugerent *E.* || 5. cum] enim *C.* || haec *om. E.* || comitis *pr. A.* comitii *D.* committi *F.* || 6. contentionis *A.* contitionis *F.* || 7. proscriptus *F.* || 8. uitae *om. F.* || 9. capiti *C.* || suo *corr. C.* || 10. obseruatae *pr. A.* obsecratae *C.* || recepissent *F.* || 11. nauframento *F.* || Superior Hannibal] H an nibal, *(omisso* superior*) in rasura A.* superiori hannibal *CEF.*

7. Cf. Diod. Sic. exc. Vat. XXIII, 2. p. 49 Mai. uol. III, p. 55. Dind. Dio. Cass. exc. Vat. 62. p. 182. Mai. Auct. de uir. ill. 38. Oros. IIII, 7. Zonar. VIII, 11.

[*Superior*] *Hannibal)* Quid hoc loco fuerit in codice Petri Danielis antequam emendatoris experiretur manum nunc quidem propter lituram dinosci nequit: sed apparet eum cum alterutra reliquorum codicum familia ante Hannibalis nomen habuisse aut *superior* aut *superiori*. Quae uox deinde non sine grauissima causa deleta est. Insequentis namque exempli octaui initium, nec sola ibi deteriorum codicum scriptura *Idem Hannibal*, sed Bernensis quoque *Item Hannibal*, luculenter declarat utrumque astutiae genus ex auctoris mente ad eundem Hannibalem pertinere, et quidem ad notissimum magnum illum, cuius uafri mores non semel notantur a Valerio, quoniam, si alterum ab alio editum putasset scriptor, sine dubio diuersitatis significationem ibi adiecisset, quae omnino necessaria est, si re uera prioris astutiae auctorem superioris appellatione distinctum credideris. Senserunt hanc necessitatem grammatici, qui inuitis codicibus absque omni probabilitate proximi exempli initium auctore Pighio ita ediderunt, *Alter item Hannibal.* At de duobus Poenorum ducibus ne Paris quidem Valerii uerba interpretatus est, qui utriusque exempli compendium simplici Hannibalis nomine incepit. Accedit quod Valerius superioris et posterioris distinctione non usus est ad discernendos cognomines uiros nisi in hominibus aeque notis atque illustribus, ut in Scipionibus Africanis et in Catonibus, ubi quisnam illo additamento insigniretur dubitari non poterat. Quod si ita est, unum restat ut illud *superior* genuinum et antiquum esse negemus. Suspicor igitur ascriptum id fuisse ab erudito quodam librario, qui, cum priorem hanc narrationem non ad notum illum Hamilcaris, sed ad eum Gisconis filium, qui primo Punico bello Poenorum classi praeerat, pertinere sciret, ita ipsius auctoris emendauerit errorem, pudendum quidem, at nondum omnium quos commisit turpissimum. Inde cur factum sit *superiori*, si tamen hoc erat in archetypo, non difficile est coniectare. Scio in reprehensionem me esse incursurum, quod uel aduersus codicum testimonium tale peccatum imputauerim auctori. Neque uero aliter potui facere. Qui leniore et probabiliore medicina ita restituerit haec uerba, quemadmodum scribi potuerunt a Valerio, ei primus ipse plaudam.

nibal a Duilio consule nauali proelio uictus timensque classis amissae poenas dare, offensam astutia *mire* auertit. Nam ex illa infelici pugna priusquam cladis nuntius domum perueniret quendam ex amicis conpositum et formatum Karthaginem misit. Qui postquam ciuitatis eius curiam intrauit, 'Consulit uos', inquit, 'Hannibal, cum dux Romanorum magnas secum maritimas trahens copias aduenerit, an cum eo confligere debeat'. Adclamauit uniuersus senatus non esse dubium quin oporteret. Tum ille 'Conflixit', inquit, 'et superatus est'. Ita liberum his non reliquit id factum damnare, quod ipsi fieri debuisse iudicauerant.

Item Hannibal Fabium Maximum inuictam armorum suorum 8.
uim saluberrimis cunctationibus pugnae ludificantem, ut aliqua suspicione trahendi belli respergeret, totius Italiae agros ferro atque igni uastando, unius eius fundum inmunem ab hoc iniuriae genere reliquit. Profecisset aliquid tanti beneficii insidiosa adumbratio eius, nisi Romanae urbi et Fabii pietas et Hannibalis uafri mores fuissent notissimi.

Tusculanis etiam acumine consilii incolomitas parta est. 9.

1. a duilio cōs N auali *in rasura A.* a iulio cōs nauali *CDEFΓ.* || 2. astutiamire *corr. A.* astutiam *(omisso* mire*) pr. A.* astutia *(omisso* mire*) CEFΓ et pr. D.* || uertit *FPar.* || 3. illo *pr. A.* || demum *F.* || ueniret *DΓ.* || 4. et formatum] et subornatum *Par. et in rasura A.* || 5. inquit] *ante* Consulit *E. ante* uos *Par. et corr. A, Torr. post* Hannibal *F.* || 7. copias trahens *Γ.* || confligere] *litterae* con *in rasura A.* adfligere *habuisse uidetur pr. A.* || 8. uniuersus *om. F.* || quin] *add.* confligere *F.* || 9. inquit *om. F.* || hiis liberum *F.* liberum iis *Torr.* || 10. debuisse fieri *F.* || iudicauerunt *E et pr. Γ.* || 11. Idem *EFΓ et corr. A.* Alter item *Torr.* || amorum *Γ.* || 13. ferro ignique *DΓ.* ferro et igni *F.* || 16. eius *om. F et pr. D, Torr.* || 18. incolumitas *CDEFΓ et corr. A, Torr.*

a Duilio) Haec scriptura, quae e mendo librorum nostrorum *a iulio* facile eruitur, comprobatur Paridis epitome, quamuis ea ipsa, astipulantibus integris quoque Valerii codicibus, non minus recte III, 6, 4 Duellium exhibeat, ut codices Parisinus et Mediceus Liuii II, 58, 2 et III, 35, 5, plurimi et optimi libri Cic. pro Planc. 25, 60. Et Ciceronem quidem certum est ita posuisse in orat. ad M. Brut. 45, 153. In codice autem palimpsesto de rep. I, 1 *Duelius* fortasse ex antiquiore scribendi ratione effertur. Cf. Osann. exc. II ad Cic. de rep. p. 429.

mire auertit) Prioris uocabuli, in archetypo codice nescio quo casu omissi, uestigia quaedam remanserunt in Bernensi libro, siquidem prima eius littera praecedenti uocabulo adhaesit. Reliquas litteras recte e Paridis compendio emendator suppleuit. Neque enim talia ipse epitomator arbitrarie adicere solet. Mutauerat autem hic sine idonea causa *formatum* in *subornatum*, quod male item recepit corrector libri Bernensis. Dicuntur enim formari qui ab alio instruuntur ut faciant aliquid uel loquantur. Cf. Iustin. XVIII, 3, 10, *Ab eo formatus —, ceteris in orientem spectantibus, solus occidentem regionem intuebatur.*

8. Cf. Liu. XXII, 23. Front. strat. I, 8, 2. Plut. Fab. 7.

9. Cf. Liu. VI, 25. Plut. Cam. 38, quos tamen de euertendi Tusculi consilio nihil dicere recte animaduertit Torrenius.

Cum enim crebris rebellationibus meruissent ut eorum urbem funditus Romani euertere uellent, atque ad id exequendum Furius Camillus, maximus dux, ualidissimo instructus exercitu uenisset, uniuersi ei togati obuiam processerunt commeatusque et cetera pacis munia benignissime praestiterunt. Armatum etiam intrare moenia passi sunt, nec uultu nec habitu mutato. Qua constantia tranquillitatis non solum ad amicitiae nostrae ius, sed etiam ad communionem ciuitatis usque penetrarunt, sagaci hercule usi simplicitate, quoniam aptius esse intellexerant metum officiis dissimulare quam armis protegere.

10. At Volscorum ducis Tulli execrabile consilium. Qui ad bellum inferendum Romanis maxima cupiditate accensus, cum aliquot aduersis proeliis contusos animos suorum et ob id paci proniores animaduerteret, insidiosa ratione quo uolebat conpulit. Nam cum spectandorum ludorum gratia magna Volscorum multitudo Romam conuenisset, consulibus dixit uehementer se timere ne quid hostile subito molirentur monuitque ut essent cautiores et protinus ipse urbe egressus est. Quam rem consules ad senatum detulerunt. Qui, tametsi nulla suspicio suberat, auctoritate tamen Tulli commotus, ut ante noctem Volsci abirent decreuit. Qua contumelia inritati facile inpelli potuerunt ad rebellandum. Ita mendacium uersuti ducis simulatione beniuolentiae inuolutum duos simul populos fefellit, Romanum, ut insontes notaret, Volscum, ut deceptis irasceretur.

2. roma *pr. C.* || 3. Camillus] *in rasura A.* || uallidissimo *A.* || 5. munera *EF.* || 7. ad amicitiae] ad *om. F.* || 8. usque] * usque *A.* quam usque cupierant *Γ.* || penetrauerunt *Γ.* || 9. esse *om. Γ.* || 10. officii *pr. A.* officio *CDEΓ Torr.* officium *F.* || 11. Validorum *C.* || tullii *DFΓ. Tullium eum Paris quoque uocat.* || 13. aliquod *pr. A.* || 15. gratia *om. pr. A.* || magna Volscorum multitudo *om. A.* || 16. * uenisset *A.* uenisset *Par.* || 18. et protinus] protinusque *F.* || urbe] *post* egressus est *Γ.* urbem *D et corr. C.* || 19. retulerunt *D Torr.* tulerunt *Γ. Cf. Liu. II,* 37, 8. || 20. tullii *DΓ.* || 22. uersati *C.* || 23. inuolitum *C.* || romanos *Γ.* || 24. uitaret *F.* notarent *Γ.* || uolscos *Γ.* || irascerentur *Γ.*

metum officiis dissimulare) Pluratiuum numerum probabiliter ex archetypi scriptura *officii* eruit corrector libri Bernensis, cum per plerosque alterius familiae codices propagatum sit *officio,* quod a Pighio introductum est in uulgata exempla. Ante Pighium enim idem plerumque edebatur quod nos posuimus, non tamen in Moguntina, teste Torrenio.

10. Cf. Liu. II, 37. Dion. Hal. VIII, 3. Plut. Coriol. 26. Dio. Cass. exc. Vat. 16. p. 147. Mai. Zonar. VII, 16.

STRATEGEMATA.

Illa uero pars calliditatis egregia et ab omni reprehensione IIII.
procul remota, cuius opera, quia * appellatione uix apte exprimi
possunt, Graeca pronuntiatione strategemata dicantur.

Omnibus militaribus copiis Tullus Hostilius Fidenas ad- 1.
gressus, quae surgentis imperii nostri incunabula crebris re-

1. Stragemata *CDF*. De strategematibus *E*. DE STRATEGEMATIS *Torr.* || 3. cui: * opera *(sed illud : a corr.) A.* || quia] *add.* latina *Γ et corr. D.* || appellatione] a populo ne *F. add.* nostra *corr. A. Torr. add.* latina *corr. E.* || uix] ius *F.* || 4. graece *pr. A.* || pronuntiatione] appellatione *F.* || stragemata *DF.* || dicuntur *CEF Torr.* || 5. tullius *DF.* tullio *Γ.* Tullo *Torr.* || conscilius *F.* hostilio *Γ Torr.* || aggresso *Γ Torr.* || 6. nostri] unde *C.*

IIII. *quia * appellatione)* Vocabulum, quod in archetypo codice excidisse liquet, recentiores librarii alii aliter et diuerso loco suppleuerunt. Quaenam potissimum Latinae appellationis significatio addenda sit pro certo affirmari nequit, cum aeque commode ante *appellatione* inseratur *nostra* et *uernacula* et *Latina*. Vltimum tamen hoc supplementum equidem ceteris longe praefero cum Torrenio, qui propter similitudinem ultimarum syllabarum in uu. *Latina* et *appellatione*, illud omissum esse coniecit.

1. Cf. Liu. I, 27. Dion. Hal. III, 24. Front. strat. II, 7, 1. Polyaen. VIII, 5. Serv. ad Aen. VIII, 642. Auct. de uir. ill. 4.

Tullus Hostilius Fidenas adgressus) Notabile hoc exemplum est orationis aliter continuatae atque expectaueris, cum nihil sequatur, quod de hoc subiecto praedicetur, sed nouo subiecto noua incipiat sententia. Obuersabatur autem scribentis animo, cum illos nominatiuos poneret, Tulli factum, quo prouidit ne sociorum perfidia debilitarentur Romanorum animi. Sed interposita maioris ambitus relatiua enuntiatione, oblitus initii perquam neglegenter ac dure iam Mettium Fuffetium pro Tullo subiecit, ita ut pendeant illi nominatiui. Quod quoniam non intellexerunt editores, qui omnes ablatiuos consequentiae *(Tullo Hostilio — aggresso)* substituerunt, similia aliquot ascribam exempla. Eandem prorsus anacoluthian haec habent Cornelii Nepotis in uita Epaminondae 9, 1, *Hic* (Epaminondas) *extremo tempore imperator apud Mantineam, cum acie instructa audacius instaret hostes, cognitus a Lacedaemoniis, quod in unius pernicie eius patriae sitam putabant salutem, uniuersi in unum impetum fecerunt neque prius abscesserunt quam — Epaminondam — concidere uiderunt.* Et quoniam in hoc uersamur scriptore, non multum inde distat ea neglegentia, qua in eadem uita c. 6, cum sententiam ita incepisset, *Idem* (Epaminondas), *cum in conuentum uenisset Arcadum, petens ut societatem cum Thebanis et Argiuis facerent, contraque Callistratus — postularet* —, iam pluribus interpositis pergit *huic in respondendo Epaminondas — admirari se dixit stultitiam.* Non multum haec distare dixi, quamuis maneat idem subiectum. Similiter porro Sullustius composuit in Iug. c. 66, 2, *Igitur Vagenses, quo Metellus initio Iugurtha pacificante praesidium imposuerat, fatigati regis suppliciis neque antea uoluntate alienati, principes ciuitatis inter se coniurant*; similiter auctor bell. Afric. 25, 1 *Cum haec ita fierent, rex Iuba, cognitis Caesaris difficultatibus copiarumque paucitate, non est uisum dari spatium conualescendi augendarumque eius opum.* De Ciceronianis ex eodem genere exemplis docte disseruit Madvigius ad Cic. de fin. II, 33, 107 et III, 3, 11. Et ut a poetis aliquid, eandem anacoluthian Terentiana illa produnt in Hec. III, 1, 6, *Nam nos omnes* (uulgo male edebatur *Nam omnibus nobis*), *quibus est alicunde aliquis obiectus labos, Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est.*

bellationibus torpere passae non sunt finitimisque tropaeis ac triumphis alitam uirtutem eius spes suas ulterius promouere docuerunt, Mettius Fufetius, dux Albanorum, dubiam et suspectam semper societatis suae fidem repente in ipsa acie detexit. Detecto enim Romani exercitus latere in proximo colle consedit, pro adiutore speculator pugnae futurus, ut aut uictis insultaret aut uictores fessos adgrederetur. Non erat dubium quin ea res militum nostrorum animos debilitatura esset, cum eodem tempore et hostes confligere et auxilia deficere cernerent. Itaque ne id fieret Tullus prouidit. Concitato enim equo omnes pugnantium globos percucurrit, praedicans suo iussu secessisse Mettium, eumque, cum ipse signum dedisset, inuasurum Fidenatium terga. Quo imperatoriae artis consilio metum fiducia mutauit proque trepidatione alacritate suorum pectora repleuit.

2. Et ne continuo a nostris regibus recedam, Sex. Tarquinius, Tarquini filius, indigne ferens quod patris uiribus expugnari Gabii nequirent, ualentiorem armis excogitauit rationem, qua

---

1. finitisque *F.* || tropeis *A.* || ac] et *F.* || 3. metius *DEFTorr.* || fufecius *C.* fuffetius *E.* suffetius *Γ.* || 6. insultare *pr. A.* || 7. dubium non erat *F.* || 9. cerneret *A et pr. E.* || 10. tullius *DFΓ et pr. A.* || 11. percurrit *CDEFΓTorr. Vid. ad III*, 1, 1. || successisse *F.* || mettum *C.* metium *DEFTorr.* mentium *Γ.* || 12. ipse *om. F.* || 13. pro quo *pr. A.* || 14. trepidacione *pr. A.* || suo *F.* || 15. §. 2 *om. Γ.* || Et] At *(F)Torr.* || recedamus *F.* || tarquinus *F.* || 16. Tarquinii *CDEFTorr.*

Mettius Fufetius) Magnam fuisse in scribendo hoc nomine iam antiquis temporibus inconstantiam eo cognoscitur, quod, cum Vergilius in VIII Aen. u. 642, licet codex Mediceus *Metium* exhibeat, sine littera *i* eum appellasset, Seruius trisyllabam praenominis formam metri causa mutilatam existimauit; fuisse enim eum Mettium Fufetium. Atqui Vergilius sine dubio antiquam et unice ueram scripturam posuerat, a Drakenborchio ad Liu. I, 23, 4 confirmatam similibus praenominibus Atto, Tullo, Stato, Hosto, quae inserta illa litterula gentilicia nomina euaserunt; et ita hodie quoque in bonis codicibus passim dicitur *Mettus*. Sic Paris in reliquiis opusculi de nominibus, quod falso decimum memorabilium Valerianorum putabat, Mettum Curtium posuit, neque aliter in Metto Fufetio optimi codices A. Gellii XX, 1, 54 tradere uidentur. Sed in plerisque, quorum in hac re auctoritas ualet, Metius aut Mettius est, ut in codicibus Parisino et Mediceo Liuii I, 28, §§. 1, 6, 7, 9. I, 23, §§. 4 et 5. I, 12, §§. 8, 9, 10; in Quintiliani I inst. or. 5, 12, qui si Ennium uitii geminatione *Metieo Fufetieo* dicentem poetico iure defendit, profecto non eam litteram respexit, de qua nos agimus, in qua opinione Drakenborchius fuisse uidetur. Paris quoque in capite de praenominibus supra commemorato Metium Fufetium habet, sed in compendio huius exempli Metum. *Μέττιον* aut *Μέτιον*, constanter, quod sciam, Graeci scriptores pronuntiant. Cf. Dion. Hal. III, 23. 24. 26, 28—30. Plut. parall. 7. Dio Cass. exc. Vat. 5. p. 138 Mai. Apparet igitur retinendam esse h. l. bonorum librorum scripturam, quippe quae, etiamsi falsa sit, antiquis iam temporibus usu recepta fuerit.

2. Cf. Liu. I, 54. Dion. Hal. IIII, 55, 56. Front. strat. I, 1, 4. Flor. I, 7.

interceptum illud oppidum Romano imperio adiceret. Subito namque se ad Gabinos contulit, tamquam parentis saeuitiam et uerbera, quae uoluntate sua perpessus erat, fugiens, ac paulatim uniuscuiusque fictis et compositis blanditiis adliciendo beniuolentiam ut apud omnes plurimum posset consecutus, familiarem suum ad patrem misit, indicaturum quemadmodum cuncta in sua manu haberet et quaesiturum quidnam fieri uellet. Iuuenili calliditati senilis astutia respondit. Siquidem re eximie delectatus Tarquinius, fidei autem nuntii parum *credens*, nihil respondit, sed seducto eo in hortum maxima et altissima papauerum capita baculo decussit. Cognito adulescens silentio simul ac patris facto, causam alterius, *alterius* argumentum peruidit, nec ignorauit praecipi sibi ut excellentissimum quemque Gabinorum aut exilio summoueret aut morte consumeret. Ergo spoliatam bonis propugnatoribus ciuitatem tantum non uinctis manibus ei tradidit.

1. oppidum *om. F.* || 2. Gabinos] *ultima syllaba in rasura A.* gabinios *C.* gabi • os *corr. D.* || contulit] *prima syllaba in rasura A.* || 3. propessus *F.* || 4. factis *CDF et pr. A.* || 5. utque *D.* || 7. manu sua *DF.* || 8. eximia *CDEF et pr. A. Torr.* || delectus *C.* || 9. fide *CDE.* || credens] *om. CEF et pr. A. Supplenit corr. A e Par.* fidens *D.* || 10. ortum *F.* || 11. patris simul ac *Torr.* || 12. causae *(post* alterius*) F.* || alterius, alterius] *semel tantum* alterius *ACDE FTorr.* || argumenti *DE et corr. A. Torr.* || praeuidit *D.* || 15. tantum non] tamquam *D.* || uictis *C.*

re eximie delectatus) Omnes codices *eximia,* quod corrector libri Bernensis et eius ignarus multo post Perizonius e coniectura mutarunt in aduerbium *eximie.* Senseruut namque homines acutissimi, quod cuncta Gabiis in potestate sua habuisset Tarquinius filius, non posse ab ipso scriptore rem dici eximiam. Poterat quidem e regis mente res quae illi eximia uidebatur. Sed hoc loco quominus ad regis opinionem illud adiectiuum referamus obstat simplicissimus uerborum nexus. Error autem facillime commissus facillime emendatur.

causam alterius, alterius argumentum) Deteriores libri et omnes fere editiones haec ita constituunt, *causam alterius argumenti peruidit.* Quorum explicatio quantopere torserit enarratores dici uix potest. Liceat autem in re plana atque aperta silentio practerire aliorum interpretationes traditae quam putarunt scripturae omnes aeque peruersas, aliorum coniecturas ne specie quidem uerisimilitudinis commendatas. Sententiam, quae necessario exprimi debebat his uerbis, si accuratius paulo animis perpendere uoluissent grammatici, tam longe non aberrassent a uero. Liquet enim haec dicenda fuisse: Adulescens, cognito silentio simul ac facto patris, recte intellexit et cur pater responsum non dedisset et quid indicarent decussa eminentissima papauerum capita. Peruidit igitur alterius (silentii) causam, alterius (facti) significationem uel argumentum facto subiectum. Iam in hac sententia conformanda egregie adiuuamur bonis codicibus, exhibentibus *causam alterius argumentum.* Excidit ergo sine dubio, cum Valerius e more suo composuisset disiunctiua pronomina, alterum horum eodem modo, quo VII, 3, 6 in uerbis *ualidissimum alterum, alterum infirmissimum,* ubi uide quae adnotauimus. Ceterum uerborum ordinem in his *silentio simul ac patris facto*, omnibus codicibus ita traditum ut supra edidimus, sed immutatum iam in exemplo Veneto a. 1478, nam de Moguntino non mihi constat, intactum reliqui. Fit enim interdum, cum duae notiones inter se oppo-

3. Illud quoque maioribus et consilio prudenter et exitu feliciter prouisum. Cum enim urbe capta Galli Capitolium obsiderent solamque potiendi eius spem in fame eorum repositam animaduerterent, perquam callido genere consilii unico perseuerantiae inritamento uictores spoliauerunt. Panes enim iacere conpluribus e locis coeperunt. Quo spectaculo obstupefactos infinitamque frumenti abundantiam nostris superesse credentes ad pactionem omittendae obsidionis conpulerunt. Misertus est tunc profecto Iuppiter Romanae uirtutis, praesidium ab astutia mutuantis, cum summa alimentorum inopia proici praesidia inopiae cerneret. Igitur ut uafro, ita periculoso consilio salutarem exitum dedit.

4. Idemque Iuppiter postea praestantissimorum ducum nostrorum sagacibus consiliis propitius aspirauit. Nam cum alterum Italiae latus Hannibal laceraret, alterum inuasisset Hasdrubal, ne duorum fratrum iunctae copiae intolerabili onere fessas simul res nostras urguerent hinc Claudii Neronis uegetum consilium, illinc Liui Salinatoris inclita prouidentia effecit. Nero enim, compresso a se in Lucanis Hannibale, praesentiam suam, quoniam ita ratio belli desiderabat, mentitus hosti, ad opem collegae ferendam per longum iter celeritate mira tetendit. Salinator in Vmbria apud Metaurum flumen proximo die dimicaturus summa cum dissimulatione Neronem castris noctu recepit. Tribunos

---

1. a maioribus *corr. A, Torr.* || et consilio] et *om. pr. A.* || prudenti *F.* || felici *F.* || 2. enim *om. Torr.* || et capitolium *F.* || 3. eorum] ipsorum *E.* obsessorum *Torr.* || 4. consilii] *ante* genere *F. add.* Romani usi *Par. et margo D.* || 5. *cum* pluribus *FΓ.* || 6. ex locis *Torr.* || ceperunt *in rasura A.* || obstupefactus *pr. A.* obstupefacti *CE.* stupefacti *F.* || 8. Misertus — (11.) dedit *om. Γ.* || miseritus *F.* || 9. mutuante *pr. A.* || 10. summam *corr. A.* in summa *E Torr. Vid. ad V, 1, init. et V, 2, 1.* || inopiam *corr. A.* || proci *A.* || cernerent *F.* || 11. exitum *om. F.* || 12. §. 4 *om. Γ.* || 13. sagacis *F.* || 14. inuasisset hasdrubal *E.* || 15. uictae copia *F.* || honore *pr. A.* || fessas] *post* simul *F.* fessa *pr. A.* || 16. urgerent *CDEF et corr. A, Torr. Cf. IIII, 1, ext. 5. VII, 4, ext. 1.* || cladii *pr. A.* || uetum *pr. A.* || 17. inclyta *corr. A.* || 18. lucania *E.* || anibalis *F.* || 19. collegie *C.* || 20. mira celeritate *F.* || 21. umbra *C.* || 22. nocte *D.* || recepit] *in rasura A.*

---

sitae cum accentu quodam efferuntur, quemadmodum hoc loco *silentio* et *facto*, ut aliud uocabulum, quod aeque ad utramque pertinet, sed accentu caret, alteri tantum adiungatur, in altera subaudiatur. Simile ergo exemplum est eius, quod notaui VI, 4, init. *aut ab his dicta grauiter aut facta.*

3. Cf. Liu. V, 48. Ouid. fast. VI, 375 et seqq. Front. strat III, 15, 1. Lactant. I, 20 p. 89 Dufresn.

fame eorum) Pighius e Susii et Pulmanni exemplis ediderat *fame obsessorum*, manseratque inepta interpretatio in uulgatis editionibus usque ad Kappium, qui genuinam scripturam, nunc a Paride quoque confirmatam reuocauit. Sed iam Torrenius de pronomine ad maiores referendo non dubitauerat.

4. Cf. Liu. XXVII, 43 et seqq. Front. strat. I, 1, 9. Auct. de uir. ill. 48.

enim a tribunis, centuriones a centurionibus, equites ab equitibus, pedites a peditibus excipi iussit ac sine ulla tumultuatione solo uix unum exercitum capiente alterum inseruit. Quo euenit ne Hasdrubal cum duobus se consulibus proeliaturum prius sciret quam utriusque uirtute prosterneretur. Ita illa toto terrarum orbe infamis Punica calliditas, Romana elusa prudentia, Hannibalem Neroni, Hasdrubalem Salinatori decipiendum tradidit.

Memorabilis etiam consilii Q. Metellus. Qui cum pro consule bellum in Hispania aduersus Celtiberos gereret urbemque *Con*trebiam caput eius gentis uiribus expugnare non posset, intra pectus suum multum ac diu consiliis agitatis uiam repperit, qua propositum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur; deinde alias atque alias regiones petebat; hos obsidebat montes, paulo post ad illos transgrediebatur, cum interim tam suis omnibus quam ipsis hostibus ignota erat causa inopinatae eius ac subitae fluctuationis. Interrogatus quoque a quodam amicissimo sibi quid ita sparsum et incertum militiae genus sequeretur, 'Absiste', inquit, 'istud quaerere; nam si huius consilii mei interiorem tunicam consciam esse sensero, continuo eam cremari iubebo'. Quorsum igitur ista dissimulatio erupit

5.

3. uno *CF.* || exercitum — inseruit. Quo *om. C.* || exercitu *F.* || sapiente *AEF.* capienti *pr. D.* || proeliaturum] *add.* non *corr. D.* || 5. utrisque *corr. A.* || uirtute *om. A.* || 8. M. Metellus *Par.* || pro consul *F et pr. D.* || 9. hispaniam *C et pr. A.* || 10. trebiam *ACDEFΓPar. Vid. ad II, 7, 10.* || 11. diu multumque *Torr.* || agitans *F.* || 13. hos] *praeposuit* modo *margo A.* Modo hos *Torr.* || 14. ad alios *F.* || 15. ipsis] suis *F.* || inopinata *pr. A.* || 16. subitae eius et inopinatae *F.* || 17. sibi amicissimo *E.* || incertum et sparsum *D.* || 18. Absiste inquit] respondit absiste *D.* || istud *om. Γ.* || 19. tunicam] *add.* iam *corr. D.* || esse *om. Torr.* || 20. quorum *pr. A.* || ista] a *pr. A.* ea *corr. A.*

Punica calliditas, Romana elusa prudentia) Inepte prorsus Valerius Punicam calliditatem eam fuisse dicit, quae Hannibalem et Hasdrubalem Romanorum consulibus decipiendos tradiderit. Inepte inquam, etiamsi ad calliditatem adiecit *Romana elusa prudentia*, quoniam Poenorum calliditas in hoc quidem exemplo apparet nulla. Debebat igitur scribere *Romana prudentia, calliditatem eludens Poenorum — tradidit.* Neque tamen ideo probo Pighii factum, qui bonorum codicum uestigiis longe relictis e Susii et Pulmanni codicibus haec sic transformauit, *Ita — Punica calliditas frustrata fuit; Romana prudentia Hannibalem Neroni — decipiendum tradidit,* meritoque eo nomine uituperatur a Vorstio, dumne hic ipse nostram scripturam tamquam meliorem praedicaret neque quicquam eam falsi aut manci habere contenderet. Incidit saepius in talia Valerius, cum praepostero illo declamandi studio uerbis magis grande sonantibus inhiaret quam sententiis prospiceret. Ita enim factum est ut quam sententiam initio recte mente concepisse uidetur *(Ita Punica calliditas Romana elusa est prudentia)*, inter scribendum tamquam nimis ieiunam ac simplicem tam foede detorqueret et turbaret.

5. Cf. Plut. apophth. (Caec. Metell. 2). Auct. de uir. ill. 61.

'Absiste,' inquit) Metello Pio hoc dictum tribuit Frontin. strat. I, 1. 12.

aut quem finem habuit? Postquam uero et exercitum suum ignorantia et totam Celtiberiam errore implicauit, cum alio cursum direxisset, subito ad *Con*trebiam reflexit eamque inopinatam et attonitam oppressit. Ergo nisi mentem suam dolos scrutari coegisset, ad ultimam ei senectutem apud moenia *Con*trebiae armato sedendum foret.

Ext. 1. Agathocles autem, Syracusarum rex, audaciter callidus. Cum enim urbem eius maiore ex parte Karthaginienses occupassent, exercitum suum in Africam traiecit, ut metum metu, uim ui discuteret; nec sine effectu. Nam repentino eius aduentu perculsi Poeni libenter incolomitatem suam salute hostium redemerunt, pactique sunt ut eodem tempore et Africa Siculis et Sicilia Punicis armis liberaretur. Age si Syracusarum moenia tueri perseuerasset? illa belli malis urguerentur, bona pacis fruenda securae Karthagini reliquisset. Nunc inferendo quae patiebatur, dum alienas potius lacessit opes quam suas tuetur, quo aequiore animo regnum deseruit eo tutius recepit.

---

1. uero *om. F.* || exercitium *C.* || 2. celtibericam *F.* || alibi *D.* || cursu *Γ.* || 3. trebiam *ACDEFΓPar.* || opinatam *pr. A.* inopinantem *Γ.* || 5. ei] enim *F.* || trebiae *ADEFΓ.* trebeie *C.* || 7. syracusanorum *CDEFΓTorr. Vt nos etiam Par. Cf. IIII,* 8, *ext.* 1. || rex] dux *E.* || audacter *FΓ.* || 9. ut — (10.) nec sine] *in rasura A.* || metu metum *EF.* || ui] *ante* uim *E. om. F.* || 10. neque *Torr.* || 11. incolumitatem *CDEFΓ et corr. A. Torr.* || reddimerunt *F.* || 13. Age] at *corr. A.* aghatocles age *E.* || si] *om. pr. A. post* moenia *F.* || Syracusarum] *ultima syllaba in rasura D.* syracusanorum *CFΓ.* || 14. urgueretur *pr. A.* urgeretur *CDE et corr. A.* purgeretur *F.* urgerentur *ΓTorr. Cf. IIII,* 1, *ext.* 5. *VII,* 4, 4. || 15. Nunc] sed nunc *E.* || 16. tueretur *E.*

Postquam uero et exercitum) Aduersatiuam particulam *uero* post interrogationem *Quorsum igitur ista dissimulatio erupit?* etc. parum conuenientem esse senserunt Perizonius et Torrenius. Vereor tamen ut recte librariorum id peccatum putauerint. Male certe ille *enimuero* legendum coniecit, hic *ueri*, quem genitiuum ab *ignorantia* aptum esse opinabatur. Haud dubie Valerio, cum haec scriberet ea sola obuersabantur, quae antea recensuerat, imperatoris strategemata. Iam uero his comprehensis transit ad effectum eorum, quem oblitus interpositae interrogationis neglegentius aduersatiua particula adiunxit. Omissa enim illa interrogatione, nemo facile in nexu orationis haerebit.

Ext. 1. Cf. Diod. Sic. XX, 3, p. 407. Iustin. XXII, 4.

Age si Syracusarum moenia) Perizonius recte aduerbium hortatiuum *age* usurpari negauit nisi in exhortando et in interrogando, in quo genere frequentatum est a Valerio. Cf. II, 6, 6. II, 7, 7. III, 2, ext. 2. III, 5, 2. IIII, 1, 7. IIII, 3, 11. V, 1, 4. V, 6, 8. VI, 2, 12. VII, 2, ext. 2 et 10 etc. Non debebat tamen uir summus praeterire eas sententias, in quibus quod proprie interrogatur reticuit scriptor, quale illud est Valerii III, 8, 3 *Age si uentum fuerit?* Similiter enim hoc loco post condicionem *si — perseuerasset* siletur interrogatio *quid accidisset?* et statim annectitur responsum. Itaque non opus erat audaci Perizonii coniectura *Agathocles ergo Syracusarum moenia si tueri perseuerasset, illa* etc., e deteriorum librorum scriptura *Agathocles age* petita. Paulo post pro singulari numero *urgueretur* uel *urgeretur*, quem codices tradunt, recte

Quid, Hannibal Cannensem populi Romani aciem nonne priusquam ad dimicandum descenderet conpluribus astutiae copulatam laqueis ad tam miserabilem perduxit exitum? Ante omnia enim prouidit ut et solem et puluerem, qui ibi uento multus excitari solet, aduersum haberet. Deinde partem copiarum suarum inter ipsum proelii tempus de industria fugere iussit. Quam cum a reliquo exercitu abruptam legio Romana sequeretur, trucidandam eam ab his, quos in insidiis collocauerat, curauit. Postremo quadringentos equites subornauit, qui simulata transitione petierunt consulem, a quo iussi more transfugarum depositis armis in ultimam pugnae partem secedere, destrictis gladiis, quos inter tunicas et loricas abdiderant, poplites pugnantium Romanorum ceciderunt. Haec fuit Punica fortitudo, dolis et insidiis et fallacia instructa. Quae nunc certissima circum- 2.

1. cannensi proelio nonne aciem nostram priusquam *D Torr.* cannensi pl'i r. acie nonne priusquam *Γ.* || 2. cum pluribus *F.* || complicatam *D et corr. A.* || 4. ut et] ut *(omisso* et*) F.* || 5. mutus *F.* || 7. ab *Γ.* || regio *C.* || insequeretur *CEF.* || 8. ab iis *Torr.* || in *om. pr. A.* || 9. quadringentos] IIII *(sed postea inductum et suprascriptum* c*) E.* || 10. petierunt] *post* consulem *F.* petiuerunt *E.* || missi *D.* || 11. partem *om. F.* || cedere *F.* || distinctis *pr. A.* districtis *CDEFΓ.* || 12. intra *F.* || 12. addiderant *F.* abdiderunt *Γ.* || poplices *D.* || 13. ciciderunt *Γ.* || hic *F.* || 14. et insidiis] et *om. EF.* || fallaciis *F.*

pluratiuum ueteres iam editiones substituerant, referendum ad *moenia*. Nam cum Sicilia uerbum illud coniungi nequit, quoniam, ut antea terra terrae, Africa Siciliae, ita hic urbs urbi, Syracusae Karthagini, opposita est.

2. Cf. Liu. XXII, 46 et seqq. Front. strat. II, 2, 7. II, 5, 27. Flor. II, 6, 16. App. Hann. 20 et seqq. Sil. Ital. X, 187. Zonar. IX, 1.

Cannensem populi Romani aciem nonne priusquam) Ante Pighium post *aciem* uulgo inserebatur *speculatus*, quod praeter omnem necessitatem inculcauerat librarius nescio quis, qui compendium huius exempli Paridense nouerat, cuius uerba haec sunt, *Hannibal Cannensem aciem speculatus, ante omnia prouidit ut Romani et solem et puluerem aduersum haberent.* Pighius autem malis quibusdam codicibus fisus, quibuscum inter meos solus facit Berolinensis deterior, ea in recentiora exempla inuexit, quae supra e Torreniana scriptura enotaui. At recte iam Gronouius ad Senec. de ira III, 8 monuerat nostram lectionem longe illis praestare. Vna relinquitur dubitatio de participio *copulatam*, quod, cum plerumque simplicem *iungendi* notionem habeat, hoc loco pro eo quod est constrictum positum esse apparet. Gronouius de acie uincta et copula quasi induta explicat; esse enim et singulorum copulam. Et sane si nomini substantiuo ea uis est, quidni uerbo? si Senecae epp. ad Lucil. 5, 6 componere licuit *catena — militem copulat*, quidni Valerium, quaesitarum locutionum affectatorem, exercitum astutiae laqueis copulatum dixisse putemus? Pighius tritum in hac notione uocabulum *implicatam* substituerat, quod tamen a litterarum similitudine nullam prorsus habet commendationem.

et solem et puluerem) Solem peropportune utrique exercitui obliquum fuisse, Romanis in meridiem, Poenis in septentrionem uersis, referunt Polyb. III, 114 et Liu. XXII, 46.

quadringentos equites) Liuius et Appianus quingentos fuisse tradunt, sexcentos Frontinus.

uentae uirtutis nostrae excusatio est, quoniam decepti magis quam uicti sumus.

DE REPVLSIS.

V. Campi quoque repraesentata condicio ambitiosam ingredientis uiam ad fortius sustinendos parum prosperos comitiorum euentus utiliter instruxerit, quia propositis ante oculos clarissimorum uirorum repulsis ut non minore cum spe honores, ita prudentiore cum animi iudicio petent, meminerintque nefas non esse aliquid ab omnibus uni negari, cum saepenumero singuli cunctorum uoluntatibus resistere fas esse duxerint, scientes etiam patientia quaeri debere quod gratia impetrari nequierit.

1. Q. Aelius Tubero a Q. Fabio Maximo epulum populo nomine P. Africani patrui sui dante rogatus ut triclinium sterneret, lectulos Punicanos pellibus haedinis strauit et pro argenteis uasis Samia exposuit. Cuius rei deformitas sic omnes offendit, ut, cum alioqui uir egregius haberetur comitiisque praetoriis candidatus in campum L. Paulo auo et P. Africano auunculo nixus descendisset, repulsa inde abiret notatus. Nam ut priuatim semper continentiam probabant, ita publice maxima cura splendoris habita est. Quocirca urbs non unius conuiuii numerum, sed totam se in illis pelliculis iacuisse credens, ruborem epuli suffragiis suis uindicauit.

2. Publius autem Scipio Nasica, togatae potentiae clarissimum lumen, qui consul Iugurthae bellum indixit, qui matrem Idaeam

2. quam deuicti *D.* || 3. Liber VII. De repulsis *Γ.* DE AMBITV *Par.* || 4. conditio *(A).* || ingredientes *DEΓTorr.* || 5. uitam *coniecit Perizonius.* || 7. honoris *CDEFΓ.* || 8. peterent *EF.* || 10. dixerint *C.* || scient *coniecit Perizonius.* || 11. quaeri] peti *F.* || 12. §. 1 *om. Γ.* || M. aelius *E.* C. aelius *F.* || 13. patris *Par.* || 14. punicatos *CEF.* || 15. homines *CDEF.* || 16. cum *om. pr. E.* || alioquin *DEF.* || habetur *A.* || 18. notatus abiret *Torr.* || ut semper continentiam priuati *F.* || 20. Quocirca] *add.* nostra *E.* || 21. in *om. E.* || epulis *A.* || 23. autem *om. Γ.* || 24. lumen] *add.* is *Par. et corr. A, Torr.* || ideam *A.* deam *F.*

V, 1. Cf. Cic. pro Mur. 36, 75. Senec. ad Lucil. ep. 95, 72.
2. Cf. Cic. pro Planc. 21, 51.
qui consul Iugurthae bellum indixit.) Insigniter hoc loco errasse Valerium, honores resque gestas complurium Scipionum uni eius nominis uiro uindicantem,

e Phrygiis sedibus ad nostras aras focosque migrantem sanctissimis manibus excepit, qui multas et pestiferas seditiones auctoritatis suae robore oppressit, quo principe senatus per aliquot annos gloriatus est, cum aedilitatem curulem adulescens peteret manumque cuiusdam rustico opere duratam more candidatorum tenacius adprehendisset, ioci gratia interrogauit eum num manibus solitus esset ambulare. Quod dictum a circumstantibus exceptum ad populum manauit causamque repulsae Scipioni attulit. Omnes namque rusticae tribus paupertatem sibi ab eo exprobratam iudicantes iram suam aduersus contumeliosam eius urbanitatem destrinxerunt. Igitur ciuitas nostra nobilium iuuenum ingenia ab insolentia reuocando magnos et utiles ciues fecit, honoribusque, non patiendo eos a securis peti, debitum auctoritatis pondus adiecit.

Nullus error talis in L. Aemilio Paulo conspectus est, sed 3. tamen aliquotiens frustra consulatum petit. Idemque, cum iam campum repulsis suis fatigasset, bis consul et censor factus,

1. e *om. Γ.* || phrygicis *ACE.* || 2. et] *ante* multas *E.* || 5. opere rustico *EF.* || mere *pr. A.* || 6. loci *F.* || num] non *CF.* ubi *D.* || 7. solitus esset manibus *F.* || 8. acceptum *F.* || 10. eius contumeliosam *D.* || 11. destinxerunt *pr. A.* distrinxerunt *DΓ. Vid. ad II,* 9, 6. || 12. ab] et ab *F.* || insolertia *C.* || 13. eos *om. F.* || 16. aliquoties *pr. A. Torr. Vt nos etiam Par.* || petiit *CDEFΓTorr.* || ideoque *F.* || 17. censor] consors *pr. A.* || factus] *add.* est *CDEFΓ et margo A.*

docte et accurate iam exposuit Glareanus. Nam qui magnam matrem e Phrygia petitam penatibus suis exceperat, bonorum optimus a senatu iudicatus, consul a. u. c. 563 (cf. Val. VIII, 15, 3.), pater erat P. Nasicae cognomine Corculi, bis consulis a. 592 et 599, censoris a. 595 (Cic. Tusc. I, 9, 18. id. Brut. 20, 79), auus autem P. Nasicae Serapionis consulis a. 616 et pontificis maximi, eius qui Ti. Gracchum oppressit (Vell. II, 3. Val. III, 2, 17. V, 3, 2) et qui aedilitatem petens repulsam tulit (Cic. pro Planc. l. c.), proauus denique illius, qui consul a. 643 Iugurthae bellum indixit et in magistratu mortuus est. Horum quisnam per aliquot annos princeps senatus fuerit certo non constat. Nam Diodorum (exc. de uirt. et uit. p. 605), et auo et patri eum dignitatis gradum tribuentem, de auo, qui ne censorius quidem fuisset, recte erroris arguit Wesselingius. De Corculo concedendum est. Atque de hoc quidem multo probabilius Kappius coniecit quam alii de ipso Serapione, adeo ut Valerium non trium, sed quattuor hominum res gestas confudisse appareat. Praeter Valerium eadem nominis communione deceptum auctorem quoque libri de uiris illustribus 44 foede lapsum esse illius operis interpretes docuerunt.

3. Cf. Liu. XXXIX, 32 et 56. XLIII, 17. Auct. de uir. ill. 56.

censor factus, amplissimum etiam dignitatis gradum) Consulatu et censura nullus erat amplior dignitatis gradus, qualem tamen obtinuisse credi deberet Aemilius, si praecedente finito uerbo *factus est* per *etiam* consulatui et censurae tamquam nouum aliquod summus adiceretur honos. Quapropter recte Pighius deleuit illud *est*, quod, cum abesset olim a codice Bernensi, recentior demum manus in margine suppleuit. Sed iniuria idem Pighius eiecit particulam *etiam* omnibus codicibus confirmatam, quae intendit uim adiectiui, ita ut probe qui

amplissimum etiam dignitatis gradum obtinuit. Cuius uirtutem iniuriae non fregerunt, sed acuerunt, quoniam quidem ipsa nota accensam cupiditatem summi honoris ardentiorem ad comitia detulit, ut populum, quia nobilitatis splendore et animi bonis mouere non potuerat, pertinacia uinceret.

4. Quintum autem Caecilium Metellum pauci et maesti amici consulatus repulsa adflictum tristitia ac rubore plenum domum reduxerunt. Eundem de Pseudophilippo triumphantem uniuersus senatus laetum et alacrem in Capitolium prosecutus est. Achaici etiam belli, cui summam manum L. Mummius adiecit, maxima pars ab hoc uiro profligata est. Eine ergo populus consulatum negare potuit, cui mox duas clarissimas prouincias aut daturus erat aut debiturus, Achaiam et Macedoniam? Et quidem hoc facto meliore eo ciue usus est. Intellexit enim quam industrie sibi gerendus esset consulatus, quem tanto labore impetrari senserat.

5. Quid tam excellens, quid tam opulentum quam L. Sylla? Diuitias, imperia largitus est, leges uetustas abrogauit, nouas tulit. Hic quoque in eo campo, cuius postea dominus extitit, repulsa praeturae suggillatus est, omnia loca petiti honoris, si quis modo deorum formam et imaginem futurae eius potentiae populo Romano repraesentasset, impetraturus.

6. Sed ut comitiorum maximum crimen referam, M. Porcius

---

1. etiam *om. Torr.* || 4. quia] quem *D E Torr.* || animis boni *pr. A.* animi sui bonis *corr. A.* || 5. poterat *D.* || 6. §. 4 *om. Γ.* || celium *F.* || 7. afflictum *(litteris affli in rasura) A.* || ac] et *E.* || robore *C F et pr. A.* || plenam *C et pr. A.* || 8. peudo philippo *A.* sepudophylippo *F.* || 9. capitolio *E.* || 10. l. ennius *D.* || 11. profugata *C.* || 13. aut debiturus *om. pr. E.* || aut macedoniam *A C.* ac macedoniam *D.* || Et quidem] equidem *E.* || 14. ciue eo *F.* || 15. sibi] si *F.* || labore] tempore *C.* || impetrati *pr. A.* || 17. §. 5 *om. Γ.* || 18. et imperia *corr. D, Torr. Vid. ad VIII*, 8, 2. || 19. domus *E.* || 20. sugilatus *A.* || 21. eius futurae *D.* || 22. imperaturus *pr. A.* || 23. eferam *A.*

---

campum repulsis suis fatigauerat nihilo secius tandem amplissimum etiam dignitatis gradum assecutus esse dicatur, consul et censor factus.

4. Cf. auct. de uir. ill. 61.

cui mox duas clarissimas prouincias) Noua haec Valerii ἀνιστορησία. Satis enim notum est et Pseudophilippum et Achaeos ante deuictos esse a Q. Caecilio Metello, praetore etiam tum, quam in petitione consulatus ferret repulsam. Cf. Vell. I, 11. Oros. V, 3. Zonar. IX, 28. Sed eiusdem erroris participem habet L. Florum II, 14 et 16, ut bene obseruauit Perizonius, et Pausaniam VII, 13, 1. Quos scriptores fefellisse uidetur quod plerumque nonnisi consulibus aut consularibus prouinciae subigendae decerni solebant. Cf. praef. p. 30.

5. Cf. Plut. Syll. 5.

6. Cf. Liu. epit. libr. CV. Plut. Cat. min. 42. id. Pomp. 52. Dio Cass. XXXIX, 32.

Cato, plus moribus suis praeturae decoris adiecturus quam praetexto eius splendoris ipse laturus, consequi illam a populo aliquando non potuit. Proxima dementiae suffragia, quae quidem satis graues poenas erroris sui pependerunt, quoniam quem honorem Catoni negauerant Vatinio dare coacti sunt. Ergo si uere aestimare uolumus, non Catoni tunc praetura, sed praeturae Cato negatus est.

DE NECESSITATE.

Abominandae quoque necessitatis amarissimae leges et tru- VI.
culentissima imperia *cum* urbem nostram tum etiam exteras gentes multa non intellectu tantum, sed etiam auditu grauia perpeti coegerunt.

Nam aliquot aduersis proeliis secundo Punico bello exhausta 1.
militari iuuentute Romana, senatus auctore Ti. Graccho consule censuit uti publice serui aduersum propulsandorum hostium impetum emerentur, eaque de re per tribunos plebis apud populum

1. adicturus *pr. A.* additurus *CEF.* || 2. laurus *pr. A.* || 3. satis quidem *Torr.* || 4. quem] qui *F.* || 5. neroni negauerunt *F.* || conati *C.* || 8. DE LEGIBVS ET IMPERIIS TRVCVLENTIS *Par.* || 10. cum] *om. AΓ.* tum *DEFTorr. Vid. ad II, 2, 8.* || 11. multas *Γ.* || 13. Nam — (*p.* 576, 10.) adiecit *om. Γ.* || aliquod *pr. A.* || exhausto *pr. A.* || 14. auctore] *ultima litt. a corr. A.* || tito gracco *AC DEF.* || 15. aduersus *FTorr.* || ad usum propulsandorum hostium *(omisso* impetum) *Par.* ad propulsandum hostium impetum *coniecit Lipsius elect. II*, 11. || 16. apud] ad *DFPar. Torr.*

VI, 1. *Nam aliquot aduersis proeliis)* Constat habitum esse hunc seruorum delectum post Cannense proelium. Ita enim referunt Liu. XXII, 57. Macrob. Sat. I, 11, Seru. ad Aen. IX, 546, Eutrop. III, 10, Paul. diac. u. uolones p. 370 Müll. Neque sane bis secundo Punico bello mancipia sacramento adacta esse uidentur. Attamen Valerium hoc loco non de Cannensi clade, sed de alio tempore cogitasse necessario colligitur e sequentibus, ubi illam tempestatem huic, de qua ante dictum erat, opponens ita pergit, *Cannensis autem clades adeo urbem nostram uehementer confudit* et q. seqq. Iam cum in eo etiam a Liuio discesserit Valerius, quod XXIIII milia seruorum commemorat pro VIII milibus, quem numerum Macrobius quoque et Paulus diaconus tradunt, quodque consulem Sempronium pro magistro equitum posuit, nescio an illis deceptus sit, quae Liuius XXIII, 32 de proximo anno exposuit, diuiso inter consules exercitu Sempronio uolones et sociorum XXV milia obuenisse, non scilicet animaduertens de iisdem ibi uolonibus egisse Liuium, post cladem Cannensem conscriptis, de quibus supra iam retulerat.

lata rogatione tres creati sunt uiri, qui quattuor et uiginti milia seruorum conparauerunt, adactosque iurciurando strenuam se fortemque operam daturos, quoad Poeni essent in Italia, † datura arma in castra miserunt. Ex Apulia etiam et a Paediculis septuaginta atque ducenti ad supplementum equitatus sunt empti. Quanta uiolentia est casus acerbi! Quae ciuitas ad id tempus ingenuae quoque originis capite censos habere milites fastidierat, eadem cellis seruilibus extracta corpora et a pastoralibus casis collecta mancipia uelut praecipuum firmamentum exercitui suo adiecit. Cedit ergo interdum generosus spiritus utilitati et fortunae uiribus succumbit, ubi, nisi tutiora consilia legeris, speciosa sequenti concidendum est.

Cannensis autem clades adeo urbem nostram uehementer

---

1. et] atque *F.* || $\overline{XX}$ seruorum *A.* || 2. comperauerunt *F.* || se *om. E.* || 3. datura arma] *sic F et pr. A.* daturos arma *C.* laturos arma *D et corr. A.* datis armis *E Torr.* || 4. Ex Apulia] et polia *pr. A.* et apulia *corr. A. Vt nos etiam Par.* || fidiculis *A C D E F Torr. Vt nos Par.* || 5. septuaginta atque ducenti] CCLXX *Par. Vid. ad VIII*, 13, 1. || equitatis sunt erupti *C.* || 6. est uiolentia *F.* || acerui *C et pr. A.* || qua *F.* || 7. cesos *pr. A.* censitos *D.* || 8. eodem sellis *D.* || 9. uelud *pr. A.* || 10. Cedit — (12.) concidendum est] *Haec habet transposita post* (*p.* 577, 7.) praesidia uideantur *T.* || 11. concilia legerit *D.* || 13. autem] enim *T.* || cladis *F.*

---

† *datura arma in castra miserunt)* Ex hac archetypi scriptura quod effecit corrector libri Bernensis, *laturos arma*, si referas ad sequentia *in castra miserunt*, plane otiosum est, cum uix alia condicione milites in castra mittantur quam ut arma ferant. Neque licet talia scriptoris culpae e coniectura imputare, nisi ea sit certissima. Si cum praecedentibus, *quoad Poeni essent in Italia*, alteram iuris iurandi partem ea continere credideris, necessario, ut monuit Torrenius, copula *et* ante *quoad* adicienda est. Quae emendatio non maiorem habet ueri speciem quam quod inde ab Aldo uulgo edebatur e malis quibusdam codicibus, *datis armis*. Quapropter, si tamen Valerius scripserit *laturos arma*, ita haec cum praecedentibus coniungenda erunt, ut fiat sententia uolones illos, adactos iure uirando strenuam se fortemque operam daturos, in castra missos esse, arma laturos, quoad Poeni in Italia essent. In his nunc acquiescamus oportet, quamuis propter uerborum ordinem mire contortum ne ea quidem satisfacere confitear. At probabiliorem emendationem nondum inuenire mihi contigit.

a Paediculis) Codices et editiones omnes *a Fidiculis*, quod nihili est. Receptam a nobis Cluuerii coniecturam (Ital. antiq. IIII, 10, p. 696) confirmat nunc Paridis codex Vaticanus, nisi quod Cluuerius Poediculos eos fuisse contendit. Erat autem Poediculorum siue Paediculorum Apuliae populus. Cf. Iustin. XII, 2, 12. Plin. h. n. III, 5, 6, §. 38 et III, 11, 16, §. 102, ubi tamen codices primam syllabam non cum diphthongo, sed cum uocali *e* efferunt. Sed in Plinii III, 11, §. 102 Silligius laudata Cluuerii coniectura ita fere optimum codicem Riccardianum exhibere monuit. *Ποσίκλους* eos Strabo quoque appellat VI, 3, 7, p. 282 Cas. eademque forma Appiano restituenda est b. ciu. I, 32, ubi codices *Ποδίκλους* tradunt. Rem ipsam in primis memorabilem unde hauserit Valerius nescio mirorque reliquorum scriptorum altum de ea silentium.

Cannensis autem clades) Cf. Liu. XXIII, 14. Flor. II, 6, 23. Zonar. IX, 2.

confudit, ut M. Iunio Pera dictatura rem publicam administrante spolia hostium adfixa templis deorum numini consecrata instrumento militiae futura conuellerentur, ac praetextati pueri arma induerent, addictorum etiam et capitali crimine damnatorum sex milia conscriberentur. Quae si per se aspiciantur, aliquid ruboris habeant, si autem admotis necessitatis uiribus ponderentur, saeuitiae temporis conuenientia praesidia uideantur.

Propter eandem cladem senatus Otacilio, qui Siciliam, Cornelio Mammulae, qui Sardiniam pro praetoribus obtinebant, querentibus quod neque stipendium neque frumentum classibus eorum et exercitibus socii praeberent, adfirmantibus etiam ne habere quidem eos unde id praestare possent, rescripsit aerarium longinquis inpensis non sufficere, proinde quo pacto tantae in-

---

1. contudit *E.* || iuni opera *AC.* Iunii opera *DEFΓTorr.* || dictaturam *DEFΓ.* || rei publicae *DEΓ. om. F.* || administrante] *sic C.* administrantes *pr. A.* administrantis *DEFΓ et corr. A, Torr.* || 2. adfixa *C et pr. A.* || deo *Γ.* || 3. profutura *DΓ.* || praetexati *D.* praetestati *F.* || 4. induerunt *F.* || adductorum *C.* abdictorum *E.* additorum *F.* || etiam *om. Γ.* || sed milia *pr. A.* sed eum milia *C.* sexdecim *margo C.* VII m. *D.* sexdecim milia *E.* ad sex milia *F.* || 5. scriberentur *pr. D.* || roboris habent *F.* || 8. Propter — (*p.* 578, 5.) dimisit *om. Γ.* || senatus] *Nouum caput inscriptum* DE NECESSITATE *hoc loco incipit Par.* || octacilio *CDE et pr. A.* || et Cornelio *DTorr. Vt nos etiam Par. Vid. ad VIII.* 8, 2. || 10. classibus neque exercitibus eorum *F.* || 11. nec *D.* || 13. expensis *Torr.*

---

ut M. Iunio Pera dictatura rem publicam administrante) Codices plerique et editiones omnes haec ita mendose constituunt, *ut M. Iunii opera dictatura rem publicam (*aut *dictaturam rei publicae) administrantis.* Quid enim illud est quod dictatoris opera potissimum spolia hostium a templis detracta esse dicuntur? Egregie igitur Gronouius ad Liu. XXIII, 14, 2 uitiosam scripturam emendauit coniciendo *ut M. Iunio Pera dictatura rem publicam administrante.* Probarunt Gronouii factum Torrenius et Kappius, confirmant duorum librorum optimorum, Bernensis et alterius Berolinensis *(C)* scripturae *iuni* et *administrante*; nam littera *s* huic uocabulo in codice Bernensi e sequenti *spolia* adhaesit. Vnus contra facere uidetur Iulius Paris, in cuius compendio cum exhibeatur *Cannensi clade territa urbe Iuni opera dictatoris spolia hostilia templis adfixa instrumentum militiae futura conuulsa sunt,* apparet iam in antiquissimo illo Valerii codice, quo usus est epitomator, fuisse *Iuni opera.* Pertinet igitur haec corruptela ad ea menda, ex eodem archetypo exemplo in integros et abbreuiatos Valerii libros translata, de quibus dixi in praef. p. 91.

capitali crimine damnatorum sex milia) In multis Valerii codicibus et in margine codicis Vaticani eius, qui epitomen Iulii Paridis continet, legitur *sedecim milia;* nec aliud significat alterius codicis Berolinensis corruptela *sed eum milia.* Causam discrepantiae declarat libri Danielini primaria scriptura *sed milia,* quae orta est e *sex milia,* confusis compendiis copulae *et* ac praepositionis *ex,* adeo inter se similibus, ut saepe uix discernantur. Habet autem supradicta epitome inter ipsa uerba *VI milia.* Atque tot fuisse qui capitalem fraudem ausi aut pecuniae iudicati pro militibus se obtulissent Iunio Perae dictatori auctor est Liuius l. c.

Propter eandem cladem) Cf. Liu. XXIII, 21.

opiae succurrendum esset ipsi uiderent. His litteris quid aliud quam imperii sui gubernacula e manibus abiecit, Siciliamque et Sardiniam, benignissimas urbis nostrae nutrices, gradus *et* stabilimenta bellorum, tam multo sudore et sanguine in potestatem redactas, paucis uerbis, te scilicet Necessitate iubente, dimisit.

2. Eadem Casilinates obsidione Hannibalis clausos alimentorumque facultate defectos lora necessariis uinculorum usibus subducta eque scutis detractas pelles feruenti resolutas aqua mandere uoluisti. Quid illis, si acerbitatem casus intueare, miserius, si constantiam respicias, fidelius? qui, ne a Romanis desciscerent, tali uti cibi genere sustinuerunt, cum pinguissima arua sua fertilissimosque campos moenibus suis subiectos intuerentur. Itaque Campanae urbis, quae Punicam feritatem deliciis suis cupida fouit, in propinquo situm Casilinum † moderarum uirtute clarum, perseuerantis amicitiae pignore inpios oculos uerberauit.

---

3. urbis nostrae] *om. F.* urbes nostrae *pr. A.* || nutricis *pr. A.* || et *om. ACE. Vid. ad VIII, 8, 2.* || 4. sanguine et sudore *F.* || in] *add.* ius ac *Torr.* || 5. te] ita *CEF.* || necessitas *corr. A.* || 6. Eadem] *add.* clade *E. add.* necessitatis inolentia (*legendum* insolentia) *Γ.* || cassilinates *Γ.* || clausis *C.* clausi *EF.* || 7. facultate • *A.* facilitate *Par.* || defectis *C.* defecti *EF.* || uinculorum necessariorum *F.* || 8. aeque *A.* || soluta *Par.* || 9. mandare *pr. A.* manducare *CEF. Vt nos etiam Par.* || uoluistis *CE et pr. A.* uoluissetis *F.* coegit *Γ.* || aceruitatem *pr. A.* acerbitate *Γ.* || intuere *pr. A.* || 11. desciscerent *C.* desisterent *DE.* deficerent *F.* || uti] *post* genere *Torr.* || ciui *pr. A.* || 12. campos] *add.* suos *DΓ.* || 12. intuerunt *F.* || 14. suis deliciis *D.* || cupide *DΓ et corr. A, Torr.* || moderarum] *sic pr. A.* modo rara *corr. A, Torr.* modo rarum *CEΓ.* moderatum *DF.*

---

2. Cf. Liu. XXIII, 19. Cic. de inu. II, 57, 171.

Casilinum † moderarum uirtute clarum) Edidi supra primariam codicis Bernensis et, ut equidem opinor, archetypi quoque exempli scripturam, nondum probabiliter sanatam. Perizonius, nam priores interpretes silentio transire liceat, Valerium composuisse suspicabatur *contraria uirtute clarum*, quod, ne dicam de litteris uiolenter admodum detortis, esset aliquid, si antea Campanorum quaedam commemorata fuisset uirtus, cui Casilinensis illa contraria credi posset. Aliquanto minorem etiam commendationem ea habent, quae Torrenius legenda proposuit, *Casilinum, roboratum uirtute, clarum perseuerantis amicitiae pignore*, praesertim cum, si ablatiuum *pignore* a uerberando seiunxeris, male absolute Casilinates Campanorum oculos uerberasse dicerentur, non addita rei qua eos perstrinxerint significatione. Sed pessime omnium Kappius recentium aliquot librorum scripturam *moderatum* defendit, eoque relato ad Casilinum, oppidum paruum ideoque modestum superbae et perfidae Capuae opponi putat. Has equidem coniecturas nolo similibus augere suspicionibus, cum quam doctis et subtilibus iudicibus persuadeam inuenerim nullam. Paulo ante archetypi testimonium secutus adiectiuum *cupida* reuocaui pro aduerbio, quod inde a Pighio edebatur. Cupiditatis enim et studii notio, quod in fouenda Punica feritate apparuit, de ipsa Capua praedicari poterat, neque ulla causa erat cur a bonorum librorum scriptura discederemus.

In illa obsidione et fide cum trecenti Praenestini permanerent, euenit ut ex his quidam murem captum ducentis potius denariis uendere quam ipse [potius] leniendae famis gratia consumere mallet. Sed, credo, deorum prouidentia [effectum] et uenditori et emptori quem uterque merebatur exitum adtribuit. Auaro enim [et] fame consumpto manubiis sordium suarum frui non licuit; aequi animi uir ad salutarem inpensam faciendam care quidem, uerum necessarie conparato cibo uixit. 3.

Gaio autem Mario, Cn. Carbone consulibus ciuili bello cum L. Sylla dissidentibus, quo tempore non rei publicae uictoria quaerebatur, sed praemium uictoriae res erat publica, senatus consulto aurea atque argentea templorum ornamenta, ne militibus stipendia deessent, conflata sunt. Digna enim causa erat, hine an illi crudelitatem suam proscriptione ciuium satiarent, ut di immortales spoliarentur. Non ergo patrum conscriptorum uoluntas, sed taeterrimae necessitatis truculenta manus illi consulto stilum suum inpressit. 4.

---

1. penestrini *F et pr. A.* penest • ini *corr. A.* || 2. iis *E.* eis *Par.* || potius] *om. D.* || 3. dariis *pr. A.* || ipsum *(litteris* um *in rasura) D.* || potius *om. D Γ Torr.* || leuiandae *D.* || 4. de eorum *F.* || effectum] *punctis notatum A. om. Torr.* || et uenditori] quae uenditori *D.* || 5. ut emptori et uenditori *F.* || 6. et fame] et *om. D Torr.* || 8. care] ea re *F.* || necessariae *pr. A.* necessitati *F.* || conparato] eius pacto *F.* || uixit] iussit *F.* || 9. §. 4 *om. Γ.* || Mario] *add.* consule *E.* || et Cn. Carbone *E Torr.* || consulibus *om. E.* || bello ciuili *Torr.* || 11. proemium *pr. A.* premium *corr. A.* || erat res *D.* || 12. consultu *(ultima litt. in rasura) D.* || militibus *pr. A.* || 13. enim] autem *F.* || erat causa *Torr.* || hicne aut ille *D.* || 14. proscriptione • *A.* || 16. sed] *add.* a te *pr. A. add.* date *D. add.* tua *corr. A, Torr.* || teterrime *pr. A.* teterrima *corr. A, Torr.* || necessitate *pr. A.* necessitas *corr. A, Torr.* || 17. suum *om. Torr.*

---

3. Cf. Strab. V, 4, 10 p. 249 Cas. Plin. h. n. VIII, 57, 82. Front. strat. IIII, 5, 20. *trecenti Praenestini)* Strabo l. c. DXL, Liuius (XXIII, 19) DLXX Praenestinos Casilini in praesidio fuisse tradunt.

[*potius*] *leniendae famis gratia)* Tribus unum hoc exemplum infectum est interpolationibus, omnibus aeque manifestis. Miror equidem in prima altum priorum editorum de codicibus manuscriptis silentium, cum perpauci libri dumtaxat non bis exhibeant *potius*, quod prioro loco necessario delendum est; in altera Vorstium, qui ineptum illud *effectum*, expunctum a Pighio, reuocauit et subaudito pronomine *id* et uerbo *est* egregie prorsus enarrat, deorum prouidentia effectum esse ut in tanta inopia 'non nemo murem uendere quam consumere maluisset'. Spuria uox sine dubio in margine antiqui cuiusdam libri ascripta ad explicandum uel emendandum exitus uocabulum, quod de altero tantum uiro, qui fame consumptus est, aptum uidebatur, postea alieno loco inter genuina Valerii recepta est. Tertiae interpolationis, copulae *et* male insertae ante *fame*, causam praebuisse apparet quod duae significationes hominis auari et fame consumpti ex aequo positae esse atque ita non recte ἀσυνδέτως componi putabantur. Nam *ex fame consumpto*, quae Torrenii coniectura est, Latine dici non mihi persuadetur.

4. *taeterrimae necessitatis)* Mutauerat haec cum emendatore libri Bernensis

5. Diui Iulî exercitus, id est inuicti ducis inuicta dextera, cum armis Mundam clausisset aggerique extruendo materia deficeretur, congerie hostilium cadauerum quam desiderauerat altitudinem instruxit eamque tragulis et pilis, quia roboreae sudes deerant, magistra nouae molitionis necessitate usus, uallauit.

6. Atque ut diuinam filii mentionem caelestis patris recordationi subnectam, cum effusurus se in nostras prouincias Parthorum rex Phraates uideretur uicinaeque imperio eius regiones subito indicti tumultus denuntiatione quaterentur, tanta in Bosporano tractu commeatus penuria incessit, uti VI milibus denariis singula uasa olei frumentique modiis totidem mancipia permutarentur. Sed amarissimam tempestatem Augusti cura tutelae tunc terrarum uacans dispulit.

---

1. id est] *om. E.* idem *A.* idē *Γ.* I. *F.* || 2. munda *CF.* numidiam *D.* numantiam *Γ.* || clusisset *Par.* || agerrique *pr. A.* || deficeret *DFΓ.* defecisset *EPar. Cf. III,* 1, *ext.* 1. *V,* 5, 3. *VII,* 6, 2. *VIII,* 3, 2. *VIII,* 7, 4 *et ext.* 1. || 4. instruxit altitudinem *Γ.* || pilliis *F.* || robore *E.* || 6. §. 6 *om. Γ.* || diuinam] diui iam *coniecit Perizonius. Cf. praef. p.* 37. || caelesti patris recordatione *A.* || 7. partorum *A.* || 8. rex *om. F.* || phrates *C et pr. AD.* pharates *E et corr. D.* prahates *F.* Phraartes *Torr.* || eius imperio *E.* || subito] *in rasura D.* subita *EF et corr. A, Torr.* || 9. indicti] *in rasura D.* indulti *F.* || Bosporano] hoc feriano *F.* || 10. ut *Torr.* || VI a militib; *A.* sexamilibus *C.* || 13. uagans *pr. A.*

---

e recentioribus codicibus Pighius in *tua teterrima necessitas.* Nam ante eum nihilo deterius edebatur quod nos supra posuimus. Atque ita Valerium scripsisse certissima quaedam optimi illius libri Bernensis uestigia comprobant inter uaria menda, quae tamen fortasse ne ex archetypo quidem translata, sed peculiaria huic codici erant. Nam cum prima manus in eo ita exarauerit, *sed a te telerrime necessitate truculenta manus,* corruptela inde profecta esse uidetur quod per dittographiam prima syllaba uocis *teterrimae* repetita, corrector pronominis ablatiuo quem putabat praemisit praepositionem *a.*

5. Cf. auct. bell. Hisp. 32. Flor. IIII, 2, 85. Dio Cass. XLIII, 38. p. 367 Reim. Apud Cordubam hoc factum esse refert Appian. ciu. II, 105.

id est inuicti ducis) Pighius in codicibus Atrebatensi et Gemblacensi correctius scribi refert, quod nos in Bernensi quoque repperimus, *idem inuicti ducis,* idque recepit, cum tamen ne ferri quidem possit. Neque enim antea aliud quicquam de exercitu diui Iulii praedicatum erat, ut iam in noua eius significatione pergi posset *idem.* Mendum sine dubio ortum est e compendio *ẽ,* quo denotatur uerbum *est,* male conexo cum pronomine *id* ita ut fieret *idẽ.*

6. *uti VI milibus denariis)* Facile intellegitur archetypi libri corruptelam *uti sex a militibus,* hodieque seruatam in codice Bernensi, eo ortam esse, quod cum librarius errore admodum frequenti a *milibus* in *militibus* incidisset, alius antea insereret, quam desiderabat apud passiuum uerbum, praepositionem *a.* Militum mentionem non recte hoc loco inici uix est quod moneam. Itaque recte *sex milibus denariis* iam exhibetur in editionibus ante Pighium emissis, qui audacter a tradita scriptura discedens e codicibus Pulmanniano, Susiano, Atrebatensi posuerat *uti a militibus singulis olei frumentique modiis totidem mancipia permutarentur.* Quod si Perizonius *denarium* genitiuo casu legendum arbitrabatur, ignarus erat denaria, sicut alias nummorum appellationes, adiectiue cum milibus eodem casu posita cuniungi posse, de qua re ingeniose et accurate disseruit Rothius in Iahn. ann. 1846 supplem. XII, p. 356 et seqq.

Cretensibus nihil tale praesidii adfulsit, qui obsidione Me- Ext. 1.
telli ad ultimam penuriam conpulsi sua iumentorumque suorum urina sitim, torserunt iustius dixerim quam sustentarunt, quia, dum uinci timent, id passi sunt, quod eos ne uictor quidem pati coegisset.

Numantini autem a Scipione uallo et aggere circumdati, cum 2.
omnia quae famem eorum trahere poterant consumpsissent, ad ultimum humanorum corporum dapibus usi sunt. Quapropter capta iam urbe conplures inuenti sunt artus et membra trucidatorum corporum sinu suo gestantes. Nulla est in his necessitatis excusatio. Nam quibus mori licuit sic uiuere necesse non fuit.

Horum trucem pertinaciam in consimili facinore Calagur- 3.
ritanorum execrabilis impietas supergressa est. Qui quo perseuerantiùs interempti Sertorii cineribus, obsidionem Cn. Pompei frustrantes, fidem praestarent, quia nullum iam aliud in urbe eorum supererat animal, uxores suas natosque ad usum nefariae dapis uerterunt. Quoque diutius armata iuuentus uiscera sua uisceribus suis aleret, infelices cadauerum reliquias sallire non dubitauit. En quam aliquis in acie hortaretur ut pro salute coniugum et liberorum fortiter dimicaret! Ex hoc nimirum hoste tanto duci poena magis quam uictoria petenda fuit, quia plus uindicatus [libertatis] quam uictus gloriae adferre potuit, cum

1. Cretensibus — adfulsit, qui] Cretenses *I'*. || Cretensibus] *in rasura A.* || 2. ultimam] ultimamque *pr. A.* ultimam usque *corr. A*, *Torr.* ultimam quoque *(sed* quoque *in rasura) D.* ultimam elborum et potus *I'*. || poenuriam *corr. A.* || 3. siti *F.* || sustentarent *pr. A.* suscitarunt *C.* sustentauerunt *I'*. || quia] qui *uel* quin *coniecit Perizonius.* || 9. cum plures *F.* || 13. in] an *F.* || callagurgitanorum *A et litteris* gi *in rasura D.* callagurritanorum *CI'.* callaguritanorum *E.* cabaturtanorum *F.* || 14. superegressa *pr. A.* || est *om. I' et pr. D.* || 15. interemptis certorii *C.* || 16. fide *F.* || 17. hanibal *F.* || 19. alerent *F.* || 20. en unquam *corr. A.* en quem *CE.* en quis unquam *D.* || aliquis *om. D.* || 21. coniugium ac liberorum *F.* liberorum et coniugum *I'*. || 23. libertatis] *sine uncis Torr.*

Ext. 1. *qui obsidione Metelli)* Cf. Liu. epit. libr. XCIX. Flor. III, 7.

ad ultimam penuriam) Dubium non est quin archetypum exemplar olim exhibuerit *ultimamque*, adeo ut non improbabile sit lacunae supplementum a correctore libri Bernensis propositum *ad ultimam usque penuriam*. Quod recepissem, nisi Paridis compendium, in quo omnia hoc loco Valerii uerba seruantur, illud non agnosceret. Res manet incerta. Poterat enim fieri ut epitomator unum hoc uerbum tamquam superuacuum omitteret.

2. Cf. Liu. epit. libr. LIX. Flor. II, 18. App. Hisp. 96. Oros. V, 7.

3. Cf. Sall. hist. III ap. Prisc. II p. 909. Iuu. sat. XV, 93. Oros. V, 23.

uindicatus [libertatis] quam uictus gloriae) Nemini profecto libertatem poterant parare uindicati uel puniti Calagurritani, ac multo etiam minus maiorem libertatem puniti quam gloriam uicti. Argutantur igitur illepide qui post Pi-

omne serpentum ac ferarum genus conparatione sui titulo feritatis superarit. Nam quae illis dulcia uitae pignora proprio spiritu cariora sunt, ea Calagurritanis prandia atque caenae extiterunt.

DE TESTAMENTIS QVAE RESCISSA SVNT.

VII. Vacemus nunc negotio, quod actorum hominis et praecipuae curae et ultimi est temporis, consideremusque quae testamenta aut rescissa sunt, legitime facta, aut, cum merito rescindi possent, rata manserunt, quaeue ad alios quam qui expectabant honorem hereditatis transtulerunt.

1. Atque [ita] ut ea ordine, quo proposui, exequar, militantis cuiusdam pater, cum de morte filii falsum e castris nuntium

1. serpentium *Γ*. || 2. superauerit *FΓ*. || 3. callagurritanis *AC*. callaguritanis *DEΓ*. colla guritanis *F*. || atque] ac *F*. || coenae *(A.)* || 5. *Capita VII et VIII usque ad finem libri septimi om. Γ*. || QVAE RESCISSA SVNT] *om. Par.* RESCISSIS *Torr.* || 6. actorum] cunctorum *D*. || 7. consideremus quaeque *A*. || 11. ita ut ea] ita *(om.* ut ea*)* *F*. ista ut *(om.* ea*)* *Torr.* || prosequar *F*. || 12. cuidam *F*. || e castris falsum *F*.

ghium, uerba non intellecta asterisco notantem, librorum scripturam defendendam susceperunt, et in primis Kappius, cum libertate publicam securitatem significari arbitraretur eique securitati plus consuluisse exponeret Pompeium punitis Calagurritanis quam si gloriae suae tantummodo inseruire hostemque uictum conseruare maluisset. Sententia, quod perspexerunt Perizonius et Torrenius, omnino flagitat ut deleatur *libertatis*. Sed quae tandem causa tam mirae interpolationis? Suspicor equidem spurium uocabulum insertum esse a librario quodam, qui, cum participia *uindicatus* et *uictus* pro nominibus haberet, ita interpretaretur, tamquam Calagurritanis maiorem gloriam fortiter uindicata (defensa) libertas quam foedus ille uictus peperisse diceretur. Cui coniecturae non obstat quod omnis illa interpretatio, e sequentibus tantum orta, cum praecedentibus parum congruit atque cohaeret, quoniam istos homines nonnisi proxima quaedam in corrigendo curasse sat multa exempla demonstrant.

VII, 1. *Atque* [*ita*] *ut ea ordine)* Cum inde a Pighio ederetur *Atque ista ut ordine, quo proposui*, Torrenius scribendum coniecit *Atque ista ut eo ordine*. Mihi neutrum satis placuit, siquidem nulla hoc loco in demonstrando uis est, qua defendi posset pronomen *ista*, neque duplex, quae illata esse creditur, corruptela adeo magnam habet similitudinem ueri. Suspicor igitur librarium aliquem offensum, ut saepius factum esse animaduerti, imperfecta sententia *(atque ut ea ordine, quo proposui exequar)*, qua auctor ad exempla exponenda transit, deficiente apodosi, coniunxisse haec cum praecedentibus, *Vacemus nunc — consideremusque*, et interposito *ita* hunc orationis nexum efficere uoluisse, 'Consideremus quae testamenta aut rescissa sunt' etc. 'atque ita (sc. consideremus), ut ea ordine proposito exequar'. Nouum enim enuntiatum incipere arbitrabatur uerbis *militantis cuiusdam pater*. Inclusi igitur uocem ualde mihi suspectam, qua remota omnia sana sunt.

militantis cuiusdam pater) Cf. Cic. de or. I, 38, 175 et 57, 245.

accepisset, aliis heredibus scriptis decessit. Peractis deinde stipendiis adulescens domum petit. Errore patris, inpudentia amicorum sibi clausam repperit. Quid enim illis inuerecundius? Florem iuuentae pro re publica absumpserat, maximos labores ac plurima pericula tolerauerat, aduerso corpore exceptas ostendebat cicatrices et postulabat † ut auitos eius lares otiosa ipsi urbi onera possiderent; itaque depositis armis coactus est in foro togatam ingredi militiam: acerbe; cum inprobissimis enim heredibus de paternis bonis apud centumuiros contendit: omnibusque non solum consiliis sed etiam sententiis superior discessit.

Item M. Anneî Carseolani splendidissimi equitis Romani filius, a Sufenate auunculo suo adoptatus, testamentum naturalis patris, quo praeteritus erat, apud centumuiros rescidit, cum in eo Tullianus, Pompeî Magni familiaris, ipso quidem Pompeio signatore heres scriptus esset. Itaque illi in iudicio plus cum excellentissimi uiri gratia quam cum parentis cineribus negotii fuit. Ceterum quamuis utraque haec aduersus nitebantur, tamen 2.

1. accepisset] *add.* qui erat falsus *C.* || decessit] deceptis *F.* || 2. domum petit] reuersus domum *Torr.* || imprudentia *DF.* impudentiaque *Torr. Vid. ad VIII, 8, 2.* || 3. amicorum] *add.* domum *CDEF.* || 4. iuuentae florem *F.* || absumpserat] *add.* et *E.* || 5. ac publica *E.* et plurima *Torr.* || ostentabat *F.* || 6. ut] ne *F Torr. add.* non *D et corr. A.* || habitos *pr. A.* || occisa *F.* || 7. urbi ipsi *E.* || honera possideret *E.* honerat possideretur *F.* || coactus est depositis armis *F.* || 8. togatam] rogandam *F.* || acerue *CF et pr. A.* || 12. m. mannei *C.* m. maney *F.* M. Anni *Par.* || romani equitis *E.* || 13. Sufenate] *litt.* fenate *in rasura A.* safanete *C.* suffenate *E.* suffaneto *F.* || 14. scidit *F.* || in] *in rasura D. om. CEF.* u. cũ *margo A.* || 16. plus] *ante* illi *Torr.* || 18. aduersus] aduersa *F. add.* se *D. add.* eum *Torr. Cf. Corn. Nep. Pelop. I, 3. id. Ages. 4, 6.* || uidebantur *F.*

adulescens domum petit. Errore patris) Vulgata scriptura *adolescens reuersus domum errore patris impudentiaque amicorum sibi clausam reperit* a Pighio est, qui ita posuit codices Susii et Pulmanni secutus, cum ante eum ederetur, quod in plerisque codicibus manuscriptis est, *adolescens domum petit. Errore patris, impudentia amicorum domum sibi clausam repperit.* In quibus nihil offendit nisi repetita ex interpretatione domus significatio, quam tamen equidem ex optimo codice Bernensi non enotaui. Pighiani illi codices participium *reuersus* fortasse receperunt e Paridis compendio, cuius uerba haec sunt, *Filius reuersus cognito patris errore de paternis bonis apud C. V. contendit, omnibusque sententiis uictor recessit.*

postulabat † ut auitos eius lares) Sic boni codices, in quibus negationem deesse facile apparet. Neque uero mihi persuadetur librarios particulam *ut* cum *ne*, quae necessario desideratur quamque editores substituerunt, sine ulla causa permutasse. Lenissimum remedium puto, quod adhibitum in codice Vltraiectino probauerat Torrenius, *ut ne auitos eius lares.* Facillime enim *ne* in rariore ea negandi figura post *ut* excidere potuit. Nolui tamen recipere, quoniam coniunctarum illarum particularum aliud exemplum in Valeriano opere non extat.

paterna bona optinuit. Nam Lucius quidem Sextilius et P. Popilius, quos M. Anneius sanguine sibi coniunctos eadem ex parte qua Tullianum heredes fecerat, sacramento cum adulescentulo contendere ausi non sunt, tametsi praecipuis eo tempore Magni uiribus ad defendendas tabulas testamenti inuitari poterant, et aliquantum adiuuabat heredes quod M. Anneius in Sufenatis familiam ac sacra transierat. Sed artissimum inter homines procreationis uinculum patris simul uoluntatem et principis auctoritatem superauit.

3. Gaium autem Tettium a patre infantem exheredatum, Petronia matre, quam Tettius quoad uixit in matrimonio habuerat, natum, diuus Augustus in bona paterna ire decreto suo iussit, patris patriae animo usus, quoniam Tettius in proprio iure procreato filio summa cum iniquitate paternum nomen abrogauerat.

4. Septicia quoque, mater Trachalorum Ariminensium, irata filiis in contumeliam eorum, cum iam parere non posset, Publicio seni admodum nupsit, testamento etiam utroque praeterito. A quibus aditus diuus Augustus et nuptias mulieris et suprema iudicia improbauit. Nam hereditatem maternam filios habere

---

2. pompilius *pr. C.* || anneus *E.* || 3. heredes] *add.* eos *corr. D.* || 6. aliquantulum *EF Torr.* || adiuuabit *F.* || anneus *E.* || suffenatis *E.* || 7. ac] et *E.* || 8. principis] *add.* uiri *Torr.* || 10. tectium *C.* tecium *DF.* teccium *E.* || infantem a patre *(E) Par. et corr. A, Torr.* || patronia *C.* Caetronia *Par.* || 11. tectius *CE.* tecius *DF.* || matrimonium *A.* || 13. tectius *C.* tecius *D.* teccius *E.* tectus *F.* || 14. abrogauerat] ul': abiurauerat *margo A.* arrogauerat *F.* || 15. §. 4.] *Solum hoc exemplum interponit libri VIII, cap.* 2, §. 3 *post uu.* acceptum ferri debere *Γ.* || quoque *om. Γ.* || thracalorum *APar.* tracalorum *E.* traculorum *F.* traccalorum *Γ. Cf. Paul. diac. p.* 367. *Müll.* || aminensium *F.* || filiis irata *Par. et corr. A. Torr.* || 16. posset] *add.* sed *F.* || publio *ADE.* publico *CPar.* u. publico *margo A.* pupillo *F.* || 17. utroque] *ante* etiam *E.* utrumque *corr. A.* || praeteritoque *C.* || 18. Quibus auditis *Par.* || supprema *pr. A.* || 19. improba *Γ et pr. A.* || Nam — *(p.* 585, 1.*)* dotem *om. Γ.*

---

2. *et principis auctoritatem superauit.)* Tacite adiecerat Pighius *uiri* post *principis*, quod scilicet Pompeium absolute principem appellari non posse crederet. Nec iuuat Ciceronis exemplum (in Anton. VIII, 10, 29.) a Torrenio ascriptum, cum aliud sit, si quis in re publica princeps uocetur. Manifesto Valerius locutionem sua aetate tritissimam de his, penes quos summa rerum erat, ad antiquiora tempora transtulit, eadem fere licentia usus, qua fiscum tribuit Caesari VI, 2, 11. Rem ipsam quaeque in sequentibus ius ciuile tangunt docte et copiose explicauit Ant. Schultingius in exercitatione ad Valerii Maximi libr. VII cap. VII editioni Torrenianae subiecta.

4. *Publicio seni)* Codex archetypus *Publio* exhibuisse uidetur. In quo praenomine, quod sine nomine locum non habet, emendando secutus sum Paridis scripturam *Publico*, proxime accedentem ad Publicium, quem ex eodem aliorum librorum mendo iam eruerat abbreuiator Guelferbytanus, ab illo traditum receperat Pighius.

iussit, dotem, quia non creandorum liberorum causa coniugium intercesserat, uirum retinere uetuit. Si ipsa aequitas hac de re cognosceret, potuitne iustius aut grauius pronuntiare? Spernis, quos genuisti, nubis effeta, testamenti ordinem uiolento animo confundis, neque erubescis ei totum patrimonium addicere, cuius pollincto iam corpori marcidam senectutem tuam substrauisti. Ergo dum sic te geris, ad inferos usque caelesti fulmine afflata es.

Egregia Gaii quoque Calpurni Pisonis praetoris urbis con- 5. stitutio. Cum enim ad eum Terentius ex octo filiis, quos in adulescentiam perduxerat, ab uno in adoptionem dato exheredatum se querellam detulisset, bonorum adulescentis possessionem ei dedit heredesque lege agere passus non est. Mouit profecto Pisonem patria maiestas, donum uitae, beneficium educationis; sed aliquid etiam flexit circumstantium liberorum numerus, quia cum patre septem fratres impie exheredatos uidebat.

---

2. ac *C.* || 3. cognoscere *ACDEF.* || potuissetne *D et corr. A.* possetne *Torr.* || gratius *ACDEF.* || pronuntiaret *CDEF et corr. A.* || Spernis] *add.* inquit *D.* || 4. quos] quoque *C.* || nubis] nullus *F.* || effecta *pr. A.* offecta *F.* || 5. ascissere *E.* || 6. polluto *DF.* polinto *E.* || tuam] *om. E.* suam *F.* || 7. te egeris *ACDEF.* || 8. egregia • quoque calpurni *A.* Egregia quoque C. Calpurnii *Torr.* || praetoris] praefecti *Par. et in rasura A.* || 11. querela *E.* || adolescentes *F.* || 12. dedit *om. F.* || heredique *F.* || monuit *ACEF.* || 13. magestas *pr. A.* || 14. iam *D.* || quia] *in rasura D.* qui *CEF et pr. A.* quos *corr. A.* quod *Torr.* || 15. impio *F.* || exeredatos *pr. A.*

---

potuitne iustius) Sic codices tantum non omnes, quamuis id nemo enotauerit priorum editorum. Indicatiuus autem modus praeteriti temporis in denotanda actione, quae, si certa condicio incidisset, fieri aut poterat aut debebat, non minus recte in interrogando adhibetur, quam si per simplicem negationem scripseris *si ipsa aequitas hac de re cognosceret, non potuit iustius aut grauius pronuntiare*, in quibus neminem haesurum fuisse credo. Ita Cicero de rep. I, 6, 10 composuit *Consul autem esse qui potui, nisi eum uitae cursum tenuissem a pueritia, per quem equestri loco natus peruenirem ad honorem amplissimum?* Neque infrequentius imperfectum *(cognosceret)* in ipsa condicione est, quae non incidisse putatur, ubi actionem plusquamperfecto tempore exprimi expectes. Cuius generis in hoc opere exempla sunt III, 2, 23, *hinc Romanis, illinc Britannicis oculis incredibili, nisi cernereris, spectaculo fuisti* et IX, 4, 2, *dubites, si alterum tantum daretur, iugulum quoque suum aequo animo illis fuisse praebiturum?* Cf. Sall. Iug. 59, 3 et 82, 3. Cic. Brut. 10, 40. Liu. IX, 19, 5. Tac. ann. XII, 37. Saepius etiam Valerius in primaria sententia alterum tempus cum altero permutauit, ut VII, 3, ext. 6. VII, 4, 5. VII, 4, ext. 1. Cf. Krüger. uutersuch. II, p. 219 id. gramm. §. 641 not. 6 p. 876 Madu. gramm. §. 347 not. 2 p. 306. Liquet igitur, cum in archetypo libro propter sequens *potuit* infinitum uerbum *cognoscere* positum esset, librarios in deterioribus codicibus, ut sibi constaret oratio, uerbum *pronuntiare* mutasse in *pronuntiaret*. Veram scripturam coniectura iam inuenerat abbreuiator Guelferbytanus, homo insigni et acumine et linguae Latinae scientia praeditus, qui idem recte etiam *grauius* primus posuit pro eo, quod in reliquis libris mendose *gratius* scriptum circumfertur.

5. *praetoris urbis)* In Paridis codice Vaticano legitur *praefecti urbis*, male

6. Quid Mamerci Aemilî Lepidi consulis quam graue decretum? Genucius quidam, matris magnae Gallus, a Cn. Oreste praetore urbis impetrauerat ut restitui se in bona Naeuî Anî iuberet, quorum possessionem secundum tabulas testamenti ab ipso acceperat. Appellatus Mamercus a Surdino, cuius libertus Genucium heredem fecerat, praetoriam iurisdictionem abrogauit, quod diceret Genucium amputatis sui ipsius sponte genitalibus corporis partibus neque uirorum neque mulierum numero haberi debere. Conueniens Mamerco, conueniens principi senatus decretum, quo prouisum est ne obscena Genucii praesentia inquinataque uoce in tribunalia magistratuum sub specie petiti iuris polluerentur.

1. mamerti *D.* mamurti *E.* manicti *F.* || lepidi aemilii *F.* || 2. genicius *pr. A.* genitius *CDEF. Vt nos Par.* || 3. impetrauit *E.* || Naeuî Anî] naeuiani *DE et pr. A. Torr.* naeuii anii *corr. A.* ueniani *CF. add.* liberti surdini *margo D.* || 5. mamertus *D.* mamurtus *E.* manictus *F.* || surdinio *F et corr. A.* sordino *E.* || 5. *et* 7. genicium *E et pr. A.* genitium *CDF.* || 7. amputati *pr. C.* || 9. mamerto *D.* mamurto *E.* manicito *F.* || quod *A.* || 10. obscoena *corr. A.* || genicii *E et pr. A.* genitii *CD.* gemitii *F.*

explicato, ut equidem opinor, compendio *PR. VRBIS.* Quod tamen translatum a correctore in codicem Bernensem et inde in recentiores aliquot libros probasse uidetur Lipsius, cum dubitaret an referendum esset ad L. Pisonem praefectum urbi, quem commemorarunt Velleius II, 98, Tacitus ann. VI, 10, alii. Sed ne dicam de diuerso praenomine, non est profecto ueri simile talem bonorum possessionem tunc temporis ad praefecti urbani cognitionem pertinuisse. Fortasse quae hic narrantur intellegenda sunt de C. Calpurnio Pisone, Ciceronis aequali, consule a. u. c. 687, cuius ille saepius mentionem fecit. Cf. Brut. 68, 239. in Anton. II, 5, 12. ad Att. XII, 21, 1.

6. *Mamerci Aemili Lepidi consulis)* Consulatum obtinuit a. u. c. 677. Cf. fast. Cap. Cic. Brut. 47, 175. Suet. Caes. 6. Praetor autem urbanus eiusdem anni Cn. Aufidius Orestes erat, ex Aureliis adoptatus a Cn. Aufidio, idem qui consulatum gessit a. u. c. 683. Cf. Cic. pr. dom. 13, 35.

Naeuî Anî) Codices et editiones male haec coniunctim scripta exhibent *Naeuiani.* Recte enim iam Perizonius animaduertit testatorem illum libertum fuisse Naeuii Surdini ideoque et ipsum Naeuium debuisse appellari. Cui opinioni confirmationem affert nummus apud Eckhel. V, p. 259, inscriptus L. NAEVIVS SVRDINVS. De eo tantum dubito num recte ideo uir doctissimus coniecerit legendum esse *in bona Naeuiana.* 'Potest', inquit, 'ex sequentibus colligi hominem hic nondum esse nominatum, quando ait *cuius libertus Genucium heredem fecerat.* Dixisset enim uel *cuius libertus erat Naeuianus,* si eum iam supra ita nominasset, uel superius ad nomen Naeuiani addidisset libertum eum fuisse Surdini'. Atqui ipsum hominem suo nomine a Valerio hoc loco significatum fuisse ex iis perspicitur, quae sequuntur, *quorum possessionem — ab ipso acceperat.* Quapropter credo nomen ei fuisse Naeuius a patrono, cognomen ex seruitute retentum Anius. Neque aliter quae Valerius scripserat intellexit Iulius Paris, cuius compendium integrum cognosci operae pretium est. *Genucius quidam matris magnae Gallus, a Naeuio Anio in testamento nominatus, impetrauit a Cn. Oreste praetore urbano ut in bona Naeuii ueniret. Sed Aemilius Mamercus cos., interpellatus a Surdino patrono Naeuii de hereditate, praetoriam iurisdictionem abrogauit, quod diceret Genucium neque uirorum partibus interponi posse neque mulierum.* In quibus perperam duplici gentilicio nomine Aug. Maius Naeuium Annium posuit pro Naeuio Anio, quem

Multo Q. Metellus praetorem urbanum seueriorem egit quam 7.
Orestes gesserat. Qui Vecillo lenoni bonorum Vibieni possessionem secundum tabulas testamenti non dedit, quia uir nobilissimus et grauissimus fori ac lupanaris separandam condicionem existimauit, nec aut factum illius conprobare uoluit, qui fortunas suas in stabulum contaminatum proiecerat, aut huic tamquam integro ciui iura reddere, qui se ab omni honesto uitae genere abruperat.

QVAE RATA MANSERVNT CVM CAVSAS HABERENT CVR RESCINDI POSSENT.

His rescissorum testamentorum exemplis contenti attingamus VIII.
ea, quae rata manserunt, cum causas haberent, propter quas rescindi possent.

Quam certae, quam etiam notae insaniae Tuditanus, utpote 1.
qui populo nummos sparserit togamque uelut tragicam uestem in foro trahens maximo cum hominum risu conspectus fuerit ac multa his consentanea fecerit. Testamento filium instituit he-

1. praetor urbanus *F.* || seuiorem *pr. D.* || 2. uetilio *CEFTorr.* uatilio *(sed litt.* ua *in rasura) D.* || uiuieni *C et pr. A.* iuuenli *DE.* iuueni *F.* Iuuentii *Torr.* || 4. et grauissimus *om. F.* || conditionem *(A.)* || 5. ne *F.* || autem *E.* || 6. continuatum *F.* || 7. honestae *E.* || aruperat *F.* || 8. *Inscriptionem om. Par.* DE RATIS TESTAMENTIS ET INSPERATIS *Torr.* || QVAE RATA MANSERVNT] Quae testamenta rata manserunt *D.* De testamentis quae rata manserunt *E.* Quae rata manserunt testamenta *F.* || causam *E.* || 10. rescissurum *F.* || attingas *F.* || 11. propter] per *E.* || 13. nocte *F.* || Tuditanus] Maenonius Agrippa *Par. Cf.* §. 2. tutidanus *C.* || 14. populo] perpetuo *F.* || togamque] que *om. pr. D.* || uelud *pr. A.* || 15. fuit *F.* || 16. is *F.* || fecit *F.* || filiam *Par.* u. filiam *margo A.* Ofilium *Torr.*

habet codex Vaticanus. Ceterum idem cognomen in Nonio Anio quodam inuentum est in inscriptione ap. Grut. p. 1178, 3.

7. *Q. Metellus)* Credo intellegi Q. Metellum Celerem, Ciceronis in consulatu praetorem.

Vecillo lenoni bonorum Vibieni) Ita haec nomina constitui, consensum secutus Paridis et libri Bernensis, cum ante Pighium ederetur *Vetilio lenoni iuueni bonorum possessionem.* Pighius tacito emendasset *Vetilio lenoni bonorum Iuuentii possessionem.* Neque mihi obicietur alterum nomen alibi nondum esse inuentum. In altero eodem modo atque in Bernensi hoc loco propter uitiosam pronuntiationem erratum est in Paridis epitome VI, 1, 13, ubi uide quae adnotauimus.

VIII, 1. *notae insaniae Tuditanus)* Cf. Cic. in Anton. III, 6, 16. Lact. inst. diu. III, 23, 7 p. 252 Dufresn.

Testamento filium instituit heredem) Recentiores grammatici Lipsium secuti, offensum quod gentilis Ti. Longus sanguine proximus diceretur Tuditano, cum tamen illi fuisset filius, legendum censuerunt *Testamento Ofilium instituit*, et

redem, quod Ti. Longus, sanguine ei proximus, hastae iudicio subuertere frustra conatus est. Magis enim centumuiri quid scriptum esset in tabulis quam quis eas scripsisset considerandum existimauerunt.

2. Vita Tuditani demens, Aebuciae autem, quae L. Meneni Agrippae uxor fuerat, tabulae testamenti plenae furoris. Nam cum haberet duas simillimae probitatis filias † Pletoniam et Afroniam, animi sui potius inclinatione prouecta quam ullis alterius

1. quod] quin *C.* || Ti.] *om. C.* titus *E. T. Par.* || ei *om. Torr.* || proximum *pr. A.* || 2. quod *ACEF.* || 3. esset] erat *E.* || eas *om. E.* || scribisset *pr. A.* || 4. extimarunt *F.* || 5. demens *om. pr. E.* || luci menē *C.* lucii menci *D.* l. menii *E.* || 7. pleniam *C.* petroniam *F.* Plactoriam *Torr.* || Afraniam *Torr.* || 8. inclinationem *pr. A.* || nullis altius *F.*

Ti. Longum illud testamentum ideo rescindere uoluisse enarrant, quia Tuditanus praeterito ipso proximo gentili extraneum scripsisset heredem. Verum in herede instituendo Tuditanum nihil pro nota sua insania peccasse necessario colligitur cum e causa cur probauerint eius tabulas centumuiri, considerantes magis quid in illis scriptum esset quam quis eas scripsisset, tum ex initio proximi exempli, ubi, cum inter se opponantur uita Tuditani demens et Aebuciae testamentum furoris plenum, nemo non sentit Tuditani tabulas quidem illo dementiae ac furoris crimine absolui. Non poterant haec fugere Perizonium, qui eam ob causam uel *filium* uel *Fuluium* legendum esse statuit. Erat enim Fuluius gener Tuditani. Fallitur autem uir doctissimus, quod uerba *sanguine ei proximus*, nunc etiam Paridis compendio confirmata, a librario quodam adiecta atque adeo delenda esse contendit, quippe quae speciem praeberent tamquam propter cognationis ius sibi ipsi Longus petisset Tuditani hereditatem. Et sane bona illius adipisci ne ita quidem poterat, si centumuiri testamenti factionem ob insaniam abrogassent Tuditano, quoniam rupto testamento filium in bona intestati patris succedere oportebat. Num potuerit tunc temporis stricto iure succedere Longus, si filius emancipatione aut capitis deminutione familiam uel statum mutauerit, iuris ciuilis periti diiudicent; secundum edictum praetorium profecto non potuit, quia ex eo liberi legitimo iure defecti secundo gradu, i. e. ante gentiles, liberi, qui in adoptiua familia erant, proximitatis nomine tertio gradu uocabantur. Cf. Gai. inst. comm. III, 25, 31. Instit. III, tit. 5, §§. 2 et 3. Atqui ea, quae Perizonius istis uerbis significari opinabatur, Ti. Longum ipsum in bona Tuditani tamquam sanguine proximum succedere uoluisse, equidem non uideo inesse, aliamque quaerendam credo causam cur ille suo commodo consulens subuertere uoluerit tabulas. Sanguine autem proximus et tutor naturalis erat heredis et ipse post mortem eius proximus heres. Itaque si, ut exemplum ponam, pupillari substitutione Tuditanus alium secundo loco heredem scripserat, uel si multis legatariis institutis hereditatem ipsam imminuerat, magnopere Longi interesse debebat ut rupto testamento legitima successio restitueretur. Et similia multa poterant incidere, quae commouerent sanguine proximum ad impugnandas tabulas. Alia quaestio e discrepantia inter integros Valerii codices et inter Vaticanum Paridis exemplum oritur, utrum filium Tuditanus testamento reliquerit heredem an filiam. Atque equidem fere adducor ut praeferendam esse credam Paridis scripturam, explicandam de filia Tuditani Sempronia, quam constat uxorem fuisse M. Fuluii Bambalionis matremque notae illius Fuluiae, quae prius Clodio, deinde Antonio nupserat (Cic. in Anton. III, 6, 16. Ascon. in Mil. p. 41 Orell.), cum interim filium Tuditanus ne habuisse quidem uideatur. Sed in re incerta a codicum nostrorum testimonio discedere nolui.

2. † *Pletoniam et Afroniam)* Haec filiarum nomina sane corrupta esse

iniuriis aut officiis conmota, Pletoniam tantummodo heredem instituit. Filiis etiam Afroniae ex admodum amplo patrimonio $\overline{XX}$ nummum legauit. Afronia tamen cum sorore sacramento contendere noluit testamentumque matris patientia honorare quam iudicio conuellere satius esse duxit, eo se ipsa indigniorem iniuria ostendens quo eam aequiore animo sustinebat.

1. aut officiis *om. F.* || mota *E.* || Plaetoriam *Torr.* || tanto modo *F.* || 2. etiam] autem *CTorr.* || Afraniae *Torr.* || ex] *add.* suo *Torr.* || matrimonio *F.* || 3. $\overline{XX}$] uiginti *ACEFTorr.* XX^{m} *D.* || Afrania *Torr.* || 4. honerare *pr. A.* onerare *C.* || 5. ipso *A.* ipsam *F et corr. E.* || 6. ostenderis *F.*

uidentur; neque enim Pletonia aut Afronia gens umquam innotuit. Quorum alterum nescio an recte emendauerit Pighius, cum ederet *Plaetoriam*, non adeo deflexis litteris, quae traduntur, ut quod propius accedat facile inueniatur. Pro altero probabilius fortasse quam *Afraniam* substituisset *Aproniam*, cui nomini inserta aspiratio causa mendi extitisse uidetur. Sed emendatio omnis ualde anceps est, cum praesertim ne compendium quidem huius exempli in Paridis epitoma extet. Iam quod Perizonius propter Menenii Agrippae nomen, recentioribus rei publicae temporibus non inuentum, ipsam rem ad clarissimi illius Menenii Agrippae, eius qui concordiam inter plebem et patres restituit, saeculum referendam ideoque legendum censuit *L. Menenii Agrippae F.* (sc. filii) uereor ne non reputauerit quam parum quae hic commemorantur iuris ciuilis instituta conueniant cum priscae illius aetatis condicione. Miror et ipse nomen tam antiquum. Atqui clarissimorum uirorum posteris saepius a maiorum splendore eo usque descendisse, ut ne nomina quidem eorum per aliquot deinceps saecula a rerum scriptoribus commemorentur, notabili ipsius Valerii Maximi exemplo demonstrauimus. Et si illum priscis Valeriis Maximis cognatum fuisse negaueris, cui opinioni equidem non contradixerim, uide ne eodem iure idem in L. Menenio fiat.

Filiis etiam Afroniae) Nouum subiungit Valerius iniuriae genus. Nam Acbucia non solum filiam exheredauit, uerum etiam nepotibus tamquam in ludibrium filiae, eorum matris, ex admodum amplo patrimonio perquam exiguam pecuniae summam legauit. Itaque apparet recte haec prioribus per *etiam* annecti, neque necessariam esse emendationem inde a Pighio in recentiores editiones receptam *Filiis autem.*

$\overline{XX}$ nummum) Pighius, cum antea ederetur *uiginti nummum* post *uiginti* inseruerat *milia.* Quod Colerus, cum abesse animaduerteret a codice Petri Danielis, denuo expunxit, 'rectius et e more' ita subaudito millenario numero dici contendens. Obiecit Torrenius notam esse hanc ellipsin in *decies sestertium*, in quo subaudias centena milia, sed similiter ueteres dixisse *uiginti nummum* pro uiginti milibus non sibi persuaderi. Et sane exempla, quae equidem ex illo genere notaui, aut rectius iam nunc constituta e melioribus codicibus ad uulgarem dicendi normam reuocata sunt, aut ualde dubia, quia lineola, qua numeralium notis superscripta millenarius numerus significari solebat, frequenter a librariis omissa est. Cf. I, 6, 6. Gronou. ad Liu. XXXIIII, 10. Vna restat numeralium coniunctio, in qua *milia* saepius omissum esse post diligentissimam et accuratissimam Rothii disputationem supra laudatam, in Jahn. ann. 1846 suppl. XII, p. 356, negari iam non poterit, si nummorum denotatio adiectiue et neutraliter substantiue *milia* adicitur, ut in his *uiginti sestertia, denaria* pro *nummum uiginti milia sestertia, denaria*, in quibus ipsa illa neutrius generis pluratiua forma satis aperte declarabat *milia* intellegi. Cf. quae exempla congessit copiosissima Rothius l. c. p. 362 et 364. Quod cum hoc loco non inciderit, necessario lineolam millenarium numerum significantem a librariis male omissam esse dicemus, quam equidem restitui.

3. Minus mirandum errorem muliebrem Q. Metellus fecit. Is namque plurimis et celeberrimis eiusdem nominis uiris in urbe nostra uigentibus, Claudiorum etiam familia, quam artissimo sanguinis uinculo contingebat, florente, Carrinatem solum heredem reliquit, nec hac re testamentum eius quisquam adtemptauit.
4. Item Pompeius Reginus, uir transalpinae regionis, cum testamento fratris praeteritus esset et ad coarguendam iniquitatem eius binas tabulas testamentorum suorum in comitio incisas habita utriusque ordinis maxima frequentia recitasset, in quibus magna ex parte heres frater erat scriptus praelegabaturque ei centies et quinquagies sestertium, multum ac diu inter adsentientes indignationi suae amicos questus, quod ad hastae iudicium adtinuit, cineres fratris quietos esse passus est. Et erant ab eo instituti heredes neque sanguine Regino pares neque proximi,

1. muliebrem] *add.* quam illum quem *D.* || 3. cladiorum *pr. A.* || 4. currinatem *AC.* curinatem *D.* curcinatem *EF. Vt nos Par.* || 5. hac re] hoc e *corr. A.* hoc *CEF.* hocce *Torr. Vid. ad VI*, 5, 1. || testamentum] *post* eius *Torr.* testamento *F.* || 6. pomponius *E.* || Reginus] *in rasura A.* begnis (?) *pr. A.* reginius *D.* Rheginus *Torr. Vt nos etiam Par.* || transalprem *F.* || 7. ease *F.* || quo arguendam *pr. A.* coragunendam *F.* || 9. magna] maxima *F.* || 10. frater] *add.* eius *F.* || praelegebaturque *(A)CD.* praelebaturque *F.* || 11. et] ac *F.* || quinquagesies *E.* || sex tertium *pr. A.* sextercium *E.* || absentientes *F.* || 12. quaestus *A.* quastus *C.* questusque *F.* || quod *om. F.* || ad] ab *C.* || 14. instituti ab eo *E.* || nec sanguine *F.* || Regino] pagino *A.* pagono *C.* pagano *EF.* patrio *D Torr.*

3. *Q. Metellus)* Recte Pighius, Perizonius, Drumannus haec interpretati sunt de Q. Metello Nepote, consule a. u. c. 697, filio Q. Metelli Nepotis consulis a. 656, cuius soror nupserat Appio Claudio (cons. 675), nepote Ballearici, pronepote Macedonici. Cf. Drum. II, p. 16, 23, 29. Nec improbabiliter Drumannus (p. 35) suspicatur heredem eius C. Carrinatem fuisse, consulem suffectum a. u. c. 711.

4. *Pompeius Reginus, uir transalpinae regionis)* Colerus illum T. Pompeium hoc loco describi censuit, quem in Gallia transalpina permagnum saeptum uenationis habuisse refert Varro de re rust. III, 12, 2.

sanguine Regino pares) Nescio quid adeo torserint haec uerba editores, cum haud dubie in mendo arcbetypi codicis *pagino* lateat Regini nomen, sed superstitis illius, a quo incipit hoc exemplum, non defuncti fratris, qui testamento praeteritum fratrem eo grauiore contumelia affecit quo licentius neque sanguine illi pares, i. e. qui eundem agnationis gradum obtinerent, uel ut uno uerbo utar, consanguineos (Gai. inst. III, 10. Iust. inst. III, 2, 1), neque proximos ab his, i. e. proximos agnatos, aut, si nemo praeterea agnatus fuerit, gentiles heredes instituit, sed alienos prorsus eosque humiles. Librarius igitur antiqui cuiusdam codicis, cum celerius scriberet, proximo uocabulo in hunc errorem inductus esse uidetur, ut praecedens nomen perperam iisdem quibus illud litteris inciperet. Quod nos reuocauimus ediderat iam Aldus placuitque idem Colero. Reliqui grammatici Pighium secuti audacter posuerunt *sanguine patrio pares*, probabilius aliquanto Vorstius *sanguine pa*trio Rh*egino pares*. Sed *patrio* omnino molestum est, cum sufficiat in hereditatis gradibus significandis sanguine pares denotari. Prae ceteris miror Perizonium, Copesiani codicis

sed alieni et humiles, ut non solum flagitiosum silentium, sed etiam praelatio contumeliosa uideri posset.

Aeque felicis impunitatis, sed nescio an taetrioris haec de- 5.
licti testamenta.

QVAE ADVERSVS OPINIONES HOMINVM HEREDES HABVERVNT.

Q. Caecilius, L. Luculli promptissimo studio maximaque liberalitate et honestum dignitatis gradum et amplissimum patrimonium consecutus, cum prae se semper tulisset unum illum sibi esse heredem, moriens etiam anulos ei suos tradidisset, Pomponium Atticum testamento adoptauit omniumque bonorum heredem reliquit. Sed fallacis et insidiosi cadauer populus Romanus ceruicibus reste circumdatum per uiam traxit. Itaque nefarius homo filium quidem et heredem habuit quem uoluit, funus autem et exequias quales meruit.

Neque aliis dignus fuit T. Marius Vrbinas, qui ab infimo 6.

1. sed] *add.* et *Torr.* || 3. felices *pr. A.* || an taetrioris] anterioris *F.* || haec] huius *DF.* || 5. QVAE — HABVERVNT] *om. Par. Torr.* Qui aduersus opinionem heredes fuerunt *D.* Qui aduersus opiniones hominum heredes fuerunt *F.* De his qui heredes fuerunt contra opiniones testatorum *E.* || 7. Q. Caecilius] Quecilius *C.* || 9. illum *om. F.* || 10. ei *om. F.* || 11. pompeium *DF et pr. A.* pompenium *C.* || acticum *D.* antiquum *F.* || 12. heredem] *om. pr. A. post* reliquit *Torr.* || populi romani *E.* || 13. recte *ACDF.* reti *Par.* || trahit *pr. A.* || 14. homo nefarius *F.* || 15. funus *om. F.* || autem *om. EF.* || et] ut *F.* || quales] quas *E.* || 15. C. Marius *EPar.* temarius *F.* || urinas *CDEF et pr. A.* uirinas *Par. et corr. A.*

scripturam *sanguine pagano pares* probantem et explicantem 'eum, qui neque ipse Romae erat claro et alio sanguine ortus, adeoque Romae humilis, et plebeius, plane tamen pagano sanguine humiliores se ipso, sed pessime instituisse', quae equidem uix intellego. Sed ipse statim adiecit uir doctissimus optime fortasse deleri uocem tam diuersimode scriptam.

5. *QVAE ADVERSVS OPINIONES)* Inscriptionem noui capitis, quam habent hoc loco omnes nostri codices et Iulius Paris, is quidem non in ipso opere sed in capitum indiculo epitomae praemisso, licet non a Valerio posita sit, male tamen eiecit Pighius, quoniam eadem prorsus auctoritate nititur et ab eodem homine profecta est atque ceteri capitum tituli, de quorum ratione ac natura disserui in praef. p. 92.

Q. Caecilius) Auunculus T. Pomponii Attici. Cf. Corn. Nep. Att. 5. Cic. ad Att. III, 20. Parum accurate autem Valerius Atticum omnium bonorum heredem a Q. Caecilio relictum esse tradidit, cum ille ex dodrante dumtaxat eum instituerit, teste Cornelio Nepote.

6. *T. Marius Vrbinas)* De ipsa re cum aliunde nihil constet, temerarium est de emendando Marii nomine cogitare, quod non solum Valerianorum librorum conspirante testimonio uerum etiam Paridis auctoritate confirmatur. Eorum autem sententiam, qui eundem L. Tarium hoc loco a Valerio insigniri opinabantur, quem Plinius XVIII h. n. 6 commemorauit, recte refutauit Torrenius,

militiae loco beneficiis diui Augusti imperatoris ad summos castrenses honores perductus eorumque uberrimis quaestibus locuples factus, non solum ceteris uitae temporibus ei se fortunas suas relinquere, a quo acceperat, praedicauit, sed etiam pridie quam expiraret idem istud ipsi Augusto dixit, cum interim ne nomen quidem eius tabulis testamenti adiecit.

7. Lucius autem Valerius, cui cognomen Heptachordo fuit, togatum hostem Cornelium Balbum expertus, utpote op*era* eius et consilio conpluribus priuatis litibus uexatus ad ultimumque subiecto accusatore capitali crimine accusatus, praeteritis aduocatis et patronis suis, solum heredem reliquit. Nimirum consternatio, quae animum eius transuersum egit, * * *. Amauit enim sordes suas et dilexit pericula et damnationem uotis expetiuit, auctorem harum rerum beniuolentia, propulsatorem odio insecutus.

---

1. benefitio *F.* || 2. perductos *pr. A.* || quaestionibus *D et pr. A.* || 3. ceteris] extremis *E.* || 5. pridiae *pr. A.* || 6. adiecerit *FTorr. Vid. ad II*, 9, 1. || 7. Lucius autem] Quantum *F.* || heptacordo *ACDF.* heptacoreo *E. Vt nos Par.* || 8. Balbum] bellum *C et pr. A.* bello *E. Vt nos Par.*|opc *ACD.* opere *EF.*|9. uexatus litibus *Torr.* || ultimumque] que *om. F.* || 10. accusatore subiecto *F.* || 11. patroniis *C et pr. A.* || reliquit] instituit *E.* || nimia *Torr.* || consternatione *D et corr. A. Torr.* || 12. quae] *om. E.* deprauatus quae *D.* || egit] *add.* deprauatus *D.* || 13. expeciit *E.* || 14. propulsatorum *pr. A.* propulsatores *Torr.* || 15. insecutis *C.*

---

cum Tarius praeterea quod nec nomen nec praenomen congruit, ad consulatum etiam prouectus esse et circiter millies sestertium, liberalitate Augusti congestum usque ad detrectationem herodis exhausisse dicatur, quae a Valerii narratiuncula plane abhorrent. Alius etiam ille Tarius esse uidetur apud Senecam de clem. I, 15, qui de filio deprehenso in parricidio cogniturus Caesarem Augustum in consilium aduocauit. Quo facto Augustus, cum sententiam suam scripsisset, priusquam aperirentur codicilli iurauit se Tarii, hominis locupletis, hereditatem non aditurum. Atqui haec quoque liquet non posse accipi de eodem homine, quem Valerius obiurgat, quod Augustum non instituisset heredem, cum tamen pridie quam moreretur id facturum se simulasset. Anne hunc, si pronam in id uoluntatem significasset, ipse Augustus ab errore reuocaturus fuisset, iuris iurandi illius recordatus? Itaque ignotum nobis esse T. Marium Vrbinatem libere professi, librorum scripturam in nomine intactam retineamus. Nam patriae denotationem sine ullo dubio recte restituit Pighius, cum in Paridis epitome *(uirinas)* et in Valeriani codicibus *(urinas)* ab eadem scriptura eius nominis *VRVINAS* (Grut. inscr. p. 463, 4 et p. 485, 8) aberratum esse appareat.

7. *Cornelium Balbum)* Torrenius Gaditanum illum intellegi putat Caesaris amicum, consulem suffectum a. u. c. 714, quod mihi quoque ita uidetur.

*Nimirum consternatio, quae animum eius transuersum egit, * * *)* Manifestum est plura in archetypo codice excidisse quam quae simplici diuinatione cum aliqua probabilitate possint suppleri, quoniam ne sententia quidem a Valerio pronuntiata satis certa est. Pessime sane Pighius pro arbitrio suo immutatis et suppletis uerbis mancam orationem ita reconcinnauit, *nimia consternatione, quae animum eius transuersum egit, deprauatus*, eaque in quinque ueteribus codicibus inuenisse se contendit, paene dixerim mentitur. Paulo post singularem

T. Barrulus Lentulo Spintheri, cuius amantissimum animum 8.
liberalissimamque amicitiam senserat, decedens anulos suos perinde atque unico heredi tradidit, quem nulla ex parte heredem relinquebat. Quantum illo momento temporis conscientia, si modo uires quas habere creditur possidet, a taeterrimo homine supplicium exegit! Inter ipsam enim fallacis et ingratae culpae cogitationem spiritum posuit, quasi tortore aliquo mentem eius intus cruciante, quod animaduertebat e uita ad mortem transitum suum et superis diis inuisum esse et inferis detestabilem futurum. Marcus uero Popilius senatorî ordinis Oppium Gallum, ab 9.
ineunte aetate familiarissimum sibi, moriens pro uetusto iure amicitiae et uultu benigno respexit et uerbis magnum prae se amorem ferentibus prosecutus est. Vnum etiam de multis qui adsidebant ultimo conplexu et osculo dignum iudicauit superque anulos quoque suos ei tradidit, uidelicet ne quid ex ea hereditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos ocius uir diligens, sed morientis amici plenum contumeliae ludibrium, in locellum repositos et a praesentibus adsignatos diligentissime heredibus illius exheres ipse reddidit. Quid hoc loco inhonestius aut quid intempestiuius? Senator populi Romani curia egressus, homo uitae

1. T. Barrus *Par.* Carrubulus *C.* t. barilus *F.* || lentulus *C et pr. AE.* || pintheri *pr. A.* spintreri *C.* || 2. suos annulos *Torr.* || 4. conscia *C.* || 7. mente *F.* || 9. suum — inferis] *in rasura A.* || et superis] et *om. F.* || diis *om. D et rasura A.* || esset et *C.* || feris *pr. E.* || 10. pilius *C et pr. A.* pillius *E.* pulius *F. Vt nos etiam Par.* || Oppium] Orium *Par.* || gallem *D.* || 11. pio *D.* || 13. feruentibus *pr. A.* || 14. superq. *A.* super hoc *C.* super q̃ *E*, *i. e.* super quae, *quemadmodum coniecit Perizonius.* insuperque *Torr. Cf. Suet. Vesp.* 24. || 17. ludibrici contumeliae *F.* || lucello *F.* || 20. curia — (*p.* 594, 3.) desumpsit] *in rasura A.* || egressus] *add.* est *F.* || uitae] *add.* hoc *F.*

numerum reposui *propulsatorem*, intellegendum de genere, Pighius et qui eum sequuntur recentiores grammatici pluratiuo *propulsatores* ediderant.

8. *T. Barrulus Lentulo Spintheri)* Iulius Paris eum T. Barrum appellat. Nescio an recte; fortasse enim idem est T. Betutius Barrus Asculanus, quem eloquentissimum extra urbem laudat Cic. in Brut. 46, 169, cum interim Barruli cognomen alias nondum inuentum sit. Lentulus ille est, quem Valerius IX, 14, 4 cognomen Spinther ab actore, cui simillimus erat, accepisse tradidit, cons. a. u. c. 697.

9. *Quid hoc loco inhonestius*) Non mihi persuasit Lipsius coniecturam, legendum esse *hoc ioco*, uocem intrudens languidam et in tanta, quanta intenditur, Popilii criminatione plane incongruam. Poterat auctor scurrilem lusum appellare eius factum, iocum non poterat. Assentior igitur Perizonio, qui librorum scripturam, ni fallor, defensurus ascripsit simile exemplum VIII, 2, 4, *Quid aliud hoc loci quam uerecundiam eius saeculi laudemus?* ubi eadem prorsus uis est uerborum *hoc loci*, nisi quod hic Valerius mira cum breuitate omisso

fructibus continuo carituras sanctissima iura familiaritatis morte pressis oculis et spiritu supremos anhelitus reddente scurrili lusu suggillanda sibi desumpsit.

---

2. supremo *CE et ante* spiritu *F.* || anhelitos *in rasura pr. A.* hanelitus *CEF.* || reddens *CEF.* || 3. sugilanda *(A.)*

---

etiam uerbo hanc sententiam reddidit, 'Quid aliud hoc loco (i. e. *in hac occasione*, Kapp.) inhonestius factum referri aut cogitari potest'?

spiritu supremos anhelitus reddente) Cum deficiamur hoc loco codicis abbreuiati Guelferbytani testimonio neque Bernensis libri primaria scriptura satis constet, quid archetypus exhibuerit dinosci nequit. Sed codices tantum non omnes consentiunt in uu. *spiritu* et *anhelitus*, adeo ut audacissima sit Perizonii mutatio *spiritum supremo anhelitu reddens*, quam temptauit, quod crederet spiritum non reddere anhelitum, sed ipsum morientem anhelitu deponere spiritum. Atqui spiritus ab auctore ipse moriens fingitur et ita tamquam supremos reddere anhelitus cogitatur, quae translatio a Valeriana dictione certe minime abhorret.

VALERI MAXIMI

FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM

LIBER OCTAVVS.

INFAMES REI QVIBVS DE CAVSIS ABSOLVTI AVT DAMNATI SINT.

Nunc, quo aequiore animo ancipites iudiciorum motus tolerentur, recordemur inuidia laborantes quibus de causis aut absoluti sint aut damnati. 1.

M. Horatius, interfectae sororis crimine a Tullo rege dam- *ABSOL.*
natus, ad populum prouocato iudicio absolutus est. Quorum 1.

1. VALERI MAXIMI LIB. VII EXPLI. INCIPIT LIBER VIII *A.* Valerii maximi explicit lib. VII incipit lib. VIII *CEF.* Valerii maximi factorum ac dictorum lib. VII explicit incipit VIII *D. om. Γ.* VALERII MAXIMI FACTORVM DICTORVMQVE MEMORABILIVM LIBER OCTAVVS *Torr.* || 4. INFAMES — (5.) SINT] De causis quibus infames rei publice damnati uel absoluti sunt *E.* DE IVDICIIS PVBLICIS *Par.* DE IVDICIIS PVBLICIS INSIGNIBVS *Torr.* || AVT] uel *F.* || 5. SINT] sunt *CDFΓ.* || 6. quo] quoque *pr. A.* quoque ut *CDEF et corr. A, Torr.* || aequiore] equidem *F.* || 7. quibus de] * * quibus de *A.* pro quibus *(omisso* de*)* *DΓ.* || sunt *CDFΓTorr.* || 9. a tull*o *A.* a tullio *CDΓ Torr.* attulo *F.*

1. *Nunc, quo aequiore animo)* Quae in plerisque codicibus et in omnibus editionibus circumferuntur, *Nunc quoque ut aequiore animo*, inauditum solocecismum habere grammatici ne sensisse quidem videntur; ferri certe neutiquam possunt, cum aliud tempus non praecesserit, ad quod respiciens auctor nunc quoque aequiore animo ancipites iudiciorum motus tolerandos esse dixerit. Sed aberat omnino *ut* ab archetypo codice. Itaque nulla dubitatio est quin recte scripturae mendum sustulerit abbreuiator Guelferbytanus deleto *que* in u. *quoque*, quod cur additum sit non est difficile conicere.

1. Cf. Liu. I, 26. Dion. Hal. III, 22. Flor. I, 3, 5. Auct. de uir. ill. 4.

a Tullo rege damnatus) A duumuiris, non a Tullo rege Horatium damnatum esse narrat Liuius l. c.

prouocato iudicio) Insolenter ipsum iudicium dici prouocari ad populum recte animaduertit Perizonius. Iussit igitur *iudicio*, quod in codice suo non

alterum atrocitas necis mouit, alterum causa flexit, quia inmaturum uirginis amorem seuere magis quam impie punitum existimabat. Itaque forti punitione liberata fratris dextera tantum consanguineo quantum hostili cruore gloriae haurire potuit.

2. Acrem se tunc pudicitiae custodem populus Romanus, postea plus iusto placidum iudicem praestitit. Cum a Libone tribuno plebis Ser. Galba pro rostris uehementer increpraretur, quod Lusitanorum magnam manum interposita fide praetor in Hispania interemisset actionique tribuniciae M. Cato ultimae senectutis oratione sua, quam in Origines retulit, subscriberet, reus pro se iam nihil recusans, paruulos liberos suos et Galli sanguine sibi coniunctum filium flens commendare coepit, eoque facto mitigata contione, qui omnium consensu petiturus erat paene nullum triste suffragium habuit. Misericordia ergo illam quaestionem, non aequitas rexit, quoniam, quae innocentiae tribui nequierat, absolutio respectui puerorum data est.

2. positum *F.* || 3. forte *F.* || 4. quam *F.* || gloria auriri *F.* || 5. Acrem — (6.) praestitit *om. Γ.* || populus Romanus] pater eius *E.* || 6. a p. libone *E.* || 7. Ser.] scriniis *F.* Sergius *Par.* || 8. hispaniam *CDE et pr. AΓ.* || 9. tribunitiae *(A.)* || 10. origine *ACDEFΓ.* || re&ulit *pr. A.* || 11. liberos] filios *F.* || et *om. D.* || galbi *D.* || 13. conseni *F.* || 14. misericordia * *A.* || 15. texit *E.* || nequiuerat *F.* || 16. respectu *F.*

inuenerat, deleri. Sed Valerius saepius passiuam uerbi notionem ita adhibuit, ut ipsam rem id pati fingeret, quod in ea re factum erat. Itaque, cum in eo iudicio prouocatum esset ad populum, ipsum iudicium prouocatum esse scribit. Eodem prorsus modo §. 13 huius capitis Cottae causam, septies ampliatam, octauo iudicio absolutam dicit. Est igitur in his neglegens quaedam breuitas, similis illius, quam notaui V, 8, 4, ubi patrem degeneratum uocat, a quo filius degenerauit ot V, 10, 3, ubi cessatum officium est in quo cessatur. Atque in his quidem molestius etiam illa licentia sentitur, quod ab degenerandi et cessandi uerbis transitiua notio omnino aliena est, quae hanc locutionem in prouocando aliquo modo defendit. Ceterum librorum scripturam, quam retinui, nunc Paridis quoque compendium confirmat. A simili prauitate illa quoque manarunt, quae paulo post leguntur, *Itaque forti punitione liberata fratris dextera tantum consanguineo quantum hostili cruore gloriae haurire potuit.* Quae aut non intellego aut significant fratris dexteram, i. e. ipsum Horatium liberatum esse culpa, quam sibi contraxerat sorore fortiter punita. Nimis enim concise atque improprie ipsam fortem punitionem posuit pro crimine, quo propter illam implicabatur. Neque tamen ideo deserendam censuerim librorum scripturam cum Lipsio, qui legi maluit *forti punitione librata fratris dextera.* Quid enim quod eadem ista uitiosa breuitate uel ipsum crimen liberari pronuntiauit, ubi exprimendum erat reum crimine liberari, idque eo insolentius, quia actiua sententiae figura utitur? Dico de illis, quae in huius capitis exemplo duodecimo leguntur, *crimen libidinis confessio intemperantiae liberauit.* Poterat enim aeque bene ac debebat scribere *sed crimine libidinis eum confessio intemperantiae liberauit.* Talibus aures assuefaciamus oportet in hoc opere.

2. Cf. Cic. Brut. 23, 89. id. de or. I, 53, 227 et pro Mur. 28, 59, coll. cum Liu. XXXIX, 40, 12. A. Gell. I, 12, 17. Val. IX, 6, 2.

Consentaneum quod sequitur. A Gabinius in maximo in- 3.
famiae suae ardore suffragiis populi C. Memmio accusatore subiectus abruptae esse spei uidebatur, quoniam et accusatio partes suas plene exhibebat et defensionis praesidia inualida fide nitebantur et qui iudicabant ira praecipiti poenam hominis cupide expetebant. Igitur uiator et carcer ante oculos obuersabantur, cum interim omnia ista propitiae fortunae interuentu dispulsa sunt. Filius namque Gabinii Sisenna consternationis inpulsu ad pedes se Memmii supplex prostrauit, inde aliquod fomentum procellae petens, unde totus impetus tempestatis eruperat. Quem truci uultu a se uictor insolens repulsum excusso e manu anulo humi iacere aliquandiu passus est. Quod spectaculum fecit ut Laelius tribunus plebis adprobantibus cunctis Gabinium dimitti iuberet ac documentum daretur neque secundarum rerum pro- uentu insolenter abuti neque aduersis propere debilitari oportere. Idque proximo exemplo aeque patet.

1. infimiae *pr. A.* || 2. C. Memmio] *Praenomen om. CDEFΓ.* mẽnio *C.* mẽio *F.* a C. Memmio *Par.* || 4. exhibeat *F.* || 5. pcipiti *pr. A.* pertiti *C.* perciti *E.* pericti *F.* || hominis] his *F.* || cupide * *A.* || 6. expectabant *CEF.* || uiator] lictor *DFTorr.* uictor *Γ.* || carcer] cairus *F.* || 7. depulsa *EF.* || 8. fuluius *F.* || sisennam *E.* || constrinationis *F.* || 9. memnii *CDΓ.* || suplex *A.* || fomentum aliquod *F.* || 10. tocius *DΓ.* || quam *F.* || 11. truci] *post* uultu *E. add.* diu *corr. D.* || expulsum *E.* || e manu] emauit *F.* || 12. est *om. F.* || 13. lelius *A.* lellius *E.* || gabinum *E.* || 14. neque] ne *F.* || 15. propere] *in rasura A.* perpropere *D.* proprie *Γ. add.* quemquam *ETorr.* || debilitari — (16.) patet *om. pr. A., sed supplentur in calce paginae.*

3. *A. Gabinius)* Cf. de hoc iudicio Cic. ad Att. IIII, 16, 11. ad Quint. fratr. III, 3, 3.

ira praecipiti) Ex archetypi codicis mendo *percipiti*, propagato in librum Bernensem, alterius familiae altera pars non male eruit *perciti*, altera mutatis dumtaxat compendiis (p̃ et p) probabilius aliquanto *praecipiti*, quo uerbo saepius eodem significatu usus est Valerius. Cf. I, 6, 7, *praecipitem audaciam.* IX, 3, ext. 4 *celeritati praecipiti.*

neque aduersis propere debilitari oportere) Desiderabant grammatici hoc loco indefiniti subiecti denotationem quandam, qualem adiecerat Pighius, cum post *propere* inscreret *quemquam.* Quod cur a librario omissum sit uel exciderit in codice archetypo dicere non habebis, neque sane probabile est tale supplementum. De priore infinitiuo *abuti* absolute posito dubitari non potest propter actiuam abutendi notionem, cum uerbo *oportet* saepissime in generali sententia et indefinito subiecto simplex infinitiuus actiuorum uerborum subiciatur. Cf. Madu. gramm. 398, a. not. 2, p. 358. Passiuorum sane equidem praeter hoc unum aliud exemplum, ubi in generali sententia indefinita persona sententiae subicienda sit, neque habeo neque inuentum iri credo, quoniam facillime in hac constructione accusatiuus subiecti infinitiuo addebatur. Causam uero, cur omnino ita non significato subiecto patiendi uerba infinite adhiberi non potuerint, idoneam equidem perspicio nullam. Atque in hac quidem generali sententia simplex infinitiuus *debilitari* eo minorem offensionem habet, quod praecedit actiui abutendi infinitiuus, cui alter ille ex aequo ponendus erat,

4. Appius Claudius, nescio religionis maior an patriae iniuria, siquidem illius uetustissimum morem neglexit, huius pulcherrimam classem amisit, infesto populo obiectus, cum effugere debitam poenam nullo modo posse crederetur, subito coorti imbris beneficio tutus fuit a damnatione. Discussa enim quaestione aliam uelut dis interpellantibus de integro instaurari non placuit. Ita cui maritima tempestas causae dictionem contraxerat, caelestis salutem attulit.

5. Eodem auxilii genere Tucciae uirginis Vestalis, incesti criminis reae, castitas infamiae nube obscurata emersit. Quae conscientia certae sinceritatis suae spem salutis ancipiti argumento ausa petere est. Arrepto enim cribro 'Vesta', inquit, 'si

1. apropius claudius *C.* P. Claudius *Torr.* || maior religionis *F.* || 2. neglexit morem *EΓ.* || 3. cum] est *F.* || posse *om. F.* || 4. cohorti *Γ.* || 5. quaestione] *litt.* stione *in rasura A.* || alias *corr. A.* || 6. uelud *pr. A.* || 9. tuctie *D.* tutie *F.* tusciae *Γ.* || inceste *F.* || 11. coNscia *in rasura A.* conscia *EF.* || certa *coniecit Perizonius. Cf. praef. p.* 37. || accipiti *pr. A.* || 12. petere ausa *FΓ. Vid. ad III*, 3, 1. || cibro *pr. A.*

Quare non ausim cum recentioribus grammaticis quicquam interpolare. Valerium etiam apud debendi uerbum insolentius simplici actiuorum infinitiuo usum esse non denotato subiecto demonstraui VII, 2, 2 *(negabat aliter cum hoste confligere debere)*. Non minus communi dicendi consuetudini repugnat simplex actiui infinitiuus apud uerbum *oportere* non significato generali subiecto, si ex illo infinitiuo obiecti accusatiuus pendet, quo facto item accusatiuum cum infinitiuo passiui uerbi adhibere solebant ueteres. Composuit tamen Valerius VII, 2, ext. 7 *non oportere in urbe nutrire leonem*, ubi editores inuitis libris perperam *nutriri* scripserant.

4. *Appius Claudius)* Publium Claudium, Appii filium pullorum auspicia contempsisse, non Appium res notissima est. Sed cum Appii praenomen et codicum nostrorum omnium et Iulii Paridis testimonio fulciatur, nescio an ipse Valerius in hac appellatione eodem modo errauerit atque Florus II, 2, 29, ubi codices omnes item Appium Claudium tradunt. In deperdita huius operis parte I, 4, 3, si Paridem et Nepotianum epitomatores audimus, recte Publium Claudium posuerat Valerius. Atqui ipse Paris VIII, 1, damn. 4. Claudiam Appii sororem uocat, quam debebat Publii dicere sororem aut Appii filiam. Grauiorem in ipsa re discrepantiam obiter attigit Torrenius, siquidem Cicero de nat. deor. II, 3, 8 et de diu. II, 33, 71 Claudium, quod auctor cladis extitisset, populi iudicio condemnatum esse, Polybius I, 52 multam ei dictam esse narrant. Valerius num in deperdita libri primi particula de damnatione Claudii retulerit pro certo non constat, quamuis id factum esse colligere possis e Nepotiani compendio. Res nunc expedita est scholiis Bobiensibus in Cic. Clod. et Cur. a Maio editis in auct. class. e codd. Vat. II p. 209, apud Orell. p. 337, unde liquet die dicta Claudio perduellionis, cum comitia eius rei fierent, tempestatem turbidam coortam atque ita discussam esse quaestionem; postea tribunos plebis intercessisse ne iidem homines in eodem magistratu perduellionis bis eundem accusarent. Itaque actione mutata, iisdem accusantibus, multam irrogatam Claudiumque a populo damnatum esse aeris grauis CXX milibus. Centum enim et uiginti Romanorum naues Claudii temeritate perierant.

5. Cf. Dion. Hal. II, 69. Plin. h. n. XXVIII, 2, 3. Aug. de ciu. dei X, 16. Tert. apolog. 22.

sacris tuis castas semper admoui manus, effice ut hoc hauriam e Tiberi aquam et in aedem tuam perferam'. Audaciter et temere iactis uotis sacerdotis rerum ipsa natura cessit.

Item L. Piso a L. Claudio Pulchro accusatus, quod graues 6. et intolerabiles iniurias sociis intulisset, haud dubiae ruinae metum fortuito auxilio uitauit. Namque per id ipsum tempus, quo tristes de eo sententiae ferebantur, repentina uis nimbi incidit, cumque prostratus humi pedes iudicum oscularetur, os suum caeno repleuit. Quod conspectum totam quaestionem a seueritate ad clementiam et mansuetudinem transtulit, quia satis iam graues eum poenas sociis dedisse arbitrati sunt, huc deductum necessitatis ut abicere se tam suppliciter aut attollere tam deformiter cogeretur.

Subnectam duos accusatorum suorum culpa absolutos. Q. 7. Flauius a C. Valerio aedili apud populum reus actus, cum quat-

1. sacrificiis *DΓ*. || tuis *om. Γ et pr. D.* || amaui *F.* || hoc] hanc *ACEFΓ*. hoc cribro *D.* || auriam *pr. A.* || 2. eodem *F.* || audacter *DFΓ*. || 4. Item *om. Γ.* || a P. Claudio *Torr.* || 5. sociis iniurias *E.* || aut *F.* || 6. nam *pr. D.* || 7. tristes deo *A.* de ipso tristes *F.* || cecidit *F.* || 8. humi prostratus *F.* || iudicium *C.* || osculatur *F.* || 9. quo aspectu *F.* || quaestionem] concionem *E.* || a seueritate] *ante* quaestionem *D.* ad seueritatem *pr. A.* || 11. eum] *erasum Γ.* || sociis] *add.* eum *Γ.* || dedisset *F.* || deductus *corr. E.* adductum *F.* || 12. aut] et *F.* || 14. Subnectam — absolutos *om. Γ.* || Q. Flauius] *Praenomen om. Γ. add.* Augur *Torr.* || 15. a C.] *in rasura A.* || aedile *A.* editi *D.* || apud] ad *(E)Torr.*

ut hoc hauriam) Mendum archetypi codicis *ut hanc hauriam*, illatum a uetere quodam librario, qui non intellexit pronomine demonstratiuo cribrum denotari inter precationem manibus porrectum ideoque coniunxit *hanc aquam*, iam recentiorum codicum librarii sustulerunt. Necessariam omnino esse illam cribri significationem nemo est quin sentiat. Ipsa precationis sollemnia uerba sua etiamtum aetate extitisse testatur Plin. l. c.

6. *L. Piso a L. Claudio Pulchro)* De L. Pisone Caesonino, C. Iulii Caesaris socero, cf. Drumann. gesch. Roms II, p. 63 et seqq. Claudium illum, quem Paris solo cognomine Pulchrum appellat, notissimum illum P. Claudium uel Clodium (cf. Drum. II, p. 200.), Ciceronis inimicum fuisse demonstrauit Pighius in ann. a. 694. Perhibetur autem gens Claudia omnino repudiasse Lucii praenomen, postquam e duobus gentilibus eo praeditis alter latrocinii, caedis alter conuictus erat. Cf. Suet. Tib. 1. Sed cum codices constanter illud retineant, nihil mutandum duxi propter causam expositam in praef. p. 33.

7. *Q. Flauius)* Pighius e duobus codicibus, Pulmanniano et Susiano, quorum quodnam pretium sit saepius iam significauimus, post nomen Flauii adiecerat *Augur*, quod in Theoph. Chalcocondylae quoque editione extare testatur Vorstius. Sed omittitur non solum in omnibus meis codicibus atque Torrenianis, uerum etiam in Paridis epitome Vaticana. Ceterum Pighius et Colerus haec ad illum M. Flauium retulerunt, quem Liuius VIII, 22 tradidit populo in matris funere uisceratione dedisse, ut per speciem honorandae parentis meritam mercedem populo solueret, quod eum die dicta ab aedilibus crimine stupratae matris familiae absoluisset. Assentiuntur Pighio Liuii interpretes. Neque ego abnuerim, quamuis discrepantia sit in praenomine.

a C. Valerio aedili) aedili ex utroque codice Berolinensi reuocauit Vorstius,

tuordecim tribuum suffragiis damnatus esset, proclamauit se innocentem opprimi. Cui Valerius aeque clara uoce respondit nihil sua interesse nocensne an innoxius periret, dummodo periret. Qua uiolentia dicti reliquas tribus aduersario donauit. Abiecerat inimicum, eundem, dum pro certo pessumdatum credidit, erexit uictoriamque in ipsa uictoria perdidit.

8. Gaium etiam Cosconium Seruilia lege reum, propter plurima et euidentissima facinora sine ulla dubitatione nocentem, Valeri Valentini accusatoris eius recitatum in iudicio carmen, quo puerum praetextatum et ingenuam uirginem a se corruptam poetico ioco significauerat, erexit. Siquidem iudices iniquum rati sunt cum uictorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, sed de se dare merebatur. Magis uero Valerius in Cosconii absolutione damnatus quam Cosconius in sua causa liberatus est.

1. triduum *C.* || 2. innocente apprimi *F.* || 3. nocens to *F.* || ignoxius *C. innocuus E.* innocens *F.* || dummodo periret *om. F.* || 4. reliquias *F.* || 5. abiecerunt *C.* || 7. cocconium *pr. A.* co * conium *C.* cosonium *F.* || 8. et *om. F.* || nocentem] necessitatem *F.* || 11. erexit] *in rasura A.* correxit *CDEFΓ.* || 13. uero] ergo *FΓ et corr. A. Torr.* || 14. causa sua *Torr.*

cum Aldus, Pighius, Colerus edidissent *aedile*, quod ipse quoque praetulissem, confirmatum codice Bernensi et P. Rutilii Varronisque auctoritate (apud Charis. I. p. 69 Lind. cf. Schneid. gramm. II, 1, p. 221), nisi omnium alterius familiae librorum et Paridis consensus peculiare optimi illius codicis mendum argueret. Neque desunt exempla sexti casus in litteram *i* exeuntis. Cf. Plin. h. n. VII, 48, 158. Tac. ann. XII, 64.

8. *Valeri Valentini)* Valerium Valentem hunc poetam appellat Paris. Vitiose; codicum enim nostrorum scriptura Festi schedis comprobatur, in quibus (p. 363 Müll.) haec leguntur, *Tappulam legem conuiualem ficto nomine conscripsit iocoso carmine Valerius Valentinus, cuius m. Lucilius hoc modo*: '*Tappulam rident legem concere opimi*', in quibus scribendum uidetur *Tapullam* et *congerrae optimi*. Cf. Lucil. fragm. inc. 46 ap. Dousam. Atque fortasse ipsum hoc carmen recitatum erat in Cosconii iudicio, quem suspicor fuisse praetorem illum, qui anno 664 a. u. c. Samnitas acie uicit et Marium Egnatium, *nobilissimum* hostium ducem occidit. Cf. Liu. epit. libr. LXXV. Diod. exc. Phot. XXXVII, 1, p. 539. Legem Seruiliam cum Torrenio illam intellegi existimo, quam tulerat de repetundis C. Seruilius Glaucia a. u. c. 654.

erexit) Mendum archetypi codicis apparet ortum esse confuso compendio *c̃*, quod significat *con*, cum praepositione *e*, quae saepius a librariis permutabantur. Vide quae adnotauimus ad V, 10, 3. Neque certe audiendus est Torrenius, qui, quod uerbum praecedenti exemplo iam positum hoc loco minus commode et eleganter repeti uideretur, *protexit* legendum esse censuit. Retinui igitur quod temptatum a correctore libri Bernensis primus recepit Pighius, cum ante cum plerumque circumferretur *contexit*.

Magis uero Valerius) Reuocaui bonorum librorum scripturam *Magis uero* pro eo, quod uulgo edebatur *Magis ergo*. Sententia haec est, Cosconius, quamquam effugit damnationem, tamen proprie absolutus esse dici nequit, quia iudices magis accusatoris culpa quam rei innocentia commoti erant, ut ipsi supplicium remitterent. Quae sententia ex auctoris more cum antithesi quadam pronuntiata, qua Cosconium non tam absolutum quam Valerium damnatum contendit, recte aduersatiua particula *uero* annectitur.

Attingam eos quoque, quorum salus propriis obruta crimi- 9.
nibus proximorum claritati donata est. *M.* Atilium Calatinum, Soranorum oppidi proditione reum admodum infamem, imminentis damnationis periculo pauca uerba Q. Maximi soceri subtraxerunt, quibus adfirmauit, si in eo crimine sontem illum ipse conperisset, dirempturum se fuisse adfinitatem. Continuo enim populus paene iam exploratam sententiam suam unius iudicio concessit, indignum ratus eius testimonio non credere, cui difficillimis rei publicae temporibus bene se exercitus credidisse meminerat.

Marcus quoque Aemilius Scaurus repetundarum reus adeo 10.
perditam et conploratam defensionem in iudicium attulit, ut, cum accusator diceret lege sibi centum atque uiginti hominibus denuntiare testimonium licere seque non recusare quominus absolueretur, si totidem nominasset, quibus in prouincia nihil abstulisset, tam bona condicione uti non potuerit. Tamen propter uetustissimam nobilitatem et recentem memoriam patris absolutus est.

Sed quemadmodum splendor amplissimorum uirorum in 11.
protegendis reis plurimum ualuit, ita *in* opprimendis non sane multum potuit. Quin etiam euidenter noxiis, dum eos acrius inpugnat, profuit. P. Scipio Aemilianus Cottam apud praetorem

1. quoque eos *F.* || obruta propriis *F.* || 2. claritate *pr. A.* || domata *A.* || M. Atilium] *Praenomen om. ACF et pr. D.* A. Atilium *corr. D, Torr. Vt nos E Par.* || 4. pauca uerba] *post* soceri *Torr.* || soceri] *add.* sui *F.* || 5. ipse *om. F.* || 6. direpturum *ACD.* direcurum *F.* || se *om. CEF.* || 7. poene *A.* || 11. scatinus *C.* scurus *F.* || repetendarum *F.* || 12. in iudicium *om. Γ.* || cum *om. F.* || 13. diceret accusator *F.* || denuntiare] *add.* sibi *E.* || 15. prouinciam *E.* || 16. potuit *F.* || 20. ita in] in *om. CDF et pr. A.* || 22. in pugna *pr. A.* impugnauit *corr. A.* || 1. scipio *CDEFΓ et pr. A. Vt nos corr. A, Par.* || Cottam] *in rasura A.* coccam *C.* coctam *DF.* L. Cottam *Torr.* || apud] ad *Torr.* || praetorem] populum *ACDEFΓ.*

9. *M. Atilium Calatinum)* Praenomen huius uiri in codice archetypo omissum uarie suppleuerunt recentiores librarii. Alii enim Aulum, alii Gaium, alii Marcum cum appellant. Quod nos posuimus traditum est in Iulii Paridis epitome. Quam sequimur, cum neque ipse homo neque quae hoc loco de eo narrantur aliunde innotuerint. Fortasse Sorae oppidi proditio ea intellegitur, quod Sorani a. 545 Q. Fabio Maximo V, Q. Fuluio Flacco IIII consulibus cum aliis undecim coloniis milites pecuniamque Romanis tam obstinate negauerant, ut iam in senatu non detrectationem eam munerum militiae, sed apertam defectionem ad Hannibalem esse iactaretur. Cf. Liu. XXVII, 9 et XXIX, 15. Quod si ita esse conceditur, socerum M. Atilii ipsum hunc consulem Q. Fabium Maximum Verrucosum putabimus, in quem uirum optime sane conueniunt quae de claritate et auctoritate soceri a Valerio praedicantur.

11. Cf. Cic. pro Mur. 28, 58. id. diu. in Q. Cacc. 21, 69 et Pseudoascon. in h. l.

P. Scipio Aemilianus Cottam apud praetorem) Verum praenomen Scipioni

accusauit. Cuius causa, quamquam grauissimis criminibus erat confossa, septies ampliata et ad ultimum octauo iudicio absoluta est, quia homines * * * uerebantur ne praecipuae accusatoris amplitudini damnatio eius donata existimaretur. Quos haec secum locutos crediderim, 'Nolumus caput alterius petentem in iudicium triumphos et tropaea spoliaque ac deuictarum nauium rostra deferre. Terribilis sit is aduersus hostem, ciuis uero salutem tanto fragore gloriae subnixus ne insequatur'.

12. Tam uehementes iudices aduersus excellentissimum accusatorem quam mites in longe inferioris fortunae reo. Calidius Bononiensis in cubiculo mariti noctu deprehensus, cum ob id causam adulterii diceret, inter maximos et grauissimos infamiae fluctus emersit tamquam fragmentum naufragii, leue admodum genus defensionis amplexus. Adfirmauit enim se ob amorem pueri serui eo esse perductum. Suspectus erat locus, suspectum tempus, suspecta matris familiae persona, suspecta etiam adu-

1. causa] culpa *F.* || erat] esset *F.* || 2. ampliata] dilata *Par. et in rasura A.* || in octauo *F.* || 3. homines] *post* uerebantur *F. add.* sapientissimi *Torr.* || 4. donata] damnata *F.* || 5. locutos] *add.* esse *F.* || crediderit *pr. A.* || capud *pr. A.* || 6. iudicio *E.* || tropea *A.* || ac deuictarum] aedeuictarum *pr. A.* et deuictarum *CDEFf.* || 7. is] istis *F.* || 8. fulgore *Torr.* || submissus *F.* || 9. §. 12 *om. f.* || uehementer *pr. A.* || aduersum *F.* || 10. longe] *add.* ut *F.* || callidius *ACDEF. Vt nos Par.* || 16. suspectum matris *D.*

restituerat Glareanus, cum codices et editiones ueteres exhiberent L. Scipionem. Probat Glareani factum epitome Vaticana, non item Pighii, reo Cottae praeponentis illud Lucii praenomen, coniecturam confirmat, quamquam is erat L. Aurelius Cotta (cons. a. 610), quem accusauerat P. Scipio. Cf. Tac. ann. III. 66. Nam cum Paridis compendium ita incipiat, *Cotta a P. Scipione Aemiliano apud iudices ad populum accusatus*, Valerius omnino Cottae praenomen reticuisse uidetur. Maior ambiguitas in eo est, quod codices nostri omnes et Vaticanus Paridis apud populum Cottam accusatum perhibent, cum tamen ex narratione cum Ciceronis tum Valerii constet causam illam in quaestione legitima ante praetorem et iudices ab eo constitutos et actam esse et a Valerio actam putari. Et sane quaestio de repetundis iam decem et septem annis ante hoc iudicium, quod factum esse scimus anno 622, instituta erat. Accessitque Scipio ad hanc accusationem teste Cicerone et Pseudoasconio l. c. duobus consulatibus et censura functus, post quae alium magistratum non gessit, nec licuit, ut recte animaduertit Pighius, priuato tunc temporis nomen deferre apud populum. Quae cum ita se habeant, uir egregie doctus populi commemorationem profectam esse suspicatur a librario, qui non intellexerit scripturae compendium *PR.*, quo notaretur praetor. Cui opinioni non possum quin assentiar, ipsa re coactus, quamquam satis antiquo iam tempore Valerianos libros *apud populum* exhibuisse persuasum habeam, quoniam idem in suo Valerii exemplo exaratum reppererat Iulius Paris, qui praedictam difficultatem sustulisse sibi uisus est fingens Cottam apud iudices ad populum esse accusatum.

*quia homines * * * uerebantur)* Perspicuum est non recte certum genus hominum, de quo nihil sit praemissum, simplici illa totius generis appellatione significari, sed desiderari accuratiorem quandam iudicum denotationem. Dubito

lescentia ipsius, sed crimen libidinis confessio intemperantiae liberauit.

Remissioris hoc, illud aliquanto grauioris materiae exemplum. 13. Cum parricidii causam fratres Coelii dicerent, splendido Tarracinae loco nati, quorum pater T. Coelius in cubiculo quiescens filiis altero cubantibus lecto erat interemptus, neque aut seruus quisquam aut liber inueniretur, ad quem suspicio caedis pertineret, hoc uno nomine absoluti sunt, quia iudicibus planum factum est illos aperto ostio inuentos esse dormientes. Somnus innoxiae securitatis certissimus index miseris opem tulit. Iudicatum est enim rerum naturam non recipere ut occiso patre supra uulnera et cruorem eius quietem capere potuerint.

Percurremus nunc eos, quibus in causae dictione magis quae extra quaestionem erant nocuerunt quam sua innocentia opem *DAMN.* 1.

---

3. Remissioris — exemplum *om. Γ.* || haec *C.* || illud] *add.* autem *F.* || 4. causam] *add.* duo *margo A, Torr.* || fratres] filii *F.* duo *Par.* || caelii *APar.* celii *CDEFΓ.* Cloelii *Torr.* || cartacino *C.* terranine *F.* || 5. titus coelius *sic A.* t. celius *CDEFΓ.* T. Cloelius *Torr.* || 6. in altero *Par.* || lecto cubantibus *Torr.* || erat *om. pr. D.* || 7. quisquam *om. Γ.* || caedis suspitio *F.* || 9. hostio *ACD EFΓ.* || 10. iudex *CD.* || indicatum *F.* || 12. potuerunt *EF.* || 13. eos nunc *F.*

---

tamen num sufficiat ad eos definiendos adiectum ***sapientissimi,*** quod inuenerat Pighius in codice Campensi, arcessitum e Ciceronis oratione pro Mur. l. c., anne potius officium in primis iudicum exprimendum fuerit, quemadmodum expressum est a Cicerone uerbis ***sapientissimi homines, qui tum rem illam iudicabant.*** Suspicor igitur in codice archetypo post ***homines*** excidisse uel haec, ***sapientissimi illam rem iudicantes,*** uel simile aliquid eiusdem significationis.

12. ***sed crimen libidinis)*** Vid. ad VIII, 1, abs. 1.

13. Cf. Cic. pr. Rosc. Am. 23, 64.

fratres Coelii) Pighius, quod in Ciceronis codicibus hi fratres Cloelii uocarentur, idem nomen Valerio restituendum esse opinabatur. Quem secuti sunt recentiores grammatici. Contra Muretus Ciceronis exempla ex hoc opere emendanda esse suspicabatur. Variant autem ipsius Ciceronis codices manuscripti, et sane scholiastes Gronouianus ad hunc Cic. locum (p. 432 Or.) propius ad nostram accedit scripturam, exhibens ***Caecilius quidam Terracinensis.*** Itaque, cum Valerianorum librorum testimonium insigniter confirmet Paridis compendium, facile adducor ut uerum putem Mureti suspicionem, quam inter alios secutus est Schützius. In ipso Coeliorum nomine scribendo magna est librariorum inconstantia, siquidem uno hoc exemplo in codice Bernensi antea ***caelii*** legitur, paulo post ***titus coelius.*** Similiter optimi codices uno eodemque exemplo IIII, 7, 5 semel Coelium semel Caelium exhibent. Paridi hoc loco, de quo agimus bis Caelius est, IIII, 7, 5 Coelius. Praeterea ***ae*** diphthongum Bernensis liber tuetur I, 7, 6. IIII, 2, 7. V, 3, 4. Sed cum in nummis et inscriptionibus constanter hoc nomen per ***oe*** scriptum inueniatur (cf. quos citauit Drumann. gesch. Roms II, p. 408, Eckh. doctr. num. V, p. 175. Grut. inscr. pp. 101, 678, 774. Orell. inscr. 1203 et 3793,) hanc antiquam eius formam fuisse credo; quam uellem ut recepissem IIII, 7, 5, ubi stabilita est Valerii Bernensi libro et Paridis Vaticano.

DAMNAT. 1. Cf. Liu. XXXVIII, 54 et seqq. Plut. Cat. mai. 15. Auct. de uir. ill. 53; alii.

tulit. L. Scipio post speciosissimum triumphum de rege Antiocho ductum perinde ac pecuniam ab eo accepisset damnatus est, non, puto, quod pretio corruptus fuerat ut illum totius Asiae dominum et iam Europae uictrices manus inicientem ultra Taurum montem summoueret, sed alioqui uir sincerissimae uitae et ab hac suspicione procul remotus, inuidiae, quae tunc in duorum fratrum inclitis cognominibus habitabat, resistere non potuit.

2. Ac Scipioni quidem maximus fortunae fulgor, Gaio autem Deciano, spectatae integritatis uiro, uox sua exitium attulit. Nam cum P. Furium inquinatissimae uitae pro rostris accusaret, quia quadam in parte actionis de morte L. Saturnini queri ausus fuerat, nec reum damnauit et insuper ei poenas addictas pependit.

1. L. Scipio — (7.) non potuit *om. Γ.* || 2. atque ab eo pecuniam *F.* || 3. fuerit *D.* || 4. etiam *CDE.* || initentem *E.* || 5. aliqui *pr. A.* alioquin *DEF et corr. C, Torr.* || 7. inclytis *corr. A.* || 8. §. 2 *om. Γ.* || At *EF Torr.* || gn. autem *F.* || 11. actiones *pr. A.* || 12. addictus *C.* adictus *E.* adiectas *F.* || perpendit *F et pr. A.* rependit *corr. A.*

2. Cf. Cic. pro C. Rab. perduell. 9, 24. Schol. Bobiens. p. 230 Orell.

Gaio autem Deciano) Erat is C. Apuleius Decianus atque adeo gentilis Saturnini, tribunus plebis a. u. c. 655, pater eius, qui Decimo Laelio subscripsit, cum is L. Valerium Flaccum repetundarum reum faceret, defensum a M. Tullio Cicerone. Cf. schol. Bob. l. c. Ceterum de spectata illius integritate, quam laudat Valerius, aliter sensisse uidetur Cicero.

P. Furium) Homo is erat seditiosus et turpissimus, tribunus plebis factus ex libertino anno 654 a. u. c., C. Mario VI, L. Valerio Flacco consulibus. Cf. App. ciu. I, 33. Qui, cum antea a Saturnini et Glauciae partibus stetisset et maxime se opposuisset Metelli Pii precibus de reuocando patre, mox ad contrariam factionem transgressus, ob ea quae in tribunatu gesserat accusatus anno insequenti in ipso comitio antequam causam diceret et sententiae de eo ferrentur, a populo exacerbato discerptus est. Cf. App. l. c. Dio Cass. fragm. 105 p. 43 Reim. Quod cum ita sit, quaeritur utrum de eodem illo iudicio, quod triste exitium attulerit reo Furio, Valerius hoc loco et Cicero in oratione pro Rabirio dixerint an de alia actione. Constat autem C. Decianum Apuleium anno 655 tribunum plebis reum egisse Furium (schol. Bob.); constat eodem anno Furium a tribuno plebe accusatum a populo interemptum esse (App. l. c.). Itaque dubitari uix posse uidetur, quin in eodem iudicio C. Decianus inconsideratas illas de Saturnini morte querellas protulerit, in quo Furius a populo discerptus est. Quod si conceditur, in Appiani opere falsum accusatoris nomen circumferri apparet. Dicitur enim illic *Γάϊος Κανουλήϊος δήμαρχος*, qui, quod nunc e scholiis Bobiensibus didicimus, erat *Γάϊος Ἀπουλήϊος*. Cuius erroris nescio utrum librariis an ipsi auctori culpa tribuenda sit. Facillime certe et ipse Appianus Latine scriptum C. APVLEIVM et CANVLEIVM confundere potuit. Iam uero Ernestius in clau. Cic. u. *P. Furius* in hac historia pugnare inter se putabat Valerium Maximum et Ciceronem, cum ille P. Furium a C. Deciano non damnatum esse scripsisset, hic in oratione pro C. Rabirio condemnatum eum prodidisset. De qua damnatione equidem in M. Tullii operibus nihil inueni. Vereor autem magnopere ne uir doctissimus neglegentius inspecto Ciceronis loco accusatoris C. Deciani et rei P. Furii fata inter se confuderit, mirorque eundem errorem in Orellii quoque onom. Tull. receptum esse.

ei poenas addictas pependit) Legebatur olim *poenas adiectas*, quod inbentibus libris manuscriptis si non omnibus, at certe optimis quibusque in *ad-*

Sextum quoque Titium similis casus prostrauit. Erat in- 3.
nocens, erat agraria lege lata gratiosus apud populum. Tamen quod Saturnini imaginem domi habuerat, suffragiis eum tota contio oppressit.

Adiciatur his Claudia, quam insontem crimine, quo accu- 4.
sabatur, uotum impium subuertit, quia, cum a ludis domum

1. §. 3 *om. F.* || 2. et tamen *E.* || 3. quod] quia *EFTorr.* || tota contio] *in rasura A.* tota cognitio *CEFTorr.* || 5. Adiciatur — crimine] Claudiam in crimine *F.* || quo accusabatur *om. Torr.*

dictas mutauit Pighius et interpretatus est Decianum ipsum post tribunatum maiestatis reum tamquam participem seditionis Apuleianae in exilium missum esse, quam poenam ipse Furio destinauisset. Et sane Decianum damnationem eam passum in Pontum se et ad partes Mithridaticas contulisse memoriae prodidit scholiastes Bobiensis. Addici autem proprie ea dicuntur, quae tamquam debita alicui adiudicantur. Itaque non tam id mirari debebat Torrenius, quod omnino compositum est *addicere poenas* quam quod de accusatore hoc dicitur. Sed, ni omnia me fallunt, Valerius Decianum eas poenas P. Furio pependisse finxit, quas illi accusatione sua, quantum in ipso fuerat, addixerat perinde ac si iudex esset. Similiter damnare etiam reum hoc exemplo et alibi saepissime dicitur accusator, quamquam proprie id iudicantis est. Deserendae igitur archetypi scripturae nulla profecto causa est.

3. Cf. Cic. pro C. Rab. perd. 9, 24.

Sextum quoque Titium) De Sexto Titio, seditioso tribuno plebi a. u. c. 655, et de lege Titia agraria cf. Cic. de or. II, 11, 48 et de legg. II, 6, 14.

tota contio oppressit) Legebatur in codice archetypo et in editionibus inde a Pighiana non *contio,* sed *cognitio.* Quam uocem locum non habere subtili iudicio perspexit emendator libri Bernensis. Etenim quae praecedunt, *erat agraria lege lata gratiosus apud populum,* nullo alio consilio addita esse possunt quam ut Titii damnatio eo magis inexpectata accidisse declaretur quo maiorem ille possederit populi suffragia ferentis fauorem. Equitum autem ordinem, quem Cicero eam causam iudicasse testatur, non magnopere profecto agraria lege sibi conciliauerat Titius, neque utrum apud plebem gratiosus esset, illius adeo poterat interesse. Itaque e Valerii mente causam eius apud populum actam esse apparet, quod suffragia quoque indicant, quae plerumque populi sunt, perraro iudicum sententiae. Quapropter, quamuis aliud suadeant libri manuscripti, nam cognitio non est uniuersi populi, facere non possum quin Valerium contra apertum Ciceronis testimonium de populi iudicio retulisse et scripsisse credam, quod corrigendo effecit emendator libri Danielini, *eum tota contio oppressit,* non scilicet animaduertentem ea, quae facti illius narrationem excipiunt apud Ciceronem inde a uerbis *statuerunt equites Romani.* Obiciat aliquis ne contionem quidem hoc quod putabatur populi iudicium a Valerio dici potuisse, quod in hac causa cum populo actum esset ita ut rogaretur populus quid suffragiis suis iuberet; contionem autem conuentum esse populi sine ulla rogatione. (Cf. Gell. XIII, 15, 10. Cic. pro Sest. 50, 106.). Sed Valerius in discernendis his notionibus non adeo accuratus est, neque solum in externa historia populi iudicia contiones appellauit (cf. III, 8, ext. 3), uerum etiam in Romana. Notabile exemplum est VIII, 1, abs. 2 *eoque facto mitigata contione qui omnium consensu periturus erat paene nullum triste suffragium habuit.* Res autem ita se habuisse uidetur: equitum ordo, qui tum exercebat iudicia, propter legem istam agrariam popularemque fauorem infensus Titio, reum damnauit, causam per simulationem praetendens, quod Saturnini imaginem domi habuisset.

4. Cf. Liu. epit. libr. XIX. A. Gell. X, 6. Suet. Tib. 2.

insontem crimine, quo accusabatur,) Verba *quo accusabatur,* omnibus

rediens turba elideretur, optauerat ut frater suus, maritimarum uirium nostrarum praecipua iactura, reuiuisceret saepiusque consul factus infelici ductu nimis magnam urbis frequentiam minueret.

5. Possumus et ad illos breui deuerticulo transgredi, quos leues ob causas damnationis incursus abripuit. M. Muluius, Cn. Lollius, L. Sextilius triumuiri, quod ad incendium in sacra uia ortum extinguendum tardius uenerant, a tribunis plebis die dicta apud populum damnati sunt.

6. Item P. Villius triumuir nocturnus a P. Aquilio tribuno plebis accusatus populi iudicio concidit, quia uigilias neglegentius circumierat.

7. Admodum seuerae notae et illud populi iudicium, cum M. Aemilium Porcinam, a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime extructae uillae in Alsiensi agro, graui multa adfecit.

---

2. reuiuesceret *F et pr. A.* || 3. infelioi *pr. A.* || minuere *pr. A.* || 4. §. 5 *om. Γ.* || diuerticulo *DEF Torr. Vid. ad I. 7, ext.* 10. || 5. ob * causas *A.* || arripuit *CEF.* || m. muldius *corr. A.* m. mlulus *D.* mulius *(omisso praenomine) F.* M. Mundius *Par.* || gn. solius *F.* || 6. sextius *corr. A. pr. Par.* || in *om. E.* || 8. apud] ad *Torr.* || 9. §. 6 *om. Γ.* || p. billius *ACDE.* p. bellius *F.* P. Auilius *Par.* || nocturnus] * * * * * *A.* || Acilio *Par.* || 10. concidit] *ante* iudicio *C.* condidit *pr. A.* concedit *D.* || 11. circuierat *D.* circuirat *F.* || 12. §. 7 *om. Γ.* || nocte *F.* || 13. procinam *E.* || sublimi *pr. C et in rasura D.* || 14. alfiensi *E.* || mulcta *DE.* mista *C.*

---

codicibus stabilita, delcuerat Pighius, quem, quamuis causa interpolationis appareat nulla, praeter Vorstium omnes secuti sunt recentiores grammatici, adnotantes Claudiam non alio crimine quam petulantis linguae esse accusatam. Vorstio suspecta uerba propter codicum auctoritatem non expungenda uidebantur, quae tamen neque defendit neque explicauit. Iam uero petulentia illa per se publicam quaestionem contrahere non potuit, neque enim antiquis temporibus in uoces sceleratas, sed in facta tantum publice uindicari solebat. Itaque, si Claudia rea agebatur publico iudicio, ut testantur Atteius Capito apud Gellium, Suetonius, Iulius Paris, crimen praetendi oportebat laesae maiestatis, quod re uera factum esse tradidit Suetonius. Atque in ea opinione, ni omnia me fallunt, Valerius quoque erat, qui haud dubie hanc mente conceperat sententiam, Claudiam nihil quidem commisisse, quo laederet maiestatem populi Romani ideoque crimine, quo accusabatur, insontem fuisse, sed tamen damnatam esse propter impium illud uotum. Sentio parum scite hoc ita exprimi, cum uocis illa petulantia non magis damnationis quam accusationis causa extiterit; uerum haec inconcinnitas a Valerio non aliena est, qui saepe alia animo percepit, alia uerbis reddidit. Quod uotum impium subuertisse Claudiam perhibetur caute accipiendum est, ut recte monuit Torrenius, cum non capitis damnata sit rea, quod concludas e subuertendi uerbo, sed multam dumtaxat ei dixerint aediles plebei aeris grauis XXV milia.

7. Vell. II, 10, 1 de eadem re disserens censores Cassium Longinum Caepionemque (a. u. c. 629.) M. Aemilium Lepidum augurem, quod sex milibus aedes conduxisset, adesse iussisse refert. M. autem Aemilius Lepidus Porcina is est, quem Cicero bonum oratorem laudat in Brut. 25, 95. (Cf. ibid. 86, 295 de orat. I, 10, 40. Prisc. I, p. 456. Oros. V, 4.) Consulatum obti-

Non subprimenda illius quoque damnatio, qui pueruli sui 8.
nimio amore correptus, rogatus ab eo ruri ut omasum in caenam fieri iuberet, cum bubulae carnis in propinquo emendae nulla facultas esset, domito boue occiso desiderium eius expleuit eoque nomine publica quaestione adflictus est, innocens, nisi tam prisco saeculo natus esset.

Atque ut eos quoque referamus, qui in discrimen capitis *AMB.* 1.
adducti neque damnati neque absoluti sunt, apud M. Popilium Laenatem praetorem quaedam, quod matrem fuste percussam interemerat, causam dixit. De qua neutram in partem latae sententiae sunt, quia abunde constabat eandem ueneno necatorum liberorum dolore commotam, quos auia filiae infensa sustulerat, parricidium ultam esse parricidio. Quorum alterum ultione *dignum*, alterum absolutione non dignum iudicatum est.

Eadem haesitatione Publii quoque Dolabellae, proconsulari 2.
imperio Asiam obtinentis, animus fluctuatus est. Mater familiae Zmyrnaea uirum et filium interemit, cum ab his optimae indolis iuuenem, quem ex priore uiro enixa fuerat, occisum conperisset.

---

1. supprimenda *corr. A.* || quoque *om. Γ.* || 2. nimis *E.* || corruptus *ACDFΓ. Vt nos (E) Par.* || iuri *C.* rure *Par.* || coenam *(A.)* cena *E.* caena *Par.* || 3. iuberet] *add.* et *F.* || 5. eoque] atque *F.* || publico *pr. A.* || questione *A.* || 7. discrimine *E.* || 8. populium *F.* || 9. feste *pr. A.* || 10. sententiae latae *F.* || 11. aliunde *D.* || 13. ultione dignum] dignum *om. ACDEFΓ.* || 15. Eadem] eademque *D. add.* quoque *F.* || exitatione *F.* || quoque *om. Torr.* || dolabella *F.* || 16. familias *Torr. Cf. VIII*, 13, 1. || 17. Zmirnea *AΓ.* simirnea *C.* smirena *E.* et smirnea *F.* smyrnaea *corr. Par. Vt nos pr. Par. Vid. ad III*, 2, 12. || iis *E.* || 18. enisa *pr. A. Vt nos etiam Par. Cf. VIII*, 7, *ext.* 1. || comparuisset *F.*

---

nuerat a. 617 cum C. Hostilio Mancino. De L. Cassio Longino et eius seueritate cf. Val. III, 7, 9. Drum. gesch. Roms II, p. 113 et seqq.

8. Cf. Plin. h. n. VIII, 45, 70.

Ambust. 1. *Quorum alterum ultione dignum)* Mancam sententiam Pighius reconcinnauit e duobus nullius pretii libris, Pulmanniano et Susiano, qui post *ultione* insertum habent *dignum*, quod reliqui codices aeque omnes omittunt. Necessario autem alterum parricidium (auiae) dignum fuisse dicendum erat quod uindicaretur, alterum (filiae) non dignum quod absolutione probaretur. Neque sane uideo qua ratione facilius aut uerisimilius damnum archetypo illatum resarciri possit ita, ut illa, quam necessariam dixi, efficiatur sententia, etiamsi non negauerim parum eleganter idem uocabulum bis proferri.

2. Cf. A. Gell. XII, 7. Amm. Marc. XXIX. 2, 19.

Publii quoque Dolabellae) Gnaeum Dolabellam eum Gellius appellat et qui hunc excerpsit Ioannes Saresberiensis IIII Policr. 11, p. 243 ed. Lugd., uterque testem citans Valerium Maximum, quamuis Ioannes hoc loco ipsum non inspexit. Sed non improbabiliter Drumannus (gesch. Roms II, p. 565) hunc illum P. Dolabellam fuisse suspicatur ante quem praetorem A. Caecinae causa acta est. (Cf. Cic. pro Caec. 8, 23.)

Quam rem Dolabella ad se delatam Athenas ad Arei pagi cognitionem relegauit, quia ipse neque liberare duabus caedibus contaminatam neque punire eam iusto dolore inpulsam sustinebat. Consideranter et mansuete populi Romani magistratus; sed Areopagitae quoque non minus sapienter, qui inspecta causa et accusatorem et ream post centum annos ad se reuerti iusserunt, eodem affectu moti quo Dolabella. Sed ille transferendo quaestionem, hi differendo damnandi atque absoluendi inexplicabilem cunctationem uitabant.

DE PRIVATIS IVDICIIS INSIGNIBVS.

II. Publicis iudiciis adiciam priuata, quorum magis aequitas quaestionum delectare quam immoderata turba offendere lectorem poterit.

1. Claudius Centumalus ab auguribus iussus altitudinem domus

1. areopagi *(sed litt. o in rasura) A, Torr.* ariopagi *DEFΓ. Vt nos C. Vid. ad II,* 6, 4. || 2. deleganit *E.* || ipse] *om. F. post* neque *Γ.* || laberare *pr. A.* || caedibus duabus *Torr.* || 3. inpulsum *pr. A.* || 4. magistratus] * * * *A.* || 5. areopagita *C.* ariopagitae *DEFΓ.* || non minus quoque *E.* || inspectata *F.* || 8. damnandum *D.* || soluendum *D.* soluendi *Γ.* || 9. mutabant *CDEΓ et pr. A, Torr.* nutabant *corr. A.* mutarunt *F.* || 10. INSIGNIBVS *om. Par.* || 14. centumalus *Γ.*

inexplicabilem cunctationem uitabant) Codices tantum non omnes *mutabant.* Sed qua ratione Dolabella et Areopagitae illam cunctationem transferendo et differendo mutauerint equidem fateor me non intellegere. Nihil profecto multis uerborum ambagibus effecit Torrenius, cum explicaret eos in maximam cunctationem propter pronuntiandae sententiae difficultatem coniectos, unde se expedire non potuissent, diuerso modo se in ea gessisse et Dolabellam damnationem uel absolutionem mutasse (?) causae ad alios iudices translatione; Areopagitas uero mutasse eandem dilatione in longissimum diem. Ineptius etiam Pighius 'e uetere codice' pro eo posuit *inuitabant*, quod, si quid est, contrarium prorsus eius significat, quod exprimendum erat. Neque magis scio quid Ascensius sibi uoluerit, cum scriberet *mutuabant.* Dicendum enim erat, 'numquam iudices ex illa fluctuatione atque haesitatione utrum damnarent ream an absoluerent se expedissent, nisi callido Dolabella causa ad Areopagitas translata, Areopagitae in longum tempus ea dilata inexplicabilem istam cunctationem declinassent. Itaque omnino cum Guyeto scribendum est *uitabant.* Erunt fortasse qui desiderent *euitabant,* quia euentus calliditatis illius potius indicanda est quam solus euitandi conatus, qui plerumque uitandi uerbo describitur. Sed Valerius saepius, ubi de denotando euentu (de euitatione) dubitari nequit, tamen uitandi uerbo usus est, tamquam de conatu et consilio tantum ageretur. Cf. I, 6, 10. IIII, 7, ext. 2. VI, 8, 3. VIII, 1, 6.

II, 1. Cf. Cic. de off. III, 16, 66.

suae, quam in Caelio monte habebat, summittere, quia his ex arce augurium capientibus officiebat, uendidit eam Calpurnio Lanario, nec indicauit quod imperatum a collegio augurum erat. A quibus Calpurnius demoliri domum coactus M. Porcium Catonem, incliti Catonis patrem, arbitrum cum Claudio adduxit, * * * formulam daret, quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona. Cato ut est edoctus de industria Claudium praedictum sacerdotum suppressisse, continuo illum Calpurnio dam-

1. caelo *pr. A.* || iis ex *E.* ex his *F.* || 2. calfurnio *EF, et sic saepius.* || 3. imperatum] *post* augurum *F.* imperato *pr. A.* || a collegio] a *om. C et pr. A.* || fuerat *Γ.* || 4. Porcium *om. Γ.* || 5. inclyti *corr. A.* || arbitrium *pr. A.* || cum] *om. Torr.* sibi cum *Γ.* || cladio *pr. A.* || adducit *E.* addixit *Torr. add.* ut *D et corr. A. add.* et *CΓTorr.* || 6. daret] *om. CDΓTorr. ante* formulam *F.* recitant *E.* || quicquid *corr. A.* || dare] *lineolis inductum corr. A.* de ea re *DF.* dari *E.* || et facere *E.* || 7. ex fide bona] *bis F. add.* diceret *D. add.* exposuit *Γ.* || edictum *DEΓTorr.* || 8. sacerdotem *CD.* || suppressit se *AC.*

*arbitrum cum Claudio adduxit * * * formulam daret)* Primaria quam posuimus libri Danielini scriptura haud dubie archetypi codicis testimonium continet, cum in singulis uerbis modo hi modo illi deteriorum librorum cum ea congruant reliquorumque discrepantia facile inde deriuetur. Neque sane illud *daret* post *formulam*, quod pleraque exempla omittunt, ab interpolatore intrusum esse uidetur. Iam cum Pighius pessimos codices secutus, Campensem, Gemblacensem, Atrebatensem, nam de Cauchiano certe mentitur, praepositionem *cum* delesset, quam quidem Paridis auctoritate insigniter confirmari scire non poterat, et uerbum *daret* expunxisset, Cuiacius *adduxit* mutauit in *addixit.* Ita uulgata lectio orta est, *arbitrum Claudio addixit et formulam, Quicquid sibi dare* etc., aliena prorsus et a tradita librorum scriptura et ab ipsa re. Neque enim umquam litigantium altera pars alteri aut arbitrum addixit aut formulam, neque eodem modo, quod obiter moneo propter Torrenium, hoc loco alter litigator quod fecit praetor fecisse dici poterat, quemadmodum saepius accusator reum damnasse traditur, quem proprie damnauit iudex. Alia Torrenii suspicio propius quidem ad archetypi quam dixi scripturam accedit, neque tamen eadem caret reprehensione. Conicit enim Valerium composuisse *arbitrum Claudio addixit ut formulam daret* etc., quod uult esse, ut Cato constitueret formulam, ex qua liqueret quid sibi dare facere oporteret. Neque uero qui iudicaturus erat ipse iudicandi formulam sibi praescribere poterat. Mihi igitur dubium non est quin aliquot in archetypo codice a librario praetermissa sint uerba, quae hanc fere effecerint sententiam, arbitrum conuenisse inter aduersarios M. Catonem, (quod Paris breuiter ita reddidit: *arbitrum cum Claudio sumpsit)* et petiisse Calpurnium a praetore bonae fidei actionem. Itaque fortasse Valerius scripserit *arbitrum cum Claudio adduxit et a praetore petiit ut formulam daret, quidquid sibi dare facere oporteret,* uel simile aliquid. Ita quod absolute adduci dicitur arbiter Cato neminem potest offendere, qui sciat et arbitrum, etiamsi conuenerat inter litigantes, et formulam nonnisi a praetore datam esse. Similiter certe reus quoque simpliciter adduci dicitur non denotato loco, qui per se intellegitur. Cf. Cic. act. I in Verr. 2, 6, *hominem ab isto quaesitum esse, non qui reum suum adduceret, sed qui meum tempus obsideret.*

praedictum sacerdotum suppressisse) Ita optimi codices et editio princeps Moguntina, cum uulgo ederetur *edictum.* Reuocauimus illud, comprobatum his exemplis: Corn. Nep. Them. 7, 3. Datam. 9, 4. Cic. de diu. I, 24, 48. Liu. II, 10, 4. XXI, 10, 3. XXIII. 19, 5 *(quia praedictum erat dictatoris ne quid absente eo rei gereret.).* Tac. ann. II, 6, XIII, 36. hist. IIII, 53, etc.

nauit: summa quidem cum acquitate, quia bonae fidei uenditorem nec conmodorum spem augere nec incommodorum cognitionem obscurare oportet.

2. Notum suis temporibus iudicium conmemoraui, sed ne quod relaturus quidem sum oblitteratum silentio. C. Visellius Varro, graui morbo correptus trecenta milia nummum ab Otacilia Laterensi, cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passus est eo consilio ut, si decessisset, ab heredibus eam summam peteret, quam legati genus esse uoluit, libidinosam liberalitatem debiti nomine colorando. Euasit deinde ex illa tempestate aduersus uota Otaciliae. Quae offensa quod spem praedae suae morte non maturasset, ex amica obsequenti subito destrictam feneratricem agere coepit, nummos petendo, quos ut fronte inuerecunda, ita inani stipulatione captauerat. De qua re C. Aquilius, uir magnae auctoritatis et scientia iuris ciuilis excellens, iudex addictus adhibitis in consilium principibus ciuitatis prudentia et religione sua mulierem reppulit. Quod si

---

2. augure* *pr. A.* || 4. §. 2 *om. F.* || nec *FTorr. Vid. ad II*, 1, 4. || 5. relatus *pr. A et pr. C.* || sum] *ultima litt. in rasura A. ante* quidem *E. om. F.* sub *pr. C.* || obliteratum *(A).* subobliteratum *pr. E.* subliterandum *corr. E. add.* est *Torr.* || 6. corectus *F.* || octacilia *CDE.* || lateranensi *F.* Laterensis *coniecit Perizonius. Vt nos etiam Par.* || 10. colorandam *CF et pr. A.* || deinde] *add.* Visellius *Torr.* || 11. octaciliae *CDE.* || 13. districtam *E et corr. A. Vid. ad II*, 9, 6. || 15. scientia] ſcā *F.* || 16. adductus *ACDE.* aduocatus *F.* || 17. quo *C et pr. A.*

---

2. *C. Visellius Varro)* Filius hic erat C. Aculeonis, ut suspicatur Drumannus (gesch. Roms V, p. 215. Cf. Ellendt. ad Cic. de or. uol. II, p. 161.), adoptatus a Visellio Varrone et Heluia, sorore matris M. Tullii. Qui postea commemoratur haud dubie C. Aquilius, celeberrimus ICtus, cognomine Gallus est, qui mirifice laudatur a Cicerone. Cf. Brut. 42, 154. pro Caec. 27, 77. top. 7, 32. de nat. deor. III, 30, 74. de off. III, 14, 60 etc.

Quod si eadem formula Varro et damnari) Emendator libri Bernensis uerba *Varro et* suprascriptis lineolis ("— '—) transponenda esse indicauit. Quam coniecturam recentiores editores secuti sunt omnes. Esset hoc aliquid, si absoluto Varrone damnataque Otacilia nunc insigniretur non immerito *simul* et contrariam iudicis sententiam pronuntiari potuisse, qua Varro damnaretur, absolueretur aduersaria. Sed huius absolutionem sententiae plane repugnare iam Perizonius monuerat, laudatus eo nomine a Torrenio, ita ut inuersio *illa* damnationis et absolutionis prorsus inepta sit. Accedit quod in hac uulgatorum exemplorum scriptura pronomen demonstratiuum *eius* secundum grammaticam rationem ad aduersariam potius quam ad Varronem pertineret. Itaque, si recte Perizonius in his offendit, non recte tamen, cum boni codices eum deficerent, deleto uerbo *absolui* mancae sententiae succurrit, scribens *et Varro damnari et aduersaria potuisset.* Probabilius Torrenius coniecit *Quod si eadem formula Varro damnari et absolui potuisset.* Quod retento *et* ante *damnari* omnino accipiendum uidetur. Absolutus erat Varro; sed non dubitat auctor quin, si fieri potuisset ut eadem formula aliquis et damnaretur et absolueretur, iudex illum etiam damnaturus et adulterii poenas ab eo ex acturus fuisset. Causa in-

eadem formula Varro et damnari et [aduersaria] absolui potuisset, eius quoque non dubito quin turpem et inconcessum errorem libenter castigaturus fuerit. Nunc priuatae actionis calumniam ipse conpescuit, adulterii crimen publicae quaestioni uindicandum reliquit.

Multo animosius et ut militari spiritu dignum erat se in 3 consimili genere iudicii C. Marius gessit. Nam cum C. Titinius Minturnensis Fanniam uxorem, quam inpudicam de industria duxerat, eo crimine repudiatam dote spoliare conaretur, sumptus inter eos iudex in conspectu habita quaestione seductum Titinium monuit ut incepto desisteret ac mulieri dotem redderet. Quod cum saepius frustra fecisset, coactus ab eo sententiam pronuntiare mulierem inpudicitiae sestertio nummo, Titinium summa totius dotis damnauit, praefatus idcirco se hunc iudicandi modum secutum, cum liqueret sibi Titinium patrimonio Fanniae insidias struentem inpudicae coniugium expetisse. Fannia autem haec est, quae postea Marium hostem a senatu iudicatum caenoque paludis, qua extractus erat, oblitum et iam in domum suam custodiendum Minturnis deductum ope quantacumque potuit adiuuit, memor, quod inpudica iudicata esset, suis moribus, quod dotem seruasset, illius religioni acceptum ferri debere.

1. Varro et] et Varro *corr. A, Torr.* et *om. CDF.* || aduersaria] *sine uncis Torr.* aduersariam *F.* || 3. actionis] auctoritatis *F.* || calpurniam *F.* || 4. conspecuit *E.* || iudicandum *F.* || 5. reliquid *pr. A.* relinquit *F.* || 6. Multo — (7.) Nam *om. Γ.* || 7. ticinius *DΓ.* tucinius *F.* || 8. miturnensis *F.* || anniam *C.* || in puncam *pr. A.* || 9. dixerat *pr. A.* || eo] ut eo *F.* || dotem *F.* || 10. subductum *ADF.* || ticinium *DΓ.* || 11. quo *pr. A.* || 13. inpudicitiae] *add.* ream *D Torr.* || nummum *Γ.* || ticinium *DFΓ.* || 14. hunc se *F.* || 15. cum] quod *in rasura A, Torr.* || liqueret] *post* sibi *F.* relinqueret *C.* || ticinium *DFΓ.* || 16. Fania *pr. A.* sannia *C.* || autem *om. F.* || 17. a senatu hostem *F.* || 18. quo *D.* || etiam *ACDE FΓTorr. Quod correxi.* ||19. Minturnis *om. F. ante* custodiendum *Γ.* || adiuuauit *C et pr. AE.*||20. memor] *add.* ipsa *margo D.*||moribus] *add.* et *corr. D.*||21. fieri *F.*||debere] *Sequuntur h. l. uu. (VII, 7, 4. p. 584, 15. Septicia mater — (p. 585, 7.) affiata es Γ.*

terpolationis facile perspicitur. Librarius de contraria sententia agi animaduertens, utramque eius partem necessario priori iudicio oppositam esse ratus, damnationem iam ad Varronem, absolutionem ad Otacilliam pertinere censuit atque ideo illud uocabulum adiecit, quod nos uncis inclusimus.

3. Cf. Plut. Mar. 38.

C. Titinius) In Plutarchi codicibus Fanniae maritus *Τίτιος* uocatur, errore, ut equidem puto, librariorum, corrigendo e Valerianorum librorum et Paridis consensu. Cf. Eckh. doctr. num. V, p. 325. Borgh. n. framm. dei Fast. Cons. II, p. 93.

seductum Titinium) Codex archetypus *subductum* exhibebat. Sed dicuntur subduci quae clam auferuntur atque subtrahuntur. Quae notio ab hoc loco alienissima est. Male igitur Pighius interpretatus 'clanculum segregare' hoc praetulit seducendo, quod tritissimum est in similibus rebus. Cf. V, 9, 4. VII, 4, 2.

adiuuit) Codex archetypus hoc loco *adiuuauit* et II, 2, 3 *adiuuarat*, sed

4. Multus sermo eo etiam iudicio manauit, in quo quidam furti damnatus est, qui equo, cuius usus illi Ariciam conmodatus fuerat, ulteriore eius municipii cliuo uectus esset. Quid aliud hoc loci quam uerecundiam illius saeculi laudemus, in quo tam minuti a pudore excessus puniebantur?

QVAE MVLIERES APVD MAGISTRATVS PRO SE AVT PRO ALIIS CAVSAS EGERVNT.

III. Ne de his quidem feminis tacendum est, quas condicio naturae et uerecundiae stola ut in foro et iudiciis tacerent cohibere non ualuit.

1. Amesia Sentinas rea causam suam L. Titio praetore iudi-

1. Multus sermo] *post* iudicio *Γ*. || etiam eo *F*. || 2. qui] quod *Torr. Vt nos etiam Par.* || aequo *pr. A.* || illi] *add.* usque *Par. et margo A. Torr.* || 3. ultiore *F.* || uectus esset] *in rasura A.* || 4. loco *Γ.* || 5. muniti *AC.* minimo *Γ.* || excessi *C.* excessu *Γ.* || 6. DE MVLIERIBVS QVAE CAVSAS APVD MAGISTRATVS EGERVNT *Torr.* QVAE FEMINAE PER SE CAVSAS DIXERINT *Par.* MVLIERES] De mulieribus quae *E.* || AVT *E.* || 8. Nec *FΓ.* || 9. uerecundia stolae *coniecit Perizonius.* || et in iudiciis *F.* || 11. Amaesia *Torr.* Maesta *Par.* || sententia *CDEFΓ et pr. A.* sententias *corr. A.* Sentia *Torr. Vt nos Par.* || rea causam suam *in rasura A.* || Tito Titio *Par.* || iudicium] *om. F.* iudicio *Γ.*

I, 8, 6 *adiuuit.* Monuerunt recte grammatici formas, quae sunt *iuuaui* et *adiuuaui*, nullo comprobari posse idoneo exemplo. Cf. Corte ad Sall. Iug. 47. Burm. ad Petr. 18, p. 86. Drak. ad Liu. XLII, 37, 7. Ruddim. I, p. 211. Forcell. in lex. Sed iniuria de participii forma *iuuaturus* et *adiuuaturus* dubitatum est, quam certum est posuisse Sall. Iug. 47, 2. Plin. epp. IIII, 15, 13. Petr. sat. 18. Hoc loco, de quo agimus, uulgatam flexionem *adiuuit* Paridis quoque compendium confirmat.

4. *cuius usus illi Ariciam conmodatus fuerat)* Edebatur uulgo *usque Ariciam.* Quod quamuis Paridis epitome defendere uideatur, tamen contra consensum librorum meorum, qui omnes omittunt *usque*, non sum ausus retinere, quoniam neque causa ulla perspicitur cur illud a librario archetypi praetermissum sit, contineturque hoc usu equi, qui ad iter aliquo faciendum commodatus esse dicitur, non minus motus quidam quam aliis substantiuis uerbalibus, quae interdum licentius cum simplici accusatiuo aut ablatiuo construuntur ad insigniendum locum, quo dirigitur aut unde proficiscitur motus. Cf. Caes. b. ciu. I, 53, 3, *magni domum concursus*, id. b. Gall. I, 5, 3, *ut domum reditionis spe sublata paratiores ad omnia pericula subeunda essent.* Liu. XXII, 61, 13 *ante consulis Romam aduentum.* id. XXXI, 14, 10. Est igitur credibile Paridem ex ingenio minus tritam locutionem cum uulgari dicendi genere permutasse.

III, 1. *Amesia Sentinas)* De nomine Sentinatis huius mulieris certi nihil constat, cum neque Amesia, quam libri nostri tradunt, neque Maesta, quam

cium cogente maximo populi concursu egit † motusque omnes ac numeros defensionis non solum diligenter sed etiam fortiter exsecuta, et prima actione et paene cunctis sententiis liberata est. Quam, quia sub specie feminae uirilem animum gerebat, Androgynen appellabant.

C. Afrania uero, Licinii Bucconis senatoris uxor, prompta 2. ad lites contrahendas pro se semper apud praetorem uerba fecit, non quod aduocatis deficiebatur, sed quod inpudentia abundabat. Itaque inusitatis foro latratibus adsidue tribunalia exercendo muliebris calumniae notissimum exemplum euasit, adeo ut pro crimine inprobis feminarum moribus C. Afraniae nomen obiciatur. Prorogauit autem spiritum suum ad C. Caesarem II [iterum], *P.* Seruilium consules. Tale enim monstrum magis quo tempore extinctum quam quo sit ortum memoriae tradendum est.

---

1. motusque] partesque *D et in rasura A, Torr.* || 2. ac] et *E.* || numeros] modos *F.* || etiam *om. E.* || 3. executa *corr. A. add.* est *E.* || poene *pr. A.* || 4. Quam] qua *D et pr. C.* || 5. androgynẽ *AC.* androgenam *D.* androginen *E.* androginem *F.* androgenẽ *Γ.* Androgynem *Torr.* || 6. uero] *om. Γ. ante* Afrania *E Torr.* || Lucinii *E.* Licini *Par.* || buccionis *CEΓ et pr. A, Torr.* uxionis *pr. D.* buxionis *corr. D.* buconis *F.* || 7. praetorum *pr. A.* praetores *Γ.* || 8. deficiebat *DEΓ et pr. C.* deficeret *F.* || sed — (9.) abundabat *om. Γ.* || inpudĉtia *(sed litterae* dtia *in rasura) A.* || habundauit *DE.* || 9. in foro *F.* || 10. exercendo] *add.* ad *F et corr. D.* || euasit exemplum *Torr.* || 11. morsibus *F.* || 12. c. caesarem III iterum seruilium *CΓ et numero* III *in marg. A.* g. caesarem et m. seruilium *D.* c. caesarem et tertio iterum seruilium *E.* g. cesarem it˜ seruilium *F.* C. Caesarem iterum et P. Seruilium *Torr.* || 13. consulem *FΓ.*

Paridis compendium exhibet, alia adhuc inuenta sit, quod sciam. Paridis autem scriptura gentilicii nominis, id enim desideratur, ne speciem quidem praebet. Quapropter quod codices mei omnes habent intemptatum reliqui. Facilior alterius nominis, quo patria denotatur, emendatio est. Quod cum Valeriani libri aperto mendo corruperint in *sententia*, haud dubie recte seruauit Iulius Paris. Erat igitur mulier ex Vmbriae oppido Sentino. Cf. Liu. X, 27, 1 et 30, 4. Inscr. ap. Grut. 467, 2 et ap. Mur. 565, 1.

† *motusque omnes)* Quid sibi uelint motus omnes defensionis equidem nescio. Haud inscite igitur emendator libri Bernensis pro *motusque* substituit *partesque*, quod defendit Vorstius, comparato simili exemplo VIII, 7, 6, et receperunt nunc uulgata exempla. At uix licebit adeo declinare traditarum litterarum ductus. Paulo post necessario emendaui *Androgynen*, cum illud uocabulum tertiam declinationem non habeat.

2. Cf. Vlp. VI ad edict. in dig. III, 1, 1, §. 5. Drum. gesch. Roms I, p. 39.

Licinii Bucconis senatoris) Coleri et Perizonii suspicionem, legendum esse *Bucconis*, non *Buccionis*, quod codices omnes exhibent, insigniter confirmat Paridis codex Vaticanus, in quo *Bucconis* scribitur. Cf. quos citauit Forcellinius, Mionnet. descript. des medaill. uol. I, 39. Mart. epigr. XI, 76.

ad C. Caesarem II [iterum], P. Seruilium consules) Boni codices haec ita tradunt, *ad c. caesarem III iterum seruilium coñs.* Quod manifesto falsum est, cum constet C. Caesarem alterum suum consulatum a. u. c. 706 cum P. Seruilio Vatia Isaurico gessisse. Neque uero latet causa discrepantiae in nume-

3. Hortensia uero, Q. Hortensî filia, cum ordo matronarum graui tributo a triumuiris esset oneratus nec quisquam uirorum patrocinium eis accommodare auderet, causam feminarum apud triumuiros et constanter et feliciter egit. Repraesentata enim patris facundia impetrauit ut maior pars imperatae pecuniae his remitteretur. Reuixit tum muliebri stirpe Q. Hortensius uerbisque filiae aspirauit, cuius si uirilis sexus posteri uim sequi uoluissent, Hortensianae eloquentiae tanta hereditas una feminae actione abscissa non esset.

DE QVAESTIONIBVS.

IIII. Atque ut omnes iudiciorum numeros exequamur, quaestiones, quibus aut creditum non est aut temere habita fides est, referamus.

---

1. matronorum *D.* || 2. esset a triumuiris graui tributo honeratus *F.* || *nec om. pr. A.* || 3. eis patrocinium commodare *F.* || 5. facundia patris *E.* || maior pars] *in rasura A.* || imperatae] *in rasura A.* impetratae *C. post* pecuniae *F.* || 6. tum] enim cum *F.* tunc *DΓ et in rasura E.* || ortensius *A.* || 7. sequi] loqui *C.* ||8. acciane *pr. A.*||9. abscisa *DEΓTorr.* extincta *F.*||10. DE QVAESTIONIBVS] DE SERVILIBVS *Par. add.* C. titus. t. de seruilibus *margo A. (Vid. praef. p. 53.) add.* et cruciatibus *E.* || 12. quibus ut *pr. A.* || fides] *ante* habita *DΓ. post* est *F.* || referamus *om. F.*

---

rando hoc magistratu. Apparet enim Valerium scripsisse *ad C. Caesarem II;* quod cum librarius quidam explicasset apposito *iterum*, prima littera inserti huius uocabuli numeri illius signo adhaesit, ita ut fieret *III.* Quam opinionem teneo, etiamsi in primaria scriptura libri Danielini omissum fuerit illud *III.* quod sane ibi uersus spatium aliquantulum excedit, sed, quantum equidem dinoscere potui, eadem manu eodemque atramento exaratum est. Addidi praeterea cum Pighio praenomen ante *Seruilium*, quod facillime excidere potuit. Neque enim auctori duobus consulum nominibus sine copula compositis *priori* addere praenomen, in altero omittere licuit. Ante Pighium perperam uulgo edebatur *M. Seruilium.*

3. Cf. Quint. I, 1, 6. App. ciu. IIII, 32.

abscissa non esset) Grammatici inde a Vorstio *abscisa* posuerunt, sed boni codices duplici *s abscissa* exhibent, eadem metaphora, qua Horatius epod. 16, 35 composuit *reditus abscindere dulces.* Valerius Flaccus II, 160 *querellas abscidit.* Valerius uno hoc loco abscindendi uerbo usus est, si meliores codices audimus, quod facere et possumus et debemus. Nam analogiae rationem parum in diiudicandis hisce formis ualere ex iis satis apparet, quae de hac re Zumptius disseruit, quamuis ipse eius opinionem (gramm. §. 189) non probauerim participia *abscissum* et *excisum*, quia neque pronuntiatione neque significatu adeo differrent ab eo quod est *abscisum* et *excisum*, omnino non in usu

M. Agrii argentarii seruus Alexander A. Fanni seruum occidisse insimulatus est, eoque nomine tortus a domino, admisisse id facinus constantissime adseuerauit. Itaque Fannio deditus supplicio adfectus est. Paruulo deinde tempore interiecto ille cuius de nece creditum erat, domum rediit. 1.

Contra P. Atinii seruus Alexander, cum in [hanc] suspicionem C. Flauii equitis Romani occisi uenisset, sexies tortus pernegauit ei se culpae adfinem fuisse. Sed perinde atque confessus et a iudicibus damnatus et a L. Calpurnio triumuiro in crucem actus est. 2.

Item Fuluio Flacco causam dicente Philippus, seruus eius, in quo tota quaestio nitebatur, octies tortus nullum omnino uerbum, quo dominus perstringeretur, emisit, et tamen reus dam- 3.

---

1. M. Agrii] Magni *F.* M. *(omisso* Agrii*)* *Γ.* || seruum *corr. D.* || Alexander] *litterae* er *in rasura AD.* alexandri *CEFΓ.* Alexandrum *Torr.* || A. Fanni] rafani *CFΓ, pr. A et litt.* ra *in rasura D.* rafanni *corr. A.* fanii *E.* C. Fannii *Torr.* || 2. admisisse] *add.* se *Γ et corr. D, Torr. Vid. ad IIII, 1, ext. 7.* || 4. est affectus *Γ.* || 5. cuius] *post* de *E.* || de nece *om. F.* || 6. Contra] *add.* autem *E.* contraque *F.* || P. Atinii] *sic Par.* putinii *in rasura A.* rafani *CΓ.* fanii *EF.* Fannii *D Torr.* || seruus] *in rasura A.* || hanc *om. Par. Torr.* || 7. uenisset] *ante* C. Flauii *Γ.* || 9. damnatus] *add.* est *D.* || a *om. E.* || calfurnio *EF.* || 11. Idem *F.* || causam *om. Γ.* || 12. uertebatur *(sed litt.* uer *in rasura) D.*

---

fuisse. Valerii editores nimirum minime sibi constiterunt, modo abscindendi modo abscidendi uerbum, prout libuit, praeferentes. Nos codices secuti illud quod a caedendo deriuatur reuocauimus I, 1, 18. II, 7, 9. III, 8, 3. V, 1, 10. VI, 1, ext. 2. VI, 3, 10. VI, 4, 3. VII, 7, ext. 4. IX, 2, 1 et 2. IX, 4, 3. IX, 13, 2 etc.

IIII, 1. *Alexander A. Fanni seruum)* Valeriani codices et editio Moguntina tradunt *Alexandri rafani seruum.* Quae emendaui Paridis epitomam secutus. Apparet autem librarium archetypi codicis, cum praenominis nota coaluisset cum nomine et adhaesisset ultima praecedentis uocabuli littera, ita ut fieret *Alexander rafani*, gliscente corruptela Alexandrum quendam Rafanum sibi finxisse, cuius seruum a M. Agrii seruo occisum putaret. Reliquae editiones tantum non omnes et nouissima exempla arbitrarie prorsus ita haec constituerunt, *Alexandrum C.* (uel *T.*) *Fannii seruum.*

2. *P. Atinii)* Hoc quoque a Paride est, cum librorum Valerianorum meliores eundem Rafanum, deteriores Fannium prodant, procul dubio propter praecedens exemplum, quia idem illic seruile quoque Alexandri nomen ponitur. Recentiores grammatici, qui Paridem non nouerant, deteriorum codicum testimonium amplexi sunt. Paridis autem scripturam non recte legisse uidetur emendator libri Bernensis, cum pro ea in rasura exararet *putinii.* Iam uero ineptam illam coniunctionem huius exempli cum priore causam extitisse credo, cur adderetur plane otiosum et contrarium pronomen *hanc*, quod idem qui reliqua corrupit adiecisse uidetur, significaturus eandem suspicionem hominis occisi, de qua supra dictum erat, nec animaduertens nomen eius hominis appositum esse. Expunxit primus Pighius uocem spuriam, quae a Paridis quoque epitome aliena est.

natus est, cum certius argumentum innocentiae unus octies tortus exhiberet quam octo semel torti praebuissent.

DE TESTIBVS.

V. 1. Sequitur ut ad testes pertinentia exempla conmemorem. Cn. et Q. Seruiliis Caepionibus, isdem parentibus natis et per omnes honorum gradus ad summam amplitudinem prouectis, item fratribus Metellis, Quinto et Lucio, consularibus et censoriis, altero etiam triumphali, in Q. Pompeium A. F. repetundarum reum acerrime dicentibus testimonium non abrogata fides absoluto Pompeio, sed ne potentia inimicum oppressisse uiderentur occursum est.

2. Marcus etiam Aemilius Scaurus, princeps senatus, C. Memmium repetundarum reum destricto testimonio insecutus est. Item C. Flauium eadem lege accusatum testis proscidit. Iam

---

1. tum *C.* || unus innocentiae *D.* || 2. exhibere *F.* || simul *F.* || 3. DE TESTIBVS] QVIBVS TESTIBVS CREDITVM NON SIT *Par.* DE TESTIMONIIS IRRITIS VEL RATIS *Torr.* || 5. Cn. et Q. — (10.) occursum est *om. Γ.* || G. et q. *F.* || seruilis *A.* seruulis *C.* seruilio *D.* seruilius *F.* || caeptonibus *C et pr. A.* comptionibus *F.* || ex iisdem *corr. D.* || nati *AC.* || 6. prouentis *pr. A.* prouecti *corr. A et pr. C.* || 7. idem *ACD.* || metellis q. et l. *ACDEF.* Q. et L. Metellis *Torr.* || 8. in quem pompeium *F.* || A. F.] ã. f. *(sed* ã *erasum) A.* aufidium *in rasura D.* auli filium *E. om. F.* || 9. rerum *C.* || arrogata *C.* || fides] *add.* est *E.* || 12. §. 2 *om. Γ.* || etiam *om. pr. D.* || mennium *D.* menium *E.* || 13. repetundarum] *post* reum *E.* repetendarum *F.* || districto *DF. Vid. ad II,* 9, 6. || 14. Iam C.] iamque *D.*

V, 1. Cf. Cic. pro Font. 7, 13.

Cn. et Q. Seruiliis Caepionibus) Cn. Seruilius Caepio consul erat a. u. c. 613 cum Q. Pompeio eodem contra quem testimonium dixit. Frater *eius* Q. Seruilius consulatum insequenti anno 614 obtinuit cum C. Laelio. Cf. Cic. Brut. 25, 97.

fratribus Metellis, Quinto et Lucio) Quinto Metello Macedonico, cons. a. 611 et L. Metello Caluo, cons. 612. Cf. Drum. gesch. Roms II, p. 36. Ceterum praenomina in modum appositionis adiecta editores uulgatorum exemplorum inuitis codicibus praeter omnem necessitatem praeposuerant nominibus.

Q. Pompeium A. F.) Consulem a. u. c. 613. Cf. Cic. Brut. 25, 96. in Verr. V, 70, 181. Val. IX, 3, 7.

2. Cf. Cic. pro Font. 7, 14.

C. Flauium) Cicero C. Fimbriam eum appellat. Erat autem C. Flauius Fimbria, Marii in altero consulatu collega, atque adeo idem quem Valerius VII, 2, 4 falso Lucium Fimbriam consularem dixerat. Cf. Cic. de off. III, 19, 77.

C. Norbanum maiestatis crimine publicae quaestioni subiectum ex professo opprimere conatus est. Nec tamen aut auctoritate, qua plurimum pollebat, aut religione, de qua nemo dubitabat, quemquam eorum affligere potuit.

Lucius quoque Crassus, tantus apud iudices quantus apud 3.
patres conscriptos Aemilius Scaurus, namque eorum suffragia robustissimis et felicissimis eloquentiae stipendiis regebat, eratque sic fori ut ille curiae princeps, cum uehementissimum testimonii fulmen in M. Marcellum reum iniecisset, impetu grauis, exitu uanus apparuit.

Age, Q. Metellus Pius, Lucius *et* Marcus Luculli, Q. Hor- 4.
tensius, M.' Lepidus C. Cornelii maiestatis rei quam non onerarunt tantummodo testes salutem, sed etiam negantes illo incolomi stare rem publicam posse, depoposcerunt? Quae decora ciuitatis, pudet referre, umbone iudiciali repulsa sunt.

Quid M. Cicero, forensi militia summos honores amplissi- 5.
mumque dignitatis locum adeptus, nonne in ipsis eloquentiae suae castris testis abiectus est, dum P. Claudium Romae apud

---

1. noruanum *CD et pr. A.* || publicae *om. C.* || quaestioni * *A.* || 2. aut *om. E.* || 3. qui plurimum *pr. A.* quam plurimum *C.* || 4. quamquam *C.* || eorum] illorum *(F)Torr.* || 5. §. 3 *om. F.* || 8. principes *C.* || 9. marcullum *C.* || 11. §. 4 *om. F.* || l. marcus luculli *(omisso* et*) ACEF.* l. marcus lucullus *D.* L. M. Luculli *Torr.* || 12. m. lepidus *ACDEFTorr.* || cornelium maiestatis reum *corr. A.* || onerauerunt *C.* honorarunt *corr. D.* || 13. tantummodo] cuius non modo *(sed ras.* cuius non *in rasura) A.* || salutem] *punctis notat. A.* || 14. incolumi *corr. A cum reliquis et Torr.* || r. p. non posse *F.* || dedecora *D et corr. A.* || 16. Quid M. *om. F.* || 18. est abiectus *E.* || Clodium *Par. Torr.*

C. Norbanum) Consulem a. u. c. 671. Cf. Cic. de off. II, 14, 49. de or. II, 21, 89; 25, 107. Vell. II, 25.

3. Cf. Cic. pro Font. 7, 14.

4. Cf. Ascon. in Cornel. p. 60, 79, 80 Orell.

Lucius et Marcus Luculli) Inserui Paridem secutus copulam inter fratrum Lucullorum praenomina, quae nullo modo omitti potest. Quod enim in illa epitome *L. et M. Lepidus* legitur, lacuna est, eo orta, quod librarii oculus a Luculli praenomine in eiusdem praenominis notam Lepido praepositam transsilierat. Neque uero erat Marcus sed Manius Lepidus, quemadmodum iam dudum Asconii locum citatum emendauit Sigonius, M'. Aemilium Lepidum, consulem a u. c. 688 designari animaduertens. Anno enim insequenti Cornelius reus agebatur. Lucius autem Lucullus, quem Asconius non commemorauit inter testes reo infensos, consul anni 680 erat.

5. Cf. Cic. ad Att. I, 12, 3. I, 13, 3 I, 16. pro dom. 30, 80. pro Mil. 17, 46. Plut. Cic. 29. Quint. IV, 2, 88. Senec. ad Lucil. ep. 98. Ascon. in Milon. p. 49 Or. Schol. Bob. in Clod. et Curion. p. 330 Or.

Claudium) Item diphthongo hoc nomen scriptum effertur VIII, 1, 6, ubi tamen in praenomine erratum est. Contra Clodium habent codices nostri III, 5, 3 et IX, 1, 7, neque aliter Paridis cod. Vaticanus hoc loco, de quo agimus. Cf. quae de utraque scribendi ratione disseruit Drumann. gesch. Roms II, p. 200.

se fuisse iurauit, illo sacrilegum flagitium uno argumento absentiae tuente? Siquidem iudices Claudium incesti crimine quam Ciceronem infamia periurii liberare maluerunt.

6. Tot eleuatis testibus, unum, cuius noua ratione iudicium ingressa auctoritas confirmata est, referam. P. Seruilius, consularis, censorius, triumphalis, qui maiorum suorum titulis Isaurici cognomen adiecit, cum forum praeteriens testes in reum dari uidisset, loco testis constitit ac per summam [inter] patronorum pariter et accusatorum admirationem sic orsus est, 'Hunc ego, iudices, qui causam dicit, cuias sit aut quam uitam egerit quamque merito uel iniuria accusetur ignoro. Illud tantum scio, cum occurrisset mihi Laurentina uia iter facienti admodum angusto loco, equo descendere noluisse. Quod an aliquid ad religionem uestram pertineat ipsi aestimabitis; ego id supprimendum non putaui'. Iudices reum uix auditis ceteris testibus damnarunt. Valuit enim apud eos cum amplitudo uiri tum grauis neglectae dignitatis eius indignatio, eumque, qui uenerari principes nesciret, in quodlibet facinus procursurum crediderunt.

---

1. sacrilegum] sacrilegum me *C et pr. A.* sacrilegum et *corr. A.* sacrilegium et *EF.* sacrilegii *D.* || absentiae argumento *Torr.* || 2. Clodium *Torr.* || 4. Tot — (5.) referam *om. Γ.* || 8. ac] ac cum *in rasura D.* || per *om. DΓTorr.* || summa *corr. D.* || inter] *sine uncis Torr.* || patro nurum *pr. A.* || 9. admiratione *corr. D.* || ergo *F.* || 10. cuius sit *ACDFΓ.* qui sit *E. Vt nos Par.* || uiam *AC DEFΓ.* u. uitam *margo A. Vt nos Par.* || quoque *D.* || 11. uel] an *F.* || accusatur *F.* || tantum] tamen *DFΓ.* || 12. Laurentina] *post* uia *F.* laurentinia *E.* || facientem *F.* || augusto *F et pr. A.* || 14. nostram *D.* || existimabitis *E.* || suppremendum *pr. A.* || 15. uix] uil x *C.* || additis *AC.* || damnauerunt *Torr.* || 16. cum] tum *CDFΓ.* || 17. principes uenerari *E.* || 18. quemlibet *F.*

---

6. *per summam [inter] patronorum)* Alterutram praepositionem aut redundare aut mendosam esse apparet. Itaque, cum Pighius priorem eiecisset, Torrenius ea retenta legendum esse suspicabatur *per summam interim patronorum*, ut dixerit auctor, dum illi factum eius admirarentur, ipsum in hunc modum orsum esse. Sed ea ipsa iam uis est simplicis praepositionis *per*, adeo ut illa praemissa superuacuum sit et langueat *interim*. Mihi igitur uerisimilius uidetur, et multo quidem, illud *inter* ascriptum fuisse in antiquo quodam codice a docto librario, ut interpretaretur praepositionem *per*, rariore significatu hoc loco positam. Atqui Valerius plus semel eodem prorsus modo locutus est. Sic VI, 4, 4 composuit *per summam indignationem*, IX, 2, 2 *per summam animi et uerborum insolentiam*; IX, 7, 1 *per summam animorum alacritatem*. Itaque illud, quod ualde mihi suspectum erat, uncis inclusi.

QVI QVAE IN ALIIS VINDICARANT IPSI COMMISERVNT.

Ne illos quidem latere patiamur, qui quae in aliis uindi- VI.
carant ipsi commiserunt.

C. Licinius, cognomine Hoplomachus, a praetore postulauit 1.
ut patri suo bonis tamquam ea dissipanti interdiceretur. Et quidem quod petierat impetrauit, sed ipse paruo post tempore mortuo sene amplam ab eo † relictam * * * fundia * * festinanter consumpsit. Dignus † a uicissitudine poenae fuit, quoniam hereditatem absumere quam heredem maluit tollere.

1. De his qui comiserunt ea quae in aliis uindicauerunt *E.* || IN] *om. Γ.* || uindicarunt *DΓ.* VINDICABANT *Par. Inscriptionem habet ante uu.* (4.) C. Licinius *F.* || 2. iudicauerunt *F.* || 3. comiserunt *A.* || 4. §. 1 *om. Γ.* || Cornelius licinius *E.* || hoplomacus *ACDE.* oploniacus *F.* || 5. bona *(ultima littera in rasura) D.* || ea dissipanti] aedissipanti *pr. A.* ea bona dissipanti *F.* || interdiceretur *D.* || Et quidem] Equidem *ACDEFPar.* || 7. ab eo] *add.* pecuniam *F.* || relictam] *ultima litt. in rasura A.* relicta *C.* || * * fundia * *] pecuniam *F et in rasura A.* fundia q. l. latem *C.* latifundium *D.* facultatem *E.* pecuniam latifundiaque *Torr.* || 8. Dignus] *om. pr. A.* || auicissitudine *pr. A.* hac uicissitudine *CDEF et corr. A, Torr.* || pene *CDEF.* || affuit *CEF.* || 9. assumere *F.*

VI, 1. † *relictam * * * fundia * *)* Haec uerba in codicibus ita aut manca sunt atque mutila aut interpolando deprauata, ut, cum antiqua libri Bernensis scriptura legi iam nequeat, ni noua exemplorum manuscriptorum subsidia inueniantur, uerum indagatum iri omnino desperem. Proxime fortasse ad archetypum codicem hoc loco nunc accedit alter Berolinensis *(C)*, quippe in quo non intellectas litteras nihil mutans librarius depinxisse uideatur, cumque ex eius reliquiis ceterorum exemplorum discrepantia facile explicetur. Inde enim in aliis illud *facultatem* in aliis *latifundiaque*, quemadmodum recte sine dubio suppletum est mancum uocabulum *fundia q.* Atque ne illud quidem spernendum, quod e Paridis compendio asciuit emendator libri Bernensis, *amplam ab eo relictam pecuniam.* Quae si epitomatorem cum reliquis uerbis e Valeriana relatione hausisse credamus, quod non abhorret a uerisimilitudine, fieri potest ut Valerius olim scripserit *amplam ab eo relictam pecuniam latifundiaque*, quomodo in uulgatis editionibus circumfertur inde a Pighio. Neque sane nunc habeo quod illis praeferam; sed in re adeo incerta atque dubia manum potius abstineo.

Dignus † a uicissitudine poenae) Omnes codices praeter Bernensem et editiones praeter Moguntinam exhibent *Dignus hac uicissitudine.* Quod Perizonio suspectum erat, mihi nullo modo ferendum uidetur. Quaenam enim in praecedentibus poenae uicissitudo commemorata est, ad quam respiciens auctor dicere potuerit *hac uicissitudine?* Aut quis *hac uicissitudine* positum putauerit pro *uicissitudine illius poenae?* Nemo profecto! Maxime autem errant qui cum Kappio interpretantur Licinium eandem poenam atque patrem eo subiisse, quod dissipata omni re familiari iam et ipse inopia premeretur. Nam poena, quam uicissim ille merebatur, ea erat ut ipse quoque quemadmodum pater bonis interdiceretur. Sed ne Perizonii quidem coniectura satisfacit, praesertim cum longe aliud suadere uideatur codex Bernensis, omnium longe optimus. Mallem equidem *Dignus sane uicissitudine* uel *Dignus autem uicissitudine* uel simile aliquid, quamquam etiam de adiectiuo *Dignus* dubitari potest, quod reliquorum consensu commendatum, deest in codice illo Bernensi.

2. Gaius autem Marius, cum magnum et salutarem rei publicae ciuem in L. Saturnino opprimendo egisset, a quo in modum uexilli pilleum seruituti ad arma capienda ostentatum erat, L. Sylla cum exercitu in urbem inrumpente ad auxilium seruorum pilleo sublato confugit. Itaque dum facinus quod punierat imitatur, alterum Marium a quo adfligeretur inuenit.

3. Gaius uero Licinius Stolo, cuius beneficio plebi petendi consulatum potestas facta est, cum lege sanxisset ne quis amplius quingenta agri iugera possideret, ipse mille conparauit, *diss*imulandique criminis gratia dimidiam partem filio emancipauit. Quam ob causam a M. Popilio Laenate accusatus, primus sua lege cecidit ac docuit nihil aliud praecipi debere, nisi quod prius quisque sibi imperauerit.

4. Quintus autem Varius, propter obscurum ius ciuitatis Hybrida cognominatus, tribunus plebis legem aduersus intercessionem collegarum perrogauit, quae iubebat quaeri quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent: magna cum clade rei publicae; sociale enim prius, deinde ciuile bellum excitauit. Sed dum ante pestiferum tribunum plebis quam certum ciuem agit, sua lex eum domesticis laqueis constrictum absumpsit.

DE STVDIO ET INDVSTRIA.

VII. Quid cesso uires industriae commemorare, cuius alacri spiritu militiae stipendia roborantur, forensis gloria accenditur, fido

1. autem *om. Γ.* || cum] *add.* se *corr. D.* || 2. ciuem] *add.* se *F.* || ad modum *F.* || 3. seruitutis *DΓ.* || obstentatum *E.* || 5. confuit *pr. A.* || imitaretur *F.* || 7. Gaius] cornelius *E.* || scolo *D.* || plebis *F et pr. A.* plebei *corr. A.* || petendum *D.* || 8. coñs. *C.* consulem *DF.* || amplius] *add.* quam *Γ et corr. DE, Torr. Cf. IX.* 1, 3. || 9. ipse] *in rasura A.* || mille] *in rasura AE.* || 10. simulandique *ACD EFΓ. Vt nos Par.* || mancipauit *Par.* || 11. l. popilio *EF.* || 12. praecipi] *ultima littera in rasura A.* || 13. prius] *add.* sua lege *F.* || imperauit *ACEFΓ.* || 14. §. 4 *om. Γ.* || Varus *E.* || 16. collegerum *pr. A.* || prorogauit *DEF et corr. A. Vid. ad I, 2, ext.* 1. || qua *ETorr.* || iubebat] *in rasura D.* || 17. cum *om. pr. E.* || rei publicae] p. r. *corr. D.* || 19. ante] *add.* se *corr. D.* || 20. assumpsit *F.* || 22. industriae uires *Γ.*

2. Cf. Cic. pro C. Rab. perd. 7, 20. App. ciu. I, 67. Auct. de uir. ill. 67.
3. Cf. Liu. VII, 16. Plin. h. n. XVIII, 3, 4. Plut. Cam. 39. Colum. de r. r. I, 3, 71. Auct. de uir. ill. 20.
4. Cf. Cic. Brut. 89, 305. App. ciu. I, 37.

sinu cuncta studia recepta nutriuntur, quidquid animo, quidquid manu, quidquid lingua admirabile est, ad cumulum laudis perducitur? Quae cum sit perfectissima uirtus, duramento sui confirmatur.

Cato sextum et octogesimum annum agens, dum in re pu- 1.
blica tuenda iuuenili animo perstat, ab inimicis capitali crimine accusatus causam suam egit, neque aut memoriam eius quisquam tardiorem aut firmitatem lateris ulla ex parte quassatam aut os haesitatione impeditum animaduertit, quia omnia ista in suo statu aequali ac perpetua industria continebat. Quin etiam in ipso diutissime actae uitae fine disertissimi oratoris Galbae accusationi defensionem suam pro Hispania opposuit.

Idem Graecis litteris erudiri concupiuit, quam sero, inde aestimemus, quod etiam Latinas paene iam senex didicit. Cumque eloquentia magnam gloriam partam haberet, id egit ut iuris ciuilis quoque esset peritissimus.

---

1. *et* 2. quicquid *(ter) corr. A.* || 3. perfectissima sit *Torr.* || uirtus] *add.* eam tamen *D. add.* f. eam tamen *margo A.* || confirmat *C.* || 5. octagesimum *C.* octuagesimum *E.* || 6. praestat *CEF.* || 7. suam causam *Torr.* || neque ut *F.* || 9. statu suo *Torr.* || 11. finē *A.* || dissertissimi *pr. A.* || 13. item *F.* || inde] in *F.* || 14. senes *E.* || 15. magnam] magna *F. add.* iam *FTorr.* || partem *pr. A.* || uti *D.* || 16. perfectissimus *pr. Γ.*

VII. *duramento sui confirmatur.)* Sensum horum uerborum, quae fortasse, ut multa in Valerio, magis obscure dicta quam uitiose scripta sunt, nescio an recte perceperit Torrenius, etiamsi accuratius explicare potuisset sententiam quam, ni fallor, hanc patabat, industriam, quamuis per se perfectissima sit uirtus, eo tamen prae ceteris excellere, quod se ipsam nouas semper uires ex se recipiens, roboret atque confirmet, citatque II, 7, 10 *Humanae — inbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas.* Atque haec potissimum respectu M. Catonis, sexto et octogesimo aetatis anno causam suam in capitali crimine agentis, pronuntiari non male animaduertit Gudius. Sed ne ita quidem altera sententiae pars cum altera satis recte cohaeret, pupugitque me semper nimia illa dicendi breuitas et suspicionem mouit an scripserit Valerius *duramento sui consumatur*, eo scilicet sensu, industriam quidem per se iam perfectissimam esse uirtutem, sed ad summum fastigium euehi omnique numero absolutam conspici, si se ipsam ita roboret atque obduret, ut in longum tempus sufficiat. Ita Valerius consummandi uerbo utitur VII, 2, ext. 2, *Felicitatis — humanae appellationem rogus consummat, qui se incursu malorum obicit.* II, 8, 7, *consummata atque constricta potentia.* VI, 1, 5, *honoribus, quos splendidissime gesserat, censurae grauitate consummatis.* Cf. etiam Senec. de ira III, 31 *consummauit dignitatem meam.*

1. Cf. Corn. Nep. Cat. 3. Cic. Cat. mai. 10, 32. id Brut. 20, 80. Liu. XXXIX, 40. Plin. h. n. VII, 27. Plut. Cat. mai. 15. Auct. de uir. ill. 47.

Idem Graecis litteris) Cf. Corn. Cat. l. c. Cic. Cat. mai. 1, 3; acad. quaest. II, 2, 5. Plin. h. n. XXIX, 1, 7. Quint. XII, 11, 23. Plut. Cat. mai. 12 et 23.

2. Cuius mirifica proles, propior aetati nostrae Cato, ita doctrinae cupiditate flagrauit ut ne in curia quidem, dum senatus cogitur, temperaret sibi quo minus Graecos libros lectitaret. Qua quidem industria ostendit aliis tempora deesse, alios superesse temporibus.

3. Terentius autem Varro, humanae uitae exemplo et spatio *nominandus*, non annis, quibus saeculi tempus aequauit, quam stilo uiuacior fuit. In eodem enim lectulo et spiritus eius et egregiorum operum cursus extinctus est.

4. Consimilis perseuerantiae Liuius Drusus, qui aetatis uiribus et acie oculorum defectus, ius ciuile populo benignissime inter-

---

1. proprior *F et pr. A.* || 2. fraglauit *pr. A.* || in curiã *pr. A.* in iuria *C.* || cogitur] *litt.* itur *in rasura A.* || 3. libros Graecos *Torr.* || 4. temporibus superesse *Torr.* || 6. exemplum *Γ.* || et] aetatis *Γ.* || spatio] ospitio *pr. A.* || 7. nominandus *om. EΓ et pr. ACD; sed suppletum in marg. A.* || 8. eius] egregius *Γ.* || 10. qui et aetatis *DPar. et in rasura A.* || 11. benignissime *om. F.*

---

2. Cf. Cic. de fin. III, 2, 7. Plut. Cat. min. 19.

Cuius mirifica proles) Cato Vticensis, pronepos censorii, non nepos, ut uult Torrenius. Cf. A. Gell. XIII, 19.

superesse temporibus) Valerius, cum acumen quaereret in antithesi ab aliis quoque scriptoribus frequenter adhibita, oppositis inter se *deesse* et *superesse*, *ἀνυπόστατον* sed non improbabiliter altero hoc uerbo usus est. Superesse autem temporibus sine dubio hoc loco dicitur qui supra tempora est nec opprimitur ab iis; qui imperat temporibus, quia bene iis scit uti, atque adeo numquam temporibus deficitur. Ita recte similem Vergilii locutionem III Georg. 127 *ne blando nequeat superesse labori* explicauit A. Gellius I, 22, 13. Insigniter maxime nouissimi editores errant, qui *temporibus* sexto casu positum putant citantque cum Colero Ciceronem de iure ciuili in artem redigendo ap. Gell. l. c. §. 7, ubi Q. Tubero scientia iuris maioribus suis non defuisse, doctrina etiam superfuisse dicitur, atque ita Valerium interpretantur, alios nimis abundans tempus habere seu illis multum temporis restare, in quo nihil habeant quod agant. Quae neque cum Ciceronis illo loco commune quicquam habent et sine dubio dicenda erant *aliis superesse tempora.*

3. Cf. A. Gell. III, 10, 17.

et spatio nominandus) Lacunam archetypi codicis explet margo codicis Bernensis, in quo ascriptum est *nominandus*; idque, quamquam aliud quoduis eiusdem significationis uocabulum locum habet, eo tamen maxime se commendat, quod simul causam probabilem aperit, cur uerbum illud interciderit. Liquet enim librarium ueloci oculo a litteris *no* in *nominandus* ad easdem litteras in proxima uoce transiisse. Fieri igitur potest ut hoc quoque archetypi codicis damnum antiquiore aliquo exemplo adiutus refecerit corrector libri Bernensis.

4. Cf. Cic. Tusc. V, 38, 112.

qui aetatis uiribus et acie oculorum) Suspicor Valerium scripsisse quod nunc in Bernensi codice ab emendatore e Paridis epitome receptum est. Neque enim Paridem, cum Valerii uerba ita redderet, *et aetatis uiribus et acie oculorum defectus*, prius illud *et* sponte adiecisse mihi persuadetur, quod facillime sane ante *aetatis* a librario archetypi codicis poterat omitti. Atque Valerium quidem nimium quantum ea copulatione delectatum esse, quae fit per *et — et*, ab aliis iam obseruatum est.

pretatus est utilissimaque discere id cupientibus monumenta conposuit. Nam ut senem illum natura, caecum fortuna facere potuit, ita neutra interpellare ualuit ne non animo et uideret et uigeret.

Publilius uero senator et Lupus Pontius eques Romanus, 5.
suis temporibus celebres causarum actores, luminibus capti eadem industria forensia stipendia executi sunt. Itaque frequentius etiam audiebantur, concurrentibus aliis, quia ingenio eorum delectabantur, aliis, quia constantiam admirabantur. Namque alii * * inconmodo perculsi secessum petunt, duplicant tenebras, fortuitis uoluntarias adicientes.

Iam P. Crassus, cum in Asiam ad Aristonicum regem de- 6.

---

1. monimenta *EΓ et post* conposuit *D.* || 5. Publius *ACDEFΓTorr. Vt nos Par.* || lucius pontius *F.* L. pontius *Γ.* Lupus Pontus *Par.* Pontius Lupus *Torr.* || 6. celebres *om. Γ.* || auctores *E.* || capiti *F.* || 9. constantiam] *add.* eorum *D.* || Namque *om. D.* || alii] *add.* eo *Torr.* || 10. inconmodo] *add.* isto *corr. D.* conmodo *AC.* || duplicantque *Torr.* || 11. uoluntaria *ACDEFΓ.* || 12. Iam P.] imp̃r. *(i. e.* imperator*) Γ.* || C. Crassus *Par. Cf. III*, 2, 12.

---

5. ***Publilius uero)*** Perizonii coniecturam, pro Publio senatore, quem codices et uulgata exempla tantum non omnia ponunt, Publilium substituendum esse, insigniter nunc confirmat Paridis epitome. Quae tamen peruagato illo errore et ipsa in capite de praenominibus §. 4 Publium Philonem habet pro Publilio. Vulgatam scripturam defenderunt Torrenius et Kappius, Bynkershoekium secuti in obseru. IIII, 12 citantem digestorum III, 1, 5, ubi qui commemoratur Publius, Nonii Asprenatis pater, idem sane hic caecus ICtus est, de quo egit Valerius. Sed recte nunc ibi quoque Publilius editur. Pighius, quod solo praenomine cognosci senator non potuisset, e codice Pulmanniano arbitrarie admodum Paulum posuerat. Alter ille caecus causarum actor, Pontius Lupus, ab aliis scriptoribus, quantum equidem scio, non commemoratur. In quo cur ordinem nominum ita inuerterent editores, ut cognomen, in codicibus praemissum, postponerent gentilicio, causa nulla erat. Cf. Flor. II, 2, 1 et Dukeri annot. ad h. l.

Namque alii * * inconmodo perculsi) Boni codices ***Namque alii conmodo*** tradunt. Manifestam archetypi codicis lacunam librarii et editores uarie suppleuerunt. Apparet autem desiderari pronomen demonstratiuum, quo insigniatur praedictum caecitatis incommodum. Itaque alii *tali*, alii *eo* ante *inconmodo* intruserunt. Sed ne ita quidem perfecta oratio est, cum uerba ***secessum petunt, duplicant tenebras*** sine copula componi nequeant, quae neque oppositionem neque gradationem aptam contineant (uid. commentarium meum ad VIII, 8, 2.), copula autem e coniectura inserta nullam omnino probabilitatem habeat. Ni omnia me fallunt, una cum demonstratiuo pronomine relatiuum quoque intercidit legendumque ***Namque alii, qui tali inconmodo perculsi secessum petunt, duplicant tenebras.*** Atque relatiuum ante me iam desiderauerat Perizonius, in eo tantum errans, quod alterutro dumtaxat pronomine aut relatiuo aut demonstratiuo suppleto scribendum esse coniecit *Nam alii qui* uel ***namque alii tali.*** Credo equidem librarium archetypi a uerbo *alii* in easdem litteras paulo post sequentes incidisse, quae causa erat cur simul interiret praepositio *(i)* in uerbo ***inconmodo.***

6. Cf. Quint. XI, 2, 50.

bellandum consul uenisset, tanta cura Graecae linguae notitiam animo conprehendit, ut eam in quinque diuisam genera per omnes partes ac numeros penitus cognosceret. Quae res maximum ei sociorum amorem conciliauit, qua quis eorum lingua apud tribunal illius postulauerat, eadem decreta reddenti.

7. Ne Roscius quidem subtrahatur, scenicae industriae notissimum exemplum, qui nullum umquam spectante populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est. Quapropter non ludicra ars Roscium, sed Roscius ludicram artem commendauit, nec uulgi tantum fauorem uerum etiam principum familiaritates amplexus est. Haec sunt attenti et anxii et numquam cessantis studii praemia, propter quae tantorum uirorum laudibus non inpudenter se persona histrionis inseruit.

Ext. 1. Graeca quoque industria, quoniam nostrae multum profuit, quem meretur fructum, Latina lingua recipiat. Demosthenes, cuius commemorato nomine maximae eloquentiae consummatio audientis animo oboritur, cum inter initia iuuentae artis, quam adfectabat, primam litteram dicere non posset, oris sui uitium tanto studio expugnauit, ut ea a nullo expressius referretur. Deinde propter nimiam exilitatem acerbam auditu uocem suam exercitatione continua ad maturum et gratum auribus sonum perduxit. Lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus uires negauerat a labore mutuatus est. Multos enim uersus uno impetu spiritus conplectebatur eosque aduersa loca celeri gradu scandens pronuntiabat. Ac uadosis litoribus insistens declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, ut ad fremitus

1. animo notitiam *r.* || 2. diuersa *D.* || 4. amorem sociorum *F.* || quas quis *F.* || 5. reddendi *C et pr. A.* || 7. spectanti *CEFTorr. Vt nos etiam Par.* || 10. uerum etiam] set et *F.* || familiaritatem assecutus est *F.* || 11. et numquam] et *om. C.* || 13. instrionis *D.* || 14. multum nostrae *E.* || 15. quam *F.* || 19. efferretur *rTorr. Vt nos etiam Par.* || 20. aceruam aditu *pr. A.* || 21. exercitationem *pr. A.* || a maturum *pr. A.* || 22. infirmitate *F.* || 23. mutatus *pr. A.* || uno impetu spiritus] *in rasura A.* uno impetus spiritu *F.* || 24. conplectebatur] *Par. et in rasura A.* complebat *CDE.* cohibebat uel complebat *r.* || ad diuersa *in rasura D.* || 26. flagoribus *CF.* || * edebat *A.* || stremitus *F.*

7. Cf. Cic. pro Arch. 8, 17. Macrob. Sat. II, 10.

Ext. 1. Cf. Cic. de or. I, 61, 260; de fin. V, 2, 5. Quint. I, 11, 5. X, 3, 30. XI, 3, 54. Plut. Demosth. 11; uit. dec. orat. 8, p. 844 E.

referretur) Sic optimi meorum codicum et Paridis Vaticanus, a quorum consensu discedere non sum ausus, licet insolentius ita dictum sit pro eo quod est *efferretur*, quemadmodum in uulgatis exemplis hucusque edebatur. Iam uero, si uerba scriptoris cuiusdam, uersum poëtae referre dicimur, quidni litterulam quoque, quam praescriptam quasi ore accipimus atque formamus reddendam atque exprimendam.

concitatarum contionum patientia duratis actionibus uteretur. Fertur quoque ore insertis calculis multum ac diu loqui solitus, quo uacuum promptius esset et solutius. Proeliatus est cum rerum natura et quidem uictor abiit, malignitatem eius pertinacissimo animi robore superando. Itaque alterum Demosthenen mater, alterum industria enixa est.

Atque ut ad uetustiorem industriae actum transgrediar, Pythagoras, perfectissimum opus sapientiae a iuuenta pariter et omnis honestatis percipiendae cupiditatem ingressus, (nihil enim, quod ad ultimum sui peruenturum est finem, non et mature et celeriter incipit,) Aegyptum petiit, ubi litteris gentis eius adsuefactus, praeteriti aeui sacerdotum commentarios scrutatus, innumerabilium saeculorum obseruationes cognouit. Inde ad Persas profectus Magorum exactissimae prudentiae se formandum tradidit, a quibus siderum motus cursusque stellarum et unius cuiusque uim, proprietatem, effectum benignissime demonstratum docili animo sorpsit. Cretam deinde et Lacedaemona nauigauit, 2.

1. actionibus] auribus *in rasura A, et add.* In actionibus *marg. A.* auribus in actionibus *D et corr. E, Torr.* anxius actionibus *F.* || 2. ori *coni. Periz. Sed ut nos etiam Par.* || cauculis *pr. A.* || 3. quo] *add.* os *F.* || et] ac *Γ.* || solicius *D.* || 4. naturae quidem *pr. A.* natura,e quidem *corr. A.* natura equidem *CD.* || 5. robore * *A.* || demosthenē *uel* demosthenem *DEFΓTorr.* || 6. mater] uirum mater *F.* || enixa — (7.) industriae *om. pr. A.* || 8. sapientiae] *om. F. add.* et *D.* || 9. suscipiendae *F.* || cupiditate *A.* || ingressus] *add.* est *F.* || 10. peruentum *C.* || est] *post* finem *Torr.* || nonne et *corr. D.* || maturae *A.* || 11. incepit *D.* || assufactus *Γ.* || 13. seculorum *(A.)* || Inde] idem *F.* || 15. et *om. pr. D.* || unius cuiusque] *add.* rei *F et corr. D.* || 16. et effectum *Torr.* || 17. sorpsit] *sic D et corr. A.* sorsit *pr. A.* sorbsit *Γ.* scripsit *CEF.* hausit *Torr.* || 17. Cretam] certam *pr. C.* gregciam *F.* || et] ac *E.* || lacedemonam *corr. C.* lacedemoniam *EFPar.*

duratis actionibus) Facile perspicitur codicem archetypum haec sola exhibuisse, *patientia duratis actionibus uteretur*, illud autem, quod in uulgatis editionibus circumfertur, *duratis auribus in actionibus*, librariorum coniecturae deberi, qui antiquam scripturam non intellexerint. Sed eam recte interpretatus est Pighius. 'Est enim', inquit, 'actio ipse oratorius gestus, tam in pronuntiatione quam in motu corporis consistens, atque ut ipse Cicero in oratore (III, 17, 55) definit. quasi corporis totius quaedam eloquentia, cum constet e uoce et motu. Tales igitur suas actiones Demosthenes patientia et labore durare ac stabilire uoluit, ut contra clamores ac fremitus obstrepentis populi constantes firmasque haberet'. Cui astipulatur Perizonius. (Cf. Cic. de or. III, 56, 213. Quint. XI, 3, 1.) Iniuria igitur Vorstius reuocauit quod merito expunxerat Pighius, *auribus in*, probante tamen Torrenio, cui dura uisa est locutio *duratis actionibus uti* eo sensu, quo illam accepit Pighius. Atqui ut sit dura. offendere profecto in Valerio non poterit.

2. Cf. Cic. de fin. V, 29, 87. Diog. Laert. VIII, 3. — Cic. Tusc. V, 3, 9. Diod. Sic. exc. Vat. c. 40 p. 32 Mai. Quint. XII, 1, 19. Diog. Laert. I, 12. — Cic. Tusc. V, 4, 10. Diog. Laert. VIII, 17.

docili animo sorpsit) Quod libri Danielini prima manus exhibet archetypi quoque codicis scripturam fuisse reliquorum librorum indicat discrepantia

quarum legibus ac moribus inspectis ad Olympicum certamen descendit. Cumque multiplicis scientiae maximam inter totius Graeciae admirationem specimen exhibuisset, quo cognomine censeretur interrogatus, non se sapientem, iam enim illud septem excellentes uiri occupauerant, sed amatorem sapientiae, id est Graece philosophon edidit. In Italiae etiam partem, quae tunc maior Graecia appellabatur, perrexit, in qua plurimis et opulentissimis urbibus effectus studiorum suorum adprobauit. Cuius ardentem rogum plenis uenerationis oculis Metapontus aspexit oppidum, Pythagorae quam suorum cinerum nobilius clariusque monumentum.

1. ac] et *F.* || inspectus *C.* || olympũcum *C.* || 2. multiplici *pr. A.* || maxima *D Torr.* || inter] inter omnes *DF et in rasura A.* interrogatus *(lineola inducta) C. om. ETorr.* || totius] *in rasura A. om. CEF.* || 3. admirationem] *add.* et *CEF.* admiratione *ADΓTorr.* || 4. sapientem] σοφόν *Torr.* || 5. amatorem sapientiae id est Graece *om. Torr.* || 6. philosophone didicit *pr. A.* philosophone didixit *corr. A.* philosophon dixit *D.* philosophon edicit *Γ.* φιλόσοφον esse respondit *Torr.* || 8. suorum studiorum *Torr.* || 9. plenum *ACDEF.* || 10. cinerum] *ante* suorum *F.* ciuium *E.* || clariusue monumento *Torr.*

scripsit, serpsit, sumpsit. Nec dubito quin recte inde corrector illius libri fecerit ***sorpsit***, quam perfecti formam, in composito adhibitam a Lucano IIII, 100, apud ueteres auctores legisse se testatur Diomed. I, p. 363, (cf. Charis. III, p. 217. Prisc. p. 873, 874 Putsch.) quamquam eam ut barbaram damnabat Val. Prob. p. 1480. (Cf. Caper p. 2240.). Ceterum eadem eiusdem uerbi metaphora usus est Cic. ad Q. fr. III, 9, 5 et in Ant. XI, 5, 10. Perizonius, cum inde a Pighio ederetur ***hausit***, legendum esse coniecit ***inscripsit***, hoc sensu, eum omnia tam diligenter didicisse quasi animo suo stilo essent impressa, quod ualde placuit Torrenio, neque tamen ab eo receptum est.

maximam inter totius Graeciae admirationem) Bernensis libri testimonium cum lateat sub litura atque adeo incerta sit archetypi exempli scriptura, optime fidem habebimus proximo a Bernensi, alteri Berolinensi ***C. maximam interrogatus*** exhibenti. In quibus sane mendosum illud ***interrogatus*** a librario, eadem uoce paulo post posita decepto, substitutum esse uidetur pro ***inter totius***, quod abbreuiatus quoque Guelferbytanus tuetur, cuius scriptura neque a sententia neque a uerisimilitudine abhorret. Nam, quod alii correctorem Bernensem secuti post ***inter*** intruserunt, ***omnes***, neque sententiae conuenit et omni destitutum est bonorum librorum commendatione.

non se sapientem et q. sqq.) Vulgatarum editionum scripturam, a bonorum librorum certissimo consensu longe discedentem, introduxerat Pighius, duobus pessimae notae codicibus fisus. Quod nos reuocauimus hausit Valerius e Ciceronis Tusc. V, 3, 9 uerbis leniter immutatis. Nostra exempla in uerbo finito tantum paululum discrepant, sed ita ut in archetypo codice aut ***edicit*** aut ***edidicit*** fuisse appareat, unde recte in alterius familiae altera parte ***edidit*** factum esse puto, quod in suo codice inuentum probauerat etiam Perizonius.

clariusque monumentum) Recte Pighius paulo ante e codicibus, confirmante Paride, ***plenis*** restituit pro ***plenum***, quod sensu omnino caret. Sed praeter omnem necessitatem idem ***monumentum*** mutauerat in ***monumento***. Susianum exemplum secutus, quod receperunt ceteri grammatici, probauit Torrenius, cui quod auctor ipsum oppidum dixerit monumentum Pythagorae durius uidetur quam ut admitti possit. Equidem in eo nihil duri inuenio, quod oppidum in quo uixerit, in quo docuerit, in quo sepultus sit Pythagoras, monumentum

Platon autem patriam Athenas, praeceptorem Socratem sor- 3.
titus, et locum et hominem doctrinae fertilissimum, ingenii quoque diuina instructus abundantia, cum omnium iam mortalium sapientissimus haberetur, eo quidem usque, ut si ipse Iuppiter caelo descendisset, nec elegantiore nec beatiore facundia usurus uideretur, Aegyptum peragrauit, dum a sacerdotibus eius gentis geometriae multiplices numeros *et* caelestium obseruationum rationem percipit. Quoque tempore a studiosis iuuenibus certatim Athenae Platonem doctorem quaerentibus petebantur, ipse Nili fluminis inexplicabiles ripas uastissimosque campos, effusam barbariem et flexuosos fossarum ambitus Aegyptiorum senum discipulus lustrabat. Quo minus miror in Italiam transgressum, ut ab Archyta Tarenti, a Timaeo et Arione et Echecrate Locris Pythagorae praecepta et instituta acciperet. Tanta enim uis, tanta copia litterarum undique colligenda erat, ut inuicem per totum terrarum orbem dispergi et dilatari posset. Altero etiam et octogesimo anno decedens sub capite Sophronis mimos habuisse fertur. Sic ne extrema quidem eius hora agitatione studii uacua fuit.

---

1. plato *DEFTorr. Vid. ad IIII*, 1, *ext.* 3. || Socraten *Par.* || 3. abundantia] sapientia *F.* || 4. quidem *om. Γ.* || 5. coelo *(A.)* || nec beatiore nec ellegantiore *E.* || 6. dum] *in rasura A.* ubi *D.* || 7. et] *om. ACDEFΓ.* atque *Torr. Vt nos Par.* || obseruatione *CEΓ.* obseruationi *pr. D.* obseruationem *F.* || rationum *CEΓ.* ratione *D.* || 8. certanti *C.* || 9. petebatur *Γ et in rasura D.* || 10. uastissimosque] que *om. E.* || barbariam *Γ.* || 12. ♀ * minus *A.* || miror] *add.* eum *corr. D. Torr.* || 13. archita *A.* || tarentino *FΓPar.* || tomeo *in rasura C.* || arrione *D.* || et echecrate *(litt.* et echec *in rasura) A.* et chete *CF.* et cetho *E.* et echecrati *(sed litt.* i *in rasura) D.* et ceteris *Γ.* || Locris] *in rasura A.* eius loci *Γ.* || 16. etiam] enim *Γ.* || 17. octagesimo *CD.* octingesimo *F.* octogensimo *Par.* || sophionis *corr. D.* sophyonis *F.* || mimos] libros *corr. C.* numeros *in rasura D.* || 18. ne *om. E.* || hora] *add.* nec *E.*

---

eius appellatur. Me potius, nisi in Valerio uersaremur, satis insulsa sententia offendisset, qua illud oppidum clarius nobiliusque redditum dicitur Pythagorae sepultura quam suis ciuibus ibi sepultis. Nam ita exponendum esse *suorum cinerum* recte uidit Torrenius. Incidit in haec Valerius nimium quantum inhaerens illi rogi cinerumque imagini eamque plus iusto extendens.

3. Cf. Cic. de fin. V, 29, 87. id. Cat. mai. 5, 13. Quint. I, 12, 15. I, 10, 17. Diog. Laert. III, 6 et 18. Suid. u. *Σώφρων.*

Arione et Echecrate) Horum philosophorum ne nomina quidem ab aliis scriptoribus poni nisi a Cicerone, a quo haec desumpsit Valerius, adnotauit Maduigius ad Cic. de fin. l. c. Iniuria igitur uir doctissimus spreta optimi Erlangensis libri auctoritate, in quo leniter tantum, ut in altero Berolinensi nostro *D* geminata littera *r* declinatum est, deteriores codices secutus pro Arione dedit Acrionem. Alterum nomen e Tullio emendauerat Lipsius, monente Cantero, cum antea uulgo ederetur *et Caeto.* Vtrumque, quemadmodum supra a nobis positum est, Paridis nunc epitome stabilitur.

4. At Democritus, cum diuitiis censeri posset, quae tantae fuerunt, ut pater eius Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit, quo magis uacuo animo studiis litterarum esset operatur*us*, parua admodum summa retenta patrimonium suum patriae donauit. Athenis autem compluribus annis moratus, omnia temporum momenta ad percipiendam et exercendam doctrinam conferens, ignotus illi urbi uixit, quod ipse quodam uolumine testatur. Stupet mens admiratione tantae industriae et iam transit alio.

5. Carneades, laboriosus et diuturnus sapientiae miles, siquidem nonaginta expletis annis idem illi uiuendi ac philosophandi finis fuit, ita se mirificum doctrinae operibus addixerat, ut, cum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhaerens manum ad mensam porrigere obliuisceretur. Sed ei Melissa, quam uxoris loco habebat, temperato inter studia non interpellandi sed inediae succurrendi officio, dexteram suam necessariis usi-

---

2. exercitui xersis *F.* Xerxi et exercitui *Par.* || epilium *C.* pabulum *F.* || 3. operatus *ACDEFΓTorr.* || 4. retenta summa *CEF.* || 5. cũ pluribus *pr. A.* quam pluribus *(sed* quam *in rasura) E.* quam plurimis *F.* || 6. et *om. F et pr. A.* || exercendam *om. F.* || 7. ipse] *add.* in *Torr.* || 8. Stupet — (9.) alio *om. Γ.* || admirationem *EF et pr. A.* || 10. carneides *F.* || 11. expletis nonaginta *Γ.* || 12. mirifice *D.* || adduxerat *pr. A.* adiecerat *E.* || 13. capienda *D.* || 14. ponere *F.* || ei] eum *ACDEFΓTorr.* || 15. temperata *D.* || 16. sed] et *ACΓ.* || inediae] xiii indie *F.* || dextera sua *CFΓ.*

---

4. Aelianus IIII u. h. 20 patrimonio non patriae Democritum, sed tribus fratribus cessisse narrat. Cf. etiam Cic. de fin. V, 29, 87 et Diog. Laert. VIII, 34.

Xerxis exercitui) Cf. Herod. VII, 119.

studiis litterarum esset operaturus,) Perperam Vorstius librorum scripturam *operatus* defendere conatus est ascriptis aliquot mutati imperfecti et plusquamperfecti exemplis, VII, 3, 6 et VII, 4, 5. Quae cum condicionem contineant, in qua interdum confundi ea tempora notissimum est (uid. comment. nostr. ad VII, 7, 4), nihil faciunt ad hanc rem expediendam. Mihi quidem, quoniam de perfecta actione hoc loco cogitari non potest, adeo necessaria uidebatur Perizonii coniectura *operaturus*, Torrenio quoque probata, ut eam recipere non dubitarem.

5. *Sed ei Melissa)* Quae codices omnes et editiones uulgatae circumferunt *Sed eum Melissa — dexteram suam necessariis usibus aptabat*, omni sensu carent; neque tamen his ante Perizonium quisquam offensus est, qui probabiliter admodum coniecit legendum esse *ei*, hoc sensu, Melissa Carneadi, cum ipse manum ad mensam cibi capiendi causa porrigere obliuisceretur, suam ipsius dexteram adaptauit, ut ille hac dextera tamquam sua uteretur ad res necessarias perficiendas. Corruptela inde orta esse uidetur, quod insequentis uocabuli *(Melissa)* prima littera cum pronomine male coniungebatur. Torrenius pro *eum* scribendum censuit *eam* et paulo post sexto casu *dextera sua*, interpretatus Melissam eam (Carneadis manum), quam ille porrigere obliuiscebatur, sua dextera mensae admouisse, minus sane similiter ueri, cum propter duplicem mutationem tum propter sententiam. Nam et rei conuenientius est, ipsam

bus aptabat. Ergo animo tantummodo uita fruebatur, corpore uero quasi alieno et superuacuo circumdatus erat. Idem cum Chrysippo disputaturus elleboro se ante purgabat ad expromendum ingenium suum adtentius et illius refellendum acrius. Quas potiones industria solidae laudis cupidis adpetendas effecit!

Quali porro studio Anaxagoran flagrasse credimus? Qui 6. cum diutina peregrinatione patriam repetisset possessionesque desertas uidisset, 'Non essem', inquit, 'ego saluus, nisi istae perissent'. Vocem petitae sapientiae compotem! Nam si praediorum potius quam ingenii culturae uacasset, dominus rei familiaris intra penates mansisset, non tantus Anaxagoras ad eos redisset.

Archimedis quoque fructuosam industriam fuisse dicerem, 7. nisi eadem illi et dedisset uitam et abstulisset. Captis enim Syracusis Marcellus machinationibus eius multum ac diu uictoriam suam inhibitam senserat. Eximia tamen hominis prudentia delectatus, ut capiti illius parceretur edixit, paene tantum gloriae

---

1. finiebatur *F*.||3. helleboro *Torr.*||exprimendum *A C D E F Γ Torr.*||4. reflendum *E*. ||5. efficit appetendas *Torr.*||6. anaxagoram *C D E Torr.* anazagoram *F.*|| fraglasse *pr. A.* || 7. cum] *add.* e *Γ et corr. E. Torr. add.* post *D. Vid. ad l.* 5, 1. || diuina *C et pr. A.* diutinam *D et corr. A.* || peregrinationem *D et corr. A.* || possessionesque] que *om. F.* || 8. ego inquit *E.* || 9. o uocem *E.* || potitae *corr. A.* || 11. paenates *pr. A.* || eas *C.* || 12. reddidisset *F.* || 14. illi et] et *om. pr. D.* || uitam dedisset *E.* || 15. diu *om. F.*

Melissam Carneadis ori cibos inseruisse, quam manum eius illis admouisse. Et melius aliquanto haec ita constituta cum sequentibus cohaerent, in quibus Carneades corpore quasi alieno et superuacuo circumdatus fuisse dicitur. Kappii suspicio, pro *Sed eum* scribendum esse *Sed enim*, certe nihili est.

Idem cum Chrysippo) Immo contra Zenonis libros disputaturus, ut tradunt Plin. h. n. XXV, 5, 21 et A. Gell. XVII, 15. Valerii lapsum memorialem iam agnouerat Colerus, eumque inde ortum opinatur Torrenius, quod Zeno etiam contra Chrysippum scripserit.

ad expromendum ingenium suum) Ita posui Paridis epitomam secutus, cum reliqua omnia exempla et manuscripta et typis impressa *exprimendum* traderent. Neque enim probabile est Paridem hoc uerbo usurum fuisse, nisi in suo Valerii codice id scriptum repperisset, cum interim saepissime notius exprimendi uocabulum ab indoctis librariis pro illo substitutum sit. Cf. Drak. ad Liu. XXXIIII, 61, 8. Expromere autem ingenium et similia ueteres saepe dixerunt pro eo quod uulgo est proferre et prolatum ostendere. Cf. Plaut. mil. glor. IIII, 2, 64. *Exprome benignum ex tete ingenium.* Ita odium expromere composuit Cic. ad Att. II, 12, 2; uim eloquentiae Cic. or. 36, 125; industriam id. in Cat. II, 10, 22; etc. Atque etiam oppositio illa inter expromendum suum atque refellendum aduersarii ingenium maior et aptior est quam ea inter exprimendum et refellendum. Itaque Paridis scripturam praeferendam duxi.

6. Cf. Plat. Hipp. mai. p. 283 A. Cic. Tusc. V, 39, 115.

7. Cf. Cic. de fin. V, 19, 50. Liu. XXV, 25. Plut. Marc. 19; alii.

in Archimede seruato quantum in oppressis Syracusis reponens. At is dum animo et oculis in terra defixis formas describit, militi, qui praedandi gratia domum inruperat strictoque super caput gladio quisnam esset interrogabat, propter nimiam cupiditatem inuestigandi quod requirebat nomen suum indicare non potuit, sed protracto manibus puluere 'Noli', inquit, 'obsecro istum disturbare', ac perinde quasi neglegens imperii uictoris obtruncatus sanguine suo artis suae liniamenta confudit. Quo accidit ut propter idem studium modo donaretur uita, modo spoliaretur.

8. Socraten etiam constat aetate prouectum fidibus tractandis operam dare coepisse, satius iudicantem eius artis usum sero quam numquam percipere. Et quantula Socrati accessio illa futura scientiae erat? Sed peruicax hominis industria tantis doctrinae suae diuitiis etiam musicae rationis uilissimum elementum accedere uoluit. Ergo dum ad discendum semper se pauperem credidit, ad docendum fecit locupletissimum.

9. Atque ut longae et felicis industriae quasi in unum aceruum exempla redigamus, Isocrates nobilissimum librum, qui *Παναθηναϊκός* inscribitur, quartum et nonagesimum annum agens, *ita*

---

1. quam *FΓ*. || Syracusis * * (his *erasum uidetur*) *A.*-*add.* hostis *DF et margo A.* || 2. terram *ΓTorr.* || 3. strictoque] que *om. F.* || caput] *add.* eius *F.* || 4. nimiam inuestigandi ueri cupiditatem quam requirebat *F.* || 6. proiecto *Par.* || inquid *pr. A.* || disturbare] *add.* circulum *DEF.* || 8. suo] suae *C.* || suae *om. C et pr. E.* || 10. Socratem *CDEFTorr.* || etiam] enim *D.* || 12. nunc quam *A.* || socratis *CEFΓ.* || ista *Torr.* || 13. futurae *F.* || scientia *Γ.* || pertinax *Torr.* || tantis *om. E.* || 15. accede *pr. A.* || 16. fecit] *add.* se *Torr.* || 17. quasi *om. E.* || 18. hisocrates *A.* hic socrates *DF.* || qui *om. Γ.* || *ΠΑΝΕΓΥΡΙΚΟΙΗΝΑΚΟC in rasura A. TIANAΘNAIKOC C.* na ut' tipico utenakoc *D.* graece na noounaikoc *E.* graece *F.* panathenaikos *Par.* || 19. inscribitur] *om. Γ. ante Παναθηναϊκός Torr.* || uigesimum *F.*

Syracusis reponens) his, quod in primaria libri Danielini scriptura excipiebat nomen Syracusarum quodque extat etiam in editione uetere, qua usus est Kappius, ab aliis cum correctore libri Danielini male mutatum est in *hostis*, ortum esse uidetur e dittographia, repetitis finalibus duobus litteris *is* praecedentis uocabuli, addita postea aspiratione, ut solet fieri in pronomine demonstratiuo *is*.

8. Cf. Plat. Euthyd. p. 272 C. Cic. Cat. mai. 8, 26. Quint. I, 10, 13.

ad docendum fecit locupletissimum) Pronomen reflexiuum, quod post *fecit* inuitis codicibus intruserant grammatici, non magis hoc loco e praecedentibus *ad discendum semper se pauperem credidit* repeti atque adeo taceri potuit, quam IIII, 1, 6 in uerbis *quantum egerat in emerendis* et VI, 3, 6 in uerbis *segniorem egit*, quamuis non negauerim facile fieri potuisse ut et in *altero* illo exemplo ante *segniorem* et hoc loco, de quo agimus, ante *fecit* librarius ueloci oculo praetermiserit pronomen *se*.

9. Cf. Isocr. Panath. 1. Cic. Cat. mai. 5, 13.

ut ipse significat, conposuit, opus ardentis spiritus plenum. Ex quo apparet senescentibus membris eruditorum intus animos industriae beneficio florem iuuentae retinere. Neque hoc stilo terminos uitae suae clausit. Namque admirationis eius fructum quinquennio percepit.

10. Citerioris aetatis metas, sed non parui tamen spatii Chrysippi uiuacitas flexit. Nam octogesimo anno coeptum undequadragesimum *Λογικῶν*, exactissimae subtilitatis uolumen, reliquit. Cuius studium in tradendis ingenii sui monumentis tantum operae laborisque sustinuit, ut ad ea quae scripsit penitus cognoscenda longa uita sit opus.

11. Te quoque, Cleanthe, tam laboriose haurientem et tam pertinaciter tradentem sapientiam numen ipsius industriae suspexit, cum adulescentem quaestu extrahendae aquae nocturno tempore inopiam tuam sustentantem, diurno Chrysippi praeceptis percipiendis uacantem, eundemque ad undecentesimum annum adtenta cura erudientem auditores tuos uideret. Duplici enim labore unius saeculi spatium occupasti, incertum reddendo discipulusne an praeceptor esses laudabilior.

12. Sophocles quoque gloriosum cum rerum natura certamen habuit, tam benigne mirifica illi opera sua exhibendo quam illa

---

2. inter *E.* || 3. iuuentae florem *F.* || nec *E.* || hoc] *in rasura D.* a *in rasura A.* || stilo] seculo *in rasura D.* || 6. non] nec *C.* || parui tamen] paruitatem *Γ.* || crysippi *A.* || 7. octogensimo *Par.* || undequadragesimo *DΓ.* ante quadragesimum *F.* undequadragensimum *Par.*||8. *ΛΟΓΙΚΟΝ A.* ʌotiRoH *C.* actikon *D.* *ΛΟCΙΚΟΗ E. om. F.* logicon *Par.* || sublimitatis *C.* || 9. monimentis *EΓ.* || operum *D.* operis *F.* || 12. Me quoque cleantem *D.* || 14. questum *F.* || extrahendae aquae] *in rasura D.* extrahenda ea quae *pr. A.* extrahendae eaque *corr. A.* || 15. percipiendis *om. F.* || 16. eademque *D.* || unum et centesimum *F.* || 17. et rudientem *pr. A.*||suos *ACEF.*||20. gloriosissimum *E.*||21. illi] illa *A et ante* mirifica *FΓ.* ille *CDE.*

---

10. Cf. Lucian. Macrob. 20. Sed Diog. Laert. VII, 184 et Suid. u. *Χρύσιππος* eum LXXIII annos natum decessisse scribunt.

11. Cf. Diog. Laert. VII, 168. Suid. u. *Κλεάνθης*. Senec. epp. ad Lucil. 44.

Chrysippi praeceptis percipiendis) Valerium errasse, quod Cleanthem pro magistro discipulum Chrysippi fecisset, iam Oliuerius adnotauit. Erat autem Cleanthes Zenonis discipulus. Cf. Cic. acad. II, 41, 126. Lucian. Macrob. 19. Diog. Laert. VII, 168. Suid. u. *Κλεάνθης*.

12. Cf. Cic. Cat. mai. 7, 22.

mirifica illi opera sua) Ita recte edidit Vorstius, Chalcocondylae, Martini Herbipol., Ascensii, Mediolanense exempla secutus, pro eo quod in codicibus manuscriptis et reliquis editionibus positum est, *mirifica illa opera sua*, cum sententiam hanc flagitari appareat, mutua alterum ab altero munera accepisse, Sophoclem a rerum natura longam aetatem, illam a Sophocle mirifica eius opera. Sentio quam inepte Sophocles rerum naturae opera sua exhibuisse dicatur, sed in

operibus eius tempora liberaliter subministrando. Prope enim centesimum annum attigit, sub ipsum transitum ad mortem Oedipode ἐπὶ Κολωνῷ scripto, qua sola fabula omnium eiusdem studi poetarum praeripere gloriam potuit. Idque ignotum esse posteris filius Sophoclis Iophon noluit, sepulcro patris quae re-
tuli insculpendo.

13. Simonides uero poeta octogesimo anno et docuisse se carmina et in eorum certamen descendisse ipse gloriatur. Nec fuit iniquum illum uoluptatem ex ingenio suo diu percipere, cum eam omni aeuo fruendam traditurus esset.

14. Nam Solon quanta industria flagrauerit et uersibus conplexus est, quibus significat se cotidie aliquid addiscentem senescere, et supremo uitae die confirmauit, quod adsidentibus amicis et quadam de re sermonem inter se conferentibus fatis iam pressum caput erexit interrogatusque quapropter id fecisset respondit 'Vt cum istud, quidquid est, de quo disputatis, percepero, moriar'. Migrasset profecto ex hominibus inertia, si eo animo uitam ingrederentur, quo eam Solon egressus est.

15. Quam porro industrius Themistocles, qui maximarum rerum cura districtus, omnium tamen ciuium suorum nomina memoria conprehendit per summamque iniquitatem patria pulsus et ad Xerxem, quem paulo ante deuicerat, confugere coactus, prius quam in conspectu eius ueniret, Persico sermone se adsuefecit, ut labore parta commendatione regiis auribus familiarem et adsuetum sonum uocis adhiberet.

---

3. oedipodea *D.* || *ΕΠΙ ΚΟΛΟΝΟΝ ΑΓ. ΕΠΙΚΟΛΟΗΟΗ C. em.* roaonon *D.* erukoaHoH *E.* ac cilleo *F.* Coloneo *Torr.* || 4. proripere *CE et pr. A.* || 5. sophum *pr. A.* sophon *CDEFΓ et corr. A. Correxit Pighius.* || sepulcro] *post* patris *F.* sepulchro *pr. A.* || quaeque *F.* || 7. octogensimo *Par.* || se *om. Par.* || 9. i N icum *in rasura A.* inimicum *Γ.* || 10. ea *CE.* || aeuo *om. Γ.* || fruenda *CE.* || 11. Iam *D et corr. A. Torr. Vid. ad I, 6, 10.* || Solo *Par. Vid. ad IIII, 1, ext. 3.* || flagrauit *F.* || 12. aliquid] *om. pr. E. post* addiscentem *Γ.* || 13. die uitae *E.* || quod] qui *Torr.* || abscidentibus *F.* || amicis — (14.) conferentibus *om. C.* || 16. quidquid est *om. F.* || disputastis *F.* || 18. ingredirentur *E.* || 20. destrictus *Γ Par. Vid. ad II, 9, 6.* || memoriã *pr. A.* || 21. summam namque *corr. D* || 22. xerxen *Γ.* || 23. conspectum *Γ Torr. Vid. ad V, 4, ext. 5.* || 24. familiare *C.* || 25. exhiberet *F.*

---

talia saepissime incurrit Valerius nimio illo studio, quo in antithesibus et sententiis e contrario relatis splendorem atque ornatum orationi quaesiuit.

14. Cf. Plat. Lach. 14 p. 189 A. id. de rep. VII p. 536 C. Cic. Cat. mai. 8, 26. Plut. Sol. 2; alii.

15. Cf. Thucyd. I, 138. Corn. Nep. Them. 10, 1. Cic. Cat. mai. 7, 21. Quint. XI, 2, 50. Plut. Them. 29. Amm. Marc. XVI, 5, 8.

Cuius utriusque industriae laudem duo reges partiti sunt, 16.
Cyrus, omnium militum suorum nomina, Mitridates, duarum et uiginti gentium, quae sub regno eius erant, linguas ediscendo, ille, ut sine monitore exercitum salutaret, hic, ut eos quibus imperabat sine interprete alloqui posset.

DE OTIO.

Otium, quod industriae et studio maxime contrarium uidetur, VIII.
praecipue subnecti debet, non quo euanescit uirtus, sed quo recreatur. Alterum enim etiam inertibus uitandum, alterum strenuis quoque interdum adpetendum est, illis, ne proprie uitam inertem exigant, his, ut tempestiua laboris intermissione ad laborandum fiant uegetiores.

1. utriusque *om. F.* || 2. suorum militum *E.* || 3. linguas] *add.* eius *F.* linguae *pr. A.* || addiscendo *C.* discendo *Γ.* || 6. DE OTIO LAVDATO *Torr.* || 7. quod praecipue industriae et quod studio *(sed ultima uox in rasura) A.* || 8. praecipue] *add.* sed breuiter *Γ.* || 9. enim *om. CE et corr. D.* || uitandus *pr. A.* || 10. interdum quoque *E.* || propriae *A.* || uitae *F.* || 11. inermem *pr. A.* ineruem *corr. A.* inherentem *C.* eneruam *D.* inhertiam *F.* inhermem *Γ.* || intermissione * *A.* || 12. ueteriores *pr. A.* uetetiores *corr. A.* uegetatiores *F et ante* fiant *Γ.*

16. Cf. Plin. h. n. VII, 24. Quint. XI, 2, 50. — Plin. h. n. XXV, 2. At A. Gellius XVII, 17 Mithridatem quinque et uiginti gentium linguas percalluisse scribit, neque aliter legendum censeo apud auctorem de uir. ill. 76, ubi uulgo editur *quinquaginta gentium.*

VIII. *ne proprie uitam inertem exigant)* Haec uerba ita mihi explicanda uidentur, otium illud, quo euanescat uirtus, uel iis uitandum esse, quibus iners i. e. otiosa, quieta, negotiis uacua uita proposita sit, ne uitam exigant, quae propria appellatione iners dici debeat, nulla omnino arte, nulla uirtute instructa atque ornata. Proprie enim perhibetur iners, ut Lucilii uerbis utar (ap. Seru. ad Aen. IIII, 158), ars in quo non erit ulla. Recenset eas artes, quibus potissimum qui carebant inertes nominabantur, Cicero de fin. II 34, 113 et seqq. Significauit igitur Valerius uerbo *proprie* etymologiam uocabuli *iners.* Nos diceremus damit sie nicht recht eigentlich ein unthätiges leben führen. Atque haec quidem scriptura propius etiam aliquanto accedit ad archetypi codicis testimonium *(inermem)* quam altera illa *eneruem*, quam praetulit Torrenius, explicans, ne uitam exigant, quae proprio nomine eneruis uocanda sit. Neque uero etiam animaduertit Torrenius in sua interpretatione plane redundare *proprie*, quod sane ideo tantum adiecit auctor, ut mitior illa notio, qua antea de inertibus locutus erat ab hac seueriore et iam certam uituperationem continente inertiae significatione discerneretur. Itaque prudentius, etiamsi arbitrarie admodum ac licenter, Pighius egit, qui, cum reciperet *eneruem*, simul illud *proprie* expunxit. Vorstii opinionem, qua *proprie* pro *perpetuo* poni statuit, non est quod pluribus redarguam.

1. Par uerae amicitiae clarissimum, Scipio et Laelius, cum amoris uinculo tum etiam omnium uirtutum inter se iunctum societate, ut actuosae uitae iter aequali gradu exequebantur, ita animi quoque remissioni communiter adquiescebant. Constat namque eos Caietae et Laurenti uagos litoribus conchulas et umbilicos lectitasse, idque se P. Crassus ex socero suo Scaeuola, qui gener Laelii fuit, audisse saepenumero praedicauit.
2. Scaeuola autem, quietae remissionis eorum certissimus testis.

1. §. 1 *om. Γ.* || lelius *A.* || cum] tum *EF.* || 2. iuncta *F et corr. D.* iuncti *Torr.* || 3. equabantur *D.* || 4. remissione *D.* || communiter] aequaliter *F.* || 5. uagas lictoribus *D.* || conculas *ACDE.* cumculas *F.* conchylia *Par.* || 6. umbilicos] obbilicos *(sed alterum* b *in rasura) A.* calculos *CDEFTorr.* || atque *C.* || L. Crassus *Torr.* || socio *F.* || Q. Scaeuola *Torr.* || 7. genere *F.* || laetii *pr. A.* || 8. Scaeuola — *(p.* 636, 2*)* agebat *om. Γ.* || quietae] * * * *A.*

1. Cf. Cic. de or. II, 6, 22. Hor. serm. II, 1, 71.

inter se iunctum societate) Miror grammaticos, qui omnes posuerunt *iuncti*, nullam omnino scripturae uarietatem enotasse, cum tamen codices uno quasi ore *iunctum* tueantur, quod insolentius sane dictum est non tam propter pluralem qui sequitur uerbi numerum quam propter praecedens *inter se*. Poterat hoc abundanter addi collectiuo quam uocant nomini, ita ut singulae eius partes intellegerentur; sed praemissis Scipionis et Laelii nominibus, quo facto nemo non ad hos uiros retulerit uerba *inter se*, praeter opinationem incidit *iunctum*, expectante unoquoque *iuncti*. Quae inconcinnitas moleste sentitur. Fluctuabat auctor neglegentius scribens inter subiectum enuntiati et inter appositionem, modo ad *par* referens sententiam, modo ad Scipionem et Laelium. Neque enim haec prauitas librariorum culpae tribuenda est, quos naturalem sermonem consilio ita detorsisse minime credibile est.

et umbilicos lectitasse) Valerium idem uocabulum posuisse, quo Cicero in eadem re enarranda usus est, et mendum libri Danielini et incorruptum Paridis testimonium liquide declarant. In altera codicum familia nescio quo auctore pro ignota aut non intellecta uoce usitatior *calculos* locum occupauit, arcessita e proximo exemplo, ubi Scaeuola alueo et calculis interdum uacasse dicitur. *Vmbilicos* iam Pighius ediderat e codice Wincheliano idque retinuerant Colerus et Vorstius. Torrenius ueterum exemplorum et plurimorum librorum scripturam reuocauit. Cf. uit. Caligul. quae Aurelii Victoris fertur.

P. Crassus ex socero suo Scaeuola) In praenomine Crassi ponendo secutus sum codices manuscriptos, quamquam falso hi Publium appellant qui erat Lucius Crassus. Cf. Cic. de or. I, 7, 24. Drum. gesch. Rom's IIII, 69, 16. Potest enim fieri ut ipse auctor in praenomine errauerit. Cui opinioni ne id quidem obstat quod IIII, 5, 4 recte Q. Scaeuolam L. Crassi socerum dixit. Certe in incredibili illa Valerii oscitantia saepissime iam reprehensa a codicum auctoritate discedere non licet. Cf. praef. p. 33. Scaeuolae praenomen a me nunc remotum, quippe quod libri manuscripti non agnoscant, Valerius ipse hoc loco reticuisse uidetur.

2. Cf. Cic. de or. I, 50, 217.

Scaeuola autem, quietae remissionis — testis) Manifesto Valerius sequentia eidem Scaeuolae tribuit, quem modo C. Laelii generum dixerat. Itaque iterum duos eiusdem nominis uiros confudit. Nam gener Laelii Q. Mucius Scaeuola augur erat (Cic. de or. I, 7, 24 et II, 6, 22. id. Lael. 1, 1) idemque testis remissionum Scipionis Laeliique. Ille uero, quem optime pila et duodecim scriptis lusisse tradunt Cicero de or. I, 50, 217, in fragm. Hortens. p. 479 Orell. et Quintil. XI, 2, 38, P. Mucius pontifex maximus iurisque ciuilis peri-

optime pila lusisse traditur, quia uidelicet ad hoc deuerticulum animum suum forensibus ministeriis fatigatum transferre solebat. Alueo quoque et calculis interdum uacasse dicitur, cum bene ac diu iura ciuium *et* caerimonias deorum ordinasset. Vt enim

---

1. luxisse *F.* || diuerticulum *ACDEF Torr. Vid. ad I, 7, ext.* 10. || 3. alueo] ali eo *C.* aleis *DE.* alea *F.* || uacasse interdum *Torr.* || 4. et *om. ACDEF.* || erimonias *pr. C.* cerimoniasque *DF et corr. C.*

---

tissimus erat, quo nomine hoc loco animum relaxasse dicitur, cum bene ac diu iura ciuium et caerimonias deorum ordinasset. Valerii errorem primus detexit Perizonius. Eidem Perizonio suspecta erat uox *quietae;* neque sine idonea causa. 'Cur enim', inquit, 'quieta illa remissio, cum uagarentur in littore, conchas quaerentes? illa potius quieta remissio dici potuit ludentium alea et alueo'. Et sane causa cur quietam potissimum appellauerit eorum remissionem non facile perspicitur. Idem sensisse uidetur censor libri Danielini, qui hanc uocem plane expunxit. Emendationes autem Perizonianae, *qui ante* uel *qui et remissionis* mihi non satisfaciunt, quoniam uerbum *est* uel *fuit* non recte reticetur in hoc relatiuo enuntiato. Mallem igitur *pdiotae* uel simile aliquid. Nescio tamen an ipse illo epitheto parum apte usus sit Valerius, certum acumen quaerens, quietamque remissionem oppositam esse uoluerit actuosae, quam antea commemorauerat, eorum uitae.

iura ciuium et caerimonias deorum) Copula *et* in bonis codicibus omittitur. Monuimus iam in praecedentibus Valerium ualde delectatum esse duabus notionibus aut sententiae partibus *διανδέσως* compositis praecipue in oratione concitata et celeriter decurrente, uel si gradatione quadam ab altera ad alteram partem ascenditur. Cuius consuetudinis, ne saepius iniuria copulam a grammaticis inuitis codicibus intrusam reiecisse uidear, aliquot saltem ponam exempla. Ita composuit VII, 5, 5 *Diuitias, imperia largitus est;* VII, 7, 1 *Errore patris, impudentia amicorum sibi clausam repperit (domum)*; II, 7, 15 *quo tempore tam angusto, tam graui* etc. Frequentius etiam idem dicendi genus adhibuit, ubi altera sententiae pars alteri ita opposita est, ut eiusdem sublecti diuersa actio in diuerso obiecto praedicetur, quod accidit III, 1, 1 *hostem interemit, ciuem seruauit,* et ibidem *gentis Aemiliae pueritia coronam mereri, spolia rapere ualuit.* VII, 5, 5 *leges uetustas abrogauit, nouas tulit.* V, 3, 2 *cuius (urbis) ipse salutem stabilierat, felicitatem auxerat.* Similem oppositionem haec habent VII, 6, 1 *senatus Otacilio, qui Siciliam, Cornelio Mammulae, qui Sardiniam — obtinebant — rescripsit,* ubi non copulata oratio, Paridis quoque epitoma defensa, minime insolens est, quam tamen non admiserunt editores. Nil tale hoc loco, de quo agimus, incidit, nec qua ratione asyndeton illud defendi possit equidem perspicio; non magis quam VIII, 7, 3 ubi, cum codices optimi exhibeant *dum — geometriae multiplices numeros, caelestium obseruationum rationem percipit,* nec concitatam orationem nec gradationem nec oppositionem quandam inuenio. Vereor ne quis gradationem inesse putet illis, quae non copulate in bonis codicibus leguntur II, 7, 4 *quod eius culpa agger incensus, paene castra erant capta.* Neque enim Valerius diuersae rei Aurelio duplicem culpam, aggeris incensi et castrorum paene captorum, alteram maiorem altera imputare sibi proposuerat, sed agger incensus causa fuisse creditur, quod castra paene capiebantur. Atque in ultimis his duobus exemplis copulam, quam in uitis codicibus necessario inserui, Paridis etiam auctoritas tuetur. Iam uero VII, 6, 1 in uu. *Siciliamque et Sardiniam, benignissimas urbis nostrae nutrices, gradus et stabilimenta bellorum* copulam *et* ante *stabilimenta* non recte abesse in codicibus nemo non intelliget, cum ea omissa plane incertum sit utrum ad praecedentem an ad sequentem genitiuum pertineat *gradus.* Aliud non coniunctarum duarum notionum genus huic scriptori peculiare attigi III, 5, ext. 4.

in rebus seriis Scaeuolam, ita in † scaenis lusibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit.

Ext. 1. Idque uidit, cui nulla pars sapientiae obscura fuit, Socrates, ideoque non erubuit tunc, cum interposita arundine cruribus suis cum paruulis filiolis ludens ab Alcibiade risus est.

2. Homerus quoque, ingenii caelestis uates, non aliud sensit, uehementissimis Achillis manibus canoras fides aptando, ut earum militare robur leni pacis studio relaxaret.

---

1. scaeus (?) *pr. A.* scaeuis *aut* scaenis *corr. A.* scenis * * *(ultima litterа is rasura) D.* scurrilibus *CEFTorr.* || 2. quem] hominem enim *Γ.* || reum *F.* || 4. Vidit id *Γ.* || Socrates] *ante* cui nulla *F.* || 5. harundine *ΓPar.* || 6. paruis *E.* || derisus *F.* uisus *pr. Par.* || 7. aliut *pr. A.* || sentit *C.* || 9. leui *E.*

---

ita in † scaenis lusibus hominem agebat) Quid eruendum sit ex his antiquae scripturae reliquiis equidem nescio. Librariorum et recentiorum grammaticorum infelices emendandi conatus, *scurrilibus, senilibus,* (quod miror Torrenium probasse,) *inseriis, scenicis,* quique sunt alii, se ipsi satis redarguunt. At ne Perizonii quidem coniectura *in caenis et lusibus*, illis doctior et probabilior, aliquo numero satisfacit, cum nihil omnino de caenis praecesserit, quod subitam earum mentionem explicet, neque etiam per se caenae eodem modo ut lusus seriis rebus opponi possunt. Fortasse illud *scaenis*, si tamen ita erat in archetypo libro, ab interprete quodam ascriptum erat, qui lusus, in quibus hominem egisse dicitur Scaeuola, de scenicis ludis dictos opinabatur, adeo ut desperata uox ex sede inter Valeriana non debita plane eicienda sit. Sed haereo anceps satisque habeo uulnus indicare, ut mihi quidem uidetur, uix sanabile.

Ext. 1. Cf. Ael. u. h. XII, 15.

arundine) Paridis epitome hanc uocem cum aspiratione scriptam habet, quam probant Eutych. ap. Cassiod. de orthogr. 9. Agroet. de orthogr. p. 2273 P. Cf. etiam Osann. ad Appul. not. aspir. p. 91. Wagn. orthogr. Verg. p. 441. Abest tamen aspiratio in codice Bernensi, quem in his, in quibus ne ipsi quidem ueteres sibi constiterunt, secutus sum.

ab Alcibiade risus est) Adnotauit Perizonius credibile esse Alcibiadem inopinanti Socrati superuenisse, et sane, ut Aelianus narrat *κατελήφθη Σωκράτης ὑπὸ Ἀλκιβιάδου*, ideoque coniecit legendum esse *uisus est*. Quod cur minus recte dictum contenderit Kappius equidem non intellego. Quin insigniter summi uiri ingenio astipulari uidetur recens inuenta Paridis epitome, in qua scribitur *Socrates interposita harundine cruribus — ludens uisus est*. Neque uero necessariam aut certam puto illam emendationem, cum ne id quidem, quod codices nostri tradunt, sententiam a Perizonio desideratam excludat, neque est probabile librarium a *uisus* in *risus* aberrasse, cum interim facile epitomator illud pro hoc substituere potuerit. Similiter Agesilaum risum esse a quodam, cum arundine insidens equitaret cum filio puero, legimus ap. Ael. u. h. l. c. et ap. Plut. apophth. Lac. Ages. 70.

2. Cf. Iliad. ι, 186.

QVANTA VIS SIT ELOQVENTIAE.

Potentiam uero eloquentiae etsi plurimum ualere animad- IX.
uertimus, tamen sub propriis exemplis, quo scilicet uires eius testatiores fiant, recognosci conuenit.

Regibus exactis plebs dissidens a patribus iuxta ripam flu- 1.
minis Anienis in colle, qui Sacer appellatur, armata consedit, eratque non solum deformis, sed etiam miserrimus rei publicae status, a capite eius cetera parte corporis pestifera seditione diuisa. Ac ni Valerî subuenisset eloquentia, spes tanti imperii in ipso paene ortu suo corruisset. Is namque populum noua et insolita libertate temere gaudentem, oratione ad meliora et saniora consilia reuocatum senatui subiecit, id est urbem urbi iunxit. Verbis ergo facundis ira, consternatio, arma cesserunt.

Quae etiam Marianos Cinnanosque mucrones ciuilis pro- 2.
fundendi sanguinis cupiditate furentes inhibuerunt. Missi enim a saeuissimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncandum sermone eius obstupefacti destrictos iam et uibrantes gladios cruore uacuos uaginis reddiderunt. Quibus digressis P. Annius, is enim solus in ambitu expers Antonianae *eloquentiae* ste-

1. QVINTA VIS SIT ELOQVENTIAE *A*. De eloquentiae ui *E*. Quanta sit uis eloquentiae *F*. QVANTA VIS IN ELOQVENTIA ET PRONVNTIATIONE *Par*. DE VI ELOQVENTIAE *Torr*. || 3. uiros *C*. || 4. praestantiores *F*. || 5. §. 1 *om*. *Γ*. || 6. Anienis] aureni *D*. || collo *AC*. || 8. ceterae partes *D*. || 9. diuisae *corr*. *D*. || at *F*. || ni] in *C*. || 10. paene] plene *D*. fere *F*. || 11. orationē *pr*. *A*. || meliora et *om*. *F*. || 13. consternatio] *add*. et *corr*. *D*. || 14. Quae — (15.) inhibuerunt *om*. *Γ*. || 14. marionos *pr*. *A*. marianosque *C*. || Cinnanosque] *om*. *C*. cimmianosque *D*. || 15. Missi — (16.) obtruncandum] Mariani Cinnanique milites ad m. antonium obtruncandum missi *Γ*. || 17. sermonibus *F*. || districtos *EFΓ*. || 18. uagininis *Γ*. || degressis *CFPar*. *et pr*. *A*. || p̃. a N nius *(sed* N *in rasura)* *A*. p. annitius *D*. p. antonius *CEF*. P. Antronius *Torr*. || 19. in ambitu solus *Γ*. || eloquentiae] *om*. *pr*. *A*. uocis *D et corr*. *A*. facundiae *CEF*.

IX, 1. Cf. Liu. II, 32. Dion. Hal. VI, 49. Plut. Coriol. 6. App. ciu. I, 1. Auct. de uir. ill. 18; alii.

Ac ni Valerî subuenisset eloquentia) Menenium Agrippam, cuius facundia concordiam inter senatum et inter plebem restitutam esse constat, auctor cum Valerio Publicola confudit, aut Liuii narratione de fauorabili in plebem Valerii sententia deceptus aut simplici memoriae lapsu. Errorem Valerii Maximi epitomator eius Paris correxit, referens a Maenenio (sic) Agrippa plebem ad meliora consilia reuocatam esse.

2. Cf. Vell. II, 22, 3. Plut. Mar. 44. App. ciu. I, 72.

P. Annius) Quid hoc loco in archetypo exemplo fuerit propter lituram in libro Bernensi cognosci non potest. Nam dum altera familia *P. Antonius* exhibet, altera propius ad ueram scripturam accessisse uidetur, in qua Berolinensis *D* tradidit *P. Amitius*. Editores male Glareanum secuti e P. An-

terat, crudele imperium truculento ministerio peregit. Quam disertum igitur eum fuisse putemus, quem ne hostium quidem quisquam occidere sustinuit, qui modo uocem eius ad aures suas uoluit admittere?

3. Diuus quoque Iulius, quam caelestis numinis tam etiam humani ingenii perfectissimum columen, uim facundiae proprie expressit, dicendo in accusatione Cn. Dolabellae, quem reum egit, extorqueri sibi causam optimam L. Cottae patrocinio, siquidem maxima tunc * * * eloquentiae questa est. Cuius facta mentione, quoniam domesticum nullum maius adiecerim exemplum, peregrinandum est.

2. desertum *F.* || nec *F.* || quidem *om. F.* || 3. qui] nisi qui *F.* || 4. noluit *F.* || 5. tam caelestis numinis quam *D.* || 7. Cn.] *om. F.* senis *Γ.* || 8. optimam causam *Γ.* || C. Cottae *Torr.* || 9. tunc] *add.* uis *Γ.* || eloquentiae] *in rasura D.* eloquentia *CEF et corr. A, Torr. add.* ei laus *DE.* || questa est] *in rasura D.* quesita est *E.* || 10. nullum maius domesticum *F.*

tonio P. Antronium fecerunt, cum tamen e Plutarchi loco citato atque ex ipso hoc opere IX, 2, 1 satis constet M. Antonii interfectorem P. Annium fuisse. Omnem autem dubitationem adimit Paridis huius exempli compendium, in quo uera scriptura, quam nos supra posuimus, seruata est. Accepit eam inde corrector libri Bernensis. Abbreuiator Guelferbytanus, qui item *P. Annius* scripsit, fortasse neque ex hoc compendio neque ex emendato Bernensi exemplo uerum nomen desumpsit, quamuis non desint omnino artioris inter hos codices adfinitatis indicia. Cf. praef. p. 95. Potest enim fieri ut illud aut e nono huius operis uolumine aut ex alio fonte, qualem interdum adiisse constat abbreuiatorem, huc transtulerit. Paulo post ex eodem Paridis compendio suppleui *eloquentiae*, quod in archetypo codice excidisse libri nostri demonstrant. Deerat enim haec uox in codice omnium longe optimo; in aliis aut hoc ipsum aut alia uocabula, *uocis, facundiae*, similia substituuntur.

3. *L. Cottae patrocinio)* Verum Gaii praenomen Cottae tacite Pighius reddiderat in altera editione, quem secuti sunt recentiores grammatici, cum editiones ueteres et exempla manuscripta eum Lucium uocent. Constat autem eum fuisse C. Aurelium Cottam, cons. a. u. c. 679. Cf. Cic. Brut. 92, 317. Periz. anim. hist. p. 56 ed. Harl. Drumann. gesch. Roms II, p. 562. Nescio tamen an hic quoque ipse auctor, ut saepe factum est, in praenomine lapsus sit. Quare librorum scripturam retinui.

*maxima tunc * * * eloquentiae questa est)* Librariorum et grammaticorum alii lacunam, quam supra notaui animaduerterunt uarieque expleuerunt, scribentes aut *tunc uis eloquentiae questa est* aut *tunc eloquentiae ei laus quaesita est* aut *tunc eloquentia ei laus quaesita est*, alii in ipsis uerbis quaesita corruptela *eloquentiae* simpliciter cum correctore Bernensi mutarunt in *eloquentia*. At quam inepte Caesar uim facundiae eo proprie expressisse diceretur, quod ipse eloquentissimus (id enim est *maxima eloquentia*) querebatur, re ad quam pertinuerit eius querella ne uerbo quidem indicata. Quod sensisse uidetur Torrenius, cum legendum esse coniceret *Sic quidem maxima tunc eloquentia questa est.* Sed, ne dicam de bonorum librorum scriptura *eloquentiae*, quam languida haec sententia, aut quaenam ea uirium, quae insunt eloquentiae, propria denotatio? Apparet autem eo facundiae uim insigni exemplo patefactam esse, quod Caesar, ipsum illud humani ingenii perfectissimum columen, atque ipse summa praeditus eloquentia, aegerrime eam ferebat querebatur in aduersario.

Pisistratus dicendo tantum ualuisse traditus est, ut ei Athe- Ext. 1.
nienses regium imperium oratione capti permitterent, cum praesertim e contraria parte amantissimus patriae Solon niteretur. Sed alterius salubriores erant contiones, alterius disertiores. Quo euenit ut alioqui prudentissima ciuitas libertati seruitutem praeferret.

Pericles autem, felicissimus naturae incrementis, sub Anaxa- 2.
gora praeceptore summo studio perpolitus *et* instructus, liberis Athenarum ceruicibus iugum seruitutis inposuit. Egit enim ille urbem et uersauit arbitrio suo, cumque aduersus uoluntatem populi loqueretur, iucunda nihilominus et popularis eius uox erat. Itaque ueteris comoediae maledica lingua, quamuis potentiam uiri perstringere cupiebat, tamen in labris hominis melle dulciorem leporem fatebatur habitare, inque animis eorum, qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui praedicabat.

---

1. phisistarcus *E.* || Athenienses] *add.* BR. ut solone contra dicente athenienses regium ei permitterent *margo A.* || 2. eum praesenti *pr. A.* cum praesenti *C.* || 3. ex *DE Torr.* || mitteretur *F.* || 4. condiciones *C.* || desertiores *C.* || 5. quod *pr. A.* || aliqua *AF.* alias *D.* alioquin *F.* || 7. felicissimis *EFΓ et corr. A, Torr.* felicissimae *D.* || 8. et *om. AΓ et pr. D.* || 9. illam *EΓ.* || 10. aduersum *F.* || 11. iocunda *EFΓ.* || 12. uiri potentiam *F.* || 13. tamen] tam *D. add.* eius *E.* || labris] labiis *F. add.* eius *corr. D, Torr.* || 14. dulciorum *C.* || fatebantur *F.* || 15. illum] eum *E.* || quasdam *C.* || praedicabant *EF.*

Itaque haud dubie ita fere legendum est, *siquidem maxima tunc eloquentia de ui eloquentiae questa est.* Lusit Valerius, diuersas eiusdem uocabuli notiones, abstractam et concretam, quas dicunt, in eadem sententia opponens. Similiter prorsus in eodem genere composuit VIII, 15, 7, *perfectissima uirtus maximam orientem uirtutem uideritne certius an efficacius accenderit perpendi uix potest;* et VI, 5, 4 *Cottam in tribunatu — latentem tribunicia inde iustitia extraxit.* Lacuna autem orta est, quod librarius ab *eloquentia* in eandem uocem statim subsequentem incidit. Nipperdeius meus de lacuna et de sententia, quam flagitari supra dixi, mecum consentiens, certior a me factus de bonorum codicum testimonio, in editione sua Caesaris p. 749 ingeniose scribi iussit *eloquentia uim eloquentiae*, quem accusatiuum probarem, si aliud eius extaret Valerii exemplum in maximo eorum numero, in quibus praepositionem *de* huic uerbo subiecit.

Ext. 1. Cf. Herod. I, 59. Iust. II, 8. Plut. Sol. 29, 30. Ael. u. h. VIII, 16, alii.

2. Cic. Brut. 15, 59; id. or. 9, 29. Quint. XII, 10, 24 et 65.

felicissimus naturae incrementis) Cur auctor ipsum Periclem non recte felicissimum dixerit dotibus naturae, nam has satis audacter denotauit naturae incrementis, equidem causam uideo nullam, ideoque librorum iussu nominatiuum edidi, cum uulgo legeretur *felicissimis.* Recte autem grammatici copulam inseruerunt inter *perpolitus* et *instructus.* Neque enim tria diuersa sunt, quae ex aequo posita de Pericle praedicantur, eum felicissimum fuisse, perpolitum, instructum, sed cohaeret alterum cum tertio. Copulam omisisse uidetur archetypi codicis librarius, quia eam falso ante tertiam trium notionum putabat positam.

Fertur quidam, cum admodum senex primae contioni Periclis adulescentuli interesset idemque iuuenis Pisistratum decrepitum iam contionantem audisset, non temperasse sibi quo minus exclamaret caueri illum ciuem oportere, quod Pisistrati orationi simillima eius esset oratio. Nec hominem aut aestimatio eloquî aut morum augurium fefellit. Quid enim inter Pisistratum et Periclen interfuit, nisi quod ille armatus, hic sine armis tyrannidem gessit?

3. Quantum eloquentia ualuisse Hegesian Cyrenaicum philosophum arbitramur? qui sic mala uitae repraesentabat, ut eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta multis uoluntariae mortis obpetendae cupiditatem ingeneraret, ideoque a rege Ptolemaeo ulterius hac de re disserere prohibitus est.

QVANTVM MOMENTVM SIT IN PRONVNTIATIONE ET APTO MOTV CORPORIS.

X. Eloquentiae autem ornamenta in pronuntiatione apta et conueniente motu corporis consistunt. Quibus cum se instruxit, tribus modis homines adgreditur, animos eorum ipsa inuadendo, horum alteri aures, alteri oculos permulcendos tradendo.

1. Sed ut propositi fides in personis inlustribus exhibeatur, C. Gracchus, eloquentiae quam propositi felicioris adulescens,

---

1. dum *E.* || pericles *pr. A.* || 2. iam decrepitum *Torr.* || 3. temperare *Γ.* || nimis *C.* || 4. cauer *pr. A.* cauere *Γ.* || ciuem illum *F.* || 5. esset eius *D.* || ut aestimatio *C.* || 6. periclem *DEFTorr.* || interfuit] inter *pr. A.* interest *D et corr. A.* || 7. hic] iste *F.* || 8. Quanta *Γ.* || hegesiam *CDEFTorr.* hagesyan *Γ.* || cireneicum *E.* || 9. uitae] *add.* huius *E.* || 10. uoluntariae *om. F.* uoluntariam *corr. A.* || 11. oppetendae *(A.)* ob petendae *C.* appetendae *DEΓ.* optandae *ante* mortis *F.* || 12. ptolomeo *ACDEF.* ptholomeo *Γ.* || 13. DE PRONVNTIATIONE ET APTO MOTV CORPORIS *Torr.* De momento in pronuntiacione et apto *etc. E.* Inscriptionem *om. Par.* || QVINTVM *pr. A.* || 14. APTV *AC.* acto *F.* || 15. conuenienti *DFΓ et corr. A, Torr.* || 16. motu] *add.* apti *F.* || consistant *F.* || instruxerit *DE.* || 17. inuidendo *pr. A.* || 18. oculo *pr. C.* || permulcendo *F.* || tradendo *om. F.* || 20. Gracchus] *add.* tam *corr. D.*

---

3. Cf. Cic. Tusc. I, 34, 83.

X, 1. Cf. Cic. de or. III, 60, 225. Quint. I, 10, 27. Plut. de cohib. ira 6. A. Gell. I, 11, 10, alii.

quoniam flagrantissimo ingenio, cum optime rem publicam tueri posset, perturbare impie maluit, quotiens apud populum contionatus est, seruum post se musicae artis peritum habuit, qui occulte eburnea fistula pronuntiationis eius modos formabat, aut nimis remissos excitando aut plus iusto concitatos reuocando, quia ipsum calor atque impetus actionis attentum huiusce temperamenti aestimatorem esse non patiebatur.

2. Quintus autem Hortensius, plurimum in corporis decoro motu repositum credens, paene plus studii in eodem laborando quam in ipsa eloquentia adfectanda inpendit. Itaque nescires utrum cupidius ad audiendum eum an ad spectandum concurreretur. Sic uerbis oratoriis aspectus et rursus aspectui uerba seruiebant. Constat Aesopum Rosciumque, ludicrae artis peritissimos, illo causas agente in corona frequenter adstitisse, ut foro petitos gestus in scenam referrent.

3. Nam M. Cicero quantum in utraque re, de qua loquimur, momenti sit, oratione, quam pro Gallio habuit, significauit, M. Calidio accusatori exprobrando, quod praeparatum sibi a reo uenenum testibus, chirographis, quaestionibus probaturum adfirmans remisso uultu et languida uoce et soluto genere orationis

1. quoniam] quia *E.* || 2. quoties *corr. A, Torr. Vt nos etiam Par.* || 3. seruum — habuit *om. Γ.* || post se] posse *C et pr. A.* || habuit peritum *D.* || 6. color *C et pr. A.* dolor *F.* || atque] aut *F.* || huiuscemodi *E.* || 9. elaborando *Torr.* || 10. inpedit *pr. A.* || nescieres *D.* || 11. cum ad audiendum *E.* || 12. orationis *F.* || 13. seruiebant] *add.* itaque *DE et margo A, Torr.* || risciumque *F.* || ludricae *E.* || peritissimos] *add.* uiros *Torr.* || 14. adstitisse] *sic h. l. A.* || 15. petitos — (16.) quantum *om. pr. A.* || 16. Iam *D et margo A, Torr. Vid. ad I,* 6, 10. || 17. gallo *AC DΓ.* u. gallio *margo A.* || 18. m. claudio *F.* || exprobando *F.* || 19. cirografis *E.* cyrografis *F.* cyrographis *Γ.* || quaestionibus] *add.* se *corr. D, Torr. Vid. ad IIII,* 1, *ext.* 7.

2. Cf. Quint. XI, 3, 8. A. Gell. I, 5, 2. Macrob. Sat. III, 13.

in eodem laborando) Perraro prosae orationis auctores laborandi uerbum actiua notione, poetis satis trita, usurparunt. Sic Tacitus insolenter composuit in Germ. 45 *frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant*, quod est 'patientius laborem tolerant in colendo frumento'. Insolentius etiam hoc loco *in eodem laborando* scribitur, cum sane expectes *elaborando*, quod emendatione non adeo difficili substitui posset. Praepositio enim in *elaborando* ultima littera pronominis *eodē* absumpta esse uideri potest. At consensus scripturae in Paridis epitome et in omnibus nostris ac Torrenii codicibus probabile reddit hanc quoque insolentiam cum multis aliis ad ipsum auctorem referendam esse. Quare libros manuscriptos secutus Pighianam emendationem *elaborando* reieci. Pronomen *eodem*, quo fortius demonstratur corporis decorus motus, cum simplex *eo* suffecisset, ne quem offendat, similiter prorsus Valerius IX, 13, ext. 3 scripsit *cum infinito ardore coniugis Thebes teneretur, ad eandem ex epulis in cubiculum ueniens.* Vid. ad IX, 3, 6.

3. Cf. Cic. Brut. 80, 277. Quint. XI, 3, 155.

usus esset, pariterque et oratoris uitium detexit et causae periclitantis argumentum adiecit, totum hunc locum ita claudendo, 'Tu istud, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres'?

Ext. 1. Consentaneum huic Demosthenis iudicium, qui[dam] cum interrogaretur quidnam esset in dicendo efficacissimum, respondit ἡ ὑπόκρισις. Iterum deinde et tertio interpellatus idem dixit. paene totum se illi debere confitendo. Recte itaque Aeschines. cum propter iudicialem ignominiam relictis Athenis Rhodum petisset atque ibi rogatu ciuitatis suam prius in Ctesiphontem. deinde Demosthenis pro eodem orationem clarissima et suauissima uoce recitasset, admirantibus cunctis utriusque uoluminis

---

2. argumentis *CF et pr. A.* argumenta *DE et corr. A.* || 3. tune *D et corr. A* || istuc *Cic. Brut.* 80, 278. || m. claudi *F.* || fingeres] *ultima littera in rasura A.* || 4. quidam] *sic A.* cuidam *Γ.* qui *CDEF Torr.* || 6. *ΗΥΠΟΚΡΙC pr. A. ΗΥΠΟΚΡΙCΙC corr. A. ΗΥΠΟΚΡΙCΙΜ* respondit *margo A. ΗΥΠΟΚΡΙC C.* ΝynoRpicyal *pr. D.* si nihil dixeris nisi optime scitum *corr. D.* ΥCΙΟC *E.* uerba greca *F.* *ΙΤΥΠΟΚΡΙC Γ.* || Iterum] interrogatus *E.* || deinde *om. F.* || et] ac *Γ.* || interpellatus] *om. E.* interrogatus *DΓ.* || 7. se illi totum *F.* || confidendo *C.* || 9. petisset] uenisset *F.* || thesi*pontem *A.* thesiphontem *CDΓPar. et corr. A.* thesifonte *E.* tesifontem *F.* || 10. demosthenes *pr. A.* || oratione suauissima et clarissima *F.* || 11. soluminis *pr. A.* columinis *CD.* culminis *E.*

---

causae periclitantis argumentum adiecit) Praetuli hanc abbreuiatoris Guelferbytani coniecturam, receptam iam in uulgatis editionibus inde a Pighio, archetypi scripturae *argumentis*, perperam defensae a Torrenio, qui obscure interpretatur 'Vitium oratoris scilicet adiecit Cicero argumentis, quibus causae periclitanti succurrebat'. Sed praeterquam quod argumenta periclitantis causae non ea sunt, quibus succurritur causae, sed, ut recte animaduertit Perizonius, quibus probatur causam aliquam periclitari, quod huic loco maxime contrarium est, nonne Valerio in hac Torrenii sententia scribendum erat *oratoris uitium et detexit et causae periclitantis argumentis adiecit?* Quid multa? detecto Calidii languido perorantis uitio et patefacto ita eius mendacio, periclitantis Gallii causae hoc ficti criminis atque adeo innocentiae eius argumentum adiecit. Quare omnino necessarium est illud *argumentum*. Atque ipse Cicero in Bruto l. c., quem exscripsit Valerius, eandem posuerat sententiam, *memini — me in respondendo — hoc ipsum etiam posuisse pro argumento quod ille — tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter*, et paulo post, *Sic nos summi oratoris uel sanitate uel uitio pro argumento ad diluendum crimen usi sumus.* Perizonius de sententia mecum plane consentiens praeter necessitatem scribi iussit *causae periclitanti.* Neque enim animaduertisse uidetur idem librorum scripturam significare, cum perinde ualeat utrum causam periclitantem dicas an causam periclitantis, sc. rei.

Ext. 1. Cf. Cic. de or. III, 56, 213. Quint. XI, 3, 6.

qui[dam] cum interrogaretur) Vltima syllaba u. *quidam* a librario assuta esse uidetur, qui aut oculis aberrauit in id quod sequitur, *quidnam*, aut non intellexit hanc sententiam referri ad Demosthenem. Coniciat aliquis legendum esse *qui cuidam, cum interrogaretur —, respondit*, sed is cui respondetur ab eo qui interrogat seiungi non potest scribendumque pro eo fuisset *qui cum a quodam interrogaretur.*

Recte itaque Aeschines) Cf. Cic. de or. l. c. Plin. h. n. VII, 30, init. Plut. uit. dec. orat. in Aeschin.

eloquentiam, sed aliquanto magis Demosthenis, 'Quid si', inquit, 'ipsum audissetis'! Tantus orator et modo tam infestus aduersarius sic inimici uim ardoremque dicendi suspexit, ut se scriptorum eius parum idoneum lectorem esse praedicaret, expertus acerrimum uigorem oculorum, terribile uultus pondus, adcommodatum singulis uerbis sonum uocis, efficacissimos corporis motus. Ergo etsi operi illius adici nihil potest, tamen in Demosthene magna pars Demosthenis abest, quod legitur potius quam auditur.

QVAM MAGNI EFFECTVS ARTIVM SINT.

Effectus etiam artium recognosci potest aliquid adferre uoluptatis, protinusque et quam utiliter excogitatae sint patebit et memoratu dignae res lucido in loco reponentur et labor in iis edendis suo fructu non carebit. XI.

Sulpicii Galli maximum in omni genere litterarum recipiendo studium plurimum rei publicae profuit. Nam cum L. Pauli bellum aduersum regem Persen gerentis legatus esset ac serena nocte subito luna defecisset eoque uelut diro quodam monstro per- 1.

1. inquit si *F.* || 3. aspexit *F.* || 4. praediceret *AD.* || 5. oculorum uigorem *Torr.* || et terribilem *D.* terribilem *E.* || uultum *DE et corr. A.* || 6. motus corporis *F.* || 7. addici *E.* || 9. audiatur *E.* || 10. De magnitudine effectus arcium *E.* DE EFFECTV ARTIVM *Par.* DE EFFECTIBVS ARTIVM *Par.* DE EFFECTIBVS ARTIVM RARIS *Torr.* || 11. recogniti *D et corr. A. Torr.* || posse *CDEFΓ et pr. A.* possunt *corr. A. Torr.* || affert *FΓ.* || 12. uoluntatis *F.* || excogitata *pr. A.* excogitati *Γ et corr. A.* || patebunt *ADEF.* patebant *C.* || 14. his *CD EFΓ.* || 15. Sulpicii — (16.) Nam] Sulpicius Gallus *Γ.* || galbae *D.* || 16. rei publicae] populo romano *F.* || licii pauli *F.* || 17. persem *E et ante* regem *F.* || 18. ueluti *Torr.* || quodam diro *F.*

XI. *Effectus etiam artium recognosci potest)* Emendatio illa *recogniti possunt*, qua apertam archetypi codicis corruptelam *recognosci posse* correxit censor libri Danielini, recepta deinde in uulgatis editionibus, satisfacit, si sententiam spectamus, non ita, si artem requirimus. Qua longe praestat Perizonii coniectura, *posse* mutandum esse in *potest*. Infinitum uerbum substantiue positum est pro recognitione. Alterum archetypi mendum, paulo post exhibentis *patebunt*, non animaduersum a correctore libri Bernensis, sustulit iam abbreuiator Guelferbytanus, qui supra emendauerat *recognosci posse aliquid affert uoluptatis*.

1. Cf. Cic. Cat. mai. 14, 49. Liu. XLIIII, 37. Front. strat. I, 12, 8. Plin. h. n. 12, 9. Quint. I, 10, 47. Plut. Aem. Paul. 17.

territus exercitus noster manus cum hoste conserendi fiduciam amisisset, de caeli ratione et siderum natura peritissime disputando alacrem eum in aciem misit. Itaque inclytae illi Paulianae uictoriae liberales artes Galli aditum dederunt, quia, nisi ille metum nostrorum militum uicisset, imperator uincere hostes non potuisset.

2. Spurinnae quoque in consectandis deorum monitis efficacior scientia apparuit quam urbs Romana uoluit. Praedixerat C. Caesari ut proximos XXX dies quasi fatales caueret, quorum ultimus erat idus Martiae. Eo cum forte mane uterque in domum Caluini Domiti ad officium conuenissent, Caesar Spurinnae 'Ecquid scis', inquit, 'idus iam Martias uenisse'? Et is, 'Ecquid scis illas nondum praeterisse'? Abiecerat alter timorem tamquam exacto tempore suspecto, alter ne extremam quidem eius partem periculo uacuam esse arbitratus est. Vtinam haruspicem potius augurium quam patriae parentem securitas fefellisset.

1. pererritus *pr. A.* || cum hoste] *post* conserendi *F.* || cumserendi *C.* || fiducia misisset *pr. A.* || 2. et siderum natura] et de rerum natura syderum *F.* || 3. inclytae] *post* Paulianae *F. post* illi *Torr.* inclyta *pr. A.* || 5. militum nostrorum *F.* || imperator] *add.* romanus *F et corr. D. Torr.* || hostes uincere *EΓ.* || 7. consecrandis *E.* || 8. urbs * *(ultima littera in rasura) A.* urbis (?) *pr. A.* || Praedixerat] *add.* enim *corr. D. Torr.* || 9. dies XXX *Torr.* || 10. marcii *DE.* mart *Γ.* || Eo] et *F.* || mane * *A.* || 11. calium domici *C.* comicii caluinii *D.* caluini sulpitii *(sed suprascriptum* I' domitii) *Γ.* Domitii Caluini *Par.* || conuenisset *E Par. Torr.* || 12. et quid *ACDEF et pr. Par.* || inquit *om. C.* || iam] *ante* idus *EPar. post* Martias *Torr.* || mart *ACΓ.* marcii *DEF.* || et quid *DE et pr. Par.* et quis *F.* || 13. scias *F.* || alter] ille *E.* || 14. ne] *in rasura A.* nec *F.* || 15. esse *om. F.* || auruspicem *F.*

2. Cf. Plut. Caes. 63. Suet. Caes. 81.

uterque — conuenissent) Notam licentiam, qua uel optimi Latini sermonis auctores uerbum interdum plurali numero cum singulari nominis collectiui iunxerunt, Valerii editores in aliis exemplis agnouerunt, in aliis, firmissimis a codicibus manuscriptis, sine ulla causa respuerunt. Nam cum intactum reliquissent uerbi pluratiuum numerum in his IIII, 1, 5, *cum populo egit ut aliquando uacationem huius honoris Fabiae genti darent*; II, 5, 3 *pars* (matronarum) *capitali iudicio damnatae centum et septuaginta numerum expleuerunt;* VI, 4, ext. 1 *urbs Cinginnia — propemodum uno ore legatis Bruti respondit ferrum sibi a maioribus, quo urbem tuerentur, non aurum, quo libertatem — emerent, relictum,* non erat cur VIII, 5, ext. 1 in uu. *opulentissimaque ciuitas tam frequenter uenerati* (Pythagorae) *post mortem domum Cereris sacrarium fecerunt* ederent *fecit.* Dublum uideri potest num Valerius II, 10, 8 scripserit *(Catonem) abeuntem ingenti plausu populus prosecutus, priscum morem iocorum in scenam reuocarunt,* quemadmodum sane optimi codices tradunt; sed quae sequuntur singularia *confessus* et *sibi uniuerso* mendum indicant librariorum confirmantque emendationem *reuocauit.* Hoc loco, de quo agimus, eo minus dubitare debebant grammatici de plurali numero, etiamsi singularem tueri uidetur Paris, qui tamen similia multa ex arbitrio mutauit (uid. ad VI, 5, ext. 3.), quo certiora uel antiquiorum scriptorum, neque uero Ciceronis aut Liuii, ex *hoc ge-*

Sed ut alienigena scrutemur, cum obscurato repente sole Ext. 1.
inusitatis perfusae tenebris Athenae sollicitudine angerentur, interitum sibi caelesti denuntiatione portendi credentes, Pericles processit in medium et quae a praeceptore suo Anaxagora pertinentia ad solis et lunae cursum acceperat disseruit nec ulterius trepidare ciues suos uano metu passus est.

Quantum porro dignitatis a rege Alexandro tributum arti 2.
existimamus, qui se et pingi ab uno Apelle et fingi a Lysippo tantummodo uoluit?

Tenet uisentis Athenis Volcanus Alcamenis manibus fabri- 3.
catus. Praeter cetera enim perfectissimae artis in eo praecurrentia indicia etiam illud mirantur, quod stat dissimulatae claudicationis sub ueste leuiter uestigium repraesentans, ut non exprobratum tamquam uitium ita tamquam certam propriamque dei notam decore significans.

---

1. §. 1 *om. Γ.* || alienigenas *A.* || obscuro *C.* || 2. solitudine *pr. A.* || agerentur *ACDEFTorr.* || 3. portenti *(sed litt.* ti *in rasura) D.* || 5. disseniit *C.* || 6. trepidare] *post* metu *F.* || 7. porro] uero *D.* || 8. pingui *pr. A.* || lyppo *pr. A.* || 10. uisentes *DΓTorr.* insentes *E.* insentis speciem *F.* || athenas *DETorr.* || uolcarius *C.* uulcanus *DEFΓTorr.* || alchimenis *ACΓ.* archimenis *D.* achimenis *E.* || 11. propter *F.* || percurencia *E.* || 12. iudicia *DF.* || etiam] et *E.* || miratur *Γ.* || stans *D et corr. A.* || dissimilatae *pr. A.* || 13. repraesentat *D et corr. A.* || 14. "exprobrans 'tanquam *in rasura A.* tamquam exprobrans *D.* tanquam exprobratum *Torr.* || ita tam̃ *(i. e.* tamen) quam *(sed erasum postea illud* ˜) *A.* ita tamen tamquam *Γ.*

---

nere exempla sunt apud pronomen *uterque.* Cf. Sall. Cat. 49, 2. Caes. b. ciu. III, 30, 3. Vell. II, 66, 2. Tac. hist. II, 97. IIII, 34 etc.

Ext. 1. Cf. Quint. I, 10, 47. Plut. Pericl. 35.

sollicitudine angerentur) Recepi certissimam Lipsii coniecturam, probatam a Perizonio, a reliquis grammaticis uix commemoratam, qua is *angerentur* posuit pro *agerentur.* Angimur enim sollicitudine, non agimur. Cf. Val. IX, 3, init. *amara sollicitudine ne non contingat ultio anxius.* Cic. Cat. mai. 19, 66; ad Q. fr. III, 3, 1. Lipsii factum insigniter nunc confirmat Paridis epitome.

2. Cf. Cic. epp. V, 12, 7. Hor. epp. II, 1, 239. Plin. h. n. VII, 37. Plut. de fort. Alex. II, 2.

3. Cf. Plin. h. n. XXXVI, 5, 4.

Tenet uisentis Athenis Volcanus) Edebatur hucusque *Athenas,* quod et ipse praeferrem, nisi aliud suaderent libri. Quorum scripturam, cum non omnino falsa sit, retinendam duxi. Neque enim quicquam obstat quo minus *uisentis* intellegas de aspicientibus illam statuam, non, ut solebat fieri, de frequentantibus Athenas. Cf. VIII, 12, ext. 2 *opus et inpensa et elegantia uisendum.* Tenentur igitur qui aspiciunt Vulcanum Athenis admiratione pulcherrimae illius statuae.

ita tamquam certam) Possis suspicari cum abbreuiatore Guelferbytano archetypi scripturam *ita tam̃* (i. e. *tamen*) *quam certam* inserto altero *tam* corrigendam esse, ut fiat *ita tamen tamquam certam,* quae litterae facillime sane excidere potuerunt. Sed neque difficilior ea emendatio est, quam eum correctore libri Bernensis plerique acceperunt librarii, expuncta lineola illa (˜), qua *tamen,* non *tam* legendum esse denotatur, et abest semper apud particulas

4. Cuius coniugem Praxiteles in marmore quasi spirantem in templo Cnidiorum collocauit, propter pulchritudinem operis a libidinoso cuiusdam conplexu parum tutam. Quo excusabilior error equi, qui uisa pictura equae hinnitum edere coactus est, et canum latratus aspectu picti canis incitatus taurusque ad amorem et concubitum aeneae uaccae Syracusis nimiae similitudinis inritamento conpulsus. Quid enim uacua rationis animalia arte decepta miremur, cum hominis sacrilegam cupiditatem muti lapidis liniamentis excitatam uideamus?

---

1. praxitelis *C.* prassitelis *E.* praxitellus *F.* praxitheus *Γ.* || 2. cindiorum *C.* enidorum *D.* cradiorum *E.* indorum *F.* Gnidiorum *Torr.* || collocauit] *add.* BR. graciam praxiteles quam fecit ac p. in templo cnidiorum quidam iuuenis adamauit *margo A.* || 3. libidinosi *D.* || amplexu *E.* || tutam] profanatam *F.* || excusabilior] *add.* esset *in rasura A. add.* est *CF Torr.* || 4. error] *in rasura A. add.* est *E.* || equi — (5.) picti canis *in rasura A.* || iussa *F.* || hinnitum] ingratum *F.* || 5. pictae *Torr.* || 7. animalia] ania *pr. A.* animantia *CE.* || 8. multis *pr. A.* mutis *F.* || 9. uideas *CE et pr. A.*

---

ut non — ita, quas in hoc nexu frequentauit Valerius, in altero membro, et recte quidem, aduersatiua particula *tamen*. Vid. quae congessi exempla ad II, 6, 3. Ceterum ultima huius exempli pars admodum neglegenter scripta est, cum auctor ab ipso deo claudicationis uestigium repraesentante ad artificem certam illam dei notam significantem eadem participii forma transierit *(repraesentans — significans)*, quae participia per se iam male tam prope sine copula componuntur, uni standi uerbo annectenda, si grammaticam adhibeas rationem. Nam si sententiam spectas, *significans* ne cohaeret quidem cum uerbo *stat*. Videtur igitur Valerius inter scribendum oblitus initii ita perrexisse ac si antea posuisset *finxit stantem*. Atque etiam repetitum illud *tamquam* paucis dumtaxat interpositis uocabulis, pessime se habet, neque tamen dubitari potest quin hoc quoque ipsi auctori debeatur.

4. Cf. Plin. h. n. XXXVI, 5, 4. Lucian. amor. 15, 16, id. imag. 4. Interpr. ad Ael. u. h. IX, 39.

picti canis) Torrenius ex uno codice Leidensi secundo recepit *pictae*, quod auctor hic egisset de animalibus, quae aspectu picturarum sui generis feminarum in uenerem, essent incitati. Vereor ne non recte. Nam ut taceam quod canes aspectam feminam, si uenere instigantur, non solent allatrare, apparet Macaret Perinthii facto, is enim erat qui Veneris statuam adamauit, recte simplicem canum errorem excusari, quod pictum canem uiuum putauerant, non quod cupiditate eius instincti erant. Quapropter codicibus ita iubentibus et consentiente etiam Iulio Paride uirile genus reuocaui.

excitatam uideamus) In eo, quod codex archetypus exhibuerat, *uideas*, intolerabilis est personae mutatio, cum pessime, etiamsi non certi homines denotantur, alii ita mirari dicantur quod alius uiderit. Itaque recte pluratiuum numerum restitutum esse credo a recentioribus librariis, insertis duabus litteris, quas in illo codice, e quo nostri omnes fluxerunt, interisse non improbabile est. Mecum iam fecerant priores editores, de uarietate scripturae nihil adnotantes.

QVAEDAM NVLLA ARTE EFFICI POSSE.

Ceterum natura, quemadmodum saepenumero aemulam ui- 5.
rium suarum artem esse patitur, ita aliquando inritam fesso labore dimittit. Quod summi artificis Euphranoris manus sen- serunt. Nam cum Athenis XII deos pingeret, Neptuni imaginem quam poterat excellentissimis maiestatis coloribus conplexus est, perinde ac Iouis aliquanto augustiorem repraesentaturus. Sed omni impetu cogitationis in superiore opere absumpto, posteriores eius conatus adsurgere quo tendebant nequiuerunt.

Quid ille alter aeque nobilis pictor, luctuosum immolatae 6.
Iphigeniae sacrificium referens, cum Calchanta tristem, maestum Vlixen, [clamantem Aiacem,] lamentantem Menelaum circa aram

---

1. De quibusdam quae nulla arte effici possunt *E.* QVAE NVLLA ARTE FIERI POSSVNT *Par. Inscriptionem om. Torr.* || 2. natura] namque *F.* || 6. coloris *pr. A.* || 7. Iouis] *add.* imaginem *F.* || angustiore *C.* angustiorem *EF.* || repraesentaturus] *add.* BR. neptuni i. quam potuit excellenter facta iouis a. augustiorem praesentare non potuit *margo A.* || 8. superiori *CDEFΓTorr.* || 10. lectuosum *C.* || immolatum *pr. A et in rasura D.* || 11. epigeniae *F.* || calchantam *AC.* calchatem *D.* calcantem *EF.* || 12. ulixẽ *CΓ.* ulixem *EFPar.* Vlyssem *Torr.* || clamantem Aiacem] *sine uncis Torr.*

QVAEDAM NVLLA ARTE) In editionibus ante Pighium emissis nouum caput hoc loco incipit. Pighius titulum expunxit, quem operis indoli non conuenire perspexit, cum sequentia ad idem caput pertineant atque praecedentia, non satis recte inscriptum *QVAM MAGNI EFFECTVS ARTIVM SINT.* Prodit tamen haec inscriptio eandem originem quam ceterae, quae capitibus praemittuntur, adeo ut aut omnes delendae sint aut illis retentis haec quoque suo loco retinenda fuerit. Vid. quae de hac re breuiter exposuimus in praef. p. 92.

5. Cf. Plin. h. n. XXXVI, 11, 40.

perinde ac Iouis aliquanto augustiorem) Torrenio, cum non intellexisset Valerii uerba, suspectus erat hic locus. Nescire se ait quae ratio mouerit Euphranorem ut Neptuni imaginem aliquanto augustiorem repraesentare uoluerit quam Iouis; certe Iouem, deorum regem, summam maiestatem magis decere quam Neptunum. Non uidit igitur id ipsum, quod desiderabat, secundum Valerii relationem Euphranori propositum fuisse, ut Neptuno quam excellentissime facto, Iouis imaginem augustiorem etiam redderet quam Neptuni. Mire Kappius quoque in interpretando *perinde ac* lapsus est, quod significare contendit 'similiter, pari modo', non animaduertens quam inepte Euphranor pari modo Iouis imaginem augustiorem repraesentare uoluisse diceretur. Est autem *perinde ac* idem quod 'tamquam, quasi, ueluti'. Erunt fortasse quibus insolentius ita auctor locutus esse uideatur, tamquam Euphranor re uera non sibi proposuisset Iouem augustiorem Neptuno depingere. At exprimit Valerius his particulis cum participio futuri coniunctis non solum simulatum consilium, uerum etiam irritum consilii euentum. Ita similiter prorsus septimo huius capitis exemplo composuit *spongeam omnibus inbutam coloribus ueluti corrupturus opus suum tabulae inlisit.* In Torrenii coniectura *deinde et Iouis* non modo superuacuum, uerum etiam sententiae contrarium est illud *et.*

6. Cf. Cic. orat. 22, 74. Plin. h. n. XXXV, 10, 36. Quint. II, 13, 13.

[*clamantem Aiacem,*] *lamentantem Menelaum)* Verba, quae uncis notaui, semper mihi uisa sunt parum uenuste interrumpere apertam illam maeroris

statuisset, caput Agamemnonis inuoluendo nonne summi maeroris acerbitatem arte non posse exprimi confessus est? Itaque pictura eius haruspicis et amici et fratris lacrimis madet, patris fletum spectantis adfectu aestimandum reliquit.

7. Atque ut eiusdem studii adiciam exemplum, praecipuae artis pictor equum ab exercitatione uenientem modo non uiuum labore industriae suae conprehenderat. Cuius naribus spumas adicere cupiens, tantus artifex in tam paruula materia multum ac diu frustra terebatur. Indignatione deinde accensus spongeam omnibus inbutam coloribus forte iuxta se positam adprehendit et ueluti corrupturus opus suum tabulae inlisit. Quam fortuna ad ipsas equi nares directam desiderium pictoris coegit explere. Itaque quod ars adumbrare non ualuit casus imitatus est.

---

1. summi] suam *D.* || 2. aceruitatem *pr. A.* || exprimi non posse *Torr.* || 3. et amici] et amicorum *D.* amicorum *(omisso* et*) Torr.* || et fratris] *et om. F.* || 4. affectum *F.* affectui *DE Torr. Vid. ad III, 7, 10.* || relinquit *F.* || 6. ab] ad *C et pr. A.* || exercitationem *C. add.* BR. cum equum ab exercitatione uenientem uidisset. p. a. *margo A.* || 9. tenebatur *E.* || sphongeam *Par. et corr. A.* spungiam *E.* spongiam *CDFΓ Torr. Cf. II, 4, 5.* || 10. iusta *F.* || et ueluti] eueluti *pr. A.* eam ueluti *C.* eamque ueluti *F.* || 11. inmisit *Par.* || 12. explere] *in rasura A.* exemplare *CFΓ. Vt nos etiam Par.*

---

gradationem, quam consilio expressit Valerius, cum tristem diceret Calchanta, maestum Vlixen, lamentantem Menelaum, summi doloris acerbitate percitum Agamemnona. Neque enim qua re uehementior sit lamentatio Menelai Aiacis clamore percipio. Accedit grauius argumentum, quod Cicero, cuius uestigia Valerius hoc quoque loco seruiliter secutus est, adeo ut merito dubitare possis utrum pictoris Timanthis nomen, a M. Tullio silentio praeteritum, ipse habuerit compertum, solos Calchanta, Vlixen, Menelaum, Agamemnona commemoranit. Solos eosdem, Ciceronem secutus, posuit Quintilianus; ac ne Paris *quidem in* Valerii compendio Aiacis mentionem fecit. Quae omnia cum ualde suspecta reddant uerba ista, remotis demum iis intellegitur cur paulo post Valerius scripserit *haruspicis et amici et fratris lacrimis*, non *amicorum*, quemadmodum inde a Pighio non fauentibus libris manuscriptis in uulgatis exemplis hucusque circumferebatur. Neque enim ulla probabilis causa est cur, si Valerius posuerit *et amicorum* a librariis pluratiuum numerum in singularem mutatum esse putemus. Contra si causam quaeris illati per iliam interpolationem Aiacis, non abhorret a similitudine ueri factum id esse a *docto quodam* grammatico, qui sciret celeberrimum opus inter tabulas Timanthis Aiacem fuisse. Cf. Plin. l. c. Ceterum neglegenter locutus Valerius fratrem dixit respectu Agamemnonis quem debebat dicere patruum respectu Iphigeniae.

7. Cf. Plin. h. n. XXXV, 10, 36.

SVAE QVEMQVE ARTIS OPTIMVM ET AVCTOREM ESSE ET DISPVTATOREM.

Suae autem artis unumquemque et auctorem et disputatorem optimum esse, ne dubitemus, paucis exemplis admoneamus. XII.

Q. Scaeuola, legum clarissimus et certissimus uates, quotienscumque de iure praediatorio consulebatur, ad Furium et Cascellium, quia huic scientiae dediti erant, consultores reiciebat. Quo quidem facto moderationem magis suam commendabat quam auctoritatem minuebat, ab his id negotium aptius explicari posse confitendo, qui cotidiano usu eius callebant. Sapientissimi igitur artis suae professores sunt a quibus et propria studia uerecunde et aliena callide aestimantur. 1.

Platonis quoque eruditissimum pectus haec cogitatio attigit, qui conductores sacrae aracae de modo et forma eius secum sermonem conferre conatos ad Eucliden geometren ire iussit, scientiae eius cedens, immo professioni. Ext. 1.

1. SVAE — (2.) DISPVTATOREM] *om. Par.* OPTIMIS ARTIVM MAGISTRIS CONCEDENDVM ESSE *Torr.* || QVEMQVE] quoque *F.* || OPTIMVM *om. Γ.* || ACTOREM *F et corr. A.* || ESSE *om. FΓ.* || 3. actorem *F et litt.* a *in rasura A.* || 4. optimum] *ante* et auctorem *Γ.* || admoneamur *corr. A.* admonemus *C.* || 5. Q.] *add.* mutius *E.* || legum] *post* uates *E.* || quotiescumque *pr. A.* quoscumque *D.* || 6. praedicatorio *pr. A.* praetorio *CDEF.* || 7. castellum *D.* cassellium *FΓ.* || quia] *ultima litt. in rasura A.* qui *coniecit Perizonius. Sed ut nos etiam Par.* || 8. suam magis *FΓ.* || 9. muniebat *AΓ.* || id] ut *CF.* || abtius *pr. A.* || 10. posse *om. Γ.* || confidendo *C.* || eius usu *Torr.* || 12. aliena] *add.* tam *CEF.* || 13. Platonis quoque] platonisq. *(sic) A.* || 14. sacrae arae] uiae sacrae *in rasura A. add.* sic u. unus *(?)* aũ sacrae arae *margo A.* arae sacrae *D.* || de] *in rasura A. om. CE.* || modum et formam *CE.* || 15. ferre *C.* || conatus *pr. A.* || eu a cliden *A.* euclidem *DEΓPar. Torr.* eudidem *F.* || geometrum *D.* geometrẽ *F.* geometram *EPar. Torr.*

XII. *ne dubitemus, paucis exemplis admoneamus)* Haec, si strictam grammaticam rationem secutus explicaueris, merito sane inepte pronuntiata esse iudices, cum nemo se ipse admoneat ne dubitet. Expectes dici aut *ne dubites* aut *admoneamur*, quemadmodum Perizonius, nescius ita iam correctorem libri Bernensis coniecisse, necessario legendum esse consuit. At fieri potest ut auctoris animo, cum scriberet *ne dubitemus* generalis potissimum eius notio obuersata sit. Quo facto facile, tamquam se non comprehendisset inter admonendos et praemisisset *ne dubitetur*, se iam solum respiciens pergere poterat *admoneamus*. Quae ut non elegans est sermo, ita in Valeriani stili socordia atque neglegentia non adeo me offendit, ut omnium librorum manuscriptorum summum consensum ideo spernendum esse credam.

1. Cf. Cic. pro Balb. 20, 45.

Ext. 1. Plut. de gen. Socrat. 7, p. 529 Platonem conductores arae ad Eudoxum Cnidium ablegasse tradidit. Quapropter non male suspicatur Torrenius Valerium de uero geometrae nomine parum sollicitum, celeberrimum illum Megarensem non satis circumspecte arripuisse.

2. Gloriantur Athenae armamentario suo; nec sine causa. Est enim illud opus et inpensa et elegantia uisendum. Cuius architectum Philonem ita facunde rationem institutionis suae in theatro reddidisse constat, ut disertissimus populus non minorem laudem eloquentiae eius quam arti tribueret.

3. Mirifice et ille artifex, qui in opere suo moneri se a sutore [suo] de crepida et ansulis passus, de crure etiam disputare incipientem supra plantam adscendere uetuit.

DE SENECTVTE.

XIII. Senectus quoque ad ultimum sui finem prouecta in hoc eodem opere inter exempla industriae in aliquot claris uiris conspecta est. Separatum tamen et proprium titulum habeat, ne, cui deorum inmortalium praecipua indulgentia adfuit, nostra ornata mentio defuisse existimetur, et simul spei diuturnioris

---

3. fecunde *Γ*. || 5. atribueret *F*. || 6. sui *CEF*. || moneri se a sutore] muneris eas ut ore *A*. || 7. suo *om. DEFΓ Torr.* || cruce *A*. || 8. plantas *Par.* || 9. DE SENECTVTE MEMORABILI *Torr.* || 11. aliquod *pr. A*. || 14. spe *ACDE Torr.* spes *F*.

---

2. Cf. Cic. de or. I, 14, 62 coll. c. Plin. h. n. VII, 37, 38. Strab. IX, 1. 15, p. 395. Vitruu. praef. libr. VII.

3. Cf. Plin. h. n. XXXV, 10, 36, 85, qui de Apelle hoc narrat.

a sutore [suo] de crepidis) Vereor ne magis e recentiorum hominum quam e ueterum more cui calceos uel uestimenta nostra fabricanda committere solemus noster sutor uel sartor dicatur. Itaque pronomen *suo* post *sutore*, quod nec Paris agnoscit nec Plinius, quodque in permultis libris omissum minime desideratur, cum prioribus editoribus, qui tacite id aut ciecerunt aut omiserunt, delendum existimaui. Abunde enim est genus opificis indicari.

XIII. *et simul spei diuturnioris uitae)* Exempla cum manuscripta tum typis impressa praeter abbreuiatum Guelferbytanum tantum non omnia sexto casu *spe* exhibent. Quod intellegi non potest, cum quae sequuntur, *insistens* et *possit*, non habeant quo referantur. Interpretatur quidem Torrenius, 'dentur senectuti quaedam adminicula, quibus insistens alacriorem se facere possit per spem uitae diuturnioris'. Sed, ut concedam grammatica ratione hanc explicationem permitti, quam praeposterum totum illud esset, si senibus tantum aliorum senum repraesentatis exemplis spem diuturnioris uitae excitare et ea spe senectutem eorum alacriorem reddere uoluisset auctor? Anne tum saltem *diuturnioris etiam* scribendum fuisset? Plane uero non intellego Kappium, qui hanc Valerio sententiam subiecit, 'senectuti proprium in opere meo assignaui titulum, eam quoque ob causam, quod ipse spem habeo diuturnioris uitae'. Res simplicissima est, si Lipsii coniecturam *spei* recipias, quam multo ante

uitae quasi adminicula quaedam dentur, quibus insistens alacriorem se respectu uetustae felicitatis facere possit, tranquillitatemque saeculi nostri, qua nulla umquam beatior fuit, subinde fiducia confirmet, salutaris principis incolomitatem ad longissimos humanae condicionis terminos prorogando.

M. Valerius Coruinus centesimum annum conpleuit. Cuius 1.
inter primum et sextum consulatum XL et VI anni intercesserunt, suffecitque integris uiribus corporis non solum speciosissimis publicis ministeriis, sed etiam exactissimae agrorum suorum culturae, et ciuis et patris familiae optabile exemplum.

---

3. nostri saeculi *Γ*. || quo *CΓ et pr. A.* || umquam] umbra *C.* || 4. fiduciâ *A.* || incolumitatem *corr. A cum reliquis et Torr.* || 6. coruinius *A.* Coruus *Torr. Vid. ad III.* 2. 6. || 7. XL et VII *D.* XLVI *Par.* quadraginta septem *Torr.* || 9. publicis] rei publicae *D et in rasura A, Torr.* solus publicis *CE.* solis publicis *F.* || 10. patrisfamilias *Torr. Cf. VII,* 3, 1. *VIII,* 1, *abs.* 12 *et amb.* 2.

---

iam inuenerat abbreuiator Guelferbytanus, probauerant Vorstius et Perizonius. Omnibus enim auctor spem diuturnioris uitae augere uult, congestis aliquot memorabilis senectae exemplis, quorum respectu spes illa alacrior fiat, atque adeo ipsi spei adminicula quaedam subministrat relatione sua.

1. Cf. Plin. h. n. VII, 48, 49. Plut. Mar. 28.

XL et VI anni intercesserunt) Exempla numeralium cardinalium minorum quam centum, in quibus maior numerus contra Latini sermonis consuetudinem praecedat minorem per copulam annexum, cum per se rara sunt tum magna ex parte dubia propter scripturam et incerta. Atque hoc quoque loco in Paridis compendio uulgarem dicendi normam obseruatam esse uidemus, quippe quod exhibeat *XLVI anni intercesserunt.* Neque id reponere dubitassem, nisi interdum ipse epitomator quae minus recte scripta animaduerteret pro arbitrio mutasset. Valerium autem insolentia in hoc genere nonnulla sibi indulsisse satis constat. Ita in centenariis numeris aliter ac uulgo fieri solebat aliquotiens minorem numerum interposita particula *et* uel *atque* maiori praemisit. (*Cf.* VII, 6, 1, *septuaginta atque ducenti.* VIII, 13, 6 *tertium et centesimum* et eodem exemplo paulo post *quintum decimum et centesimum*, et magis etiam soloece duplici copula inserta VIII, 13, ext. 5 *septem et quinquaginta et centum annos.)* Aliam licentiam, qua Valerius duo numeralia per *ac, atque* ad unum coniunxit, a prosae orationis auctoribus item alienam, attigi II, 9, 6. Iam uero editores, cum e fastis Capitolinis constet inter primum et sextum Valerii Corui consulatum (a. u. c. 406—455) XLVII annos intercessisse, auctore Pighio hunc numerum reposuerunt, qui extat etiam in codice Berolinensi deteriore et inter Pighianos in Campensi. Nam de Cauchiano, cuius testimonium citat uir doctissimus, uix crediderim. Sine dubio leuis hic est ipsius Valerii error, quem ut intactum relinquamus suadet Paridis et nostrorum librorum consensus. Atque etiam Plinius h. n. l. c., qui haec e Valerio petiit, XLVI annos interpositos numerat. Plutarchus a primo Coruini consulatu usque ad ultimum quinque et quadraginta tantum annos fuisse refert.

speciosissimis publicis ministeriis) Archetypi codicis testimonium hoc loco non satis exploratum est, incerta propter lituram primaria libri Bernensis scriptura et alterius quoque familiae partibus inter se discrepantibus. Ni tamen omnia me fallunt, erant in Bernensi exemplo olim eadem, quae nunc seruantur in Berolinensi *C*, *non solum speciosissimis solus publicis ministeriis*, antequam emendator haud probabilem emendationem *speciosissimis rei publicae ministeriis* substitueret, quam nunc receperunt editores. Sed etiamsi fuerit in archetypo

2. Cuius uitae spatium aequauit Metellus, quartoque anno post consularia imperia senex admodum pontifex maximus creatus, tutelam caerimoniarum per duo et XX annos neque ore in uotis nuncupandis haesitante neque in sacrificiis faciendis tremula manu gessit.

3. Quintus autem Fabius Maximus duo*bus* et LX annis auguratus sacerdotium sustinuit, robusta iam aetate id adeptus. Quae utraque tempora si in unum conferantur, facile saeculi modum expleuerint.

4. Iam de M. Perpenna quid loquar, qui omnibus, quos in senatum consul uocauerat, superstes fuit septemque tantummodo, quos censor, collega L. Philippi, legerat, e patribus conscriptis reliquos uidit, toto ordine amplissimo diuturnior.

---

1. §. 2 *om. F.* || spatium] exemplum *D.* || 3. cerimoniarum *(A.)* || duos *CDEF Torr. Cf. I, 7, ext.* 5. *Haase ad Reisig. vorl. üb. Lat. sprachw. p.* 182. || nec ore *F.* || 5. manu] *add.* se *E et margo A.* || 6. §. 3 *om. F.* || duo *A Par.* || XL *DF.* || 7. iam] etiam *D.* || 9. expleuerunt *F.* || 10. §. 4 *om. F.* || Perperna *Par. Torr.* || 11. senatu *F.* || consul uocauerat] conuocauerat *CE et pr. A.* inuocauerat *F. Vt nos etiam Par.* || VII *F.* septem quoque *Torr.* || 12. legerat] collegerat *F.* || ex *DE.*

---

illud *solus*, sine dubio delendum est, quo facto omnia bene procedunt. Fieri potuit ut oriretur e praecedenti *solum*. Quod si ita erat, mecum de del*endo* olim consenserat abbreuiator Guelferbytanus.

2. Cf. Cic. Cat. mai. 9, 30. Plin. h. n. VII, 48, 49.

3. Cf. Liu. XXX, 26. Plin. h. n. VII, 48, 49.

duobus et LX annis) Liber Danielinus Bernensis et Paridis codex Vaticanus *duo et LX* exhibent, unde putauerit aliquis emendandum potius fuisse *duo et LX annos*, ut fecit in Paride A. Maius. At notum est numeralia olim notis expressa saepe causam extitisse cur in casu eorum ponendo peccauerint librarii. Cf. Drak. ad Liu. XXV, 9, 16. Itaque alteram emendationem tamquam ueri similiorem cum prioribus editoribus praetuli.

4. Cf. Plin. h. n. VII, 48, 49. Dio Cass. XLI, 14.

M. Perpenna) Et hoc loco et VI, 2, 8 Perperna dicitur in Paridis *epitome*, quae tamen III, 4, 5 cum codicibus nostris constanter Perpennam proferentibus consentit. Iam, si illa scribendi ratio marmoribus cum maxime Capitolinis commendatur, non recte tamen altera forma plerumque reicitur a grammaticis, cum non solum Graeci Romanae historiae auctores, aperte inter utramque scripturam fluctuati, minus asperam pronuntiationem tantum non semper praetulerint, uerum etiam optimi quidam Romanorum scriptorum codices eam tradant. Ita in Taciti codice Mediceo, cui plurimum tribuendum est in scribendi ratione, in ann. III, 62 *Perpennae* legitur, quod merito recepit Nipperdeius. Plinii *h. n.* VII, 48, 49 (156) codex praestantissimus Riccardianus bis *Perpenna* exhibet. Atque etiam Cuspinianus in comm. in Cassiod. cons. a. 623 Perpennam eam uocat, licet nomen a perna deriuatum putauerit. Dicit enim Perpennam eum uocari, qui larido deditus sit, quo nomine caro salsa intellegatur teste Macrobio (Sat. VII, 12). Multa exempla afferri poterunt, si aliorum scriptorum codices in minutis quoque his rebus accuratius erunt collati. Ceterum hic M. Perpenna, consul a. 662, filius erat eius M. Perpennae, qui Aristonicum deuicit consul a. 624 et priusquam triumphare posset Pergami decessit, de quo Valerius III, 4, 5 egit, pater uero M. Perpennae praetorii (Val. VI, 2, 5), qui

Appii uero aeuum clade metirer, quia infinitum numerum 5.
annorum orbatus luminibus exegit, nisi quattuor filios, quinque
filias, plurimas clientelas, rem denique publicam hoc casu gra-
uatus fortissime rexisset. Quin etiam fessus iam uiuendo lectica
se in curiam deferri iussit, ut cum Pyrro deformem pacem fieri
prohiberet. Hunc caecum aliquis nominet, a quo patria quod
honestum erat per se parum cernens coacta est peruidere?

Muliebris etiam uitae spatium non minus longum in com- 6.
pluribus apparuit, quarum aliquas strictim retulisse me satis
erit. Nam et Liuia Rutili septimum et nonagesimum et Terentia
Ciceronis tertium et centesimum et Clodia Aufili quindecim filiis
ante amissis quintum decimum et centesimum expleuit annum.

Iungam his duos reges, quorum diuturnitas populo Romano Ext. 1.
fuit utilissima. Siciliae rector Hiero ad nonagesimum annum
peruenit. Masinissa, Numidiae rex, hunc modum excessit, regni
spatium sexaginta annis emensus, uel ante omnes homines ro-
bore senectae admirabilis. Constat eum, quemadmodum Cicero
refert libro, quem de senectute scripsit, nullo umquam imbri,

---

1. appio *pr. A.* || 2. luminibus orbatus *Γ.* || filios] filias *C. add.* et *Torr.* || 3. filias] filios *pr. A.* || 4. texisset *C.* || etiam] enim *F.* || 5. ferri *F.* || phyrro *corr. A.* pyrtho *C.* || 6. aliquis] quis *E.* || 7. per se *om. CF.* || cernere *C.* || 8. §. 6 *om. Γ.* || longum non minus *F.* || 9. me *om. F.* || 10. Siluia *Par.* || rutilia *corr. D.* Rutilii *F.* || 11. aulifi *C et pr. A.* auliffi *E.* aufilii *pr. D.* aufilia *corr. D.* auli filia *FPar. et corr. A.* || 13. Iungam — (15.) peruenit *om. Γ.* || iungamus *F.* || duobus *C et pr. A.* || 14. rector] rex *in rasura D.* || 15. munidiae *D.* || hunc modum excessit *om. Γ.* || 16. omensus *F.* || uel] et *E et corr. D. om. pr. D.* || 17. Constat] *add.* enim *Γ.* || 18. imbre *DEFΓPar. Torr. Cf. Lucr. I*, 715. *Cic. Verr. IIII*, 40, 87.

---

cum ad Sertorium transiisset, a Catulo et Pompeio uictus occidit. Cf. Drum. gesch. Roms IIII, p. 359.

5. Cf. Cic. Cat. mai. 11, 37 et 6, 16. Liu. epit. libr. XIII. Plut. Pyrrh. 18. Auct. de uir. ill. 34.

6. Cf. Plin. h. n. VII, 48, 49.

Clodia Aufili) Transpositis litteris mendose in codice antiquissimo, e quo Paridis epitome et libri nostri communem originem duxerunt, *Auliſi* pro *Aufili* scriptum erat. Inde Paris longius progressus in corruptela *Auli filia* posuit aliisque Valerii librariis eiusdem erroris causa extitit. Denotantur autem omnes hae mulieres adiunctis maritorum, non patrum nominibus. Et Clodiam Aufilii uxorem fuisse Plinius testatur, qui omnia haec e Valerio desumpsit, nisi quod usitata uocalium mutatione Ofilium illum dixit pro Aufilio. Cf. Drum. gesch. Roms II, p. 200. Idem Plinius etiam in Liuiae nomine nostris codicibus fidem facit contra Paridem, qui Siluiam pro ea posuit.

Ext. 1. *Siciliae rector Hiero)* Cf. Liu. XXIIII, 4. Duo et nonaginta annos natum eum decessisse refert Lucian. macrob. 10.

Masinissa, Numidiae rex) Cf. Polyb. XXXVII, 3. Cic. Cat. mai. 10, 34. Liu. epit. libr. L. Plin. h. n. VII, 14, 12 et 48, 49. Plut. an seni sit ger. r. p. 15. App. Pun. 106. Lucian. macrob. 17. Suid. u. *Μασανάσσης*.

nullo frigore ut caput suum ueste tegeret adduci potuisse. Eundem ferunt aliquot horis in eodem uestigio perstare solitum, non ante moto pede quam consimili labore iuuenes fatigasset, ac si quid agi a sedente oporteret, toto die saepenumero nullam in partem conuerso corpore in solio durasse. Ille uero etiam exercitus equo insidens noctem diei plerumque iungendo duxit nihilque omnino ex his operibus, quae adulescens sustinere adsueuerat, quo minus senectute ageret omisit. Veneris etiam usu ita semper uiguit, ut post sextum et octogesimum annum filium generaret, cui Methymno nomen fuit. Terram quoque, quam uastam et desertam acceperat, perpetuo culturae studio frugiferam reliquit.

2. Gorgias etiam Leontinus, Isocratis et conplurium magni ingenii uirorum praeceptor, sua sententia felicissimus. Nam

---

1. potuit *F.* || 3. ac] d' at *margo A.* at *FTorr.* || 4. agi] *post* sedente *Γ.* || a sedente] ad sedentē *pr. A.* assidentē *corr. A.* ⁎ sedente *D.* || 5. corpore] capite *F.* || solito *E.* || 6. plurimumque *C.* || 7. ex iis *Torr.* || 8. quo minus] quo millius *pr. A.* cum illius *corr. A.* || senectute] annum iam cm̄ egressus *Γ.* senectutē *A.* || 9. sextum] septimum *Γ.* || octuagesimum *E.* XC *Par.* || generarit *corr. A. Torr.* || 10. methimno *C.* mechimnio *D.* mechnīo *E.* mechinio *F.* methumno *Γ.* Methymnato *Torr.* || 11. perpetue *D.* || reliquid *pr. A.* || 12. leontius *D.* || hisocratis *A. Cf. VIII, 7, ext.* 9.

---

quo minus senectute ageret) Notabile libri Danielini mendum *quo millius senectutẽ*, quod nihil aliud est quam *quom illius senectutem*, cum transisset in aliquot recentiores libros, Pighius emendandum censuit *cum illam senectutem ageret* atque ita edidit. At quam potissimum senectutem tam forti denotatione significari uoluerit neque dixit neque equidem intellego. Dubito uero anne peculiare potius libri Bernensis quam archetypi codicis illud mendum sit, cum per eos tantum libros manuscriptos propagatum sit, quos e Bernensi descriptos esse diximus, Atrebatensem Pighii, Leidensem quintum Torrenii. Reliqui sane omnes fere id tuentur, quod nos restitutum a Vorstio supra posuimus. Neque etiam obstat *quo minus* omittendi uerbo subiunctum, cum tota sententia in eo uersetur ut impedimentum fuisse negetur quo minus aliquid fiat. Cf. Madu. gramm. §. 375, c. not. 1.

cui Methymno nomen fuit) Polybius l. c. nonagenarium mortuum esse Masinissam refert filiumque reliquisse quattuor annorum nomine *Στέμβανον. Σθέμβαν* eum uocat, qui haec ex Polybio descripsit, Suidas u. *Μασανάσσης*. Propius ad nostram scripturam accedunt Plinii, qui haec e Valerio desumpsit, codices VII, 14, 12, (61), quamuis ne ii quidem ita sibi constent, ut uerum nomen certo inde cognoscatur. Quorum in optimo, quem totum in septimo uolumine excussit Silligius, Riccardiano scriptum est *Metimanum*, quod Silligius recepit, in aliis deterioribus *Metimathnum, Methymannum, Methymnatum*, quemadmodum hucusque in Valerio edebatur. Dalecampii uetus codex id *ipsum* tradidisse dicitur, quod nos in Bernensi Valeriano inuenimus. Quem secuti sumus, de uera scriptura dubitantes, donec de uernacula hominis appellatione, unde illae formae a Polybio et a Valerio positae declinatae sunt, docebimur.

2. Cf. Cic. Cat. mai. 5, 13. Quint. III, 1, 9. Plin. h. n. VII, 48. Lucian. macrob. 23.

cum centesimum et septimum ageret annum, interrogatus quapropter tam diu uellet in uita remanere, 'Quia nihil', inquit, 'habeo, quod senectutem meam accusem'. Quid isto tractu aetatis aut longius aut beatius? Iam alterum saeculum ingressus neque in hoc querellam ullam inuenit neque in illo reliquit.

Biennio minor Xenophilus Chalcidensis Pythagoricus, sed felicitate non inferior, siquidem, ut ait Aristoxenus musicus, omnis humani incommodi expers, in summo perfectissimae doctrinae splendore extinctus est. 3.

Arganthonius autem Gaditanus tamdiu regnauit, quamdiu etiam ad satietatem uixisse abunde foret. LXXX enim annis patriam suam rexit, cum ad imperium quadraginta annos natus accessisset Cuius rei certi sunt auctores. Asinius etiam Pollio, non minima pars Romani stili, in tertio historiarum suarum libro centum illum et triginta annos explesse commemorat, et ipse neruosae uiuacitatis haud paruum exemplum. 4.

Huius regis consummationem annorum minus admirabilem faciunt Aethiopes, quos Herodotus scribit centesimum et uicesimum annum transgredi, et Indi, de quibus Ctesias idem tradit, et Epimenides Cnosius, quem Theopompus dicit septem et quinquaginta et centum annos uixisse. 5.

---

1. septimum] Vlum *Γ*. || annum ageret *E*. || quapropter] *add.* quod *F*. || 2. inquid *pr. A. om. pr. D*. || 3. quod *om. F*. || acusem *pr. A.* accuset *C*. || tractu] gradu *D*. || 5. reliquit neque in illo iuuenit *F*. || 6. Xeno philus *pr. A.* Xeno philosophus *Par. et corr. A.* zenophilus *F*. || chalchidensis *pr. A.* chalchidiensis *corr. A.* calchidiensis *DPar*. || 8. incommodi humani *CEF*. || splendore doctrinae *Torr*. || 10. arganthonicus *pr. A.* archatonius *CDF.* arcatonius *E.* argatonicus *Γ*. || 11. LXXX] XC *Par. add.* u. XC *margo A*. || 12. accessisset natus *D*. || 13. Cuius — (16.) exemplum *om. Γ*. || etiam] enim *D*. || 16. uiuacitatis] *litt.* tis *in rasura A*. || parum *A*. || 18. uicesimum] XX^{mũ} *pr. A.* XXX^{mũ} *corr. A e Paride.* XXX *E.* uigesimum *Torr*. || 19. et Indi — tradit *om. Γ*. || hindi *pr. A*. || eteseias *AC.* et oseias *D.* ethesias *E.* et exaias *F*. || idem] quidem *ADE.* quibus *C.* quidam *F. Correxit Colerus cum ed. Venet.* || tradidit *D*. || 20. epimenidis *A*. || gnosius *CDΓ et corr. A*. || dicit] diem *F*. || 21. quinquaginta et] XL *(omisso* et*) F*. || anno *C*.

---

3. Cf. Plin. h. n. VII, 50, 51. Lucian. macrob. 18.

Aristoxenus musicus) Cf. Cic. Tusc. I, 10, 20; de fin. V, 19, 50; ad Att. XIII, 32, 2. Fragmenta eius collegit Müller fragm. hist. Graec. II, p. 269. Hodie supersunt tres eius libri *περὶ ἁρμονικῶν στοιχείων*.

4. Cf. Herod. I, 163. Cic. Cat. mai. 19, 69. Plin. h. n. VII, 48, 49. Sil. Ital. III, 397. Lucian. macrob. 10.

5. Cf. Herod. III, 23.

et Epimenides Cnosius) Cf. Plin. h. n. VII, 48, 49.

septem et quinquaginta et centum) De numeralibus aliter ac uulgo fieri solet ita collocatis, ut minor numerus centenarium antecedat, diximus ad VIII, 13, 1. Hoc loco maior etiam licentia in eo est, quod simul bis interposita est

6. Hellanicus uero ait quosdam ex gente Epiorum, quae pars Aetoliae *est,* ducentos explere annos, eique suscribit Damastes, hoc amplius adfirmans, Litorium quendam ex his maximarum uirium staturaeque praecipuae trecentesimum annum cumulasse.

7. Alexander uero in eo uolumine, quod de Illyrico tractu conposuit, adfirmat Dandona quendam ad quingentesimum usque annum nulla ex parte senescentem processisse. Sed multo liberalius Xenophon, cuius *περίπλους* legitur. Insulae enim Latmiorum regem octingentis uitae annis donauit. Ac ne pater

---

1. thellanicus *AΓ.* tellanicus *CD.* telanicus *EF.* || epiporum *ACDΓ.* epyporum *E.* ephiphorum *F.* u. heliorum *margo A.* Heliorum *Par.* || 2. est] *om. pr. A. ante* pars *CEFΓ. ante* Aetoliae *Torr.* || explete *C.* || damasthes *A.* damasces *D.* damaseces *F.* || 3. lictorium *DFTorr.* || iis *E.* || 5. eo] illo *E.* || illirici *F.* || 6. dantdonã *A.* u. dandonem *margo A.* dantonam *CD.* dandonam *E.* dõdonem *F.* Danthona *ΓTorr.* Dandonem *Par. Plin.* || quingesimum *D.* || 8. cuius *om. Γ.* || *ΠΕΡΙΠΛΟϹ AC.* periplus *Par. et margo A.* impiuoe *D.* *ιτυρϲοτ E.* pepinace *F.* *περυτλοϲ Γ.* || Insulae] *in rasura D.* is *CEF.* || enim *om. D.* || latiniorum *C.* latinorum *E.* lanorum *F.* lathmiorum *Γ.* lamiorum *Par.* || 9. annis uitae dece *Γ.*

---

copula *et,* cuius duplicis soloecismi aliud exemplum non mihi innotuit. Neque tamen de scriptura uidetur dubitandum esse. Paris autem CXLVIII annis Epimenidem uixisse scripsit.

6. Cf. Plin. h. n. VII, 48, 49.

ex gente Epiorum, quae pars Aetoliae est,) Codices optimi *epiporum* tradunt, unde iam in Aldina editione *Epiorum* factum est, quam emendationem Pliniani codices confirmant. Dubitatio tamen oritur, quod hoc loco a Plinio quoque Epei siue Epii Aetoliae pars esse perhibentur, cum eos olim Elidem obtinuisse et postea mutato nomine Elios appellatos esse satis constet. Cf. Plin. h. n. III, 5, 6, (14.). Strab. VIII, 3, 8 p. 340 Cor. Quapropter Colerus legendum esse censuit *Epiriorum.* Sic enim dici potuisse qui et Acarnanes. Alii de Ephyris cogitarunt, quos Plinius IIII h. n. 2, 3 inter Aetoliae populos recenset (Strab. VIII, 3, 5. p. 338. Cor.). Sed cum Plinius, qui haec e Valerio exscripsit, ipse quoque de Epiis retulerit, recte Torrenium hanc scripturam defendisse arbitror laudato Strabonis X, 3, 2 p. 463, *ἐξ ἀρχῆς μέν φησιν ἅπασαν τὴν χώραν Κούρητας κατασχεῖν· ἀφικομένου δ' ἐξ Ἤλιδος Αἰτωλοῦ τοῦ Ἐνδυμίωνος καὶ τοῖς πολέμοις κρατοῦντος αὐτῶν τοὺς μὲν Κούρητας εἰς τὴν νῦν καλουμένην Ἀκαρνανίαν ὑποχωρῆσαι, τοὺς δ' Αἰτωλοὺς συγκατελθόντας Ἐπειοῖς τὰς ἀρχαιοτάτας κτίσαι τῶν ἐν Αἰτωλίᾳ πόλεων.* Itaque de Epeis, antiquis Aetoliae incolis, dubitari non posse uidetur. Sed nescio an Valerius non recte ita locutus sit, tamquam recentioribus quoque temporibus Epiorum gens pars Aetoliae fuerit, quamquam fieri potuit ut aduenae in Aetolia priscum diutius retinerent nomen, in ipsa patria permutatum paulo post cum Eliorum appellatione. Denique, ni credideris Iulium Paridem quoque aliquando in suo Valerii exemplo de his Epeis legisse, non facile intellexeris miram illam discrepantiam, quod epitomator pro Epeis recentius illud Eliorum nomen substituit. Magis dubium longaeui illius Epei nomen est paulo post commemoratum, quod in Plinianis etiam codicibus uitiose scriptum esse uidetur. Exhibet autem Riccardianus *Pictoreum,* uetus codex Dalecampii, cui tamen caute fides habenda est, *Lictorium,* quemadmodum hucusque in hoc opere edebatur. Nos optimum inter Valerianos Bernensem secuti sumus.

7. Cf. Plin. h. n. VII, 48, 49.

Alexander uero) De Alexandro et Xenophonte cf. praef. p. 24.

Insulae enim Latmiorum) Optimi libri Bernensis scriptura media quasi est

eius parum benigne acceptus uideretur, ei quoque sescentos adsignauit annos.

DE CVPIDITATE GLORIAE.

Gloria uero aut unde oriatur aut cuius sit habitus aut qua XIIII.
ratione debeat conparari et an melius a uirtute uelut non necessaria neglegatur uiderint hi, quorum in contemplandis huiusmodi rebus cura teritur quibusque quae prudenter animaduerterunt facunde contigit eloqui. Ego in hoc opere factis auctores et auctoribus facta sua reddere contentus, quanta cupiditas eius esse soleat propriis exemplis demonstrare conabor.

Superior Africanus Ennî poetae effigiem in monumentis 1.
Corneliae gentis conlocari uoluit, quod ingenio eius opera sua inlustrata iudicaret, non quidem ignarus, quam diu Romanum imperium floreret et Africa Italiae pedibus esset subiecta totiusque terrarum orbis summum columen arx Capitolina possideret, eorum extingui memoriam non posse; si tamen litterarum quoque illis

1. benignae *pr. A.* || sexcentos *Torr. Cf. II*, 6, 7. || 3. Liber VIII de cupiditate gloriae *Γ*. DE GLORIAE CVPIDITATE *Par.* || 4. aut unde] unde *F.* || 5. a *om. C.* || uelud *pr. A.* ueluti *CDFΓTorr.* || 6. uideant *D.* uiderunt *E.* || ii *ETorr.* || eiusmodi *FΓ.* || 7. quibusque] que *om. Γ. add.* etiam *F. add.* illa *Torr.* || quae *om. D.* || animaduerterent *pr. A.* animaduerterant *E.* || 8. facundie *F.* || contingit *DF.* || fatis *F.* || 9. fata *F.* || 10. esset *C.* || solebat *D.* || 11. affigiem *F.* || 15. suum *E.* || arax *pr. A.* ars *DF et pr. C.* || capitoliana *E.* || 16. si] sed *Γ.* || illis] *ante* quoque *E. post* lumen *Torr.*

inter eam quam Paridis codex Vaticanus et eam quam Pliniani libri tradunt, atque adeo per utramque insigniter munitur. Paris enim *insulae Lamiorum*, Plinii codex Riccardianus *petropulutmiorum (periplo Latmiorum)* exhibet, ita ut non tam de constituendis quam de explicandis hisce uerbis ambigatur, cum neque, quae olim Latmi nomen a uicino Cariae monte acceperat, Heraclea (Plin. V, 29, 30. Strab. XIIII, 1, 8 p. 635 Cor.) insulae appellatione significari potuerit, neque alia adhuc innotuerit Latmiorum insula. Quam difficultatem mihi non magis expedire contigit quam Silligio, qui insulam quandam maris Baltici uel Atlantici denotari arbitratur, quae maria Xenophontem adiisse sciamus. Priores Valerii editores arbitrarie admodum cum deterioribus codicibus pro *Insulae enim* posuerunt *Is enim*, et interpretati sunt de urbe Latmo, olim a uicino monte sic appellata.

XIIII, 1. Cf. Cic. pro Arch. 9, 22. Liu. XXXVIII, 56. Plin. h. n. VII, 30, 31, (114).

lumen accessisset, magni aestimans, uir Homerico quam rudi atque inpolito praeconio dignior.

2. Similiter honoratus animus erga poetam Accium D. Bruti, suis temporibus clari ducis, extitit. Cuius familiari cultu et prompta laudatione delectatus, *eius* uersibus templorum aditus, quae ex manubiis consecrauerat, adornauit.

3. Ne Pompeius quidem Magnus ab hoc adfectu gloriae auersus, qui Theophanem Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in contione militum ciuitate donauit, beneficium per se amplum accurata etiam et testata oratione prosecutus. Quo effectum est, ut ne quis dubitaret quin referret potius gratiam quam inchoaret.

4. Lucius autem Sylla, etsi ad neminem scriptorem animum direxit, tamen Iugurthae a Boccho rege ad Marium perducti totam sibi laudem tam cupide adseruit, ut anulo, quo signatorio utebatur, insculptam illam traditionem haberet. Et quantus postea, ne minimum quidem gloriae uestigium contempsit.

5. Atque ut imperatoribus militis gloriosum spiritum subnectam, Scipionem dona militaria his qui strenuam operam ediderant diuidentem T. Labienus ut forti equiti aureas armillas tribueret admonuit, eoque se negante id facturum, ne castrensis honos in eo qui paulo ante seruisset uiolaretur, ipse ex praeda Gallica aurum equiti largitus est. Nec tacite id Scipio tulit. Namque

---

1. accessisse *Γ.* || magis existimans *F.* || 3. §. 2 *om. Γ.* || actium *CD.* || 5. eius *om. C et pr. A.* || 6. ex] *add.* suis *corr. D.* || manibus *pr. A.* manibiis *corr. A* || 7. §. 3 *om. Γ.* || pompeiũ *pr. A.* m. pompeius *corr. D.* || uersus *C.* aduersus *F.* || 8. theopanem *pr. A.* || mityleneum *A.* || 10. et attestata *F.* || 11. gratiam potius *F.* || 12. §. 4 *om. Γ.* || 13. direxerit *F.* || iugurtha *DE.* || a Boccho] *litt. oc in rasura A.* ab octho *D.* || perducto *ACEF.* producto *D.* || 14. tam *om. F et pr. A.* || 16. nec *EF.* || nimium *F.* || 17. imperatori *Γ.* || gloriosum militis *Torr.* || 18. scipione *Γ.* || iis *Γ.* || 19. te labienus *F.* || 20. negante se *Torr.* || 21. ante *om. E.* || 22. ne *Γ.* || nam *Torr.*

---

2. Cf. Cic. pro Arch. 11, 27 coll. cum Cic. Brut. 28, 107. Plin. h. n. XXXVI, 5, 4, §. 26.

D. Bruti) D. Iunii Bruti Callaeci, consulis a. u. c. 616.

3. Cf. Cic. pro Arch. 10, 24. Strab. XIII, 2, 3 p. 617 Cor.

4. Cf. Plin. h. n. XXXVII, 1, 4, (8). Plut. Syll. 3. id. Mar. 10. id. reip. ger. praec. 12.

Et quantus postea) Male haec in uulgatis editionibus per exclamationem efferebantur *Et quantus postea!*, quae cum sequentibus non cohaerent. Perizonius ergo generalem eam notionem desiderans, quae uulgo exprimitur per *quantuscumque*, scribi iussit *Et quantus quantus postea.* Sed sine dubio *quantus* aptum est a demonstratiuo subintelligendo *Et tantus, quantus postea erat, ne minimum* etc., adeo ut mutatione opus non sit.

5. *Scipionem)* De Scipione Metello, Cn. Pompeii socero, haec intellegenda esse e T. Labieni commemoratione planum fit.

equiti 'Habebis', inquit, 'donum uiri diuitis'. Quod ubi ille accepit, proiecto ante pedes Labieni auro uultum demisit. Idem ut audiit Scipionem dicentem 'Imperator te argenteis armillis donat', alacer gaudio abiit. Nulla est ergo tanta humilitas, quae dulcedine gloriae non tangatur.

Illa uero etiam a claris uiris interdum ex humillimis rebus petita est. Nam quid sibi uoluit C. Fabius, nobilissimus ciuis, qui cum in aede Salutis, quam C. Iunius Bubulcus dedicauerat, parietes pinxisset, nomen his suum inscripsit? Id enim demum ornamenti familiae consulatibus et sacerdotiis et triumphis celeberrimae deerat. Ceterum sordido studio deditum ingenium qualemcumque illum laborem suum silentio oblitterari noluit, uidelicet Phidiae secutus exemplum, qui clypeo Mineruae effigiem suam inclusit, qua conuulsa tota operis colligatio solueretur.

Sed melius aliquanto, si aliena imitatione capiebatur, Themistoclis ardorem esset aemulatus, quem ferunt stimulis uirtutum agitatum et ob id noctes inquietas exigentem quaerentibus quid ita eo tempore in publico uersaretur respondisse 'Quia me tropaea Miltiadis de somno excitant'. Marathon nimirum animum

6.

Ext. 1.

1. diuitis uiri *F.* || 2. labieno *A.* || aurum *pr. A.* || dimisit *CEΓPar. et pr. A. om. F.* || 3. audiuit *EF.* || te *om. Γ.* || armillis] anulis *F.* || 6. Illa — (12.) oblitterari noluit *om. Γ.* || a claris] alacris *pr. A.* || 7. q. fabius *F.* || 8. bibulcus *F.* || 9. his] *post* suum *D.* iis *E.* is *F.* || inscripsit] *litterae* psit *in rasura A.* inscribit *CF. add.* BR. unde fabii pictores nominati *margo A.* || 10. consularibus *ACD.* || sacerdotibus *ACDE.* || celeberrimum dederat *ACDEF.* || 12. oblitterari *(A.)* || 13. uidelicet — exemplum qui] Phidias ita *Γ.* || 14. qua] ut ea *Γ.* || solueretur] *add.* laborem suum et industriam nolens oblitterari silentio *Γ.* || 15. Sed — (16.) quem ferunt] Themistoclen fertur *Γ.* || imitatione aliena *Torr.* || captus *D.* || 18. tropea *A.* || 19. miliciadis *pr. A.* milciadis *corr. A.* mestiadis *D.* melichiadis *F.* || marthon *pr. A.*

6. Cf. Plin. h. n. XXXV, 4, 7.

C. Iunius Bubulcus) Cf. II, 9, 6. Liu. IX, 43. X, 1.

celeberrimae deerat) Ita ueteres iam editiones praeter Moguntinam emendarunt quod archetypus codex tradiderat, *celeberrimum dederat.* Male enim sic, si tamen Latine, de quo equidem ualde dubito, languida et obscura gentilis gloriae denotatione ironice Fabius id ornamentum (gloriam e pictura adeptam) tamquam clarissimum familiae suae consulatibus, sacerdotiis, triumphis dedisse (i. e. adiecisse) diceretur. Nam *consularibus et sacerdotibus,* quod archetypus liber exhibebat, non conuenire cum *triumphis* nemo est quin sentiat. Ea contra sententia, quam recepta exprimit emendatio, quamque recentiorum librariorum diuinationi debemus, omni numero satisfacit. Similiter Valerius locutus est IX, 2, 2, *Id enim malorum miserrimae tunc rei publicae deerat.* Mendum in uerbo *dederat* alterius in adiectiuo mendi causa extitisse uidetur.

uidelicet Phidiae secutus exemplum) Cf. Cic. de or. II, 17, 73. id. or. 70, 234 et Tusc. I, 15, 34.

Ext. 1. Cf. Plut. Them. 3. id. apophth. reg. et duc. (Them.) 1.

eius ad Artemisium et Salamina, naualis gloriae fertilia nomina, inlustranda tacitis facibus incitabat. Idem theatrum petens, cum interrogaretur cuius uox auditu illi futura esset gratissima, dixit 'Eius a quo artes meae optime canentur'. Dulcedinem gloriae, paene adieci gloriosam!

2. Nam Alexandri pectus insatiabile laudis, qui Anaxarcho comiti suo, ex auctoritate Democriti praeceptoris innumerabiles mundos esse referenti, 'Heu me', inquit, 'miserum, quod ne uno quidem adhuc sum potitus'! Angusta homini possessio [gloriae] fuit, quae deorum omnium domicilio sufficit.

1. ad] et *ADEFΓ. om. C.* || artimisium *A.* arcimisium *C.* atrimisium *D.* artimissium *F.* aritimisium *Γ.* || 2. inlustrando *corr. A.* || faucibus *pr. A.* || incitabant *ACDEFΓ.* || 4. canentur] *ante* optime *Torr.* canerentur *E.* || dulcedini *D.* || 5. adiecit *ACDFΓTorr. et post* gloriosam *E.* || gloriosam] gloriam *D.* || 6. Nam] * * *A. om. D.* Iam *FTorr. Vid. ad I, 6, 10.* || insaciabile *A.* || quia *C.* || anaxachro *pr. A.* naxarcho *C.* anaxagreco *F.* || 8. nec *ACDEΓ. Vid. ad II, 1, 4.* || 9. potitus sum *Torr.* || gloriae] *sine uncis Torr.*

ad Artemisium et Salamina) Sententiam egregie refecit Perizonius, cum antea uitiosa omnium librorum scriptura *(Marathon — et Artemisium et Salamina — inlustranda tacitis facibus incitabant)*, quae sensu omnino caret, aut retenta esset intemptata aut mutato *Salamina* in *Salamis* magis etiam deprauata. 'Nequaquam enim', inquit Perizonius, 'Artemisium et Salamis inter Miltiadis tropaea et inter Themistoclis incitamenta ad uirtutem poni possunt'. Res ipsa satis commendat uiri acutissimi factum, a Torrenio, Kappio ceterisque deinceps grammaticis probatum.

Idem theatrum petens) Cf. Cic. pro Arch. 9, 20. cl. cum Ael. u. h. XIII, 43.

paene adieci gloriosam!) Hanc Lipsii coniecturam, quam Colerus libro Danielino confirmari mentitus est, tamquam ueram certissimamque recipere non dubitaui, cum tertia uerbi persona, ab omnibus codicibus tradita et a prioribus grammaticis constanter seruata, locum non habeat. Nam, ut mittam quod Valerius numquam particulam *paene* ita a uerbo, quocum sensu cohaeret, seiunxit, ut alia intercedat uox, dulcedinem profecto gloriae Themistocles eo dicto nec adiecit, nec, si quam adiecisse eum putaueris, gloriosam eam esse significauit. Immo potius eam, quam ipse percepit gloriae dulcedinem ita expressit, ut auctor paene gloriosum hunc animi affectum iudicauerit, atque adeo exclamauerit ea forma, quae tritissima illi est, 'O dulcedinem gloriae, paene dixerim gloriosam'! Indicatiuus *adieci* ne quem offendat, similiter cum aliis M. Tullius quoque locutus est ad Att. V, 20, 6, *quem non minus amo quam tu, paene dixi quam te.* Ante Pighium, qui codicum scripturam primus restituit, uulgo edebatur, quod nos in altero Berolinensi inuenimus, *Dulcedini gloriae paene adiecit gloriam.*

2. Cf. Plut. de tranq. anim. 4. Ael. u. h. IIII, 29. Iuu. sat. X, 168.

Angusta homini possessio [gloriae] fuit) Iure mireris neminem ante Perizonium offendisse in eo, quod scriptor possessionem gloriae omnium deorum domicilio sufficere dixerit, quasi gloria pro domicilio uti potuissent dii. Erat in promptu suspicio Valerium composuisse *Angustae homini possessio gloriae fuit*, non maiore sane cum licentia, si peruersum illum excipias uerborum ordinem, quam IX, 1, 4, ubi Crassi quendam de splendida domo sermonem 'oblitum Pyrrhi' uocat, 'immemorem Hannibalis, sed multo tamen angustiorem insequentium saeculorum aedificiis et nemoribus'. Nam ut illic sermonem, ita hoc loco gloriam angustam dicere poterat, cum potius res, ad quas illa specta-

Regis et iuuenis flagrantissimae cupiditati similem Aristo- 3.
telis in capessenda laude sitim subnectam. Is namque Theodecti discipulo oratoriae artis libros quos ederet donauerat, molesteque postea ferens titulum eorum sic alii cessisse, proprio uolumine quibusdam rebus insistens, planius sibi de his in Theodectis libris dictum esse adiecit. Nisi me tantae et tam late patentis scientiae uerecundia teneret, dicerem dignum philosophum, cuius stabiliendi mores altioris animi philosopho traderentur.

Ceterum gloria ne ab his quidem, qui contemptum eius introducere conantur, neglegitur, quoniam quidem ipsis uoluminibus nomina sua diligenter adiciunt, ut quod professione eleuant usurpatione memoriae adsequantur. Sed qualiscumque horum dissimulatio proposito illorum longe tolerabilior, qui, dum aeternam memoriam adsequerentur, etiam sceleribus innotescere non dubitarunt.

Quorum e numero nescio an in primis Pausanias debeat 4.
referri. Nam cum Hermoclen percontatus esset quonam modo subito clarus posset euadere atque is respondisset, si aliquem inlustrem uirum occidisset, futurum ut gloria eius ad ipsum redundaret, continuo Philippum interemit, et quidem quod petierat adsecutus est; tam se parricidio quam Philippus uirtute notum posteris reddidit.

---

1. aristoteles *A.* || 2. theodenti *pr. A.* theodocto *D.* theodoti *F.* thedecti *pr. Γ.* || 3. ediderat *DF.* || 5. uolumini *E.* || de his *om. F.* || in *om. pr. D.* || theodocti *D.* theodotis *F.* || 7. scientiae patentis *Γ.* || diceret *Γ.* || 8. altiores *pr. A.* || 10. ab iis *E.* || 11. inducere *D.* || 12. leuant *D et corr. A.* || 14. horum] eorum *DF.* || tolerabilior] *add.* est *E et corr. D, Torr.* || dum] ut *D.* || 16. dubitarent *E.* || 17. §. 4 *om. Γ.* || ex *D.* || debeas *C.* debet *F.* || 18. referre *F.* || dum *DTorr.* || hermoclem *uel* hermoclē *CDEFTorr.* || 19. aliquem] *post* uirum *FTorr.* || 20. uirum illustrum *D.* uirum illustrem *E.* || 21. et quidem] equidem *F.* || 22. tam] tantum *corr. C.* tantum enim *D.* tam enim *FTorr.* || parricidio se *F.* || quam] quantum *D et corr. C.* || uirtute] *add.* fuerat *D et margo A.* fuerat uirtute *E.* || 23. notum] *add.* se *F.*

---

bant, uiderentur angustae. At simplicius et probabilius Perizonius mendum sustulit deleto *gloriae*, ita ut et in primaria et in relatiua sententia auctor de solo spatio possessionis homini nimis angusto dixisse putandus sit. Idem uir doctissimus suspectam uocem a librario quodam ascriptam esse, qui, cum toto hoc capite et proinde etiam hoc exemplo de gloria agatur, eo retulerit et male definierit possessionem, ueri similiter admodum conicit, probauitque opinionem suam etiam Torrenio.

3. Cf. Arist. rhet. ad Alex. 1 p. 1421 Bekk. Quint. II, 15, 10.

Ceterum gloria ne ab his quidem) Cf. Cic. pro Arch. 11, 26.

4. Cf. Iustin. IX, 6 et 7. Plut. Alex. 10. Hermocraten pro Hermocle posuit Diod. Sic. XVI, 94 p. 154.

5. Illa uero gloriae cupiditas sacrilega. Inuentus est enim qui Dianae Ephesiae templum incendere uellet, ut opere pulcherrimo consumpto nomen eius per totum terrarum orbem dissiceretur. Quem quidem mentis furorem eculeo inpositus detexit. Ac bene consuluerant Ephesii decreto memoriam taeterrimi hominis abolendo, nisi Theopompi magnae facundiae ingenium historiis eum suis conprehendisset.

QVAE CVIQVE MAGNIFICA CONTIGERVNT.

XV. Candidis autem animis uoluptatem praebuerint in conspicuo posita quae cuique magnifica merito contigerint, quia † aeque praemiorum uirtutes atque honorum contemplatio iudicanda est,

---

1. Illa — sacrilega *om. Γ.* || 3. dissiceretur] *sic AEΓ.* disceretur *C.* disseretur *D.* diffunderetur *F. Vid. ad III, 5, 2.* || 4. At *Torr.* || 5. consulerant *D.* || epherii *F.* || hominis] *add.* in *A.* || 8. Quae cui *ΓPar.* Quaecumque *F.* || contigerint *Γ Par.* || 9. praebuerunt *DF.* || 10. contigerunt *F et corr. A, Torr. et ante* merito *D.* || 11. uirtus *D et corr. A.* uirtutis *Torr.* || honerum *pr. A.*

---

5. Cf. Strab. XIIII, 1, 22 p. 640 Cor.

XV. *praemiorum uirtutes atque honorum contemplatio)* Cum uulgo perperam e deterioribus codicibus pro *uirtutes* receptum esset *uirtus*, quod profectum est a correctore libri Bernensis, Vorstius et omnes deinceps editores Chalcocondylae, Martini Herbipolensis, Ascensii exempla secuti *uirtutis* reposuerunt. At, cum nihil differant inter se praemia uirtutis et honores, sed plane idem ualeant, qua ratione quoue consilio utrorumque contemplatio aeque iudicanda esse perhibeatur nec ego umquam intellexi nec docuit Kappius, cum interpretatur 'nam siue praemia uirtutis siue honores uirtutis contemplari te uelle dicas parum refert et fere idem est'. Quae, si cum praecedentibus et cum sequentibus conferantur, quid sibi uelint nescio. Neque magis sententiarum nexui consuluit Torrenius, cui cum Ascensio placuisse uidetur *aeque praemiorum uirtutis atque honorum contemplatio iucunda est.* Ac ne Perizonii quidem coniectura, *aequa — iudicanda est*, modo expositas difficultates remouet. Locus sane desperatissimus est, etiamsi quam sententiam auctor olim posuerit luculenter e uerbis, quae sequuntur, appareat, *cum honorem industriae appeti et exsolui grate uidemus.* Dixerat procul dubio praemiorum uirtutis, i. e. honorum recognitionem aeque fructuosam et utilem esse atque ipsius uirtutis contemplationem, cum natura alacriores flamus ad capessendam uirtutem, non minus si industrie ab aliis exerceri (appeti honorem) quam si praemiis grate honorari eam uideamus. Sincera ergo sententia, si scriptum esset, *quia aeque ipsius uirtutis atque praemiorum uirtutis i. e. honorum contemplatio iudicanda est.* Valerius quid scripserit, ut hoc exprimeret, inuenire nondum mihi contigit.

ipsa natura nobis alacritatem sumministrante, cum honorem industrie appeti et exsolui grate uidemus. Verum etsi mens hoc loco protinus ad Augustam domum, benificentissimum et honoratissimum templum, omni impetu fertur, melius cohibebitur, quoniam cui ascensus in caelum patet, quamuis maxima, debito tamen minora sunt quae in terris tribuuntur.

Superiori Africano consulatus citerior legitimo tempore da- 1.
tus est. Quod fieri oportere exercitus senatum litteris admonuit. Ita nescias utrum illi plus decoris patrum conscriptorum auctoritas an militum consilium adiecerit. Toga enim Scipionem ducem aduersus Poenos creauit, arma poposcerunt. Cui quae in uita praecipua adsignata sint et longum est referre, quia multa, et non necessarium, quia maiore ex parte iam relata sunt. Itaque quod hodieque eximium capit adiciam. Imaginem in cella Iouis optimi maximi positam habet, quae, quotienscumque funus aliquod Corneliae genti celebrandum est, inde petitur, unique illi instar atrii Capitolium est.

---

1. nobis * *A.* || subministrante *Torr.* || industria * * peti *A.* industria peti *D.* || 2. gratiae *A.* gracia *D.* gratie *Γ.* || 3. angustam *C.* || benificentissimum] *sic A.* beneficentissimam *D.* || honorantissimum *E.* || 4. omni *om. D.* || cohibetur *D.* || 5. cuius ascensu *pr. A.* || 7. superior Africanus *pr. A.* || 10. an] aut *D.* || 11. poenas *pr. A.* || arma] *add.* uero *F.* || 12. sunt *DEFΓTorr.* || 13. necessaria *D.* || hodie *corr. D.* hodie quoque *EF.* || 14. eximium] *add.* eius memoria *E.* || capita dicam *pr. A.* capit dicam *Γ.* || obtimi *pr. A.* || 15. quotiescumque *pr. A.* quotiens quocumque *F.* || munus *ACDEFΓTorr.* || 16. gentis *CFΓ et pr. A.*

---

1. Cf. App. Hisp. 23.

Quod fieri oportere — admonuit) Haec uerba parum circumspecte posuisse uidetur auctor. Nam quamuis uterque Scipio Africanus ante legitimos annos consularem obtinuerit potestatem (Liu. XXVIII. 38 et epit. libr. L. Auct. de uir. ill. 49 et 58), tamen de superiore Africano milites monuisse per litteras ab aliis nihil traditum est, eratque ille antequam consul crearetur, per aliquot iam annos dux contra Poenos. Aemilianum uero Scipionem crebris militum litteris Romae commendatum esse memoriae prodidit Appianus Pun. 112. Quod cum animaduertisset Pighius, omnia haec uerba, quae leguntur inde a *Quod fieri oportere* usque ad *arma poposcerunt*, male a librario quodam, qui aliquando duo similia exempla in compendium contrahere conatus esset, ex quarto quod sequitur de Scipione Aemiliano exemplo huc translata esse opinabatur eaque suo loco reponenda esse censuit post uerba §. 4 *Aemilianum enim populus ex candidato aedilitatis consulem fecit.* Quae quam parum sint probabilia non est quod moneam, cum Valerius confusis cognominibus his uiris et saepius et multo etiam grauius quam hoc loco peccauerit. Cf. praef. p. 30. Itaque nos cum Vorstio, Perizonio, Torrenio ipsius auctoris memoriae lapsum agnouimus.

funus aliquod Corneliae genti) Nullus dubitaui certissimam hanc Pighii emendationem recipere, cum in codicibus manuscriptis et in editionibus hucusque circumferretur *munus aliquod.* Funera enim, in quibus illustrium maiorum imagines ex atriis petitae praeferri solebant, intellegi colligitur e sequentis exempli uerbis *ad huius (eius) generis officia*, collatis cum auct. de uir. ill. 47.

2. Tam hercule quam curia † superioris Catonis effigies ius ad cuius generis officia expromitur. Gratum ordinem, qui ci- lissimum rei publicae senatorem tantum non semper secum habitare uoluit, omnibus numeris uirtutis diuitem magisque suo merito quam fortunae beneficio magnum, cuius prius consilio quam Scipionis imperio deleta Karthago est.

3. Verum specimen honoris a Scipione quoque Nasica oboritur.

---

1. mehercule *Γ*. hercle *Torr.* || effugies *F*. effigiem *Γ*. effigiei *Torr.* || illius] unde *D. om. E Torr.* || 2. ad cuius] *om. C.* ad eius *E.* ad eiusdem *Torr.* || 3. non] ut *F.* || habitare secum *D.* || 4. uirtutis] *ante* numeris *E.* uirtutum *FΓ Torr.* || 6. deleta Kartago est *A.* carthago deleta est *FΓ.* est deleta Carthago *Torr.* || 7. §. 3 *om. Γ.* || Rerum *CF et pr. A.* || a] *om. CF.* in *D.*

Quae uerba liquide certum aliquod officii genus antea commemoratum esse demonstrant. Neque uero munera, quae per se uix alia intellegi possunt quam gladiatoria, umquam ueteres simpliciter de exequiis posuerunt neque nouimus alia munera, in quibus eadem imaginum praeferendarum consuetudo fuerit. Quae cum clare exposuerit Torrenius, argutatur certe Kappius, si Valerium 'affectate' munus adhibuisse putat, quod post funera nobilium uirorum saepe populo munera gladiatoria data essent. Librarii alteram uocem cum altera frequenter permutarunt. Cf. Corte ad Lucan. VIII, 741. interpr. ad Curt. IIII, 8, 9. Corn. Nep. Eumen. 4, 4.

2. Cf. auct. de uir. ill. 47.

quam curia † superioris Catonis effigies) Haec et quae sequuntur adeo non solum deprauata, uerum etiam, ut mihi quidem uidetur, manca sunt, ut de certa emendandi ratione prope desperem. Id unum certissimum est, auctorem ad finem praecedentis exempli, *unique illi instar atrii Capitolium est*, respexisse atque ita curiam cum Capitolio comparauisse ut illam Catoni, hoc Scipioni instar atrii fuisse perhiberet. In hac igitur sententia dicendum omnino erat *Tam hercule quam curia superiori Catoni* aut *superioris Catonis effigiei*. Neque etiam iusta inter utrumque locum comparatio existit, ne dicam de emendatione haud ita facili, si cum editionibus ueteribus et cum Kappio, qui illarum scripturam in recentiora exempla reuocauit, posueris *Tam hercule quam curia* (quod sexto casu positum opinantur pro *e curia) superioris Catonis effigies ad eius generis officia expromitur*, cum nulla in his sit comparatarum partium aequabilitas. Et tamen haec quoque ferri posse censuit Torrenius. Rectius utique de manca sententia mecum consenserunt Pighius et Vorstius, in supplenda satis quidem audaces, cum ille legendum proponeret *Tam hercule quam curia superiori Catoni: unde effigies illius ad eiusdem generis officia expromitur*, hic *Tam hercule quam curia superioris Catonis effigiei, unde ad eius generis officia expromitur*, quae in suo exemplo retinuit Torrenius, nisi quod pro *eius* posuit *eiusdem*. Propius ad traditam scripturam haec accedere uidentur, si scripseris *superioris Catonis effigiei, quae illinc ad huius* (uel *eius) generis officia expromitur*, habebisque iam integram sententiam; ea ipsa antiqua Valerii uerba esse confirmare non ausim.

3. Cf. Liu. XXIX, 14. Ouid. fast. IIII, 347. Plin. h. n. VII, 34, 34. Auct. de uir. ill. 44.

Verum specimen honoris a Scipione) Non minus altera uitiosae scripturae, quae in archetypo codice erat *(Rerum specimen)*, proba emendatio est, quam recentiora nonnulla exempla manuscripta et editiones inde a Pighiana usque ad Torrenianam proferunt, *Rarum specimen*, siquidem tam insignis et unici honoris specimen bene rarum dici poterat. Equidem tamen cum Torrenio *Verum* praetulerim, quod aliquotiens a librariis in *Rerum* corruptum uidi. Iam, ne quid dissimulem, dubito num recte collatio mea libri Danielini silent *de*

Eius namque manibus et penatibus nondum quaestorî senatus Pythii Apollinis monitu Pessinunte accersitam deam excipi uoluit, quia eodem oraculo praeceptum erat ut haec ministeria matri deum a sanctissimo uiro praestarentur. Explica totos fastos, constitue omnes currus triumphales, nihil tamen morum principatu speciosius repperies.

Tradunt subinde nobis ornamenta sua Scipiones conmemo- 4.
randa. Aemilianum enim populus ex candidato aedilitatis consulem fecit. Eundem, cum quaestoriis comitiis suffragator Q. Fabii Maximi, fratris filii, in campum descendisset, consulem iterum reduxit. Eidem senatus bis sine sorte prouinciam, prius Africam, deinde Hispaniam, dedit; atque haec neque ciui ambitioso * * senatori, quemadmodum non solum uitae eius seuerissimus cursus, sed etiam mors clandestinis inlata insidiis declarauit.

---

1. quaestoris *C D E F et corr. A.* || 2. pessinunti *A C D.* pessimunti *E F.* || acersitam *F.* arcessitam *Torr.* || deam] dicta *F.* || 3. hae *pr. A.* || 4. explica totos] explicatos *C.* || 5. constituae *pr. A.* et constitue *E.* || morum] in eorum *E F.* || 7. §. 4 *om. Γ.* || 10. consulatum *D.* || 11. bis sine] bissene *pr. A.* || 12. atque] aut *C.* || hoc *C E F.* || ciui] *add.* neque *E*, *pr. D. corr. A*, *Torr. add.* cupido neque *corr. D. add.* nec *F.* || senatori ambitioso *Torr.* || 14. illata clandestinis *F.* || declarant *C.*

---

praepositione *a* ante Scipione, quam abesse ab illo codice non enotaui, cum ex discrepantia reliquorum librorum, qui aut omnino eam omittunt, aut *in* pro ea exhibent, colligi possit praepositionem iam in archetypo excidisse. Quod si ita est, mallem cum Torrenio supplere *in Scipione*. Sic IIII, 7, 2 legitur *In eadem domo aeque robusta constantis amicitiae exempla oboriuntur*. Sed ne id quidem, quod supra exhibetur uitiosum est. Scribentis animo eximii honoris exempla circumspicienti tale uerum honoris specimen oboritur a Scipione ac se offert narrandum.

nondum quaestori) Libri tantum non omnes *quaestoris*. Sed cum finale illud *s* in codice Bernensi ab emendatore demum adiectum sit, probabile est codicem archetypum *quaestori* habuisse, quae antiqua scriptura est pro *quaestorii*, idque in designando gradu dignitatis equidem cum uulgatis editionibus praefero. De Scipione adulescentulo 'nondum quaestorio' Liuius quoque refert. 4. Cf. Liu. epit. libr. L. App. Pun. 112. id. ciu. IIII, 92. Auct. de uir. ill. 58.

Eundem, cum quaestoriis comitiis) Cf. Liu. epit. libr. LVI. App. Hisp. 84.

Q. Fabii Maximi) Cf. Cic. Lael. 25, 96. Liu. XLIIII, 35, 14.

*neque ciui ambitioso * * senatori)* Ne uehementi quidem, quam editores hoc loco uulgo adhibuerunt, medicina manca sententia sanata est. Nam cum scriberent *neque ciui neque senatori ambitioso*, uerba quae sequuntur, *sed etiam mors clandestinis inlata insidiis declarauit*, non modo non cohaerent cum praecedentibus, uerum etiam contraria his sunt. An ideo opinemur Scipionem clam strangulatum esse, quod non fuerit ambitiosus? Minime profecto! Nexus sententiarum procul dubio hic est: tribuit populus bis consulatum ei, quem non ambitiosum ciuem fuisse uitae eius seuerissimus cursus documento est; tribuit senatus bis prouinciam senatori, quem alii nescio cui rei non obnoxium fuisse mors clandestinis insidiis illata declarat. Huius rei a Scipione utique alienae, quae tamen, si ea praeditus fuisset, causa

5. Marcum quoque Valerium duabus rebus insignibus dî pariter atque ciues speciosum reddiderunt, illi cum quodam Gallo conminus pugnanti corum propugnatorem subicientes, hi tertium et uicesimum annum ingresso consulatum largiti. Quorum alterum decus uetustae originis, optimi nominis gens, Coruini amplexa cognomen, usurpat, alterum summo subiungit ornamento, tam celeritate quam principio consulatus gloriando.

6. Ac ne Quinti quidem Scaeuolae, quem L. Crassus in consulatu collegam habuit, gloria parum inlustris, qui Asiam tam sancte et tám fortiter obtinuit, ut senatus deinceps in eam prouinciam ituris magistratibus exemplum atque formam officii Scaeuolam decreto suo proponeret.

---

1. §. 5 *om. Γ.* | 2. rediderunt *A.* || cõminus *corr. A.* || 3. hi] in *C.* || et tertium *F.* || 4. uigesimum *Torr.* || 5. hominis *ACDEF.* || coruinia *AD.* coruina *CEF.* || 6. cognomine *corr. A.* || subiungitur *ACDEFTorr.* || ornamenta *pr. A.* || 7. celeritatem *C.* sterilitate *D.* || 8. Ac *CDEFTorr. Cf. I*, 7, 5. *III*, 2, *ext.* 6. *VII*, 2, *ext.* 9. *VII*, 3, *ext.* 6. *VIII*, 1, *damn.* 2. || quidem] *ante* Quinti *Γ.* || quem — (9.) habuit *om. Γ.* || crassius *AC.* || consulatum *AD.* || 10. et *om. F.* || deinceps] *post* prouinciam *E.* || 11. ac *E.*

---

extitisse putari posse debet, cur illi bis prouincias decerneret senatus, denotationem quandam simul cum altero *neque*, quod priori respondeat, in archetypo codice interiisse manifestum est. Notaui igitur lacunam; de supplemento anceps haereo. Scripserat fortasse Valerius *neque ciui ambitioso neque apud populum gratioso senatori* uel simile aliquid, quod praedicto sententiarum nexui conueniat.

5. Cf. Liu. VII, 26. A. Gell. IX, 11. Flor. I, 13. Amm. Marc. XXIIII, 4, 5. Auct. de uir. ill. 29, alii.

optimi nominis gens, Coruini amplexa cognomen) Trium, quae codices omnes hoc loco infecerunt, mendorum unum felici diuinatione sustulit Pighius, pro *Coruinia* e coniectura reponens *Coruini*. Neque enim Coruinia, uel quod alii peius etiam tradunt, Coruina gens erat, sed Valeria. Manifestum autem est huic uocabulo male ultimam litteram adhaesisse e sequenti uoce *amplexa*. Reliqua Perizonius non minus certa emendatione sanauit, cum pro inepto illo *hominis*, quod perperam defenderat Vorstius, in *ominis* mutauerat Pighius, *nominis* et pro patiendi forma *subiungitur* actiuam *subiungit* reponi iuberet. Audiamus ipsum Perizonium. 'Gens', inquit, 'ipsa iam erat optimi nominis, hoc est popularis, illustris, clari et speciosi nominis; dicebantur enim Valerii Publicolae; nihilominus tamen Coruini cognomen assumendo alterum decus quotidie usurpat, alterum summo subiungit ornamento, nempe ipsa gens, ut patet, cum sequitur *gloriando*, quod etiam facit ipsa gens. Summum uero ornamentum est initium consulatus, princeps in fastis locus, quem Valerium Publicolam obtinuisse notum est; celeritas consulatus in ipso hoc M. Valerio denotatur, ante annos consulatum adepto'. Quae cum sint luce clariora, miror Torrenium, in reliquis Perizonio assentientem atque ita edentem, retinuisse passiuam uerbi formam *subiungitur*, quae locum omnino non habet. De copula inter duos genitiuos qualitatis, quos uocant, omissa disserui ad III, 8, ext. 4. Itaque male inuitis libris Pighius *ac* intruserat post *uetustae originis*.

6. Cf. Cic. in Verr. II, 10, 27. Pseudoascon. in diu. p. 122. Drumann. gesch. Roms VI, p. 53.

Inhaerent illi uoci posterioris Africani septem C. Marii 7.
consulatus ac duo amplissimi triumphi. Ad rogum enim usque
gaudio exultauit, quod, cum apud Numantiam sub eo duce
equestria stipendia mereret et forte inter caenam quidam Sci-
pionem interrogasset, si quid illi accidisset, quemnam res publica
aeque magnum habitura esset imperatorem, respiciens se supra
ipsum cubantem, 'Vel hunc', dixit. Quo augurio perfectissima
uirtus maximam orientem uirtutem uideritne certius an efficacius
accenderit perpendi uix potest. Illa nimirum caena militaris
speciosissimas tota in urbe Mario futuras caenas ominata est.
Postquam enim Cimbros ab eo deletos initio noctis nuntius per-
uenit, nemo fuit qui non illi tamquam dis inmortalibus apud
sacra mensae suae libauerit.

Iam quae in Cn. Pompeium et ampla et noua congesta sunt, 8.
hinc adsensione fauoris, illinc fremitu inuidiae litterarum monu-

---

3. quod] qui *EF et corr. D.* || 4. stipendia equestria *Torr.* || mereretur *DE.* || coenam *(A). Vt nos Par.* || 5. qui *pr. A.* || quennam *A.* || 7. ipsum] *add.* Marium *E et corr. D.* imperium ipsum *F.* || dixerit *ACFΓ.* || augurio] audito *E.* || 8. an *om. CEF.* || efficatius *A. om. CEF.* || 9. acciderit *ACDEF.* || poterit *D.* || 9. *et* 10. coena *(A.)* || tanta *ACD.* tantas *F.* || 11. cimbris ab eo deletis *D.* || 12. illis *(sed* s *puncto notatum) A.* || 13. suae mensae *E.* || liberauerit *AΓ.* liberauit *C.* || 14. §. 8 *om. Γ.* || m. pompeium *F.* || et ampla noua et gesta *F.* || 15. inuidiam *pr. A.* || et litterarum *E et corr. D.*

---

7. Cf. Plut. Mar. 3.

quod, cum apud Numantiam et q. sqq.) Primus haec uerba recte enarrauit Perizonius, coniungens ea causali nexu cum praecedentibus, cum priores editores omnem sententiam eo euertissent, quod maiore distinctione posita post *exultauit* nouum enuntiatum inceperunt uerbis *Qui cum apud Numantiam.* Sed *qui*, quod in *quia* mutandum censuerat Perizonius, cum causalem coniunctionem necessario desiderari cerneret, in deterioribus tantum aliquot libris est; meliores omnes *quod* exhibent. Recepit hoc Torrenius, sed operarum, ni fallor, errore, qui etiam in Kappii editionem transiit, factum est ut neque maior distinctio post *exultauit* tolleretur et maiuscula littera *Quod* scriberetur. Sequentia quoque *respiciens se supra ipsum cubantem* idem Perizonius primus intellexisse uidetur, pronomen *se* ad Marium, uerba *respiciens* et *ipsum* ad Scipionem referens monensque imperatorem infra Marium accubuisse in medio lecto. Nam a Pighio et Vorstio editum erat *imperator ipsum respiciens infra se cubantem.* Vnum igitur dumtaxat est, in quo a bonorum librorum scriptura discedendum putaui. Coniunctiuum enim perfecti temporis *dixerit*, quem illi tradunt, qua ratione defendam nescio. Nam si haec e Marii sententia pronuntiari uoluisset auctor, omnino *dixisset* ponendum erat, non *dixerit.* Quapropter retinui indicatiuum perfecti, iam dudum receptum a grammaticis. Si tamen quis maluerit *dixerat*, me non habebit contradicentem.

accenderit) Cum boni libri summo consensu *acciderit* tradant, Torrenius aeque facile inde *acuerit* erui posse contendit. Mihi certe adbreuiatoris Guelferbytani emendatio *accenderit*, a Pighio e codice Cauchiano recepta, longe praeferenda uidetur.

mentis obstrepuntur. Eques Romanus pro consule in Hispaniam aduersus Sertorium pari imperio cum Pio Metello principe ciuitatis missus est. Nondum ullum honorem auspicatus bis triumphauit. Initia magistratuum a summo imperio cepit. Tertium consulatum decreto senatus solus gessit. De Mitridate et Tigrane, de multis praeterea regibus plurimisque ciuitatibus et gentibus et praedonibus unum duxit triumphum.

9. Quintum etiam Catulum populus Romanus uoce sua tantum non ad sidera usque euexit. Nam cum ab eo pro rostris interrogaretur, si in uno Pompeio Magno omnia reponere perseuerasset, absumpto illo subiti casus incursu in quo spem esset habiturus, summo consensu adclamauit 'In te.' Vim honorati iudicii admirabilem! Siquidem magnum Pompeium cum omnibus ornamentis, quae retuli, duarum syllabarum spatio inclusum Catulo aequauit.

10. Potest et M. Catonis ex Cypro cum regia pecunia reuertentis adpulsus ad ripam urbis memorabilis uideri, cui naue egredienti consules et ceteri magistratus et uniuersus S. P. Q. R. officii gratia praesto fuit, non quod magnum pondus auri

1. obstrepitur *CDEF.* || proconsul *CDEF.* || hispania *ACDE.* || 3. illum *ACDEF.* || 4. coepit *pr. A.* || 5. tygratine *F.* || 6. praeterea * *A.* || plurimisque] et *F.* || et gentibus] gentibus *(omisso* et*) ante* plurimisque *Torr.* || 8. tantum non] *om. E.* tantum *D.* tantum nonne *F.* || 10. in *om. pr. A.* || imponere *E.* || 11. adsumpto *pr. A.* || 12. horati *pr. A et corr. C.* orati *E et pr. C.* || 14. quae retuli] quae amplissima fuerat assecutus *Γ.* || spatio] *ante* duarum *E.* || 16. et] etiam et *F.* || ex] e *F.* || 17. urbis] tiberis *EF et corr. D, Torr.* || uideri memorabilis *Torr.* || naui *Torr.* || 18. uniuersi *Γ.* || populus senatusque rom. *D.*

8. *Eques Romanus pro consule)* Cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. 21, 61 et 62; id. in Anton. XI, 8, 18. Plut. Pomp. 17. Flor. III, 22, 5. App. ciu. I, 50. Praetorem Cn. Pompeium in Hispaniam missum esse falso tradit auctor de uir. ill. 77.

Nondum ullum honorem auspicatus) Cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. 21, 62. Vell. II, 30, 2. Auct. belli Afric. 22. Plut. Pomp. 14. Liu. epit. libr. LXXXIX.

Initia magistratuum) Cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. l. c.

Tertium consulatum) Cf. Plut. Pomp. 54.

unum duxit triumphum) Cf. Vell. II, 40. Plin. h. n. VII, 26, 27. Plut. Pomp. 45, alii.

9. Cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. 20, 59. Sall. fragm. hist. V, §. 8. Gell. Vell. II, 32, 1. Plut. Pomp. 25. Dio Cass. XXXVI, 13.

10. Cf. Vell. II, 45, 5. Plut. Cat. min. 39. Dio Cass. XXXVIII, 22 et 23.

adpulsus ad ripam urbis) Non ausus sum hanc optimorum codicum scripturam cum manifesta deteriorum librorum coniectura *ripam Tiberis* permutare, etiamsi plane insolens locutio est, qua ea ripae pars, in qua urbs sita est, urbis ripa dicitur. Sed hoc ipsum Valerium posuisse credo. Neque enim ita sine causa Pighius, licet rideatur a Torrenio, si scriptum sit *ripam Tiberis*, facilius Ostiensem ripam, quippe quae proxima sit e mari in flumen deuertenti, intellegi contendit quam urbanam.

et argenti, sed quod M. Catonem classis illa incolomem aduexerat laetatus.

Sed nescio an praecipuum L. Marcî inusitati decoris exem- 11.
plum, quem equitem Romanum duo exercitus, P. et Cn. Scipionum interitu uictoriaque Hannibalis lacerati, ducem legerunt, quo tempore salus eorum in ultimas angustias deducta nullum ambitioni locum relinquebat.

Merito uirorum commemorationi Sulpicia, Seruî Paterculi 12.
filia, Q. Fuluî Flacci uxor, adicitur. Quae, cum senatus libris Sibyllinis per decemuiros inspectis censuisset ut Veneris Verticordiae simulacrum consecraretur, quo facilius uirginum mulierumque mens a libidine ad pudicitiam conuerteretur, et ex omnibus matronis centum, ex centum autem decem sorte ductae de sanctissima femina iudicium facerent, cunctis castitate praelata est.

Ceterum quia sine ulla diminutione Romanae maiestatis Ext. 1.
extera quoque insignia respici possunt, ad ea transgrediamur. Pythagorae tanta ueneratio ab auditoribus tributa est, ut quae ab eo acceperant in disputationem deducere nefas existimarent. Quin etiam interpellati ad reddendam causam hoc solum respondebant, ipsum dixisse. Magnus honos, sed schola tenus; illa urbium suffragiis tributa. Enixo Crotoniatae studio ab eo petierunt ut senatum ipsorum, qui mille hominum numero constabat, consiliis suis uti pateretur, opulentissimaque ciuitas tam frequenter uenerati post mortem domum Cereris sacrarium

---

1. incolumen *(A)CDEFΓ Torr.* || aduxerat *E.* || 3. §. 11 *om. Γ.* || praecipuum] *add.* sit *DEF et corr. A, Torr. Cf. VII, 2, ext.* 16. || 4. quem] quod *F.* || 5. Hasdrubalis *Torr.* || 6. ambitionis *C.* || 8. §. 12 *om. Γ.* || paterculi serui *E.* || 9. addicitur *pr. A.* || adducitur *corr. A.* || 10. sybillinis *A.* || Veneris *om. C.* || uerticordae *Par. et corr. A.* uecordiae *D.* uecticordiae *F.* || 11. et mulierum *F.* || 17. ex terra *pr. A.* externa *E.* || transgrediamur *Torr. Cf. IX, 2, ext.* 1. || 19. deducerent fas *pr. A.* ducere nefas *F.* || 20. reddendum *F.* || 21. Magnus — *(p.* 670, 2.*)* cultus est *om. Γ.* || 22. orotoniatae *pr. A.* cortonatae *F.* || 25. frequentẽ *A.* || domum] *add.* eius *F et corr. D.*

---

11. Cf. Liu. XXV, 37.

uictoriaque Hannibalis) Fallitur Valerius. Satis enim constat ab Hasdrubale, non ab Hannibale uictos esse in Hispania P. et Cn. Scipiones. Qui inde ab Aldo ediderunt *Hasdrubalis*, ipsius auctoris, non librariorum correxerunt peccatum.

12. Cf. Plin. h. n. VII, 35 et Solin. 1, 126 coll. cum Ouid. fast. IIII, 157. Iul. Obseq. 97.

Ext. 1. Cf. Cic. de nat. deor. I, 5, 10. Ael. u. h. IIII, 17.

Cereris sacrarium) Cf. Iust. XX, 4, 18.

fecerunt, † quaque illa urbs uiguit, et dea in hominis memoria et homo in deae religione cultus est.

2. Gorgiae uero Leontino studiis litterarum aetatis suae cunctos praestanti, adeo ut primus in conuentu poscere qua de re quisque audire uellet ausus sit, uniuersa Graecia in templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit, cum ceterorum ad id tempus auratas collocasset.

3. Eadem gens summo consensu ad Amphiaraum decorandum incubuit, locum, quo humatus est, in formam condicionemque templi redigendo atque inde oracula capi instituendo. Cuius cineres idem honoris possident, quod Pythicae cortinae, quod aheno Dodonae, quod Hammonis fonti datur.

---

1. fecerunt] *om. C.* fecit *Torr.* || quamque *F.* quantumque *Torr.* || urbs illa *F.* || 3. leontini *A.* || 4. praestantis *(ultima littera a corr. add.) A.* || 5. audire *om. F.* || 6. posuit — (8.) Eadem gens *om. Γ.* || 8. Eadem] *add.* etiam *E et corr. D.* || summo] *add.* ex *Γ.* || amphiarium *E.* amphitheatrum *F.* || 9. locum *om. F.* || quo] qđ *pr. A.* in quo *EFTorr.* || 10. rediendo *pr. A.* || 11. onoris *A.* || 12. athene *CDEFΓ.* || fronti *ACDEFΓ.*

---

fecerunt, † quaque illa urbs uiguit) Pighius primus singulariter *fecit* posuerat, probante Vorstio, cui pluratiuus numerus ab iis profectus esse uidetur, qui *uenerati* item pluralem putauerint. Quae suspicio non ita abhorret a similitudine ueri, estque sane admodum dura constructio *opulentissima ciuitas — fecerunt.* Sed cum Valerium nonnihil sibi indulsisse animaduerterim in hoc genere, quo substantiuis singularibus multitudinem hominum complectentibus pluralis uerbi numerus subiungitur, (uid. quae adnotauimus ad VIII, 11, 2) a certissimo librorum testimonio nolui discedere. Magis etiam quod sequitur dubium est, ubi codicum scripturam *(quaque)* aperte mendosam nondum probabiliter emendare contigit, licet de sententia non ambigatur. Nam quod Pighio auctore uulgo editur, *quantumque* sensu omnino caret, neque etiam Perizonii coniectura *quumque* satisfacit. Scripserit auctor aut *quoadque* aut, quod probante Perizonio Vorstius suspicabatur, *quamdiuque.*

2. Cf. Cic. de or. III, 32, 129. Plin. h. n. XXXIII, 4, 24, (83), coll. cum Plat. Gorg. 1, p. 447 C. Cic. de or. I, 22, 103 et de fin. II, 1, 1.

3. Cf. Cic. de diu. I, 40, 88. Strab. IX, 1, 22 p. 399. Paus. I, 34, 2.

Hammonis fonti) Codices nostri omnes *fronti*, quod multis placere posse censet Torrenius, eo quod Iuppiter Hammon cornibus in primis fuerit insignis. Equidem fateor me istam circumlocutionem non posse concoquere, cum praesertim cornua, siquidem ea, quod uix credo, fronte significari possunt, cum ipso oraculo minime cohaereant. Erat autem in nemore Hammonis fons, ad quem fanum conditum erat a Libero, cum siti oppresso aries aquam indicasset. Cf. Hygin. p. a. 20. Seru. ad Aen. IIII, 196. Aquam illam, Solis quam uocant, miramque eius proprietatem post Herodotum IIII, 181 multi descripserunt. Cf. Curt. IIII, 7, (30,) 22. Plin. h. n. II, 103, 106 (228). Pomp. Mel. I, 8, 1. Diod. Sic. XVII, 50. Lucr. VI, 848. Ibi cum responsum petebatur, aurato nauigio sacerdotes dei simulacrum gestabant. Itaque cum ipso Torrenio, Kappio, aliis praefero *fonti.*

Berenices quoque non uulgaris honos, cui soli omnium 4.
feminarum gymnico spectaculo interesse permissum est, cum ad Olympia filium Euclea certamen ingressurum adduxisset, Olympionice patre genita, fratribus eandem palmam adsecutis latera eius cingentibus.

1. benetrices *pr. A.* benetricis *D et corr. A.* herenices *C.* bernices *F.* Pherenices *Torr. Vt nos etiam Par.* || non quoque *F.* || 2. gymnico] *post* spectaculo *D.* ginidico *F.* || 3. olympiam *DF.* olympicum *Γ.* || filiam endeam *D.* filium enclea *E et ante* ad Olympia *Γ.* filium endea *F.* || ingressu *C et pr. A.* ingressum *EΓ.* || 4. Olympico *D.* Olinpione *E.*

4. Cf. Plin. h. n. VII, 41, 42 (133). Pausan. VI, 7. Ael. u. h. X, 1. Schol. ad Pind. Olymp. 7.

Berenices quoque) Pighius Aelianum secutus perperam posuit *Pherenices*, quod manserat hucusque in uulgatis exemplis, cum priorum editionum et plurimorum codicum scriptura, quam nos reuocauimus, et optimis Plinii codicibus, inter quos praestantissimus Riccardianus leuiter tantum discrepans *Verenice* exhibet, et Paridis Vaticano confirmetur. Pausanias *Καλλιπάτειραν* hanc mulierem uocat, filium *Πεισίδωρον*, scholiastes Pindari *Ἀριστοπάτειραν*.

VALERI MAXIMI

FACTORVM ET DICTORVM MEMORABILIVM

LIBER NONVS.

DE LVXVRIA ET LIBIDINE.

I. Blandum etiam malum, luxuria, quam accusare aliquanto facilius est quam uitare, operi nostro inseratur, non quidem ut ullum honorem recipiat, sed ut se ipsam recognoscens ad paenitentiam inpelli possit. Iungatur illi libido, quoniam ex isdem uitiorum principiis oritur, neque aut a reprehensione aut ab emendatione separentur, gemino mentis errore conexae.

1. C. Sergius Orata pensilia balinea primus facere instituit. Quae inpensa leuibus initiis coepta ad suspensae caldae aquae tantum non aequora penetrauit. Idem, uidelicet ne gulam Neptuni arbitrio subiectam haberet, peculiaria sibi maria excogitauit.

1. — 4. VALERI (Valerii *CD*) MAXIMI LIBER VIII EXPLI INCIPIT LIBER VIIII *ACD*. Valerii maximi expl. lib. VIII incip. lib. VIIII *E*. expl. lib. VIII inc. VIIII *F. om. Γ*. VALERII MAXIMI FACTORVM DICTORVMQVE MEMORABILIVM LIBER NONVS *Torr.* || 4. ET LIBIDINE *om. Γ*. || 5. malum] *post* luxuria *Γ*. morbum *E*. || 6. illum *F et pr. A*. nullum *pr. D*. || 7. ipsa *E*. || poenitentiam (*A*.) || 8. illi] ei *F*. || 9. principiis uitiorum *Γ*. || a] *erasum in D*. || 10. genuino *corr. A*. || coxae *F*. || 11. ballenea *pr. A*. ballinea *corr. A*. balnea *CDEFΓTorr. Vt nos Par*. || 12. suspensa (*E*) *Torr*. || calidae *DE*, *corr. A*, *Torr. et post* aquae *FΓ*. || 13. nonne *E et corr. D*. || uidelicet *om. Γ*. || gula neptimi *C*. || 14. pecularia *F*. peculia *Γ*.

I, 1. Cf. Varr. de r. r. III, 3, 10. Colum. VIII, 16, 5. Cic. in fragm. Hortens. ap. August. de uit. beat. 26, (p. 484 Or.) Plin. IX, 54, 79. Macrob. Sat. II, 11.

C. Sergius Orata) Cf. etiam Fest. u. Orata p. 183. Müll. Orell. onom. Tull. p. 538.

aestuariis intercipiendo fluctus pisciumque diuersos greges separatis molibus includendo, ut nulla tam saeua tempestas incideret, qua non Oratae mensae uarietate ferculorum abundarent. Aedificiis etiam spatiosis et excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit, quo recentiore usu conchyliorum frueretur. Vbi *dum* se publicae aquae cupidius inmergit, cum Considio publicano iudicium nactus est. In quo L. Crassus, aduersus illum causam agens, errare amicum suum Considium dixit, quod putaret Oratam remotum a lacu cariturum ostreis. Namque ea, si inde petere non licuisset, in tegulis reperturum.

Huic nimirum magis Aesopus tragoedus in adoptionem dare 2. filium suum quam bonorum suorum heredem relinquere debuit, non solum perditae, sed etiam furiosae luxuriae iuuenem. Quem constat cantu conmendabiles auiculas inmanibus emptas pretiis pro ficedulis ponere acetoque liquatos magnae summae uniones potionibus aspergere solitum, amplissimum patrimonium tamquam amaram aliquam sarcinam quam celerrime abicere cupientem. Quorum alterius senis alterius adulescentis sectam secuti longius manus porrexerunt. Neque enim ullum uitium finitur ibi, ubi oritur. Inde ab oceani litoribus adtracti pisces, inde infusae culinis arcae censibusque edendi ac bibendi uoluptas reperta.

---

1. aestuariis] *exceptis litteris* ae *in rasura A.* extuariis *C.* excuriis *F.* ex thyriis *Γ.* || intercipiendo] *litterae* interci *in rasura A.* intercipiende *D.* || separatim *Par.* || 3. ornate *E.* || periculorum *C et pr. A.* pisciculorum *DEFΓ et corr. A.* || 4. etiam] tamen *Γ.* || 5. lucrenii *D.* || concyliorum *A.* || 6. dum *om. AΓ et pr. D.* || cupidus *F.* || smergit *C.* || 8. considuum *F.* || 10. reperiturum *F.* || 11. tragedus *A.* || adoptione *CDF.* || 13. luxoriae *A.* || 14. auculas *pr. A.* || pretiis] *add.* in cena *E.* || 15. liquatas *E.* || uniones] iuuenes *F.* || 18. secuti] *add.* plurimi *F.* || 19. finitur uitium *Torr.* || ibi *om. EF.* || 21. culuis artes sensibusque edendum *D.* || atque *(E) Torr.* || bibendum *D.* || reperta] *add.* est *F Torr.*

---

uarietate ferculorum abundarent) Ita coniectura sine dubio uera Pighius in tribus codicibus, si fides ei haberi potest, in Pulmanniano, Susiano, Atrebatensi, archetypi codicis uitiosam scripturam *periculorum* emendatam inuenit, cum alii librarii cum correctore libri Bernensis e proxime praecedentibus arripuissent *pisciculorum*, quod etiam editiones ante Pighium occupauit.

2. Cf. Plin. h. n. X, 51, 72 (141) et XXXV, 12, 46, (163), qui comestorem auicularum cantu commendabilium patrem Aesopum fuisse tradit, alteram luxuriam unionum deuoratorum l. c. et IX, 35, 59 (122) cum Valerio et Horatio II serm. 3, 239 filio Aesopo tribuit.

inmanibus emptas pretiis) Addunt iam exempla Venetum a. 1478 et Mediol. a. 1486, nam de Moguntino non mihi constat, *in coena*, quod e paucis dumtaxat nullius pretii libris enotatum, cum merito deleuisset Torrenius, nescio qua de causa reduxerit Helfrechtus, quem male sequuntur recentiores Valerii editores.

3. Vrbi autem nostrae secundi Punici belli finis et Philippus, Macedoniae rex, deuictus licentioris uitae fiduciam dedit. Quo tempore matronae Brutorum domum ausae sunt obsidere, qui abrogationi legis Oppiae intercedere parati erant, quam feminae tolli cupiebant, quia his nec ueste uarii coloris uti nec auri plus semunciam habere nec iuncto uehiculo propius urbem mille passus nisi sacrificii gratia uehi permittebat. Et quidem optinuerunt ut ius per continuos uiginti annos seruatum aboleretur. Non enim prouiderunt saeculi illius uiri ad quem cultum tenderet insoliti coetus pertinax studium aut quo se usque effusura esset legum uictrix audacia. Quod si animi muliebris apparatus intueri potuissent, quibus cotidie aliquid nouitatis sumptuosius adiectum est, in ipso introitu ruenti luxuriae obstitissent.

Sed quid ego de feminis ulterius loquor? quas et inbecillitas mentis et grauiorum operum negata adfectatio omne studium ad curiosiorem sui cultum hortatur conferre, cum temporum superiorum et nominis et animi excellentes uiros in hoc priscae continentiae ignotum deuerticulum prolapsos uideam. Idque iurgio ipsorum pateat.

4. Cn. Domitius L. Crasso collegae suo altercatione orta obiecit, quod columnas Hymettias in porticu domus haberet. Quem continuo Crassus quanti ipse domum suam aestimaret interrogauit atque ut respondit 'sexagies sestertio', 'Quanto ergo eam',

1. secundi *om. Γ.* || belli Punici *Torr.* || fines *pr. A.* || 2. rex Macedoniae *Torr.* || dedit] tribuit *D.* || 3. brutii *F.* || 4. abrogatione *AF.* pro abrogatione *DΓ.* || appiae *EF.* apiae *Γ.* || 5. hi *pr. A.* hic *C.* iis *E.* || 6. semiunciam *CEF.* semuncia *DΓTorr. Cf. VIII*, 6, 3. || uehiculo] uechioso *F.* || proprius *pr. A.* prope *F.* || 7. passibus *E.* || Et quidem] Equidem *ACDEFΓ.* || 8. oboleretur *D.* || 9. illius saeculi *F.* || tenderent *AF.* || 11. animo *Γ.* || muliebres *FΓ.* || 13. luxoriae *A.* || restitissent *Γ.* || 14. Sed — (19.) pateat *om. Γ.* || loquor ulterius *E.* || 15. opera *pr. A.* || 18. diuerticulum *DEFTorr. Vid. ad 1*, 7, *ext.* 10. || 20. L.] lege *F.* || 21. hymetias *Par. et in rasura A.* hymneticas *CΓ.* hometicas *D.* himeticas *E.* imneticas *F.* || Quem] quem * * *A. add.* cum *CEFΓ.* || 22. interrogauit *in rasura A.* interrogaret *CEFΓ.* || 23. sextertio *CDEFΓ et pr. A* || Quanto — (675, 2.) tricies sestertio *om. Γ.* || Quanto] quo *ACDEF.*

3. Cf. Liu. XXXIIII, 1—8. Zonar. IX, 17.

4. Cf. Plin. h. n. XVII, 1, 1 et XXXVI, 3, 3.

'*Quanto ergo eam*', *inquit*, '*minoris*) Boni codices pro *quanto* tradunt *quo*, quod in editionibus quoque ante Pighium legebatur, et *minore* pro *minoris*. Sed haec recte credo Pighium mutasse, etiamsi de codice Cauchiano, quem fontem huius emendationis laudat, ualde dubitem. Neque enim in interrogando ad indagandum discrimen quantitatis cuiusdam umquam hunc ablatiuum *quo* positum uidi, sed constanter *quanto*. Suspicor igitur excidisse in archetypo codice litteras illas, quas supra cursiua scriptura distinxi. Neque etiam *minore* uel, quod inde conicere possis, *minorem* de pretio intellegi potest, sed neces-

inquit, 'minoris fore existimas, si decem arbusculas inde succidero'? 'Ipso tricies sestertio' Domitius. Tunc Crassus 'Vter igitur luxuriosior est, egone, qui decem columnas centum milibus nummum emi, an tu, qui decem arbuscularum umbram tricies sestertii summa conpensas'? Sermonem oblitum Pyrri, inmemorem Hannibalis iamque transmarinorum stipendiorum abundantia oscitantem et quanto tamen insequentium saeculorum aedificiis et nemoribus angustiorem † quam introduxerunt atque inchoatam a se lautitiam posteris relinquere quam a maioribus acceptam continentiam retinere maluerunt.

1. minore *CE et pr. A.* || fore] fenore *CE.* || arbustulas *D.* || 2. ipse *EF.* || sextercio *CDEF et pr. A.* || domicius *A.* domitius inquit *D.* domitius ait *FT.* ait Domitius *Torr.* || tum *T.* || Crassus] *add.* hiens *F.* || 3. luxoriosior *pr. A.* || 4. arbustularum *D.* || umbram tricies] *litterae* m tri *in rasura A.* umbram circa tricies *CF.* || 5. sextertium *CDEF et pr. A.* sestertium *corr. A, Torr.* || summam *C et corr. A.* || 7. obscitantem *F.* || et quanto] aliquanto *D Torr.* || 8. quam] quoniam *Torr.* || introduxerunt atque] *om. Torr.* introduxerunt itaque *D.*

sario genitiuus desideratur, quem recentiores librarii substituerunt et receperunt grammatici.

tricies sestertii summa) Notum est in pecuniae summis inde a decies centenis milibus, omissis simul numeralibus, quibus centena milia significantur *sestertium* neutraliter poni et singulariter flecti in altera declinatione. Quem morem Valerius quidem constanter obseruauit, cum praeter ea, quae in hoc exemplo composuit, *sexagies sestertio* et *tricies sestertio*, III, 7, 1 scripserit *sestertii quadragies rationem reposcere* et *reddere* (bis), et ibidem *quod — bis millies sestertio uberius feci*, et sexto huius capitis exemplo *filii sescenties sestertium aeris alieni aspexit.* Itaque hoc quoque loco, de quo agimus, ad illam normam *sestertii* reponendum putaui pro *sestertium*, quod codicibus traditum confidenter acceperunt editores. Perizonius, qui id ferri non posse intellexit, *summa*, quod sequitur, a glossatore adiectum opinabatur et legendum esse coniecit *umbram contra tricies sestertium compensas*, uidelicet quia in multis codicibus *circa tricies*, quod fortasse etiam in archetypo libro erat, in Copesiano suo *contra tricies* scriptum uiderat. Vereor autem ut satis Latine res contra aliam compensari dicatur, cum ueteres, quod equidem sciam, semper ablatiuo *(alia re)* aut praepositione *cum (cum alia re)* in hac locutione usi sint. Paris in compendio scripsit *an tu, qui decem arbuscularum umbram HS XXX aestimas?*

† *quam introduxerunt atque inchoatam)* Dedi librorum summo consensu confirmatam scripturam, cuius pluribus uitiis inquinatae probabilem emendationem neque ante me quisquam inuenit, neque ipse habeo. Nam in uulgatis exemplaribus non modo sollicitatum erat quod non debebat, cum inde a Pighio *aliquanto* ederetur pro *et quanto*, uerum etiam sequentia longe relicta librorum scriptura inepte ita constituta erant *(quoniam inchoatam a se lautitiam)*, quasi ideo sermo eorum minus fuisset luxuriosus quam posteriorum temporum mores, quod illi acceptam a maioribus continentiam retinere noluissent. Perizonii coniecturam magis propter auctoris ingenium ac nomen quam propter ipsius praestantiam commemoro; suspicabatur enim uir doctissimus legendum esse *et quanto tum — angustiorem ritum introduxerunt qui inchoatam* etc. Neque magis placet quod Kappius proposuit, *et quanto tamen — angustiorem ritum introduxerunt? Atqui inchoatam* etc. Scripsit fortasse Valerius *et quanto tamen — angustiorem! Quem* (sc. sermonem) *introduxerunt qui inchoatam* etc.,

5. Quid enim sibi uoluit princeps suorum temporum Metellus Pius tunc, cum in Hispania aduentus suos ab hospitibus aris et ture excipi patiebatur? cum Attalicis aulaeis contectos parietes laeto animo intuebatur? cum inmanibus epulis apparatissimos interponi ludos sinebat? cum palmata ueste conuiuia celebrabat? demissasque lacunaribus aureas coronas uelut caelesti capite recipiebat? Et ubi ista? Non in Graecia neque in Asia, quarum luxuria seueritas ipsa corrumpi poterat, sed in horrida et bellicosa prouincia, cum praesertim acerrimus hostis, Sertorius, Romanorum exercituum oculos Lusitanis telis perstringeret? Adeo illi patris sui Numidica castra exciderant. Patet igitur quam celeri transitu luxuria affluxerit. Nam cuius adulescentia priscos mores uidit, senectus nouos orsa est.

6. Consimilis mutatio in domo Curionum extitit. Siquidem forum nostrum et patris grauissimum supercilium et filii sescenties sestertium aeris alieni aspexit, contractum famosa iniuria nobilium iuuenum. Itaque eodem tempore et in isdem penatibus diuersa saecula habitarunt, frugalissimum alterum, alterum nequissimum.

7. Publii autem Clodi iudicium quanta luxuria et libidine abundauit? In quo, ut euidenter incesti crimine nocens reus absolueretur, noctes matronarum et adulescentium nobilium magna summa emptae mercedis loco iudicibus erogatae sunt. Quo in flagitio tam taetro tamque multiplici nescias primum quem detestere, qui istud corruptelae genus excogitauit an qui pudicitiam

2. in *om.* *EF.* || yspaniam *F.* || 3. turae *pr. A.* || patiebatur *om. Γ.* || et auleis *AF.* || 4. intuebat *F.* || 5. palinata *E.* || 6. dimissasque *ACDEFF.* || 8. luxoria *pr. A.* || et seueritas *Γ.* || ipsas *pr. E.* || 10. exercitus *D.* || 12. sceleri *D.* || luxoria *pr. A.* || 14. §. 6 *om. Γ.* || Cum similis *F.* || 15. sexcenties *CDEF et corr. A Torr.* || 16. sextertium *CDEF et pr. A.* || 17. isdem *A.* || 18. alterum frugalissimum, alterum iniquissimum *E.* || 20. §. 7 *om. Γ.* || luxoria *pr. A.* || 23. rogatae *F.* || 24. tam taetro tamque] *in rasura A.* || multiplici] *litterae* multi *in rasura A.* || detesteris (*sed litterae* is *in rasura*) *D.* detester *E.* detestem *F. add.* utrum *DF. add.* an *E Torr.* || 25. corruptibile *C.* || suam pudicitiam *Torr.*

ut excusaret aut leniter increparet auctores illius sermonis, quod nouam, sed innocentem etiamtum lautitiam, quam ideo nondum luxuriam appellat, inchoassent eamque posteris tradere maluissent quam maiorum continentiam. Sed anceps haereo. Omnem uero illam controuersiam inter Domitium et Crassum aliter paulo et, ut mihi quidem uidetur, rectius atque aptius exposuit Plinius l. c.

5. Cf. Sallust. hist. ap. Macrob. Sat. II, 9. Plut. Pomp. 18.

6. Cf. Cic. Brut. 81, 280. Vell. II, 48, 3. Plut. Caes. 29. App. ciu. II, 26. Lucan. I, 269. Dio Cass. XL, 60 p. 259 Reim.

7. Cf. Cic. ad Att. I, 16, 5 et 18, 3; id. in Pis. 39, 95. pro Mil. 32, 87. Schol. Bob. in Cic. Clod. pp. 331, 338, 339 Or. Senec. ep. ad Luc. 97.

suam sequestrem periurii fieri passi sunt an qui religionem stupro permutarunt.

Aeque flagitiosum illud conuiuium, quod Gemellus tribuni- 8.
cius uiator, ingenui sanguinis, sed officii intra seruilem habitum deformis, Metello Scipioni consuli ac tribunis plebis magno cum rubore ciuitatis conparauit. Lupanari enim domi suae instituto Muciam et Fuluiam, cum a patre tum a uiro utramque inclitam, et nobilem puerum Saturninum in eo prostituit. Probrosae patientiae corpora, ludibrio temulentae libidini futura! Epulas consulibus et tribunis non celebrandas, sed uindicandas!

3. §. 8 *om. Γ.* || 5. et scipione *CDEF et pr. A.* et scipioni *Par. et corr. A.* || cōs. *AC.* consulibus *DEFPar.* || ac] ad *pr. A.* || magna *pr. A.* || 6. parauit *corr. D.* || domui *Par.* || 7. muniam *ADPar.* || fluuiam *pr. A.* flauiam *DPar. et corr. A* || cum] tum *CDEFTorr. Vid. ad II, 2, 8.* || a uiro] auro *F.* || utramque * * * et nobilem *A.* utramque uicticam et nobilem *C.* inclitam utramque feminam ui tractam et nobilem *(sed* ui tractam *a corr. add.) D.* || 8. probrosa *CDEF et corr. A, Torr.* || sapientiae *ACDEF.* || 9. tumulentae *C.*

8. *Metello Scipioni consuli)* Omnes nostri codices *metello et scipione.* Paridis Vaticanus *Metello et Scipioni* exhibet. Quod consulum collegium in fastis non inueniri iam Pighius animaduertit, certissimam proponens emendationem, quam recepimus, adeo ut significetur Q. Caecilius Metellus Scipio, consul cum genero suo Cn. Pompeio a. u. c. 702. Neque enim alius Scipio post L. Scipionem Asiaticum (a. 671) consulatum obtinuerat. Quod Perizonius Pighio obiecit, illum a Valerio semper solo Scipionis nomine denotari, omisso altero Metelli cognomento, infirmum profecto argumentum est; coniectura ipsius *Atilio et Scipioni*, quos consules fuisse contendit a. 644, utique falsa. Sed ipse Perizonius statim adiecit librarios saepe ex uno duos fecisse. Error facile committi potuit, neque adeo mirum est in eo diuersos fontes consentire.

Muciam et Fuluiam) Hoc quoque loco idem mendum Paridis epitomam, idem integros Valerii libros inuasit, qui tantum non omnes ultiose Muniam et Flauiam exhibent. Nam si uerum est quod paulo post recentiores librarii pro archetypi scriptura *utramque uicticam* substituerunt, *utramque inclitam*, quod mihi quidem extra dubitationem positum uidetur, apparet ignotae atque ignobilis prorsus gentis Muniae, siquidem haec omnino extitit aliquando, feminam a Valerio non esse denotatam. Ac ne Flauii quidem tunc temporis inclyti innotuerunt praeter C. Flauium Fimbriam consulem a. 650. Iam si optimum omnium Danielinum codicem sequimur, in quo prima manus *fluuiam* exarauit, nihilo difficilior illa mutatio uidetur, qua alterius familiae altera pars inde effecit *Muciam et Fuluiam*, clarissima nomina, quamuis uix crediderim Oliuerium recte de Mucia, Pompeii Magni, et de Fuluia, Clodii prius, deinde Antonii uxore interpretatum esse, de quibus si cogitasset, Valerius distinctius haud dubie locutus esset.

Probrosae patientiae corpora) Antiqua libri Danielini scriptura *probrosae* non modo nihilo deterior est quam uulgata *probrosa*, uerum etiam illi longe praeferenda, cum non satis Latine simplici genitiuo *patientiae corpora* dicantur turpi libidini inseruientia, meliusque ad ipsam patientiam quam ad corpora referatur illud adiectiuum. Similiter Plin. h. n. XXVIII, 8, 27 *probrosae mollitiei homo* composuit. Alterum, sed archetypi codicis mendum *sapientiae* recte sanauit Pighius, 'e nonnullis', ut ait, 'codicibus' uariam scripturam *patientiae* in margine exempli sui ascribens, quam recepit Colerus.

9. Verum praecipue Catilinae libido scelesta. Nam uaesano amore Aureliae Orestillae correptus, cum unum impedimentum uideret quo minus nuptiis inter se iungerentur, filium suum, quem et solum et aetate iam puberem habebat, ueneno sustulit protinusque ex rogo eius maritalem facem accendit ac nouae maritae orbitatem suam loco muneris erogauit. Eodem deinde animo ciuem gerens quo patrem egerat, filii pariter manibus et nefarie adtemptatae patriae poenas dedit.

Ext. 1. At Campana luxuria perquam utilis nostrae ciuitati fuit. Inuictum enim armis Hannibalem inlecebris suis conplexa uincendum Romano militi tradidit. Illa uigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti uino, unguentorum fragrantia, Veneris usu lasciuiore ad somnum et delicias euocauit. Ac tum demum fracta et contusa Punica feritas est, cum Seplasia ei *et* Albana castra esse coeperunt. Quid his ergo uitiis foedius, quid etiam damnosius, quibus uirtus atteritur, uictoriae relanguescunt, sopita gloria in infamiam conuertitur animique pariter et corporis uires expugnantur? adeo ut nescias ab hostibusne *an* ab illis capi perniciosius habendum sit.

2. Quae etiam Volsiniensium urbem grauibus et erubescendis cladibus inplicauerunt. Erat opulenta, erat moribus et legibus ordinata, Etruriae caput habebatur; sed postquam luxuria prolapsa est, in profundum iniuriarum et turpitudinis decidit, ut

---

1. uero *pr. A. et post* praecipue *D et corr. A, Torr.* || uesana *pr. A.* || 2. arestillae *E.* || corruptus *CE.* || 3. inter se nuptiis *D.* || 5. procuiusque *F.* || 6. maritatae *CDEF.* || 8. nefariae *pr. A.* || ponas *A.* || 9. At — (15.) *coeperunt om. Γ.* || luxoria *pr. A.* || ciuitati * *A. ante* nostrae *Torr.* || 10. inuictam *pr. A.* || 13. fraglantia *pr. A.* fragantia *E.* fragalantia *F.* || 14. Ac] at *D.* || 15. se cefasia *F.* || ei et] *om. F.* ei *C et pr. A.* et *DE.* || Quid — (19.) habendum sit] *Collocat haec in fine huius capitis post uerba* §. 7 satius fuit *Γ.* || iis *A.* || ergo] *om. pr. D.* ante his *ETorr.* || 17. * languescunt *D.* elanguescunt *Γ.* languescunt *Torr.* || 19. an *om. DΓ et pr. A.* || 20. §. 2 *om. Γ.* || uoluniensium *pr. A.* uolsciniensium *E.* || 21. implicarunt *Torr.* || 22. ornata *corr. A. pr. E, Torr.* || Ehtruriae *A.* || luxoria *pr. A.*

---

9. Cf. Cic. Cat. I, 6, 14. Sall. Cat. 15. App. ciu. II, 2.

Ext. 1. Cf. Liu. XXIII, 18. Strab. V, 4, 13 p. 250. App. Hann. 43.

Seplasia ei et Albana) Codex archetypus *Seplasia ei Albana* habebat, ita ut dubium uideri possit utrum copula e coniectura addenda an in pronomine quaerenda sit. Neque uero ipsum pronomen salua sententia abesse potest. Itaque retinui quod iam in editione Veneta a. 1478 positum uidi. De Seplasia et Albana, Capuae urbis regionibus, in quibus unguentarii negotiari soliti sunt, cf. interpr. ad Cic. de leg. agr. II, 34, 94. Ascon. in Pison. §. 24 p. 10 Or. Fest. u. Seplasia pp. 317 et 340 Müll.

2. Cf. Flor. I, 21. Auct. de uir. ill. 36. Oros. IIII, 5. Zonar. VIII, 7.

seruorum se insolentissimae dominationi subiceret. Qui primum admodum pauci senatorium ordinem intrare ausi, mox uniuersam rem publicam occupauerunt, testamenta ad arbitrium suum scribi iubebant, conuiuia coetusque ingenuorum fieri uetabant, filias dominorum in matrimonium ducebant. Postremo lege sanxerunt ut stupra sua in uiduis pariter atque nuptis impunita essent ac ne qua uirgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non ante ex numero ipsorum aliquis delibasset.

Age, Xerxes opum regiarum ostentatione eximia eo usque 3. luxuria gaudens, ut edicto praemium ei proponeret, qui nouum uoluptatis genus repperisset, quanta, dum deliciis nimiis capitur, amplissimi imperii ruina euasit?

Antiochus quoque, Syriae rex, nihilo continentioris exempli. 4. Cuius caecam et amentem luxuriam exercitus imitatus, magna ex parte aureos clauos crepidis subiectos habuit argenteaque uasa ad usum culinae conparauit et tabernacula textilibus sigillis adornata statuit. Auaro potius hosti praeda optabilis quam ulla ad uincendum strenuo mora.

Nam Ptolemaeus rex accessio uitiorum suorum uixit ideoque 5. Physcon appellatus est. Cuius nequitia quid nequius? Sororem natu maiorem communi fratri nuptam, sibi nubere coegit. Postea deinde filia eius per uim stuprata, ipsam dimisit, ut uacuum locum nuptiis puellae faceret.

---

1. primi *ACDE*. || 2. ausi] *litterae* si *in rasura A.* || uniuersum *pr. A.* || 3. occuparunt *F.* || 5. in lege *D.* || 6. pariter] *litterae* ter *in rasura A.* || atque nuptis] et inuptis *D et in rasura A.* atque in nuptis *F.* ac nuptis *Torr.* || 10. luxoria *pr. A.* || poneret *Γ.* || 11. minis *pr. A.* nimis *Γ.* || 13. anthiocus *A.* || contentioris *CEF et pr. A.* contemptioris *Γ.* || exemplo *D.* || 14. luxoriam *pr. A.* || 15. subiectis *Γ.* || 16. testilibus *F.* || 18. mora] *inseruit h. l. quae infra exhibui in commentario F.* || 19. Nam — (20.) nequius] Ptholomeus qui ob uitia phiton appellatus est *Γ.* || Nam] Iam *D et corr. A, Torr. Vid. ad I*, 6, 10. || ptholomeus *ACDEFΓ.* || rex] rerum *C.* || accessione *D.* || 20. phiton *ACDEΓ.* phyton *F.* || 21. communi] conuiuii *F.* || nupta *C et pr. D.* || 22. deinde] demum *F.* || filiã *pr. A.* || stupratã *pr. A.*

---

3. Cf. Cic. Tusc. V, 7, 20.

4. Cf. Iustin. XXXVIII, 10.

strenuo mora) In Gudii codicibus Parisino primo et Bituricensi primo itemque in altero Guelferbytano nostro, quem littera F significauimus, in fine huius exempli haec adduntur: *Vnde pulchre (pulcer F.) apud Antiochum exulans ipsi interroganti an hic exercitus sufficeret (sufficere posset Romanis F.) dixit 'Puto, etsi auarissimi sint'. (auarus fuit satis est. F.) Nihil dicacius. (dicto eius uerius F.) Interrogauerat rex de uictoria, respondit ille de praeda.*

5. Cf. Iust. XXXVIII, 8.

6. Consentaneus igitur regibus suis gentis Aegyptiae populus, qui ductu Archelai aduersus A. Gabinium moenibus urbis egressus, cum castra uallo atque fossa cingere iuberetur, uniuersus succlamauit ut id opus publica pecunia faciendum locaretur. Quapropter deliciis tam enerues animi spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt.

7. Sed tamen effeminatior multitudo Cypriorum, qui reginas suas mulierum corporibus uelut gradibus constructis, quo mollius uestigia pedum ponerent, currus conscendere aequo animo sustinebant. Viris enim, si modo uiri erant, uita carere quam tam delicato imperio optemperare satius fuit.

II. Haec societas uitiorum lasciui uultus et nouae cupiditati inhaerentium oculorum ac delicato cultu affluentis perque uarios inlecebrarum motus uolitantis animi.

DE CRVDELITATE.

Crudelitatis uero horridus habitus, truculenta species, uiolenti spiritus, uox terribilis, omnia nimis et cruentis imperiis

---

1. igitur *om. Γ.* || 2. gabinum in moenibus *F.* || 3. ac *F.* || tingere *pr. A.* || 5. tam eneruis *in rasura A.* tam enerues *in rasura corr. A.* || 7. reinas *pr. A.* || 8. uelud *pr. A.* || 10. quem *pr. A.* || 11. satius fuit] *add. hoc loco ux. (p. 678, 15.)* Quid his ergo uitiis — (19.) habendum sit *Γ.* || 12. Haec societas] *Praemisit inscriptionem noui capitis* DE CRVDELITATE *Torr.* || Haec — (14.) animi *om. Γ.* || laxiuii *E.* || 13. ac] et *E.* || affluens *pr. A.* affluentes *C.* || 14. uolitantes *F et pr. A.* || animi] *add.* sunt *F.* || 17. omni animis *A.* omnia nimiis *C.* omnia nimis *Γ.*

---

6. *A. Gabinium)* Cf. Cic. in Anton. II, 19, 48. Liu. epit. libr. CV. App. ciu. V, 8. Dio. Cass. XXXIX, 58 p. 221 Reim.

7. Cf. Athen. VI, 69 p. 256.

II. *omnia minis et cruentis imperiis referta)* Si *omnia*, ut primo quidem aspectu uideri potest, eodem relatu pertineret ad *crudelitatis* quo *habitus, species, spiritus, uox*, et significaret omnes eius figurae, quam auctor crudelitati tribuit, partes, quod fieri posse equidem nego, tum sane misere eo interrumperetur illa crudelitatis prosopographia, quam uocat Pighius. Neque enim intellegitur cur Valerius, postquam in singulis partibus repraesentauit crudelitatis proprietatem, iam sine ullo sententiae uinculo omnes eius partes minis et imperiis truculentis refertas esse dixerit. Quae difficultas commouisse uidetur uirum quendam doctum et ingeniosum, ut in codice Campensi, quo usus est Pighius, *omnia* mutaret in *ora*. Quae coniectura et mihi aliquando ualde placuit et Pighio ita arrisit, ut eam recipere non dubitaret. At, ut concedam probabili-

referta. Cui silentium donare, crementum est adicere. *Et*enim quem modum sibi ipsa statuet, si ne suggillationis quidem frenis fuerit reuocata? Ad summam, cum penes illam sit timeri, penes nos sit odisse.

L. Sylla, quem neque laudare neque uituperare quisquam 1. satis digne potest, quia dum quaerit uictorias, Scipionem se populo Romano, dum exercet, Hannibalem repraesentauit, egregie namque auctoritate nobilitatis defensa crudeliter totam urbem atque omnes Italiae partes ciuilis sanguinis fluminibus inundauit, quattuor legiones contrariae partis, fidem suam secutas, in publica uilla, quae in Martio campo erat, nequiquam fallacis

1. referta] *add.* sunt *Γ*. || incrementum *DEFTorr.* || enim quem *AC.* quem enim *EDΓ.* enim uero quem *F.* || 2. modum] ad' *C.* || statuet ipsa *D.* || ne] non *DE.* || sugillationis *A.* || fremit *pr. A.* || 3. panes *pr. A.* paenes *corr. A.* || 7. exercet] *add.* saeuitiam *F.* || hannibа *pr. E.* hannibal *corr. E.* || repraesentat *DE.* || egregiae *pr. A.* || 9. inundatum *in rasura F.* || 11. quae — erat *om. Γ.* || in] iuncta *Par.* || erat] *ante* in *E.* || nequisquam *CF.* frustra *D.* nequicquam *EΓTorr.*

tatem mutationis, nam *ora* in compendium *oĩa*, quo denotatur *omnia*, depraуatum esse uideri potest, offendit tamen pluralis numerus, cum *ora* non nisi poëtae dixerint de uno ore et ne hi quidem frequenter nec fere nisi in describenda tota uultus humani facie. Hoc uero loco nemo non os illud, quo loquimur, intellegeret. Praeterea os minis et imperiis truculentis refertum non adeo differret a uoce terribili, ut alterum iuxta alteram a Valerio commemoratum fuisse credibile sit. Itaque unum restat ut uoce *omnia* praecedentia comprehendi dicamus, horridum habitum, truculentam speciem, uiolentos spiritus, uocem terribilem, omnia nempe ista minis et saeuis imperiis referta, atque ita causam tristis illius aspectus breuiter expositam subiungi credamus. Vorstius, qui libros manuscriptos secutus reuocauit *omnia*, nihil aliud adnotauit quam ita malle se legere. Reliqui grammatici ne uerbo quidem hunc locum tetigerunt.

Etenim quem) Ita tacite correctum est in uulgatis exemplis quod mendose in optimis quibusque libris erat *enim quem*, unde alii transponendo effecerant *quem enim*. Estque multo probabilius *et* aut propter praecedentem aut propter sequentem litteram *e* excidisse quam transpositis uocabulis a librariis peccatum esse, quod corruptelae genus raro admodum in archetypo codice accidisse supra aliquotiens iam monuimus.

1. *L. Sylla, quem)* Notanda est grammaticorum socordia, qua omnes, qui huc usque Valerium ediderunt, hoc enuntiatum finiunt maiore distinctione posita post *repraesentauit*, nouam sententiam incipientes u. *Egregie*, quam claudunt u. *inundauit*, ita ut pendeat sine uerbo finito subiectum *L. Sylla*, a quo aptum est *trucidari iussit*. Verba autem inde ab *egregie namque* usque ad *inundauit*, in parenthesi posita, causam continent praecedentium *quia dum quaerit uictorias — Hannibalem repraesentauit*.

Quattuor legiones) Cf. Liu. epit. libr. LXXXVIII. Dion. Hal. V, 77. Strab. V, 4, 11 p. 249 Cor. Plut. Syll. 30. Senec. de clem. I, 12. id. de benef. V, 16. App. ciu. I, 93. Flor. III, 21, 24. Dio Cass. fragm. 135. 136. Auct. de uir. ill. 75. Oros. V, 21. August. de ciu. dei III, 28. Ceterum de numero interfectorum magna scriptorum dissensio est, inter tria et nouem milia, inter unam et quattuor legiones discrepantium.

quae in campo Martio erat) Haec uerba tamquam spuria in suspicionem adduxit Lipsius, quod neminem Valerii aeuo docendum diceret ubi sita fuisset uilla publica, idque adeo persuasit enarratoribus atque etiam Perizonio, ut

dexterae misericordiam inplorantes, obtruncari iussit. Quarum lamentabiles quiritatus trepidae ciuitatis aures receperunt, lacerata ferro corpora Tiberis inpatiens tanti oneris cruentatis aquis uehere est coactus. Quinque milia Praenestinorum spe salutis per P. Cethegum data extra moenia municipii euocata, cum abiectis armis humi corpora prostrauissent, interficienda protinusque per agros dispergenda curauit. Quattuor milia et septingentos dirae proscriptionis edicto iugulatos in tabulas publicas retulit, uidelicet ne memoria tam praeclarae rei dilueretur. Nec contentus in eos saeuire, qui armis a se dissenserant, etiam quieti animi ciues propter pecuniae magnitudinem per nomenclatorem conquisitos proscriptorum numero adiecit. Aduersus

1. quare *F.* || 2. queritatus *EΓ.* || 3. corpora ferro *D.* || 4. coactus est *Torr.* || penestrinorum *D.* || spem *pr. A.* || 5. euocatos *CDE et pr. A.* erogata *F. Vi nos etiam Par.* || 6. adiectis *F.* || corporis *pr. Γ.* || interficiendaque protinus *Γ.* || 7. septingentos] docc *Γ.* || 9. tam praeclarae] tantae *F.* || delueretur *C.* dilaberetur *coniecit Perizonius.* || 10. etiam] sed etiam *E.* || 11. nomenculatorem *E et litteris* culatorem *in rasura A.* nomenclauorum *C.* nomen clariorum *D.* nomenclariorem *F.* nomendelatorem *Γ.* || 12. cum quisitos numero proscriptorum *F.*

omnes glossema agnoscerent, Kappius uerba *quae — erat* uncis secluderet, quae tamen insigniter eo stabiliuntur, quod habentur etiam in Paridis compendio. Et unde tandem Lipsius compertum habuit hanc uillam *publicam* Valerii temporibus etiamtum extitisse, quae post Syllanam illam perfidiam a nullo uetere scriptore commemoratur? Hodie profecto non immerito a uiris doctis, quorum curae in his rebus cum maxime uersantur, dubitatum est num ea ad Augusti aetatem duranerit. Cf. Becker antiq. I, p. 625. Preller, die regionen der stadt Rom. p. 240, qui non male suspicatur diribitorium postea eius uicem obtinuisse. Miror autem uiros doctissimos hoc Valerii loco non usos esse pro argumento opinionis suae. Poterant enim inde colligere eam uillam publicam, quae Syllae crudelitate innotuit, Valerii temporibus iam non extitisse in campo Martio. Augetur difficultas quaestionis ea discrepantia, quam supra e Paridis compendio enotauimus, cum ille non in ipso campo, sed campo iunctam fuisse tradiderit uillam publicam. Quod mihi quidem falsum uidetur. Nam si auctorem ita significasse crediderie Syllae aetate eam iunctam fuisse campo, suis temporibus ab eo aliis interpositis aedificiis diuisam, causam nullam iuuenio cur hoc potissimum commemoratum sit, siquidem locus idem manserat; si simplicem loci denotationem putaueris, manifesto reliquorum scriptorum testimonium obstat, qui omnes in ipso campo eam uillam fuisse asserunt. Potest autem fieri ut Paris, quem saepius ipsum Ciceronis opera adhibe uidimus, Valerii uerba interpolauerit propter Ciceronis locum in epp. ad Att. IIII, 16, 14, ubi legitur *Nam in campo Martio saepta tributis comitiis marmorea sumus et tecta facturi, — simul adiungetur huic operi uilla etiam publica.* Itaque genuinam puto librorum scripturam et ex ea colligendum esse credo uillam publicam deditorum caede famosam Valerii temporibus non amplius extitisse.

Quinque milia Praenestinorum) Cf. Liu. epit. libr. LXXXVIII. Plut. Syll. 32. Lucan. II, 193. App. ciu. I, 95. Flor. III, 21, 27. Oros. V, 21.

P. Cethegum) Cf. Cic. parad. 5, 3. id. Brut. 48, 178. Drum. gesch. Roms. II, p. 557.

Nec contentus) Cf. Plut. Syll. 31. Dio. Cass. fragm. 136, 137.

mulieres quoque gladios destrinxit, quasi parum caedibus uirorum satiatus. Id quoque inexplebilis feritatis indicium est. Abscisa miserorum capita, modo non uultum ac spiritum retinentia, in conspectum suum afferri uoluit, ut oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. Quam porro crudeliter se in M. Mario praetore gessit! quem per ora uulgi ad sepulcrum Lutatiae gentis pertractum non prius uita priuauit, quam oculos infelices erueret et singulas corporis partes confringeret. Vix mihi uerisimilia narrare uideor. At ille etiam M. Plaetorium, quod ad eius supplicium exanimis ceciderat, continuo ibi mactauit, nouus punitor misericordiae, apud quem iniquo animo scelus intueri scelus admittere fuit. Sed mortuorum umbris saltem pepercit? Minime! Nam C. Marii, cuius, etsi postea hostis, quaestor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alueum sparsit. En quibus actis felicitatis cognomen adsequendum putauit!

Cuius tamen crudelitatis C. Marius inuidiam leuat. Nam 2. et ille nimia cupiditate persequendi inimicos iram suam nefarie destrinxit, C. Caesaris consularis et censorii nobilissimum corpus ignobili saeuitia trucidando et quidem apud seditiosissimi et abiectissimi hominis bustum. Id enim malorum miserrimae tunc

---

1. distrinxit *DFΓ.* || uirorum caedibus *Γ.* || 2. sotiatus *F.* || inexplicabilis *F.* || iudicium *C.* || est] *add.* quia *F.* || abscissa *F.* || 3. modo — retinentia *om. Γ.* || at *E.* || 4. quia] quae *Γ.* || 5. manderet] *ante* quia *Γ.* mandaret *pr. A.* || Quam — (9.) uideor *om. Γ.* || M.] *om. D.* || 6. sepulchrum *Par. et pr. A.* || 7. infelicis *D et corr. A. Torr. Vid. ad I, 6, 4 et praef. p. 37.* || 9. At *om. Γ.* || pletorium *A.* praetorium *FPar.* || eius] marii *Γ.* || 12. Sed — (15.) putauit *om. Γ.* || 14. amnis *ACDE.* annis *F.* || alueis *F.* || 15. actibus *D.* || nomen *EF.* || asserendum *E.* || 16. §. 2 *om. Γ.* || crudelitates *CE et pr. A.* || c. manus *C.* || inuidia *CE et pr. A.* || 18. distrinxit *CDE.* distruxit *F. Vid. ad II, 9, 6.* || L. Caesaris *Torr.* || 19. equidem *ACDEF.* || 20. bustrum *pr. A.* buscum *D.*

Abscisa miserorum capita) Cf. Val. Max. III, 1, 2. Plut. Cat. min. 3.

Quam porro crudeliter) Cf. Senec. de ira III, 18. Oros. V, 21.

Nam C. Marii) Cf. Cic. de legg. II, 22, 56, unde apparet paulo post recte iam in editione Veneta a. 1478 in *Anienis* mutatum esse quod uitiose in archetypo codice legebatur *amnis*.

2. Cf. Liu. epit. libr. LXXX. Cic. de or. III, 3, 10; id. Tusc. V, 19, 55 et Brut. 89, 305 et 307. App. ciu. I, 72.

C. Caesaris) Referenda haec sunt ad Lucium Caesarem, qui consulatum et censuram obtinuerat, non ad fratrem Gaium, qui aedilicius tantum erat. Cf. Ascon. in Scaur. §. 2 p. 24 Orell. Nescio tamen an qui cum Corrado et Pighio Lucium Caesarem inferendum censuerint Valerium potius ipsum quam librarios eius emendauerint, praesertim cum Iulius Paris quoque Gaium Caesarem posuerit, quem auctor parum diligens et accuratus facillime cum fratre una occiso potuit confundere. Cf. praef. p. 33.

rei publicae deerat ut Vario Caesar piaculo caderet. Paene tanti uictoriae eius non fuerunt, quarum oblitus plus criminis domi quam laudis in militia meruit. Idem caput M. Antoni abscisum laetis manibus inter epulas per summam animi ac uerborum insolentiam aliquandiu tenuit clarissimique et ciuis et oratoris sanguine contaminari mensae sacra passus *est*. Atque etiam P. Annium, qui id attulerat, in sinum suum recentis caedis uestigiis aspersum recepit.

3. Damasippus nihil laudis habuit, quod corrumperet; itaque memoria eius licentiore accusatione perstringitur. Cuius iussu principum ciuitatis capita hostiarum capitibus permixta sunt Carbonisque Aruinae truncum corpus patibulo adfixum gestatum est. Adeo aut flagitiosissimi hominis praetura multum aut rei publicae maiestas nihil potuit.

4. Munatius etiam Flaccus, Pompeiani nominis acrior quam probabilior defensor, cum ab imperatore Caesare in Hispania inclusus moenibus Ateguensium obsideretur, efferatam crudeli-

1. piaculum *Torr.* || cederet *C et pr. A.* || 3. abscissum *F.* || 4. ac] et *E.* || 5. et ciuis] et *om. E.* || 6. est] *om. ACDEF. Suppleuit Torr. iubente Perizonio.* || 7. annum *F.* || 9. §. 3 *om. Γ.* || Damasipphus *pr. A.* || 12. arinae *E.* arbinae *Par.* || troncum *D.* || 13. est *om. D.* || aut — aut] et — et *coniecit Perizonius. Vid. ad LX, 3, init.* || rei publicae] rp. li *A.* || 15. §. 4 *om. Γ.* || mimacius *D.* minatius *EF.* || flactus *D.* || 17. abteguensium *pr. A.* abtiguensium *CD.* abtigensium *E.* abtigentium *F.* Atteguensium *Torr.*

Vario Caesar piaculo caderet) Grammatici inde a Pighio omnes exhibentes *piaculum* temere repudiarunt tertium casum, a codicibus manuscriptis firmissimum, cum tamen facillime defendi possit ea loquendi consuetudine, qua, ut insigniatur consilium actionis subiectae, res alicui dono dari, pignori poni, praesidio relinqui, dicitur et quae sunt alia in hoc genere. Cf. Val. I, 8, 2 *tempestatem, cui remedio quaesitus erat, dispulit.* Eadem enim ratione Caesar Vario piaculo datus esse putatur. Quae si intransitiuo cadendi uerbo pronuntiantur, nec sententia mutatur nec debebat mutari dandi casus, cum etiam uerbo *esse* idem subiciatur datiuus. Cf. Val. III, 2, 11 *Poenus, in uictoria obnoxius, morienti solacio fuit.*

Idem caput M. Antoni) Cf. Liu. epit. libr. LXXX. Cic. de or. III, 3, 10. Vell. II, 22, 3. Plut. Mar. 44. App. ciu. I, 72. Flor. III, 21, 14. Lucan. II, 122. Oros. V, 19.

3. Cf. Liu. epit. libr. LXXXVI. Vell. II, 26, 2. Flor. III, 21, 21. Oros. V, 21 et App. ciu. I, 85, qui hunc Damasippum simpliciter Brutum appellat. Erat autem, ut suspicatur Drumann. II, p. 463, L. Iunius Brutus Damasippus, praetor a. u. c. 672.

Carbonisque Aruinae) C. Papirii Carbonis Aruinae Cf. Cic. epp. IX, 21, 3. de or. III, 3, 10.

4. Cf. Auct. bell. Hisp. 22.

Ateguensium) Simplici *t* hoc nomen scriptum effert Paris; nec aliter optimi codices bell. Hisp. 6, 1. 7, 1. 8, 6. 22, 3 et codex Riccardianus Plinii h. n. III, 1, (3,) 10, cuius auctoritatem non recte spreuit Silligius. Vulgatae editiones cum Cassio Dione XLIII, p. 364 Reim. eam litteram duplicarunt.

tatem suam truculentissimo genere uaesaniae exercuit. Omnes enim eius oppidi ciues, quos studiosiores Caesaris senserat, iugulatos muris praecipitauit. Feminas quoque citatis nominibus uirorum, qui in contrariis castris erant, ut caedes coniugum suarum cernerent, maternisque gremiis superpositos liberos trucidauit. Infantes alios in conspectu parentum humo infligi, alios superiactatos pilis excipi iussit. Quae auditu etiam intolerabilia Romano iussu Lusitanis manibus administrata sunt, cuius gentis praesidio Flaccus ualidatus diuinis operibus uaecordi pertinacia resistebat.

Transgrediemur nunc ad illa, quibus ut par dolor, ita nullus Ext. 1 nostrae ciuitatis rubor inest. Karthaginienses Atilium Regulum palpebris resectis machinae, in qua undique praeacuti stimuli eminebant, inclusum uigilantia pariter et continuo tractu doloris necauerunt. Tormenti genus haud dignum passo, auctoribus dignissimum. Eadem usi crudelitate milites nostros maritimo certamine in suam potestatem redactos nauibus substrauerunt, ut earum carinis ac pondere elisi inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent, taetro facinore pollutis classibus ipsum mare uiolaturi.

---

1. uesaniae *(A.)* || exercuit. Omnes enim] *in rasura A.* || 2. Caesaris] *om. pr. D.* caesari *pr. A et corr. D.* || censerat *D.* || iugulatus *pr. A.* || 3. citatis nominibus] citationibus *C.* || nominibus — (4.) erant *om. E.* || 4. in *om. F.* || 5. maternisque] que *om. F.* || suppositos *E.* || libros *D.* || 6. infantesque *Torr.* || parentium *F.* || infigi *DEF.* || 8. lusitanis * * *(ultima littera* s *in rasura) A.* || 9. opibus *CD.* || uecordii *F.* || 11. Transgrediamur *Torr. Cf. VIII,* 15, *ext.* 1. || nun *pr. A.* || 12. italium *pr. A.* || 13. machina *CFΓPar. Torr.* || praecuti *pr. A.* || 14. et] in *F.* || 15. haud dignum] addignum *pr. A. add.* u. haud *margo A.* indignum *CEFΓ et corr. A.* || 16. in milites *corr. D, Torr.* || nostros] *add.* quos *A.* || marti *A.* martis *CEF.* martio *Γ.* || 19. ferocitatem *D.* || saciarent *pr. A.*

Ext. 1. Cf. Cic. de off. III, 27, 100; id. in Pis. 19, 43. de fin. V, 27, 82. A. Gell. VI, 4. Auct. de uir. ill. 40, alii.

machinae — inclusum) Valerius rem aliquam includere utroque modo dixit et aliquo loco (II, 7, 15. V, 1, ext. 4. VI, 8, 1. IX, 2, ext. 9.) et alicui loco (IIII, 6, ext. 3. V, 6, 3.) Hic, cum dubia sit archetypi codicis scriptura, quoniam non solum alterius familiae haud spernendi testes, uerum etiam Paridis compendium ablatiuum tueantur, nos optimum omnium Bernensem codicem secuti dandi casum posuimus.

Eadem usi crudelitate) Cf. Varro IIII de uit. pop. Rom. ap. Non. II, 725, unde etiam apparet recte Pighium e codice Campensi *maritimo* edidisse pro eo, quod uitiose in libris manuscriptis legitur *marti, martis, martio certamine.* Ceterum peculiare, ut uidetur, libri Danielini mendum, non archetypi est, quo *quos* inseritur post *nostros.* Erant tamen qui eo moti scribendum censerent *Eadem usi sunt crudelitate in milites nostros, quos maritimo certamine* etc.

2. Eorum dux Hannibal, cuius maiore ex parte uirtus saeuitia constabat, in flumine † Gallo corporibus Romanis ponte facto exercitum transduxit, ut aeque terrestrium scelestum Karthaginiensium copiarum egressum terra quam maritimarum Neptunus experiretur. Idem captiuos nostros, oneribus et itinere fessos iam, prima pedum parte succisa relinquebat. Quos uero in castra perduxerat, paria fere fratrum et propinquorum iungens, ferro decernere cogebat neque ante sanguine explebatur quam ad unum uictorem omnes redegisset. Iusto ergo illum odio, uerumtamen tardo supplicio senatus Prusiae regis factum supplicem ad uoluntariam mortem conpulit.

3. Tam hercule quam Mitridatem regem, qui una epistola LXXX ciuium Romanorum in Asia per urbes negotiandi gratia dispersa interemit tantaeque prouinciae hospitalis deos iniusto, sed non inulto cruore respersit, quoniam cum maximo cruciatu ueneno repugnantem spiritum suum tandem succumbere coegit simulque piacula crucibus illis dedit, quibus [illos] amicos suos auctore Gauro spadone libidinosus obsequio, scelestus imperio adfecerat.

---

1. uultus *F.* || 2. Gallo] *sic ADF.* gello *CEΓ.* u. igillo *margo A.* igillo *Par.* || 3. traduxit *EFΓTorr.* || ut— (5.) experiretur *om. Γ.* || aquae *pr. A.* || terrestrium] *post* scelestum *D et corr. A, Torr.* || scelestium *C et pr. A.* || Kartaginiensium *A.* || 6. quos • uero *A.* quosdam uero *C.* quos uero iam *Γ.* || 7. castra] nostra *CF.* || perduxerat] *add.* castra *margo C.* || fere *om. E.* || iniungens *F.* || 8. discernere *D.* || 9. uictorem] *litt.* e *in rasura A.* || redigisset *CF.* || 12. hercle (*EF*) *Torr.* || LXXX] *sic AFΓ.* octuaginta milia *E.* || 14. hospitales *DEFΓ et corr. A, Torr.* || 15. inulte *pr. D.* multo *F.* || 16. similique *F.* || 17. illos *om. (F) Torr.* || amico suo *Γ et pr. A.*

---

2. Cf. Flor. II, 6, 18.

in flumine † Gallo) Nomen huius fluuii, quem prope Cannas quaerendum esse indicat Florus, ualde dubium est, cum diuersi fontes magnopere inter se discrepent. Suspicor tamen Florum, eundem pontem cadaueribus humanis extructum cruentae cladis Cannensis documentum referentem, ueram eius appellationem seruasse, quippe cuius libri exhibent *in torrente Vergelli*, e quibus Valerium emendandum esse monuerat iam Ianus Parrhasius, teste Theophilo. Mitallerius utroque loco *Cerbalo* legendum esse coniecit e Plin. h. n. III, 11, 16, 103. Paulo post uerborum ordo, quem nos librorum iussu restituimus praemisso *terrestrium*, contortus quidem est, neque tamen reiciendus, cum praesertim defensionem habeat in oppositione illa, quae est inter terrestres et maritimas Karthaginiensium copias.

3. Cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. 3, 7. id. pro Flacc. 25, 60. Liu. epit. libr. LXXVIII. Vell. II, 18, 2. Plut. Syll. 24. App. Mithr. 22, 62. Flor. III, 5, 7. Dio Cass. fr. 115, 136, pp. 46 et 55 Reim. Auct. de uir. ill. 76; alii.

[*illos*] *amicos suos*) *illos*, quod tuentur omnes codices ueteresque editiones, tacite deleuit Pighius. Neque sane ferri potest. Videtur additum esse a librario, qui, cum in archetypo codice mendose scriptum esset *amico suo* pro *amicos suos*, desiderabat obiectum uerbi *adfecerat*.

† Zisemis, Diogyridis filii, Thraciae regis, etsi minus ad- 4.
mirabilem crudelitatem gentis ipsius feritas, narrandam tamen rabies saeuitiae facit, cui neque uiuos homines medios secare neque parentes liberorum uesci corporibus nefas fuit.

Iterum Ptolemaeus Physcon emergit, paulo ante libidinosae 5.
amentiae taeterrimum exemplum, idem inter praecipua crudelitatis indicia referendus. Quid enim hoc facto truculentius? Filium suum nomine Memphitem, quem ex Cleopatra, eadem sorore et uxore, sustulerat, liberalis formae, optimae spei puerum, in conspectu suo occidi iussit protinusque caput eius et pedes praecisos et manus in cista chlamyde opertos pro munere natalicio matri misit, perinde quasi ipse cladis, quam illi inferebat, expers, ac non infelicior, quod in communi orbitate Cleopatram miserabilem cunctis, se inuisum reddiderat. Adeo caeco furore summa quaeque efferuescit crudelitas, cum munimentum ex se ipsa repperit. Nam cum animaduerteret quanto sui odio

1. §. 4 *om. Γ.* || Zisemis] *sic Par. et in rasura A.* Zizenus *D.* Cisenis *E.* Numulssis *C.* Nonmuilisis *F.* Numulizinthis *Torr.* || diogridis *E.* diogyrridis *Par.* Diogiridis *Torr.* || filia *CEF et pr. A.* filiae *Torr.* || 2. narrandum *A.* || 3. fecit *F.* || secare] *in rasura A.* || 5. ptholomeus *AEΓ.* ptolomeus *CDF.* || phicon *pr. A.* phiscon *corr. A.* phiton *CDEΓ.* phycon *F.* || 7. india *pr. A.* || 8. memphititem *DPar. et in rasura A.* menephitem *C.* menephiten *EΓ.* menfiditem *F.* || 9. et uxore — puerum *om. pr. A.* || optimaeque *Torr. Vid. ad III, 8, ext. 4.* || 11. pedes] *add.* eius *Γ.* || praeciosos *Γ.* || cistam *ACEF.* || clamde *pr. A.* clamyde *corr. A.* clamide *CDEFΓ.* || operta *Γ.* || 12. natalitio *(A).* || proinde *D.* || 14. se] *add.* autem *D.* || 15. furore — (16.) Nam cum] *in rasura A.* || in summa *coniecit Perizonius.* || quoque *DF.* || cui munimentum *Γ.* || 16. iam *D et in rasura A.* || quanta *D.*

4. † *Zisemis, Diogyridis filii*) Dolendum est archetypi codicis scripturam iam indagari non posse propter lituram in libro Bernensi, quamuis ea longius etiam a uero discessisse uideatur, quam Paridis epitome, e qua illud est, quod nos edidimus, *Zisemis*. Haud dubie enim recte Wesselingius et Torrenius suspicati sunt eundem illum esse *Ζισέλμιον* uel *Ζιβέλμιον, Διηγύλιος υἱόν*, de quo a Diod. in exc. XXXIII, p. 602 (cf. etiam p. 595.) similia narrantur. Quod si uerum est, credo Valerium scripsisse *Nam Ziselmi*, (unde id oriri potuit, quod in reliquis codicibus est *nummulissantis, numolisinthis* etc.) *Diogyridis filii*. Nam de patris nomine Valerii codices et Paris inter se consentiunt, nisi quod hic litteram *r* duplicauit. Fieri tamen potest ut utrumque testimonium eodem mendo infectum sit. A Strabone enim XIII, 4, 2 p. 624 Cor. et App. Mithr. 6 Diegylis quidam Thraciae rex commemoratur, adeo ut hoc loco *Diegylidis* scribendum esse uideatur. Deinde pro *filii* librarios perperam *filia* posuisse documento est idem Paris, qui aperte de filio Thraciae regis loquitur.

5. Cf. Diod. Sic. exc. de uirt. et uit. p. 603. Vol. II, P. 2 p. 144 Dind. Iustin. XXXVIII, 8.

Filium suum nomine Memphitem) Apparet archetypum codicem exhibuisse aut *menephitem* aut *menephiten*. Memphites uocatur a Diodoro l. c. et p. 595. Vol. II. P. II. p. 135 Dind., ubi etiam causa cur illud nomen acceperit adicitur, quod natus fuerit Ptolemaeo *κατὰ τὴν Μέμφιν ἐνθρονιζομένῳ τοῖς βασιλείοις* etc.

patria teneretur, timori remedium scelere petiuit, quoque tutius plebe trucidata regnaret, frequens iuuentute gymnasium armis et igni circumdedit omnesque, qui in eo erant, partim ferro, partim flamma necauit.

6. Ochus autem, qui postea Darius appellatus est, sanctissimo Persis iureiurando obstrictus ne quem ex coniuratione, quae septem Magos cum eo oppresserat, aut ueneno aut ferro aut ulla ui aut inopia alimentorum necaret, crudeliorem mortis rationem excogitauit, qua † honustos sibi non perrupto uinculo religionis tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere conpleuit superpositoque tigno prominente benigne cibo et potione exceptos in eo conlocabat, e quo somno sopiti in illam insidiosam congeriem decidebant.

7. Apertior et taetrior alterius Ochi cognomine Artaxerxis crudelitas, qui † Otiosam sororem atque eandem socrum uiuam

3. igne *EF.* || 6. a Persis *Γ Vinc. Bell. sp. doctr. V*, 136. || 8. ui * aut *A.* || 9. quae *EΓ et pr. A.* || honustos] hos iunctos *CE.* onustos *D.* hos honustos *F.* infestos *Γ.* onerosos *Torr.* || praerupto *E.* || religionis uinculo *Torr.* || 11. suppositoque *E Torr.* || benigno *E et corr. D.* || 14. §. 7 *om. Γ.* || Apertior] acrior *F.* || Ochi] diui *F.* || cognominis *corr. A.* || artaxersis *F et pr. A.* artarxersis *corr. A.* artarxerxis *C.* || 15. otiam *corr. A.* ociosam *CE.* ocisam *F.* ocham *D Torr.* || eiusdem *F.*

6. Cf. Ouid. Ib. 317.

Ochus autem, qui postea Darius) Pueriles auctor errores in unum hoc exemplum congessit, cum Darius, Hystaspis filius, quem satis aperte denotauit, neque umquam cognomine Ochus sit appellatus neque cuiquam tales insidias struxerit, quales de altero Dario Notho, cui sane ante Ocho cognomen erat, refert Ouidius l. c. Deinde de septem magis loquitur, cum alii duos tantum nouerint eius condicionis homines. Nam quod Amm. Marc. XXIII, 22 et Vinc. Bell. sp. doctr. III, 27 et 28 item septem magos commemorant, nescio an ipso hoc Valerii loco decepti sint. Valerium autem equidem potius septem contra magos coniuratorum numerum cum illorum numero confudisse crediderim quam propter septem menses, quibus regnarunt eundem ipsorum regnantium numerum statuisse, quae Perizonii est coniectura. Iam uero hic scriptor numquam adeo hallucinatus est, quin aliquem nanciscerctur nugarum defensorem. Ita hoc loco mire sane Kappius numerum *septem* non ad magos refert, sed ad *quae* et sententiam enarrat 'die zu siebent, wenn man den Darius selbst mitrechnet, sich verschworen hatten'. Aliorum grammaticorum coniecturis, qui *septem* aut omnino delendum aut transponendum ante *quae* existimarunt, ut mittam reliqua, Paridis in primis auctoritas obstat, qua quae nos supra exhibuimus insigniter confirmantur.

qua † honustos sibi) Permultae sunt librariorum et grammaticorum coniecturae, quibus archetypi codicis corruptelam emendare studuerunt. *Onerosos*, quod a Pighio editum est, merito improbarunt Perizonius et Torrenius, de iis, qui in metu potissimum reponebantur a Dario, languidius dictum. Alii temptarunt *odiosos, infestos, inuisos, hos iunctos*, omnia aut a sententia aut a traditis litteris nimis aliena quam quae recipi potuissent. Vide igitur an magis placeat *hos suspectos* aut *homines suspectos*.

7. † *Otiosam sororem*) Dolendum est Paridem reticuisse sororis nomen,

capite defodit et patruum cum centum amplius filiis ac nepotibus uacua area destitutum iaculis confixit, nulla iniuria lacessitus, sed quod in his maximam apud Persas probitatis et fortitudinis laudem consistere uidebat.

Consimili genere aemulationis instincta ciuitas Atheniensium indigno gloriae suae decreto Aeginensium iuuentuti pollices abscidit, ut classe potens populus in certamen maritimarum uirium secum descendere nequiret. Non agnosco Athenas timori remedium a crudelitate mutuantis. 8.

Saeuus etiam ille aenei tauri inuentor, quo inclusi subditis ignibus longo et abdito cruciatu mugitus resonantem spiritum edere cogebantur, ne eiulatus eorum humano sono uocis expressi Phalaridis tyranni misericordiam implorare possent. Quam quia calamitosis deesse uoluit, taeterrimum artis suae opus primus inclusus merito auspicatus est. 9.

Ac ne Etrusci quidem parum feroces in poena excogitanda, qui uiuorum corpora cadaueribus aduersa aduersis alligata atque constricta, ita ut singulae membrorum partes singulis essent accommodatae, tabescere simul patiebantur, amari uitae pariter ac mortis tortores. 10.

Sicut illi barbari, quos ferunt mactatarum pecudum inte- 11.

---

1. patrium *C.* || et amplius *corr. D.* || 2. rea *pr. A.* || 3. iis *E.* || 5. §. 8 *om. Γ.* || 6. aginensium *D.* || iuuentute *C.* || 7. certamine *E.* || 8. secum] sic̄ *F.* || ignosco Athene *E.* || timoris *F.* || 9. mutuannis *pr. A.* mutuantas *pr. E.* mutuantes *DF Torr.* || 10. §. 9 *om. Γ.* || 11. mugitu *F.* || resonante *CDF.* || spiritu *D.* || 12. ne] *in rasura A. add.* illi *corr. D.* || eiulatus] *in rasura A.* ululatus *EF.* || humanae *(E) Torr. Cf. praef. p.* 37. || 13. phaleridis *ACD.* || 14. teterrimum *(A)* || primus] *add.* artifex *DEFPar. et margo A, Torr.* || 16. At *Torr.* || Etrusci — feroces] parum quidem feroces barbari illi *Γ.* || 17. qui uiuorum — (21.) illi barbari *om. Γ.* || uirorum *AF.* || cadaueribus] *post* aduersis *D.* || 18. constituta *F.*

---

quod in Valerianis libris manifesto corruptum, ne aliunde quidem, quod sciam, innotuit. Nam, in altero codice Berolinensi et in uulgatis editionibus nomen Ocha propter fratrem Ochum positum esse uidetur. Reddidi, ut soleo in tali ambiguitate, archetypi codicis scripturam.

8. Cf. Cic. de off. III, 11, 46. Ael. u. h. II, 9

9. Cf. Cic. in Pis. 18, 42. Diod. Sic. exc. Vat. 24 p. 20 Mai. Ouid. a. a. I, 653; id. trist. III, 11, 40; V, 1, 53. Plin. h. n. XXXIIII, 8, 19. Schol. Pind. Pyth. I, 185; alii.

primus inclusus) Deleui *artifex*, quod uulgo excipiebat u. *primus*, in optimis quibusque libris omissum et translatum in deteriores quosdam e margine codicis Danielini, cuius emendator id receperat e Paridis compendio, ubi immutatis Valerii uerbis necessario addendum erat. De glossa iam Perizonius cogitauit, sed idem parum recte, certe praeter omnem necessitatem participium quoque *inclusus* sublatum uoluit.

10. Cf. Verg. Aen. VIII, 485 de Mezentio.

stinis et uisceribus egestis homines inserere, ita ut capitibus tantummodo emineant, quoque [ut] diutius poenae sufficiant, cibo et potione infelicem spiritum prorogare, donec intus putrefacti laniatui sint animalibus, quae tabidis in corporibus nasci solent. Queramur nunc cum rerum natura, quod nos multis et asperis aduersae ualetudinis incommodis obnoxios esse uoluerit, habitumque caelestis roboris humanae condicioni denegatum moleste feramus, cum tot cruciatus sibimet ipsa mortalitas inpulsu crudelitatis excogitauerit.

DE IRA AVT ODIO.

III. Ira quoque aut odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant, procursu celerior illa, nocendi cupidine hoc pertinacius, uterque consternationis plenus affectus ac numquam sine tormento sui uiolentus, quia dolorem, cum inferre uult, patitur, amara sollicitudine ne non contingat ultio anxius. Sed proprietatis eorum

2. quosque *CDEF*. || ut *om. ΓTorr.* || paenae *pr. A.* || sufficiat *pr. A.* || 4. tapidis *CF.* || 5. quaeramus *pr. A.* || natura rerum *Torr.* || asperis] aduersis *F.* || 6. ualitudinis *CDEFΓ.* || uoluit *pr. D.* || 8. crudelitis *E.*|| 10. AVT] et *DE Torr.* || 11. aut] et *Torr.* || 15. proprietates *C et pr. D.*

11. *quoque* [*ut*] *diutius*) Perizonius recte particulam *ut*, quam expositionis gratia ascriptam putat ad *quoque*, delendam censuit, cui astipulatur Torrenius. Ante Perizonium uulgo edebatur *atque ut diutius.*

Ira quoque aut odium) Ita auctor scripsisse uidetur respectu insequentium exemplorum, quorum alia iram, alia odium repraesentant eo consilio, ut similis eorum effectus ostendatur. Itaque quamuis aequalia eodem relatu ad eandem actionem pertineant, nec omnino alterum altero excludatur, poterant tamen haec coniungi per *aut*, quemadmodum in titulo quoque huius capitis, qui desumptus est e uerbis a Valerio in initio positis, eadem de causa recte etiam in Paridis compendio legitur *De ira aut odio.* Neque ideo disiunctiuam particulam *aut* copulatiuae *et* uim et uicem obtinere dicimus, quod fieri numquam potest, sed disiunctionem quandam in eo inuenimus, quod omnes illi pectorum humanorum fluctus, qui iam recensentur, aut ira aut odio excitati sunt. Obscuratur autem haec disiunctio illa sententiae forma, in qua sane copulatiue dici expectas *et odium.* Similiter III, 4, 3, ubi disiunctio duarum notionum sentitur fere nulla, adeo ut per *et* eas conectendas esse credas, tamen disiunctione utitur Valerius, componens *unde processerit aut quo peruenerit* (*Seruius Tullius*) *statuae ipsius titulus testatur, seruili cognomine et regia appellatione perplexis.* Nec multum inde discedit quod scripsit IX, 2, 3, *Adeo aut flagitiosissimi hominis praetura multum aut rei publicae maiestas nihil potuit*, in quibus auctor minime alterum altero intercludi uoluit, quod efficitur grammatica

certissimae sunt imagines, quas *dii* ipsi in claris personis aut dicto aliquo aut facto uehementiore conspici uoluerunt.

Cum aduersus Hasdubralem Liuius Salinator bellum gesturus 1.
urbe egrederetur, monente Fabio Maximo ne ante descenderet in aciem quam hostium uires animumque cognosset, primam occasionem pugnandi non omissurum se respondit, interrogatusque ab eodem quid ita tam festinanter manum conserere uellet, 'Vt quam celerrime', inquit, 'aut gloriam ex hostibus uictis aut ex ciuibus prostratis gaudium capiam'. Ira tunc atque uirtus seruonem eius inter se diuiserunt, illa iniustae damnationis memor, haec triumphi gloriae intenta. Sed nescio an eiusdem fuerit hoc dicere et sic uincere.

Ardentis spiritus uirum et bellicis operibus adsuetum huc 2.
iracundiae stimuli egerunt; Gaium autem Figulum mansuetissimum, pacato iuris ciuilis iudicio celeberrimum, prudentiae moderationisque inmemorem reddiderunt. Consulatus enim repulsae dolore accensus, eo quidem magis, quod illum bis patri suo datum meminerat, cum ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa uenissent, omnes dimisit, praefatus 'An uos consulere scitis, consulem facere nescitis'? Dictum grauiter

1. dii *om. CFΓ et pr. A.* || 2. dictu *A, Vinc. Bell. spec. doctr. V,* 135. || uehementiori *Torr.* || 3. libius *AC.* || 4. urbem *DΓ.* || 5. cognosceret *CDEFTorr. Vid. ad II,* 10, 8. || 6. ocasionem *A.* || omisurum *A.* obmissurum *F.* || 9. prostructis *F.* || atque] aut *CΓ et pr. A.* || sermone *F.* || 10. eius *om. D.* || 11. gloria *EF.* || 13. uirum et] uir in *F.* || hunc *ACDEF.* || 14. Gaium] Cassium *E.* || 16. consul *C.* || 17. illum bis] *his uerbis explicit cod. F.* || 18. comiciorum *A.* || 19. multi] *post* causa *Γ.* || An uos] *sic Par. et in rasura A.* omnes *CDEΓTorr.* || 20. Dictum — (*p.* 692, 2.) potest *om. Γ.*

disiunctiuarum particularum ui, qua permotus Perizonius *et — et* legendum esse statuit, sed lectoris arbitrio permittit utrum illorum eligat, eo ipso significans utrumque incidisse, et praeturam flagitiosi hominis multum et rei publicae maiestatem parum ualuisse. Itaque omnibus his locis a certissimo librorum testimonio discedere nolui, cum fuerint qui inuitis libris aut restituerent aut restituendam censerent copulatiuam coniunctionem.

quas dii ipsi in claris personis) Vocem *dii*, in archetypo codice omissam recte, si quid iudico, suppleuit corrector libri Danielini. Nam et sententiam restituit sinceram neque quae alia uox locum habeat facile inuenietur. Nescio tamen an correctori illam emendationem aliud potius Valerii exemplum ab eo adhibitum suppeditauerit quam ipsius ingenium. Editores de defectu uocis nihil adnotarunt.

1. Cf. Liu. XXVII, 40.

2. *Gaium autem Figulum*) Apparet ex sequentibus filium hunc fuisse eius C. Marcii Figuli, qui bis consulatum obtinuerat a. u. c. 592 et 598 atque adeo eiusdem, quem Valerius I, 1, 3 consulatu se abdicauisse scribit, uitio creatum.

An uos consulere scitis) Manifestum est archetypum codicem exhibuisse *omnes consulere scitis*, intolerabili repetitione uocabuli modo praemissi.

et merito, sed tamen aliquanto melius non dictum. Nam quis populo Romano irasci sapienter potest?

3. Itaque ne illi quidem probandi, quamuis factum eorum nobilitatis splendore protectum sit, qui, quod Cn. Flauius, humillimae quondam sortis, praeturam adeptus erat, offensi anulos aureos sibimet ipsis et phaleras equis suis detractas abiecerunt, doloris inpotentiam tantum non luctu professo testati.

4. Talis irae motus aut singulorum aut paucorum aduersus populum uniuersum; multitudinis erga principes ac duces eiusmodi. Manlio Torquato amplissimam et gloriosissimam ex Latinis et Campanis uictoriam in urbem referenti, cum seniores omnes laetitia ouantes occurrerent, iuniorum nemo obuiam processit, quod filium adulescentem, fortissime aduersus imperium suum proeliatum, securi percusserat. Miserti sunt aequalis nimis aspere puniti. Nec factum eorum defendo, sed irae uim indico, quae unius ciuitatis et aetates et adfectus diuidere ualuit.

---

2. sapienter irasci *E.* || 3. §. 3 *om. Γ.* || 7. inpotentiã *(sed ˜ a corr. add.) A.* impotentia *CDE Torr.* || non *om. CE.* || luctum *ACDE Torr.* || profecto *ACDE Torr.* || 8. Talis — (9) eiusmodi *om. Γ.* || 9. multitudinis] *add.* autem *(E) Torr.* || erga — (10.) Latinis *om. pr. A.* || ac] et *E.* || huiusmodi *E.* || 10. manilio *CΓ.* malio *E.* || 14. percussum *CE.* percusserunt *D.* percussit *Γ.* percussisset *Torr.* || miserati *C.* || aequales *D et corr. A.* || 15. iudico *D.* || 16. et aetates] et *om. Γ.* || uoluit *CΓ et pr. A. Vid. ad IIII, 7, ext. 2.*

Neque uero tam negligenter hoc loco scripsisse Valerium documento est Paridis epitome, in qua *An uos consulere scitis* legitur, profecto non ex coniectura abbreuiatoris. Itaque reuocauimus hoc, quod, editum olim a Pighio e Winchelliano libro, qui acceperat e codice Bernensi correcto, miror improbasse Perizonium, Torrenium. Kappium propter interrogationem, quam non conuenire arbitrabantur praecedenti uerbo *praefatus*, immemores similis prorsus exempli V, 1, 11, *hac ante praefatione usus, 'Quid? tu ignorasti cuius tibi uiri sepulturam commisissem'?*

3. Cf. Liu. IX, 46. Plin. h. n. XXXIII, 1, (6) 7. A. Gell. VI, 9.

praeturam adeptus erat) Immo aedilitatem curulem, de qua consentiunt omnes qui hanc rem tetigere scriptores atque etiam ipse Val. II. 5, 2. Cf. Pomp. de orig. iur. dig. I, 2, 7. Apparet auctorem solita leuitate hoc quoque loco foede lapsum esse.

doloris inpotentiam — testati.) In omnibus exemplis et manuscriptis et impressis haec ita leguntur, *doloris inpotentia tantum non luctum profecto testati.* Quae cum praecedentibus non recte cohaerent, paene dixerim sensu omnino carent. Neque enim ad rem pertinet nobiles illos luctus testimonium dedisse, siquidem irae impotentia demonstranda erat auctori, atque hanc sine dubio illos testatos esse dici oportebat, qui ablectis anulis tantum non luctum publicum prae se ferebant. Sed magis etiam offendit confirmatio, quae adicitur, *profecto*, aut plane otiosa aut alio certe loco collocanda. Egregie igitur Gronouius ad Liu. IIII. 2, 12 haec uerba ita constituenda esse monuit ut nunc a me edita sunt, nisi quod male nescio qua de causa *impatientiam* scripsit pro *inpotentiam*. Probarunt Gronouii coniecturam Perizonius et Torrenius, recipiendam mihi reliquerunt.

Eademque tantum potuit, ut uniuersum populi Romani equi- 5.
tatum, a Fabio consule ad hostium copias persequendas missum, cum et tuto et facile eas liceret delere, legis agrariae ab eo impeditae memorem, immobilem retineret. Illa uero etiam Appio duci, cuius pater, dum pro senatus amplitudine nititur, commoda plebis acerrime inpugnauerat, infensum exercitum faciendo uoluntaria fuga terga hosti, ne triumphum imperatori quaereret, dare coegit. Quotiens uictoriae uictrix! Congratulationem eius in Torquato spernendam, in Fabio pulcherrimam partem omittendam, in Appio totam fugae postponendam reddidit.

Age, quam uiolenter se in pectore uniuersi populi Romani 6.
gessit eo[dem] tempore, quo suffragiis eius dedicatio aedis Mer-

3. leges *pr. A.* || 4. memores *AC.* memoria *ΓTorr.* || Appio *om. pr. A.* || 5. dici *pr. A.* || 6. acerrimo *C.* || 7. imperator acquireret *Γ.* || 8. quoties *pr. A. Torr.* || uictrix] uictor *CE et pr. A.* || cũ gratulationẽ *AC.* || 9. spernendum *pr. A.* || pulcherrime partam *coniecit Lipsius.* || 11. §. 6 *om. Γ.* || 12. ingessit *E.* || eodem] *sine uncis Torr.*

5. Cf. Liu. II, 43. Dion. Hal. IX, 3. Zonar. VII, 17.

uniuersum populi Romani equitatum) Quae Valerius equitatui tribuit Liuium de peditatu narrasse Glareanus iam adnotauit. Nam cum consul ita instruxisset aciem, ut solo equitatu emisso exercitum hostium funderet, insequi fusos peditem noluisse. Estque omnino credibilius peditatum, in quo plebs militabat, propter legem agrariam impeditam odium cepisse aduersus consulem quam equites. Errauit Valerius neglegentius inspecto fonte, quo usus est, parum attento animo rem referens. Pighius temerarie codicem Campensem secutus, de cuius testimonio ualde nos quidem dubitamus, ediderat *peditatum*.

Illa uero etiam Appio duci) Cf. Liu. II, 58, 59. Zonar. VII, 17.

cuius pater) Perizonius, quod secundum Liuii relationem exercitus non propter patris iam dudum mortui asperitatem in plebem, sed propter ipsius Appii saeuitiam, paterno odio maiorem, exarsisset, legendum esse opinabatur *cuius et pater*, quod explicat 'qui non tantum ipse, sed et pater eius plebem impugnauerat'. Parum recte; nam praeterquam quod Paridis etiam compendio confirmata, certissima auctoritate nititur librorum scriptura, Valerius ita hanc rem exposuit, ut liqueat eum ipsum patris odium in filium translatum causam discordiae inter exercitum et ducem putasse. Contra si cum Perizonio scripseris *cuius et pater*, foedissime aut langueret aut redundaret omne illud additamentum de patre eodem crimine quo filius implicito, cum interim primaria filii quae accipitur culpa ne uno quidem uerbo indicaretur.

6. Cf. Liu. II, 27.

eo[dem] tempore) Apertum mendum est in pronomine *eodem*. Nam inepte ita exprimeretur eodem tempore iram in populi pectore uiolenter se gessisse, eodem centurioni aedis dedicationem esse datam, cum altera res alterius documentum sit. Neque uero etiam *eodem tempore* respectu praecedentis exempli de tempore ibi significato dictum esse potest, cui relationi obstant uiginti amplius anni interpositi et relatiuum *quo*, quod indicat flagitari simplex demonstratiuum quo referatur. Dixerit igitur aliquis auctorem *eodem* pro demonstratiuo posuisse, quod, licet umquam factum esse negauerit Madvigius, si recte intellexi quae adnotauit ad Cic. de fin. II, 14, 44. p. 221, indulsit tamen aliquotiens sibi Valerius. Cf. VIII, 10, 2 *paene plus studii in eodem laborando quam in ipsa eloquentia adfectanda impendit.* IX, 13, ext. 3 *cum infinito amore con-*

curii M. Plaetorio primi pili centurioni data est praeteritis consulibus, Appio, quod obstitisset quo minus aeri alieno suo succurreretur, Seruilio, quod susceptam causam suam languido patrocinio protexisset. Negas efficacem iram, cuius hortatu miles summo imperio praelatus est?

7. Quae quidem non proculcauit tantum imperia, sed etiam gessit inpotenter. Nam Q. Metellus cum utramque Hispaniam consul prius, deinde pro consule paene *to*tam subegisset, postquam cognouit Q. Pompeium consulem, inimicum suum, successorem sibi mitti, omnes, qui modo militiam suam uoluerunt finiri, dimisit, commeatus petentibus neque causis excussis neque constituto tempore dedit, horrea custodibus remotis opportuna rapinae praebuit, arcus sagittasque Cretensium frangi atque in amnem abici iussit, elephantis cibaria dari uetuit. Quibus factis ut cupiditati suae indulsit, ita magnifice gestarum rerum gloriam corrupit meritumque honorem triumphi, hostium quam irae fortior uictor, amisit.

8. Quid Sylla, dum huic uitio obtemperat, nonne multo alieno sanguine profuso ad ultimum et suum erogauit? Puteolis enim

---

1. pleotorio *C.* praetorio *DE.* || 2. aere *ACDE.* || suo *om. D.* || 3. et seruilio *corr. D.* || succeptam *pr. A.* suspectam *D.* || 4. negat *pr. A.* nega *coniecit Perizonius.* || efficacem] *add.* esse *E.* || ortatu *A.* || 6. Quae — (7.) Nam *om. Γ.* || 7. namq. metellus *A.* namque metellus *CE.* || 8. totam] tam *pr. A.* iam *DE et corr. A.* || 12. oportuna *A.* || 14. elephantibus *E.* || 18. §. 8 *om. Γ.* || quit *pr. A.* || 19. profusũ *pr. A.*

---

iugis Thebes teneretur, ad eandem ex epulis in cubiculum ueniens etc. Eodem pertinet, si pro simplici demonstratiuo *idem* abundanter adicitur, referendum ad substantiuum eiusdem enuntiati eodem casu positum, in quo genere Valerius composuit I, 1, 4, *Sulpicio inter sacrificandum e capite apex prolapsus eidem sacerdotium abstulit.* Sed id utique recte contendit Maduigius, numquam *idem* significare *hic ipse,* qui nunc demum nominatur. Substantiuum enim, quo referendum sit hoc pronomen, in omnibus etiam Valerianis exemplis, quae attuli, praecedit. Itaque necessario hoc loco *eo tempore* scribendum est. Syllabam, quam uncis seclusi, ortam suspicor e proxima insequentis uocabuli.

M. Plaetorio) Liuio hic primi pili centurio M. Laetorius appellatur negatque recte, ni fallor, Perizonius, Plaetoriam gentem tam antiquam fuisse Romae. Equidem in re satis dubia uereor codicum deserere fidem, praesertim cum epitomator Paris totum hoc exemplum praeterierit.

7. *utramque Hispaniam*) Valerius rem in maius extulit. Nam solam citeriorem prouinciam obtinuit Q. Metellus Macedonicus. Cf. Liu. epit. libr. LIII. Flor. II, 17, 10. Val. II, 7, 10. III, 2, 21. V, 1, 5. Q. Pompeius autem, successor Q. Metelli, consul erat a. u. c. 613.

paene totam) Ex archetypi uitiosa scriptura *paene tam* aeque probabili mutatione effici potest *paene totam* et *paene iam.* Quod nos posuimus Paridis compendio commendatur, in quo legitur *Metellus tota paene Hispania subacta.*

8. Cf. Plut. Syll. 37. Reliqui scriptores causam mortis Syllae pedicularem morbum siue phthiriasin fuisse tradunt. Cf. Plin. h. n. VII, 43, 44 et XXVI,

ardens indignatione, quod Granius, princeps eius coloniae, pecuniam a decurionibus ad refectionem Capitolii promissam cunctantius daret, animi concitatione nimia atque immoderato uocis impetu conuulso pectore, spiritum cruore ac minis mixtum euomuit, nec senio iam prolapsus, utpote sexagesimum ingrediens annum, sed alita miseriis rei publicae inpotentia furens. Igitur in dubio est Syllane prior an iracundia Syllae sit extincta.

Neque ab ignotis exempla petere iuuat et maximis uiris exprobrare uitia sua uerecundiae est. Ceterum cum propositi fides excellentissima quaeque conplecti moneat, uoluntas operi cedat, dum praeclara libenter probando necessaria narrandi conscientia non desit. Ext.

Alexandrum iracundia sua propemodum caelo deripuit. Nam quid obstitit quo minus illuc adsurgeret nisi Lysimachus leoni obiectus et Clitus hasta traiectus et Callisthenes mori iussus? quia tres maximas uictorias totidem amicorum iniustis caedibus uicto reddidit. 1.

---

1. grauius *C.* gaius *D.* G *E.* || 2. contantius *E.* || 4. mistum euomit *E.* || 6. alitã *pr. A.* || rei publicae] romãl ppl'i *E.* || 7. syllanae *pr. A.* || an] aut *D.* || 8. Neque — (12.) desit *om. Γ.* || 11. probanda *pr. A.* probandi *corr. A.* || necessaria] *ultima litt. in rasura A.* necessario *C.* || enarrandi *D.* || 13. §. 1 *om. Γ.* || diripuit *ACDE. Vid. ad II,* 9, 8. || 14. lysymacus *A.* || leni * *pr. A.* || 15. otitus *C.* ditus *D.* critum *Par.* Clytus *Torr.* || c*alistenes *pr. A.* c*alisthenes *corr. A.* callistrenes *pr. C.* callistenes *E et corr. C.* || 17. uictor edidit *ACDE Kapp.* uictor perdidit *Torr.*

13, 86. Paus. I, 20. Auct. de uir. ill. 75 et ipse Plut. Syll. 36. Accelerauit igitur mortem uehemens illa animi commotio.

ad refectionem Capitolii) Incendio consumpti a. u. c. 671. Cf. Cic. in Cat. III, 4, 9; id. in Verr. IIII, 31, 69. Dion. Hal. IIII, 62. Plut. Syll. 27. Plin. h. n. XXXIII, 1, 5. Tac. hist. III, 72. App. ciu. I, 83.

Ext. *dum praeclara libenter probando)* Sententia manifesto haec est, uerecundiam uetare summorum uirorum uitia detegi, sed operis propositum ut ea quoque enarrentur flagitare. 'Cedat ergo', inquit, 'operi uoluntas', i. e. referam uituperanda quoque in uiris illustribus, dum mihi sim conscius me ea ideo tantum exponere, quia necessaria sunt, cum interim praeclara libenter probem. Itaque non opus est Perizonii coniecturis *probandi* pro *probando* uel *gloria* pro *conscientia.* Nam quod in archetypo codice fuisse uidetur, *probanda*, ut in Bernensi libro, et *necessario*, ut in Berolinensi meliore et procul dubio in Bernensi sub litura, perperam transpositis finalibus utriusque uocabuli ortum est.

1. Cf. Curt. VIII, 1, 52 et 8, 21. Plut. Alex. 51 et 55. Senec. de ira III, 22; id. de clem. I, 25. Arrian. IIII, 8, 14. Oros. III, 18.

uicto reddidit) Ingeniosa et certissima haec est Perizonii emendatio uitiosae librorum scripturae *uictor edidit.* Adhaeserat enim prima uocis *reddidit* praecedenti uocabulo, quo facto geminatum *d* cum simplici permutatum est. Minuit autem iniustis illis caedibus et sustulit Alexander gloriam ex tribus uictoriis partam, ita ut eas perderet et, quasi non contigissent, uicto donaret ac redderet. Kappius, tamen, cum inde a Pighio ederetur *uictor perdidit*, in

2. Quam uehemens deinde aduersus populum Romanum Hamilcaris odium! Quattuor enim puerilis aetatis filios intuens, eiusdem numeri catulos leoninos in perniciem imperii nostri alere se praedicabat. Digna nutrimenta, quae in exitium patriae suae, ut euenit, conuerterentur.

3. E quibus Hannibal mature adeo patria uestigia subsecutus est, ut eo exercitum in Hispaniam traiecturo et ob id sacrificante nouem annorum natu altaria tenens iuraret se, cum primum per aetatem potuisset, acerrimum hostem populi Romani futurum, ut pertinacissimis precibus instantis belli commilitium exprimeret. Idem significare cupiens quanto inter se odio Karthago et Roma dissiderent, inflicto in terram pede suscitatoque puluere, tunc inter eas finem fore belli dixit, cum alterutra in habitum puluerís esset redacta.

4. In puerili pectore tantum uis odii potuit, sed in mulieribus quoque aeque multum ualuit. Namque Semiramis, Assyriorum regina, cum ei circa cultum capitis sui occupatae nuntiatum esset Babylona defecisse, altera parte crinium adhuc soluta protinus ad eam expugnandam cucurrit nec prius decorem capillorum in ordinem quam tantam urbem in potestatem suam redegit.

---

1. Quam] *add.* uero *Γ.* || deinde *om. Γ.* || amilcharis *A.* || 2. puerilis enim *D.* || eiusdemq. *pr. A et corr. D.* || 5. conuerterentur] *litt.* entur *in rasura D.* conuerteretur *C.* conuerteret *E.* conuerterunt *Γ.* || 6. Ex *D.* || nature *Γ.* || patriae *AΓ.* patris *Torr. et ante* adeo *D.* || 7. hispania *D.* || 9. populo romano *E et corr. D.* || futurum *om. pr. D.* || 13. fore] *post* belli *Γ. ante* finem *Torr.* || alterutra] *add.* urbs *DPar. et corr. A, Torr. add.* pars *CE.* || 15. In — (16) Namque *om. Γ.* || muliebri *E Torr.* || 16. semarramis *pr. A.* || 18. babylonã *corr. A.* babyllona *C.* babiloniam *DΓ.* babylonem *E Torr.* || 19. expugnandam eam *E.* || 20. quam tantam] quantam *pr. A.*

---

quibus foedissime sane languet *uictor*, codicum scripturam reuocauit et in interpretanda argutatur, uerba *quia tres maximas uictorias edidit* causam continere declarans, cur propemodum in coelum assurexisset Alexander, illa uero *totidem iniustis caedibus uictor* cum acumine quodam addita esse a Valerio, carpente regem quod in his caedibus quoque uictor fuisset. Recte autem Rupertus erroris Valerium arguit, adnotans Lysimachum leoni quidem obiectum iussu Alexandri, sed non uita priuatum esse; feram namque illam simul *inclusam* reuulsa lingua ab ipso esse exanimatam. Cf. Plin. h. n. VIII, 16, (21,) 54. Iustin. XV, 3.

2. Cf. Nep. Ham. 4, 3.

3. Cf. Liu. XXI, 1. Nep. Hann. 2. Auct. de uir. ill. 42; alii.

cum alterutra) Excipit hanc uocem in plurimis codicibus aut *urbs* aut *pars*. Quorum ut utrumque redundat, ita neutrum habebatur in archetypo exemplo. Asciuit illud e compendio Iulii Paridis corrector libri Bernensis, hoc in altera familia librarius nescio quis e coniectura.

Quo circa statua eius Babylone posita est illo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate praecipiti tetendit.

DE AVARITIA.

Protrahatur etiam auaritia, latentium indagatrix lucrorum, manifestae praedae auidissima uorago, neque habendi fructu felix et cupiditate quaerendi miserrima. IIII.

Cum admodum locupleti L. Minucio Basilo falsum testamentum quidam in Graecia subiecisset eiusdemque confirmandi gratia potentissimos ciuitatis nostrae uiros, M. Crassum et Q. Hortensium, quibus Minucius ignotus fuerat, tabulis heredes inseruisset, quamquam euidens fraus erat, tamen uterque pecuniae cupidus facinoris alieni munus non repudiauit. Quantam culpam quam leuiter retuli! Lumina curiae, ornamenta fori quod scelus uindicare debebant inhonesti lucri captura inuitati auctoritatibus suis texerunt. 1.

Verum aliquanto maiores uires in Q. Cassio exhibuit, qui in Hispania Silium et Calpurnium occidendi sui gratia cum pugionibus deprehensos quinquagies sestertium ab illo, ab hoc sexagies pactus dimisit. Atqui dubites, si alterum tantum 2.

1. babilonie *Γ.* || 2. praecipiti] *ante* celeritate *EΓ.* praecipi *pr. A.* || 4. etiam] *add.* in medium *DE.* || 5. nec *Torr.* || 7. §. 1 *om. Γ.* || munitio *E.* || basilio *pr. A, in rasura D, CEPar.* basillo *corr. A.* || 8. eiusque *Par.* || 13. leniter *D.* || 14. debeant *pr. A.* || 15. suis *om. pr. D.* || contexerunt *D.* texuerunt *E.* || 16. Verum — exhibuit, qui] Q. Cassius *Γ.* || 17. hispaniam *C et pr. A.* || syllium *pr. A.* sylium *corr. A.* sillium *CDΓ.* siliuum *(sed alterum* u *punctis* notat,*) E.* M. Silium *Torr. Vt nos Par.* || A. Calpurnium *Torr.* || 18. sextertium *pr. A.* || hoc] *add.* calpurnio *D.* || 19. Atqui] atquin *(sed litterae* t *et* in *in rasura) A.* atqui *C.* Ad quid *E.* an *DΓ.* At quis *Torr.* || dubitet *Torr.*

IIII, 1. Cf. Cic. de off. III, 18, 73.

2. Cf. Hirt. bell. Alex. 55.

Silium et Calpurnium) Silium Paris uocat qui in Valerianis codicibus est Syllius uel Sillius, Hirtio Q. Sestius. Fortasse librariorum dumtaxat, non auctorum ea discrepantia est. Deleui autem praenominum notas *M.* et *A.*, quas Pighius addiderat, a nostris codicibus et a Paridis compendio aeque alienas.

Atqui dubites) Archetypi scriptura *atqui dubites* fuisse uidetur, quod, ni fallor, ita defendi potest, ut *atqui* positum dicamus, quia confirmatio rei ex altera parte adicitur. Interdum enim, ut Handii (Turs. I p. 517.) uerbis utar,

daretur, iugulum quoque suum aequo animo illis fuisse praebiturum?

3. Ceterum auaritia ante omnes L. Septimulei praecordia possedit. Qui cum C. Gracchi familiaris fuisset, caput eius abscidere et per urbem pilo fixum ferre sustinuit, quia Opimius consul auro id se repensurum edixerat. Sunt qui tradant liquato plumbo eum cauatam partem capitis, quo ponderosius esset, explesse. Fuerit ille seditiosus, bono perierit exemplo, clientis tamen scelesta famis in has usque iacentis iniurias esurire non debuit.

Ext. 1. Odium merita Septimulei auaritia; Ptolemaei autem, regis Cypriorum, risu prosequenda. Nam cum anxiis sordibus magnas opes corripuisset propterque eas periturum se uideret et ideo omni pecunia inposita nauibus in altum processisset, ut classe perforata suo arbitrio periret et hostis praeda carerent, non sustinuit mergere aurum et argentum, sed futurum necis suae praemium domum reuexit. Procul dubio hic non possedit diuitias, sed a diuitiis possessus est, titulo rex insulae, animo pecuniae miserabile mancipium.

---

1. iugulum] *in rasura A.* || 3. septimuli *CEΓ et pr. A.* septumili *D.* || 4. abscindere *Γ. Vid. ad VIII*, 3, 3. || 5. poli *pr. A.* || 6. id se] *in rasura A.* ipsi *C. Vt nos etiam Par.* || repensurum] *add.* id *(ita ut bis ponatur) Γ.* || tradunt *DE.* || 7. cauatum *pr. A.* cauati *E.* || 9. tamen *om. Γ.* || scelesta *C.* || fames *C EΓ et corr. A, Torr.* fama *D.* || exurire *CE.* || 11. Septimulei] *ultima littera a corr. A.* septimuli *CEΓ.* septumili *D.* || ptolomei *AC.* ptholomei *DEΓ.* || 12. ciprorum *E.* || usu *D.* || 14. classem *pr. A.* || 15. perirent *AE.* || hostes *CDEF Torr. Cf. Lachm. ad Lucr. p.* 56. || caecarent *A.* || 16. suae necis *Torr.* || 18. animo] *add.* autem *DE.*

---

oratio ita ad grauiora et ad ea, quae magis in re probanda ualeant, ascendit. Tum significat *immo*, *quin* quod eiusdem est formationis'. Atque ita saepius in ironia, qua hoc loco Valerium usum esse apparet, adhiberi *atqui* idem uir doctus monuit. Confiteor tamen mihi et in hoc sententiae nexu aptius dici uideri *atque* et in multis eorum exemplorum, quae Handius citauit, in quibus ualde inter hanc et illam particulam fluctuant libri

3. Cf. Cic. de or. II, 67, 269. Plut. C. Gracch. 17. Auct. de uir. ill. 65.

famis) Sic prima manu codex Bernensis. Quam recti casus formam alia quoque uocabula habent, uulgo in *es* terminantia, ut felis, uulpis, aedis (Val. I, 4, 4), hoc ipsum apud Varr. de r. r. II, 5, 15. Cf. Prudent. Psych. 479.

Ext. 1. *Ptolemaei autem, regis Cypriorum)* Is erat, ad cuius thesauros accipiendos Cato Cyprum missus est. At secundum App. ciu. II, 23 Ptolemaeus opes suas in profundum maris mersit sequé ipse interfecit.

DE SVPERBIA ET INPOTENTIA.

Atque ut superbia quoque et inpotentia in conspicuo po- V. 1.
natur, M. Fuluius Flaccus consul, M. Plautii Hypsaei collega, cum perniciosissimas rei publicae leges introduceret de ciuitate danda et de prouocatione ad populum eorum, qui ciuitatem mutare uoluissent, aegre conpulsus est ut in curiam ueniret. Deinde partim monenti, partim oranti senatui ut incepto desisteret, responsum non dedit. Tyrannici spiritus consul haberetur, si aduersus unum senatorem hoc modo se gessisset, quo Flaccus in totius amplissimi ordinis contemnenda maiestate uersatus est.

Quae a Marco quoque Druso tribuno plebis per summam 2.
contumeliam uexata est. Parui enim habuit L. Philippum consulem, quia interfari se contionantem ausus fuerat, obtorta gula, et quidem non per uiatorem, sed per clientem suum, adeo uiolenter in carcerem praecipitem egisse, ut multus e naribus eius cruor profunderetur; uerum etiam, cum senatus ad eum misisset, ut in curiam ueniret, 'Quare non potius', inquit, 'ipse in Hostiliam curiam, propinquam rostris, id est ad me uenit'? Piget adicere

---

2. patientia *C.* || ponantur *DE Torr.* || 3. M. Fuluius — (10.) uersatus est *om. Γ.* || plancii *DE.* || hispei *D.* || 6. noluissent *A.* || 7. desistet *D.* || 8. consul spiritus *Torr.* || 10. contempnenda *pr. A.* || 11. Quae — Druso] quae amentia quoque m. brutum *D et in rasura A. add.* ‹l' qua mens quoque m. bruti tr. pl. p. s. c. uexata ẽ. *margo A.* || Quae — (12) habuit] tr. pl. m. druscus *(sed litt. c puncto notat.) Γ.* || 12. uexauit *D et corr. A.* || paruit *C.* parum *E.* || 13. interfari] *sic C.* interpellare *A (sed litterae* pellare *in rasura) DE.* fari inter se *Γ.* interfari *(omisso* se*) Torr.* || contionantem] *litterae* cont *in rasura A.* contentionantem *C.* || obtorga *C.* || gyla *pr. A.* || 14. non par *pr. A.* || sed — (15.) praecipitem *om. Γ.* || uolenter *pr. A.* || 15. ex naribus *D.* a naribus *Torr.* || 16. Verum] utrum *pr. A.* || 17. curiam *om. (T) Torr.*

V, 1. *Fuluius Flaccus)* Cf. App. ciu. I, 20. Oros. V, 11.

2. Cf. Flor. III, 17, 8. Auct. de uir. ill. 66.

Quae a Marco quoque Druso) Corrector libri Danielini, cum non intellegeret quo pertineret relatiuum *Quae*, referendum ad amplissimi ordinis maiestatem, diuinationi nimium indulgens omnia haec ualde turbauit, ascito simul e Paridis epitome M. Bruto pro M. Druso et interpellandi uerbo pro interfando, atque ita causa extitit cur recentiores libri eodem modo corrumperentur.

quia interfari se contionantem) Apparet interfandi uerbum obiectum habuisse in codice archetypo pronomen *se*, quod neque ex coniectura adiecisse putandi sunt librarii alterius Berolinensis atque Guelferbytani abbreuiati et latet haud dubie sub litura in codice Bernensi. De loco tantum ambigi poterit. Adieci igitur omissum ab editoribus, qui eodem modo sine ulla causa in fine huius exempli *curiam* delerunt post *Hostiliam*, quod nunc Paridis quoque auctoritate stabilitur.

quod sequitur. Tribunus senatus imperium despexit, senatus tribuni uerbis paruit.

3. Gnaeus autem Pompeius quam insolenter! Qui balineo egressus ante pedes suos prostratum Hypsaeum, ambitus reum, et nobilem uirum et sibi amicum, iacentem reliquit, contumeliosa uoce proculcatum. Nihil enim eum aliud agere quam ut conuiuium suum moraretur respondit, et huius dicti conscius securo animo caenare potuit. Ille uero etiam in foro non erubuit P. Scipionem, socerum suum, legibus noxium, quas ipse tulerat, in maxima quidem reorum et inlustrium ruina muneris loco a iudicibus deposcere, maritalis lecti blanditiis statum rei publicae temperando.

4. Taetrum facto pariter ac dicto M. Antonii conuiuium. Nam cum ad eum triumuirum Caesetii Rufi senatoris caput allatum esset, auersantibus id ceteris propius admoueri iussit ac diu diligenterque considerauit. Cunctis deinde expectantibus quidnam esset dicturus, 'Hunc ego', inquit, 'notum non habui'. Superba de senatore, inpotens de occiso confessio.

Ext. 1. Satis multa de nostris; aliena nunc adiciantur. Alexandri regis uirtus ac felicitas tribus insolentiae euidentissimis gradibus exultauit. Fastidio enim Philippi Iouem Hammonem patrem asciuit; taedio morum et cultus Macedonici uestem et instituta Persica adsumpsit; spreto mortali habitu diuinum aemulatus est. Nec fuit ei pudori filium, ciuem, hominem dissimulare.

1. dispexit *A.* || 3. balneo *CDEΓTorr. Vt nos etiam Par.* || 4. egressus — ambitus *om. pr. A.* || 7. securus *Torr.* || 8. coenare *(A.)* || paulum scipionem *D.* || 12. temerando *coniecit Perizonius.* || 13. §. 4 *om. Γ.* || factum *C.* || 15. aduersantibus *ACDE.* || proprius *pr. A.* || 19. Alexandri — (24.) dissimulare *om. Γ.* || 20. ac] et *Torr.* || euidentissimis] *post* exultauit *Torr.* crudelissimis *D.* || || 21. exulauit *D.* || ammonem *corr. A. Vt nos etiam Par. Cf. VIII*, 15, *ext.* 3. || 22. asseruit *corr. C.* || morem ex cultus *pr. A.* || 23. assumpsit Persica *E.* || aemulatus] *litteris* aemu *in rasura A.* cap̃ latus *C.* caput emulatus *E et corr. CD.* || 24. pudori* *A.* || ciuem] hammonis *E.*

3. Cf. Plut. Pomp. 55. Dio. Cass. XL, 53 p. 255 Reim.

Hypsaeum — sibi amicum) P. Plautius Hypsaeus quaestor fuerat Pompeii Magni in bello Mithridatico. Cf. Ascon in Mil. p. 36. Or.

Ille uero etiam) Cf. App. ciu. II, 24.

4. Cf. App. ciu. IIII, 29.

Ext. 1. Cf. Curt. VI, 6 et 11. Plut. Alex. 27 et 45. Arrian. III, 3, 2; IIII, 9, 9; VII, 8, 3; VII, 20, 1; IX, 7; cett.

diuinum aemulatus est.) Archetypi codicis testimonium fuisse *cap̃ latus est* aut plene scriptum *caput latus est* praeter meliores libros, (Berolin. *C.* Cf. etiam Vinc. Bell. sp. hist. V, 33 et doctr. VI, 20 ed. Mentel.) id ipsum retinentes, recentiorum ac deteriorum uarii emendandi conatus indicant, *capere conatus, capere aemulatus, caput aemulatus* etc. In quibus antiquae scripturae uestigiis

Iam Xerxes, cuius in nomine superbia et inpotentia habitat, 2.
suo iure tamen insolenter usus est, quod Graeciae indicturus
bellum adhibitis Asiae principibus 'Ne uiderer', inquit, 'meo
tantummodo usus consilio, uos contraxi. Ceterum mementote,
parendum magis uobis esse quam suadendum'. Adroganter,
etiam si uictori repetere ei regiam contigisset; tam deformiter
uicti nescias utrum insolentius dictum an inprudentius.

Hannibal autem, Cannensis pugnae successu elatus, nec 3.
admisit quemquam ciuium suorum in castris nec responsum
ulli *nisi* per interpretem dedit. Maharbalem etiam, ante taber-
naculum suum clara uoce adfirmantem prospexisse quonam modo
paucis diebus Romae in Capitolio caenaret, aspernatus est. Adeo
felicitatis et moderationis diuiduum contubernium est.

---

1. Iam — (2.) quod] Xerxes *Γ*. || 2. tamen] tam *ACE et corr. D.* iam *pr. D.* quam *Torr.* || usus est *om. A.* || quod] cum *Torr.* || bellum indicturus *Γ*. || 4. extraxi *E.* || 5. uobis] *ante* magis *Γ*. nobis *E.* || 7. an] in *pr. A.* || inpudentius *ACDEΓTorr.* || 9. in castris] *Vid. ad V, 4, ext. 5.* || 10. nisi *om. C et pr. A.* || haderbalem *E.* Atherbalem *Γ.* || 11. prospexisse] *add.* se *EΓ et corr. D, Torr. Vid. ad IIII, 1, ext. 7.* || 12. coenaret *(A.)* || aspenatus *pr. A.*

---

non quidem illud latet, quod Paris nunc tradit, *diuinum imitatus est,* sed certe simile aliquid quaerendum erit. Placet quod Pighius in Susiano exemplo inuenerat, *aucupatus est*, sed magis aliquanto, quod corrector libri Danielini substituit, *aemulatus est*, quippe quod proxime ad archetypi testimonium et ad Paridis epitomam accedat sententiaeque apprime conueniat.

2. Cf. Herod. VII, 4.

tamen insolenter) Ita Perizonius librorum mendum *tam insolenter* correxit, ut iam significetur Xerxem, quamuis in eo uix uideri possit insolentia quae in aliis, habitare enim in nomine eius superbiam et impotentiam, tamen insolenter admodum in hunc modum locutum esse. Verba *cuius in nomine — habitat*, nisi ita intellexeris, omnino languent et abundant. Excidit, cum compendiose scriberetur *tam̃*, parua illa lineola, qua *tamen*, non *tam* legendum esse denotatur. Veteres editiones inde ab Aldina et Torrenius minus probabiliter posuerunt *quam insolenter usus est*, Pighius et qui eum sequuntur *quam insolenter abusus est.* Artificiosius Lipsius, cum in suo codice aeque atque in Bernensi deesset u. *usus est*, distinguendum et legendum censuit: *Iam Xerxes, cuius in nomine superbia et impotentia habitat suo iure, quam insolenter? quod* et q. sq. In quibus, ne urgeam librorum scripturam *tam*, non satis me intellegere confiteor quid sit quod suo iure superbia et impotentia in nomine Xerxis habitasse perhibeantur.

insolentius dictum an inprudentius) Codices omnes *inpudentius* tradunt. At insolentia et impudentia parum aut nihil inter se differunt, cum interim disiunctiuae interrogationis partes diuersae rei denotationem et criminationem ex alio genere petitam continere debeant. Quam assecuti sumus recepta facillima emendatione a Guyeto et Perizonio proposita. Nolim tamen cum Perizonio Xerxem eo nomine imprudentem appellatum putare, quod casus humanos omnino non reputasset, sed quod spreuisset illorum consilium, quo audito fortasse deformem cladem euitare potuisset. Ceterum *imprudens* et *inpudens* a librariis saepe confundi notum est. Cf. IX, 7, 2.

3. *Maharbalem etiam)* Cf. Liu. XXII, 51, 2. Flor. II, 6, 19.

4. Insolentiae uero inter Karthaginiensem et Campanum senatum quasi aemulatio fuit. Ille enim separato a plebe balineo lauabatur, hic diuerso foro utebatur. Quem morem Capuae aliquandiu retentum Gaii quoque Gracchi oratione in Plautium scripta patet.

DE PERFIDIA.

VI. Occultum iam et insidiosum malum, perfidia latebris suis extrahatur. Cuius efficacissimae uires sunt mentiri ac fallere. fructus in aliquo admisso scelere consistit, tum certus, cum credulitatem nefariis uinculis circumdedit, tantum inconmodi humano generi adferens, quantum salutis bona fides praestat. Habeat igitur non minus reprehensionis quam illa laudis consequitur.

1. Romulo regnante Sp. Tarpeius arci praeerat. Cuius filiam uirginem, aquam sacris petitum extra moenia egressam, Tatius ut armatos Sabinos in arcem secum reciperet corrupit, mercedis nomine pactam quae in sinistris manibus gerebant. Erant autem his armillae et anuli magno ex pondere auri. Loco potitum agmen Sabinorum puellam praemium flagitantem armis obrutam necauit, perinde quasi promissum, quod ea quoque laeuis gestauerant, soluisset. Absit reprehensio, quia inpia proditio celeri poena uindicata est.

2. Seruius quoque Galba summae perfidiae. Trium enim Lu-

1. §. 4 *om. Γ.* || Kartaginiensem *A.* || 2. baline *C.* balneo *DE Torr.* || 3. morem *om. E.* || 4. planctium *D.* plantium *E.* || 9. fluctus *pr. A.* || admisso * *A.* dimisso *C.* || cum] tum *E.* || 10. crudelitatem *CDEΓ et pr. A.* || 12. habet *E.* || 17. pactam quae] pactaq. *pr. A.* pacta quae *CΓ.* pactam quaeque *E.* || 18. anuli] auri *C.* || 20. proinde *D.* perindeq; *Γ.* || leuis *A.* || 21. soluit *ACDEΓ.* soluerit *Torr.* || 23. Ser * * *A.* || Galba] *litterae* ba *in rasura A.* galua *C.* || tribuum *corr. A. add.* ‹l' tribunus enim *margo A.*

VI, 1. Cf. Liu. I, 11. Dion. Hal. II, 38. Plut. Rom. 17. Serv. ad Verg. Aen. VIII, 347.

soluisset) Coniunctiuum sententiae nexu flagitari perspexit Perizonius, qui tamen minus recte perfectum tempus posuit, cum propter praecedentia plusquamperfectum esse debeat. Quod equidem recepi.

2. Cf. Suet. Galb. 3. App. Hisp. 59, 60. Oros. IIII, 21.

sitaniae ciuitatium conuocato populo, tanquam de conmodis eius acturus, VIII, in quibus flos iuuentutis consistebat, electa et armis exuta partim trucidauit partim uendidit. Quo facinore maximam cladem barbarorum magnitudine criminis antecessit.

Gnaeum autem Domitium, summi generis et magni animi 3. uirum nimia gloriae cupiditas perfidum existere coegit. Iratus, namque Bituito, regi Aruernorum, quod [tum] suam et Allobrogum gentem se etiam tum in prouincia morante ad Q. Fabii successoris sui dexteram confugere hortatus esset, per conloquii simulationem arcessitum hospitioque exceptum uinxit ac Romam naue deportandum curauit. Cuius factum senatus neque probare potuit neque rescindere uoluit, ne remisssus in patriam Bituitus bellum renouaret. Igitur eum Albam custodiae causa relegauit.

---

1. ciuitatum *C D E Γ Torr.* || 2. VIII *C.* VIII^{m}. *E.* CVIII milia *Par. et margo A.* septem milia *Torr.* || 3. trucidauit] *add.* et *margo D.* || 4. cladem] partem *D.* || barborum *Γ.* || 5. §. 3 *om. Γ.* || Gnaeum] In eum *E.* || generis] regis *C.* || 6. nimiae *A C D E Torr.* || 7. Bituito] *prima littera in rasura A.* biturco *E.* || arbennorum *C D et pr. A.* barbennorum *E.* || tum suam et] *sic C et pr. A.* tum suam quam et *corr. A.* tam suam quam *D.* tum suam tum et *E.* cum suam tum et *Torr.* || 8. gente *C.* || morantem *E.* || ad Q.] atq. *C et pr. A.* ad *pr. D.* || 9. ortatus *A.* || 10. arcersitum *A.* accersitum *D.* || coniunxit *E.* || 12. biturcus *E.* || 13. causa *om. D.* || religauit *pr. A.*

VIII, in quibus flos iuuentutis) De numero trucidatorum mire inter se dissentiunt ueterum testimonia, cum nostri codices omnes VIII milia, (editores nescio qua de causa VII posuerunt,) Paridis epitome CVIII, Suetonius XXX milia exhibeant. Crediderit aliquis Valerium re, quemadmodum solet, plus iusto in maius elata de CVIII milibus retulisse, cum probabilius sit centenarii numeri notam in archetypo excidisse quam additam esse in Paridis epitome siue e coniectura siue ex alio fonte. Quo accedit quod Suetonius occisorum tantum XXX milia numerat, Valerius uenditos quoque comprehendit. Sed si reputaueris hos uiros, in quibus flos iuuentutis consistebat, electos esse e reliqua turba, tum sane nimia illa multitudo uideri debet.

3. Cf. Eutrop. IIII, 22. At secundum Liuii epit. libr. LXI et Oros. V, 13 Q. Fabius Maximus consul, Pauli nepos, is quem Valerius successorem Cn. Domitii Ahenobarbi (consulis a. 632,) dixit, Allobrogas et Bituitum, Aruernorum regem, uicit; Bituitum, cum Romam profectus esset, senatus Albam relegauit. Quae relatio uerior est quam Valerii et Eutropii. Cf. etiam Strab. IIII, 2, §. 3 p. 191 Cor. Vell. II, 10, 2 et 39, 1. Plin. h. n. VII, 50, 51, §. 166. Fast. triumph. a. 633.

nimia gloriae cupiditas) Priora Valerii exempla cum manuscripta tum impressa omnia *nimiae* exhibent. Quod correxi; neque enim nimiam gloriam appetebat Domitius, sed gloriam nimia cupiditate.

quod [tum] suam et Allobrogum) Ita, si uncos quos posui ademeris, boni libri scripta haec tradunt. Quae uarie emendari possunt, aut mutato *tum* in *cum* et addito alio *tum* post *suam*, quemadmodum factum est in recentioribus aliquot exemplis et in uulgatis editionibus, nisi quod hae praeter necessitatem *et* in *etiam* mutarunt, aut scribendo *quod et suam et Allobrogum gentem*. Verisimilior tamen emendatio est, si omnino deleueris *tum*, quod e sequentibus male huc translatum esse uidetur.

4. Viriathi etiam caedes duplicem perfidiae accusationem recepit, in amicis, quod eorum manibus interemptus est, in Q. Seruilio Caepione consule, quia is sceleris huius auctor inpunitate promissa fuit uictoriamque non meruit, sed emit.

Ext. 1. Verum ut ipsum fontem perfidiae contemplemur, Karthaginienses Xanthippum Lacedaemonium, cuius optima opera primo Punico bello usi fuerant et quo iuuante Atilium Regulum ceperant, simulantes domum se reuehere, in alto merserunt; quid tanto facinore petentes? an ne uictoriae eorum socius superesset? Extat nihilominus, et quidem cum opprobrio, quem sine ulla gloriae iactura inuiolatum reliquissent.

2. Hannibal porro Nucerinos, hortatu suo cum binis uestimentis urbem inexpugnabilibus muris cinctam egressos, uapore et fumo balnearum strangulando et Acerranorum senatum, eadem ratione extra moenia euocatum, in profundo puteorum abiciendo nonne bellum aduersus populum Romanum et Italiam professus, aduersus ipsam fidem acrius gessit, mendaciis et fallacia quasi praeclaris artibus gaudens? Quo euenit ut alioqui insignem nominis sui memoriam relicturus, in dubio maiorne an peior uir haberi deberet poneret.

---

2. in que seruilio *C.* || 3. * is *A.* bis *CD.* || 5. Karthaginem sex *Γ.* || 6. Xanthippum] *prima littera in rasura A.* etantippum *C.* || opera optima *E.* || 7. q̄ * *A.* || 8. se] *sic CΓPar.* sere *pr. A.* sese *DE corr. A et ante* domum *Torr.* || in *om. pr. A.* || alto] *add.* mari *D.* altum *E.* || miserunt *C.* || 9. petentes] patencius *E.* || 10. extant *pr. A.* || et quidem] equidem *ACDEΓ.* || cum] *add.* illorum *Torr.* || opprobria *pr. A.* obrobrio opprobrio *(sed* obrobrio *punctis notatum) E.* || 11. iactura gloriae *E.* || 12. nocerinus *D.* || 13. urbe *Par.* || 14. balineorum *Par.* || acertanorum *C.* || 15. profundum *ΓPar. Torr. Vid. ad V, 4, ext. 5.* || puteum *Par.* || 16. aduersum *Γ.* || 18. alioquin *DE.*

---

4. Cf. Liu. epit. libr. LIIII. Flor. II, 17, 17. App. Hisp. 74. Eutrop. IIII, 16. Auct. de uir. ill. 71. Oros. V, 2 alii.

Ext. 1. Cf. App. Pun. 4. Zonar. VIII, 13. At domum redisse Xanthippum, inuidiam Carthaginiensium metuentem, memoriae prodiderunt Polyb. I, 36 et Oros. IIII, 7, sed Polybius aliam quoque de eo famam circumferri commemorat.

2. Cf. App. Pun. 63. Dio. Cass. exc. Peir. 50. Zonar. IX, 2. (Liu. XXIII, 15.)

DE VI ET SEDITIONE.

Sed ut uiolentiae *et* seditionis tam togatae quam etiam ar- VII.
matae facta referantur, L. Equitium, qui se Ti. Gracchi filium 1.
simulabat tribunatumque aduersus leges *cum* L. Saturnino pe-
tebat, a C. Mario quintum consulatum gerente in publicam
custodiam ductum, populus claustris carceris conuulsis raptum,
humeris suis per summam animorum alacritatem portauit. Idem- 2.
que Q. Metellum censorem, quod ab eo tamquam Gracchi filio
censum recipere nolebat, lapidibus prosternere conatus est, ad-
firmantem tres tantummodo filios Ti. Graccho fuisse, e quibus
unum in Sardinia stipendia merentem, alterum infantem Prae-
neste, tertium post patris mortem natum Romae decessisse;
neque oportere clarissimae familiae ignotas sordes inseri; cum
interim inprouida concitatae multitudinis temeritas, pro inpudentia
et audacia! aduersus consulatum et censuram tetendit princi-
pesque suos omni petulantiae genere uexauit.

1. DE SEDITIONIBVS *Torr.* || 2. uolentiae *pr. A.* uiolentae *CDE Torr.* || et *om. ACDE Torr.* || ⁎ tam *(sed* t *in rasura) A.* || 3. L. Equitium — (7.) portauit *om. Γ.* || acquitium *A.* || titi gracchi *A.* t. gracchi *CDE.* || 4. leges *om. pr. A.* || cum *om. C et pr. A.* || 5. ac mario *C.* a mario *D.* || gerentẽ *pr. A.* || 7. amorum *pr. A.* armorum *D et corr. A.* || §. 2 *om. Γ.* || 10. t̃. graccho *A.* t. gracchi *CD.* Graccho *(omisso praenomine) Torr.* || 14. inprudentia *pr. A.* imprudentia *CDE et corr. A.* || 15. et aduersus *CE.*

VII. *uiolentiae et seditionis)* Ita Valerium scripsisse, non, ut Pighius cum permultis sane libris edidit, *uiolentae seditionis*, indicat titulus huius capitis DE VI ET SEDITIONE. Inscriptiones enim istas a grammatico quodam compositas ex initio capitum ipsis Valerii uerbis plerumque repetitas esse docui in praefatione p. 92. Neque credibile est illum, quisquis is erat, haec potissimum DE VI ET SEDITIONE positurum fuisse, nisi in ipso Valerii opere *uiolentiae et seditionis* legisset. Quapropter pro archetypi codicis scriptura, *uiolentiae seditionis*, reuocaui quod iam in editionibus ueteribus ante Pighium circumferebatur.

1. (Cf. App. ciu. I, 32. Flor. III, 16, 1. Auct. de uir. ill. 73.)

quintum consulatum gerente) Immo sextum, ut ipse tradit Valerius III, 2, 18. Mendacium est scriptoris, non mendum, ut opinatur Pighius, librorum manuscriptorum.

2. Cf. Cic. pro Sest. 47, 101. Auct. de uir. ill. 62. Sed de populo lapidibus Q. Metellum Numidicum prosternere conato non memini alias me quicquam legisse.

pro inpudentia et audacia) Male Torrenius haec distinxit *temeritas, pro impudentia, et audacia aduersus consulatum.* Neque enim quae arte inter se cohaerent, si in hunc modum interpunxeris, *temeritas et audacia* exclamatione ita diuelli possunt, ut interiectio ad alteram solum pertineat. Monuerat iam Guyetus *et audacia* pertinere ad *pro inpudentia*, cui cur non assentiatur Torrenius equidem non intellego. Recte uero *inpudentia* Pighius posuit pro codicum scriptura *imprudentia*, quod languidum plane esset.

3. Vaesana haec tantummodo, illa etiam cruenta seditio. Populus enim Nonium, conpetitorem Saturnini, nouem iam creatis tribunis unoque loco duobus candidatis restante ui prius in aedes priuatas conpulit, extractum deinde interemit, ut caede integerrimi ciuis facultas adipiscendae potestatis taeterrimo ciui daretur.

4. Creditorum quoque consternatio aduersus Sempronii Asellionis praetoris urbani caput intolerabili modo exarsit. Quem, quia causam debitorum susceperat, concitati a L. Cassio tribuno plebis pro aede Concordiae sacrificium facientem ab ipsis altaribus fugere extra forum coactum inque tabernula latitantem

Mil.Rom. praetextatum discerpserunt.

1. Detestanda fori condicio, sed si castra respicias, aeque magna orietur indignatio. Cum C. Mario lege Sulpicia prouincia Asia, ut aduersus Mitridatem bellum gereret, priuato decreta

---

1. Vaesana — seditio *om. Γ.* || Vesania *D.* || 2. enim *om. Γ.* || nunnium *ACPar.* minium *D.* nimium *E.* numum *Γ.* A. Numium *Torr.* || 5. apiscendae *A. Vt nos etiam Par.* || 6. §. 4 *om. Γ.* || aduersum *Torr.* || sempronium *pr. A.* || 10. tabernula] *litterae* ula *in rasura A.* tabernacula *CE.* || latitantem p̃ ⁎ mo repetita discerpserunt *in rasura A. add.* br. q. tabernula quã p. latitantem d. *margo A.* || 11. discerserunt *C.* || 12. Detestanda — (13.) indignatio *om. Γ.* || Detestanda] *in rasura A.* || 13. [C. Mario] *A.* || Sulpi[cia — aduersus] *A.*

---

3. Cf. Liu. epit. libr. LXIX. Plut. Mar. 29. Flor. III, 16. App. ciu. I, 28. Auct. de uir. ill. 73. Oros. V, 17.

Nonium, conpetitorem Saturnini) Mire hoc nomen uariatur in ueterum scriptorum codicibus manuscriptis, ita tamen ut in A. Nonio consentiant plerique. Liquide enim sic exhibetur nomen a Plutarcho et Appiano et auctore de uir. ill. ll. cc. Quod recte etiam Floro a grammaticis redditum esse opinor, ubi codices Annium ponunt. Quare equidem idem Valerio uindicaui, quamuis in scriptura *Nunnium* meliores nostri libri cum Paride congruant, cum priores editores aut deteriores libros secuti aut Liuianam epitomam *A. Numium* dedissent, quod Orosii quoque codices confirmare uidentur. Insignem autem uirum eum appellat Appianus, Noniamque gentem tunc temporis floruisse notum est. Praenomen *Aulum*, quod uulgatae editiones per notam scriptum circumferebant, abest a codicibus et a Paride.

4. Cf. Liu. epit. libr. LXXIIII, ubi tamen in foro Asellio occisus esse traditur, et App. ciu. I, 54.

L. Cassio) Tribunus plebis erat a. 665 a. u. c. Cf. Drumann. gesch. Rom's II, p. 159.

inque tabernula latitantem) Litura codicis Bernensis, quam supra notauimus, nihil aliud significat quam *prae timore petita*, quemadmodum Torrenius in codice Vltraiectino secundo, nos in codice Bongarsiano saeculi XV, qui nunc asseruatur Bernae (cf. praef. p. 73), repperimus. Manifestae interpolationis causa haud dubie extitit Paris, in cuius compendio cum legeretur *in tabernula, quam petierat, latitantem discerpserunt*, emendator libri Bernensis deleta primaria scriptura, ita ut omnino exciderent *praetextatum*, languidum illud *prae timore petita* introduxit.

Mil. Rom. 1. Cf. Plut. Mar. 35; id. Syll. 8, 9. Oros. V, 19.

esset, missum ab eo Gratidium legatum ad L. Syllam consulem accipiendarum legionum causa milites trucidarunt, procul dubio indignati, quod a summo imperio ad eum, qui nullo in honore uersaretur, transire cogerentur. Sed qui ferat militem scita plebis exitio legati corrigentem?

Pro consule istud tam uiolenter exercitus, illud aduersus consulem. Quintum enim Pompeium, Syllae collegam, senatus iussu ad exercitum Cn. Pompei, quem aliquandiu inuita ciuitate obtinebat, contendere ausum ambitiosi ducis inlecebris corrupti milites sacrificare incipientem adorti, in modum hostiae mactarunt tantumque scelus curia, castris cedere se confessa, inultum habuit. 2.

Ille quoque exercitus nefarie uiolentus, qui C. Carbonem, fratrem Carbonis ter consulis, propter bella ciuilia dissolutam disciplinam militarem praefractius et rigidius astringere conatum priuauit uita satiusque duxit maximo scelere coinquinari quam prauos ac taetros mores mutare. 3.

DE TEMERITATE.

Temeritatis etiam et subiti *et* uehementes sunt impulsus, quorum ictibus hominum mentes concussae nec sua pericula dispicere nec aliena facta iusta aestimatione prosequi ualent. VIII.

1. gracidium *D.* || scillam *DΓ.* || 3. ad summo *pr. A.* ab summo *corr. A.* || 4. Sed — (5.) corrigentem *om. Γ.* || quis *corr. D. Torr.* || fecerat *A.* || 6. Pro — (7.) consulem *om. Γ.* || proconsul *A.* proconsulis *E.* || uiolentum *E.* || 7. enim] etiam *Γ.* || 8. c. pompei *E.* || 10. inactauerunt *EPar. Torr.* || 12. abiit *Γ et pr. A.* || 13. nefarie] *ante* exercitus *D.* nefariae *pr. A.* || gn. carbonem *D.* || 14. consulem *EΓ.* || 15. praefactius *CD et pr. A.* || et *om. C.* || nigridius *C.* || 16. [priuauit uita] *A.* || c[oinquinari — (17.) taetr]os *A* || 17. mut[are] *A.* || 19. temeritas *Γ et pr. A.* || et subiti et] et subiti *pr. A.* ut subiti *D et corr. A.* et *C.* subiti et *Γ.* || impulsus] *om. C.* impetus *E.* || 20. mentes hominum *Γ.* || pericula sua *Γ.* || 21. despicere *CΓ.* spicere *pr. D.* conspicere *E et corr. D.* respicere *Torr.* || estimacionem *C.*

Sed qui ferat) Interrogandi pronomen *qui* in directa oratione substantiue positum insolens est. Sed cum eodem prorsus modo in Ciceronis oratione pr. Rosc. Amer. 34, 95 legatur *qui primus Ameriam nuntiat?*, uereor ne neutro loco bonorum librorum testimonium deserendum sit. Notanda uero parum trita locutio.

2. Cf. Liu. epit. libr. LXXVII. Veli. II, 20. App. ciu. I, 63.

VIII. *et subiti et uehementes)* Ita Pighius edidit e 'manuscriptis codicibus',

1. Quam enim temere se Africanus superior ex Hispania duabus quinqueremibus ad Syphacem traiecit, in unius Numidae infidis praecordiis suam pariter et patriae salutem depositurus! Itaque exiguo momento maximae rei casus fluctuatus est, utrum interfector an captiuus Scipionis Syphax fieret.

2. Nam C. Caesaris anceps conatus, etsi caelestium cura protectus est, [non] tamen uix sine horrore animi referri potest. Siquidem inpatiens legionum tardioris a Brundisio Apolloniam traiectus per simulationem aduersae ualetudinis conuiuio egressus maiestate sua seruili ueste occultata nauïculam conscendit *et* e flumine [ac] maris Hadriatici saeua tempestate fauces petit protinusque in altum dirigi iusso nauigio multum ac diu contrariis iactatus fluctibus tandem necessitati cessit.

3. Age, illa quam execrabilis militum temeritas! Fecit enim ut A. Albinus, nobilitate, moribus, honorum omnium consummatione ciuis eximius, propter falsas et inanes suspiciones in

---

2. sypacem *A*. || 5. scipio syphacis *ACDEΓ*. || 6. §. 2 *om. Γ*. || Iam *DE et corr. A, Torr. Vid. ad I*, 6, 10. || 7. non tamen uix] uix tamen *D et in rasura A, Torr.* || animi horroro *Torr.* || 8. legio *E*. || brundusio *CDE Torr. Vt nos etiam Par.* || 9. ualitudinis *CDE*. || 10. maiestatem suam *A*. || et *om. ACE*. || 11. ac *om. Torr.* || petiit *DE et corr. A, Torr.* || 12. multo *pr. A*. || 15. bonorum *C*.

---

cum antea uulgo legeretur *ita subiti ut uehementes*. Estque sane facilior aliquanto haec emendatio illa, quam Perizonius proposuit, *ut subiti, ita uehementes*. Minime uero Torrenium probo, cum aliquot libris scribendum censentem *ut subiti, uehementes* omisso *ita*, de quo genere disserui ad III, 2, 19. Sed admodum dure comparandi particula in hoc nexu apud alteram duarum notionum, iuxta positarum, in quibus solis comparatio uersatur, omitteretur.

1. Cf. Liu. XXVIII, 17. App. Hisp. 29. Zonar. IX, 10.

Scipionis Syphax) Libri inepte contrarium produnt exhibentes *Scipio Syphacis*, quod consilio fecisse uidetur nescio quis librarius, qui pro inscitia illorum hominum proxima quaeque dumtaxat spectantium Scipionem facillime Syphacis captiuum tunc fieri potuisse crediderit, cum is salutem suam in unius Numidae infidis praecordiis posuisse dicatur. Longe uero a bonorum librorum scriptura discedens atque adeo arbitrarie admodum Pighius e codicibus Pulmanniano et Susiano ediderat *fluctuauit utrum captiuus an uictor Scipio Syphacis fieret*. Correxit mendum probante Perizonio Gronouius IIII obseru. 6.

2. Cf. Plut. Caes. 38; id. apophth. (Iul. Caes.) 9. p. 206; de fort. Rom. 6, p. 266 Reisk. (ubi pro *Σαβίνον* legendum est *Γαβίνιον*; coll. App. Illyr. 12 et ciu. II, 58.) Suet. Caes. 58. Flor. IIII, 2, 37. App. ciu. II, 57. Lucan. V, 580. Dio Cass. XLI, 46.

et e flumine) Correxit Pighius e Pulmanni et Susii exemplaribus uitiosam scripturam archetypi, in quo cum excidisset copula *(et)* ante *e*, librarius eam desiderans falso loco intruserat *ac*. Nam Apolloniae nauem conscendisse Caesarem, ut secundo flumine mare peteret, e Plutarchi l. c. liquet.

3. Liu. epit. libr. LXXVII A. Postumium Albinum infamem crimine proditionis, Orosius V, 18 propter intolerabilem superbiam ab exercitu suo interfectum esse scribunt. Cf. etiam Plut. Syll. 6.

castris ab exercitu lapidibus obrueretur, quodque accessionem indignationis non recipit, oranti atque obsecranti duci a militibus causae dicendae potestas negata est.

Itaque minus miror apud trucem et saeuum animum Han- Ext. 1.
nibalis defensionis locum innoxio gubernatori non fuisse, quem a Petilia classe Africam repetens freto adpulsus, dum tam paruo spatio Italiam Siciliamque inter se diuisas non credit, uelut insidiosum cursus rectorem interemit, posteaque diligentius inspecta ueritate tunc absoluit, cum eius innocentiae nihil ultra sepulcri honorem dari potuit. Igitur angusti atque aestuosi maris alto e tumulo speculatrix statua quam memoriae Pelori tam Punicae temeritatis ultra citraque nauigantium oculis conlocatum indicium est.

Iam Atheniensium ciuitas ad uaesaniam usque temeraria, 2.
quae X uniuersos imperatores suos, et quidem a pulcherrima uictoria uenientis, capitali iudicio exceptos necauit, quod militum corpora saeuitia maris interpellante sepulturae mandare non potuissent, necessitatem puniens, cum honorare uirtutem deberet.

DE ERRORE.

Temeritati proximus est error, quemadmodum ad laedendum IX.
par, ita cui facilius quis ignouerit, quia non sponte, sed uanis

1. quoq. *pr. A.* || 2. recepit *D.* || obsecrati *Γ.* || 4. Hannibalis animum *Torr.* || 7. credidit *DE et corr. AC.* || insidiosi *Γ.* || 8. diligenti *E.* || 9. adsoluit *pr. A.* || sepulchri *pr. A.* || 11. quam] tamquam *C.* tam *ETorr.* || memoriam *A.* || tam] quam *ETorr.* || 14. kartaginiensium *E.* || aduersariam *pr. A.* || 15. uniuersos] * * * *A. om. DPar.* || et quidem] equidem *ACDEΓ.* || 16. uictoria] *add.* sua *(sed punctis notatum) Γ.* || uenientes *CDEΓTorr.* || 17. interpellante • *A.* || 18. debuisset *Γ.*

Ext. 1. Cf. Seru. ad Aen. III, 411. At Pomponius Mela III, 7 hoc accidisse narrat cum ex Africa in Asiam profugeret Hannibal.

quam memoriae Pelori tam Punicae temeritatis etc.) Ita legendum esse uidit Perizonius; fuisse enim praecipue ad Pelori memoriam positam illam statuam. Sed iniuria idem uir doctus sollicitauit uerba *ultra citraque*, legendum censens *ultro citroque*. Quod si frequentius est hoc significatu, eodem tamen modo Ouidius V met. 186 scripsit *nec citra mota nec ultra*, Plin. h. n. X, 23, 31, §. 61 *quamuis ultra citraue peruolent*. Deinde pro *collocatum* maluit *collocata* aut *oblata*, cum omnino recte statua indicium temeritatis dicatur collocatum ibi oculis praeternauigantium, i. e. ut aspectu admoneret ultra citraque nauigantes temeritatis illius.

2. Cf. Plut. apol. 20 p. 32 B. Xenoph. mem. IIII, 4; alii.

concitatus imaginibus culpae se inplicat. Qui quam late in pectoribus hominum uagetur si complecti coner, uitio de quo loquor sim obnoxius. Paucos igitur eius lapsus referemus.

1. C. Heluius Cinna tribunus plebis ex funere C. Caesaris domum suam petens populi manibus discerptus est pro Cornelio Cinna, in quem saeuire se existimabat, iratus ei, quod, cum adfinis esset Caesaris, aduersus eum nefarie raptum impiam pro rostris orationem habuisset, eoque errore propulsus est ut caput Heluî perinde atque Cornelî circa rogum Caesaris fixum iaculo ferret. Officii sui, alieni erroris piaculum miserabile!

2. Nam C. Cassium error a semet ipso poenas exigere coegit. Inter illum enim pugnae quattuor exercituum apud Philippos uarium ipsisque ducibus ignotum euentum missus ab eo Titinius centurio nocturno tempore, ut specularetur quonam in statu res M. Bruti essent, dum crebros excessus uiae petit, quia tenebrarum obscuritas hostesne an conmilitones occurrerent dinoscere non sinebat, tardius ad Cassium redît. Quem is exceptum ab hostibus omniaque in eorum potestatem recidisse existimans, finire uitam properauit, cum et castra hostium inuicem capta et Bruti copiae magna ex parte incolomes essent. Titinî uero non oblitteranda silentio uirtus, qui oculis paulisper haesit, inopinato iacentis ducis spectaculo attonitus, deinde profusus in lacrimas, 'Etsi inprudens', inquit, 'imperator, causa tibi mortis fui, tamen

---

2. uagatur *AD.* || 3. sum *C.* || 4. C. Heluius] *praenominis nota eras. A.* helius *pr. D.* G. helius *E et corr. D.* Heluius *Par.* || 5. Cornelio] c. *E.* || 6. Cinna] *om. pr. C.* || 7. aduersum *CE.* || 9. helii *DE.* || at[que — rogum] *A.* || cornelii *DEΓ et corr. C, Torr.* || fi[xum — alieni] *A.* || 10. Officii — miserabile *om. Γ.* || sui] *add.* et *corr. D.* || 11. Nam] *om. Γ.* Iam *D et corr. A.* || C. uero cassium *Γ.* || 13. agnotum *pr. A.* ac notum *C.* || tine*us *A.* tineius *CEΓ.* tineus *D.* || 14. in statu res] *om. Γ.* instaurâ *A* || 17. rediit *DEΓTorr.* || 18. omnia quae *pr. A.* || 19. et castra hostium] *in rasura A.* || 20. incolumes *(A)CDEΓTorr.* || tinei *ACDE.* tineii *Γ.* || 21. obliteranda *(A).*

IX, 1. Cf. Plut. Caes. 68; id. Brut. 20. Suet. Caes. 85. App. ciu. II, 147. Dio Cass. XLIIII, 52. Zonar. X, 12.

pro Cornelio Cinna) L. Cornelium Cinnam intellegi, praetorem a. u. c. 710, atque eundem, cui C. Caesar, sororis maritus, reditum in ciuitatem ex Hispania rogatione Plautia confecerit, demonstrauit Drumann. gesch. Roms II, p. 591. Cf. Suet. Caes. 5. Gell. XIII, 3. Plut. Brut. 18.

2. Cf. Liu. epit. libr. CXXIIII. Vell. II, 70, 2. Plut. Brut. 43. Flor. IIII, 7. App. ciu. IIII, 113. Dio. Cass. XLVII, 46. Oros. VI, 18. Zonar. X, 19.

Titinius) In antiquissimo iam codice hoc nomen mendose scriptum fuisse *Tineius* Paridis et nostrorum librorum consensus declarat. Sed consentiunt de Titinio omnes qui eius hominis mentionem fecerunt scriptores, Plutarchus, Appianus, Dio Cassius. Cf. Eckhel. doctr. num. V, p. 325.

ne id ipsum inpunitum sit. Accipe me fati tui comitem'. Superque exanime corpus eius iugulo suo gladium capulo tenus demisit ac permixto utriusque sanguine duplex uictima iacuit, pietatis haec, erroris illa.

Ceterum falsa opinatio nescio an praecipuam iniuriam Lar- 3.
tis Tolumni, Veientium regis, penatibus intulerit. Nam cum in tesserarum prospero iactu per iocum collusori dixisset 'Occide', et forte Romanorum legati interuenissent, satellites eius errore uocis inpulsi, interficiendo legatos lusum ad inperium transtulerunt.

DE VLTIONE.

Vltionis autem quemadmodum acres, ita iusti aculei sunt, X.
qui lacessiti concitantur, acceptum dolorem pensare cupientes. Quos latius conplecti non adtinet.

Tribunus plebis M. Flauius ad populum de Tusculanis re- 1.
tulit, quod eorum consilio Veliternos Priuernatesque rebellatos

1. id *om. D.* || 2. cor[pus — gla]dium *A.* || copulo *D.* || 3. [demisit — sa]nguine *A.* || dimisit *CDΓ.* || 5. falsã *pr. A.* || opinationem *A.* || lartis *(sed l inductum, reliquae litterae punctis notatae) A.* larcis *DE.* || 6. Tolumnii] *in rasura A.* eolini torum *(sed* colini *in rasura) C.* tonis *D.* columii *E.* torumni *Γ.* || Veientium] *in rasura AC.* || 7. occidi *Par.* || 12. iniusti *corr. A.* || 13. compensare *Γ.* || 15. §. 1 *om. Γ.* || M. Flauius] *ante* Tribunus plebis *DPar. et corr. A, Torr.* m. fuluius *E.* || 16. uelitrinos *D.* || rebellaturos *ACDE.*

3. Cf. Cic. in Ant. IX, 2, 4. Liu. IIII, 17.

X, 1. Cf. Liu. VIII, 37, 8.

rebellatos diceret) Codices omnes uno ore *rebellaturos.* Verum Tusculani non quod rebellaturi erant Veliterni Priuernatesque, sed quod eorum consilio bellum iam fecerant contra Romanos, accusabantur. Ita Liuius, unde haec desumpsit Valerius, rem exposuit; id dici rei naturae aptum est, id ipsum denique Paris expressit, Valerii uerba in hunc modum reddendo, *quod eorum consilio Veliterni et Priuernates rebellassent.* Quare nullus dubito quin recte hanc quam desideramus sententiam effecerit Vorstius, cum auctore Manutio (ad Cic. epp. VIII, 9) astipulantibus omnibus deinceps editoribus scriberet *rebellatos* actiua notione. Notum est enim multa uerba, quae actionem continent et actiuam formam habent, ab optimis Latini sermonis auctoribus interdum passiue efferri. In quo genere composuerunt, ut pauca afferam exempla, *luxurior, assentior, fluctuor,* in quo ne ipse quidem Valerius sibi constat, (uid. ad VI, 2, 1) *fabricor aliquam rem,* quod tamen Valerius non adhibuisse uidetur, (uid. ad III, 7, ext. 4.) *communicor, elucubror.* Cf. Quint. IX, 3, 7. Madu. gramm. §. 147, b. Scio quidem satis audacter e coniectura eam per-

diceret. Qui *cum* cum coniugibus ac liberis squalore obsiti supplices Romam uenissent, accidit ut reliquis tribubus salutarem sententiam secutis sola Pollia iudicaret oportere publice eos uerberatos securi percuti, inbellem multitudinem sub corona uenire. Quam ob causam Papiria tribus, in qua plurimum postea Tusculani in ciuitatem recepti potuerunt, neminem umquam candidatum Polliae tribus fecit magistratum, ne ad eam ullus honor *suis* suffragiis perueniret, quae illis uitam ac libertatem, quantum in ipsa fuit, ademerat.

1. cum cum] *semel* cum *ACDE Torr.* || et liberis *D.* || obsiti] *add.* cum *corr. A, Torr.* || 2. reliqui *pr. A.* || 3. po l lia *(sed prius* l *in rasura) A.* popilia *CE.* Polia *Torr.* || 4. imbecillem imbellem *D.* || 5. popiri atribus *A.* popiria tribus *D.* popilia tribus *C.* popillia tribus *E.* || 7. poiliae *pr. C.* popiliae *E et corr. C.* Poliae *Torr.* || 8. honos *Torr.* || suis suffragiis] suis *om. A.* suffragiis eorum *CD.* suffragiis suis *E.* || 9. quantum *om. pr. A.* || adimeret *pr. A.* ademerit *corr. A.*

mutationem in hoc uerbo nusquam deponenter usurpato statui. Sed non plane eam abhoruisse a Romanorum auribus, inde colligo, quod Vergilius IX Aen. 660 simplex uerbum, quod uulgo est *bello*, patiendi forma posuit. Quam cum non intellegerent in hoc composito librarii, male actiuam futuri temporis, rectius Paris perfecti temporis formam e coniectura substituisse uidentur.

Qui cum cum coniugibus) Manifestum est temporalem particulam *cum*, quam editores ex correctura, in codice Bernensi recentiore manu temptata et inde in alios libros translata, ante *supplices* intruserunt, in archetypo codice omnino defuisse. Sed cum nulla inueniatur causa cur illo loco intercideret *cum*, probabilius mihi uideor coniectare Valerium scripsisse *Qui quom cum coniugibus.*

postea Tusculani in ciuitatem recepti) Ciuitatem Tusculani iam diu ante Flauiam rogationem impetrauerant teste Liuio VI, 26 et VIII, 14. paulo post Furii Camilli dictatoris expeditionem illam Tusculanam, de qua etiam Valerius VII, 3, ext. 9 disseruit, qui tamen hoc loco, de quo agimus, Tusculanos, quo tempore de iis relatum est ad populum, ciues nondum fuisse existimat, quamquam circiter sexaginta anni inde ab illo facto intercesserant. Quam difficultatem ut remouerent, Pighius temere *postea* transposuit eo loco, ubi nunc *umquam* legitur, quod omnino deleuit, Perizonius aliam Tusculanis antea, aliam postea ciuitatis condicionem fuisse statuit, primumque in ciuitatem quidem receptos, sed sine suffragio, post M. Flauii rogationem dato suffragio in Papiriam tribum ascriptos esse suspicatur. In qua opinione pro argumento uti poterat Verrio Flacco, e quo excerpta haec leguntur apud Paulum diaconum p. 127, *Municipium id genus hominum dicitur, qui cum Romam uenissent, neque ciues Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis ciuibus praeterquam de suffragio ferendo aut magistratu capiendo, sicut fuerant Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuuini, Tusculani, qui post aliquot annos ciues Romani effecti sunt.* At primum Liuius, si non concessum fuisset tunc Tusculanis suffragium, hanc exceptionem pro more suo tantum non semper obseruato sine dubio commemorasset; deinde, quod probe sensit Perizonius, ne ipse quidem Valerius in ea opinione erat, antea iam Tusculanos maxima ex parte ciuitatem habuisse, sed eos post Flauii rogationem demum receptos esse putat. Itaque, cum omnem huius facti notitiam a Liuio acceperit, ille uero de ciuitate postea iis tributa nihil scripserit, liquet Valerium ultra fontem suum progressum in his, quae ex ingenio addidit illic non inuenta, *postea Tusculani in ciuitatem recepti*, ut in similibus multis, lapsum esse.

suis suffragiis) Necessariam eorum significationem, quorum suffragiis num-

Illam uero ultionem et senatus et consensus omnium ad- 2.
probauit. Cum enim Hadrianus ciuis Romanos, qui Vticae consistebant, sordido imperio uexasset idcircoque ab his uiuus esset exustus, nec quaestio ulla in urbe hac de re habita nec querella uersata est.

Clarae ultionis utraque regina, et Tomyris, quae caput Cyri Ext. 1.
abscisum in utrem humano sanguine repletum demitti iussit, exprobrans illi insatiabilem cruoris sitim simulque poenas occisi ab eo filii sui exigens, et Berenice, quae Laodices insidiis interceptum sibi filium grauiter ferens, armata currum conscendit persecutaque satellitem regium, crudelis operis ministrum, nomine Caeneum, quem hasta nequiquam petierat, saxo ictum prostrauit ac super eius corpus actis equis inter infesta contrariae partis agmina ad domum, in qua interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur, perrexit.

Iasonem Thessalum, Persarum regi bellum inferre parantem, 2.
an satis iusta ultio absumpserit ambiguae aestimationis est. Taxillo enim gymnasiarcho a quibusdam iuuenibus pulsatum

1. Illam — adprobauit *om. Γ.* || 2. enim *om. Γ.* || adrianus *pr. A.* || ciues *DEΓ et corr. A, Torr.* || romanus *pr. A.* || 3. idcirco ab iis *E.* || 4. exustus esset *D.* || in urbe ulla *E.* || 6. ultraque *pr. A.* || regina] *ultima littera in rasura A.* || thamyris *ACDΓ et corr. Par., Torr.* tamiris *E.* thomeris *pr. Par.* || 7. utre *AC et pr. D.* || repleto *corr. D.* || dimitti *CDEΓPar. et pr. A.* || 9. beronicae *A.* Beronice *Torr. (et littera* o *in rasura) C.* beronices *D.* || laodicis *D.* || 11. satellitem — nomine *om. A.* || operis] *post* ministrum *C.* imperii *Γ.* || 12. ceneum *E.* || quem] quoniam *Γ.* || nequicquam *CEΓTorr.* nequaquam *D.* || poterat (*sed* pote *in rasura*) *D.* || 16. inferre *om. D.* || 17. adsumpserit *pr. A.* assumpserit *D.* || 18. Taxippo *Par.* u. taxyppo *margo A.* || gymnasiarcho] *ultima litt. in rasura D.* gymnasiarchae *Torr.* || pulsato *DΓ et corr. A.*

quam ullus honor ad Polliam tribum peruenisse dicitur, omissam in archetypo codice uarie supplenerant librarii, emendantes alii *suffragiis eorum*, alii *suffragiis suis*, alii, quos secuti sunt editores, probabilius *suis suffragiis*. Est enim cum pondere quodam efferendum illud pronomen, a quo ad uocem iisdem litteris incipientem uelox aberrauit librarii oculus. Torrenius ne uarietatem quidem scripturae enotauit.

2. Cf. Cic. in Verr. I, 27, 70 et V, 36, 94. Pseudoascon. ad Cic. in Verr. I, 1. c. p. 179 Orell.

Ext. 1. Cf. Herod. I, 206. Iust. 1, 8. Amm. Marc. XXIII, 6, 7. Ambros. contr. Symm. 2.

Tomyris) Ita scripsi suadente Kappio, cum et Herodoto Ammianoque sit Tomyris et in Paridis epitome prima syllaba a prima manu cum uocali *o* efferatur. Fieri autem potest ut Valerius primam nominis litteram aspiratam posuerit. Nam ita scriptum est in integris nostris codicibus et in Paridis compendio.

2. Cf. Diod. Sic. XV, 60.

Taxillo enim gymnasiarcho) Qui in nostris libris Taxillus uocatur Paridi Taxippus est; nescio an recte. Sed res incerta est. Male autem editores inde a Pighio contra omnem librorum et Paridis auctoritatem *gymnasiarchae*

se questo permisit ut aut tricenas ab his drachmas exigeret aut denas plagas singulis inponeret. Quo posteriore uindicta uso, qui uapulauerant Iasonem interfecerunt, animi, non corporis dolore poenae modum aestimantes. Ceterum paruo inritamento ingenui pudoris maximae rei expectatio subruta est, quoniam opinione Graeciae tantum in spe Iasonis quantum in effectu Alexandri reponitur.

DICTA INPROBA AVT FACTA SCELERATA.

XI. Nunc, quatenus uitae humanae cum bona tum etiam mala substitutis exemplorum imaginibus persequimur, dicta inproba et facta scelerata referantur.

1. Vnde autem potius quam a Tullia ordiar? quia tempore uetustissimum, conscientia nefarium, uoce monstri simile exemplum est. Cum carpento ueheretur et is, qui iumenta agebat, succussis frenis constitisset, repentinae morae causam requisiuit, et ut comperit corpus patris Ser. Tullî occisi ibi iacere, supra

---

1. se] sibi *Γ*. || conquesto *Torr.* || dragmes *pr. A.* dragmas *EΓ et corr. A.* || 2. Quo] in quo *A.* A quo *Γ.* || uindictae usu *AD. add.* BR. quo posterioris uindictae ei qui uapulauerant dolore comoti i. i. *margo A.* || 3. qui * uapulauerant *A.* || 4. poena *pr. A.* || 5. obruta *Γ.* || 6. effectu * *A.* || 7. reponebatur *E.* || 8. Dicta aut facta scelerata *D.* De inprobis dictis aut factis sceleratis *E.* DE IMPROBE DICTIS ET SCELERATE FACTIS *Torr.* || 9. quatinus *C et corr. A.* || cum] tum *CDEΓTorr. Vid. ad II, 2, 8.* || 10. prosequimur *DE.* || improba *corr. A.* improbe *Torr.* || 11. scelerate *Torr.* || 12. §. 1 *om. Γ.* || 13. conscientia nefarium] *in rasura A.* || uoce] *add.* improbum ac *Torr.* || 14. [et is — agebat] *A.* || his *E.* || 15. [frenis — (16.) comperit] *A.* || requisiit *pr. C.*

---

scripserunt. Cf. IX, 12, ext. 7, ubi idem peccatum in uulgatis editionibus deprehenditur, Cic. in Verr. IIII, 42, 92. Apoll. Sidon. epp. II, 2. Graece etiam *γυμνασίαρχος* et *γυμνασιάρχης* dicitur.

XI, 1. Cf. Liu. I, 48. Dion. Hal. IIII, 39. Flor. I, 7. Auct. de uir. ill. 7; alii.

uoce monstri simile) Pighius e 'Cauchiano aliisque' ante *monstri* intruserat uu. *improbum ac*, quae ut redundant, ita in nullo meorum librorum habentur. Quare deleui male retenta a grammaticis Pighium secutis. Qui quod dicit e Cauchiano se repetisse, uereor ne de hoc quidem falso retulerit, cum abbreuiatus Guelferbytanus, quem eundem esse docui codicem atque illum, totum hoc exemplum praeterierit.

id duci uehiculum iussit, quo celerius in conplexu interfectoris eius, Tarquinii ueniret. Qua tam impia tamque probrosa festinatione non solum se aeterna infamia, sed etiam ipsum uicum cognomine sceleris conmaculauit.

Non tam atrox C. Fimbriae est factum et dictum, sed si 2. per se aestimetur, utrumque audacissimum. Id egerat ut Scaeuola in funere C. Marii iugularetur. Quem postquam ex uulnere recreatum conperit, accusare apud populum instituit. Interrogatus deinde quid de eo secus dicturus esset, cui pro sanctitate morum satis digna laudatio reddi non posset, respondit obiecturum se illi quod parcius corpore telum recepisset. Licentiam furoris aegrae reī publicae gemitu prosequendam!

Lucius uero Catilina in senatu M. Cicerone incendium ab 3. ipso excitatum dicente 'Sentio', inquit, 'et quidem illud, si aqua non potuero, ruina extinguam'. Quem quid aliud existimemus quam conscientiae stimulis actum [a] se inchoati parricidii peregisse?

---

1. uehiculum duci *Torr.* || complexum *D E Torr.* || 3. ipsum etiam *Torr.* || uicium *D.* || 5. Non — (6.) egerat] Vnde autem potius quam a c. fimbria ordiar qui cum id egisset *F.* || Non *om. C.* || atrox] *add.* est *Torr.* || sed] et *C.* || 6. scuola *pr. A.* sceuola *corr. A.* || 7. Quem *om. F.* || 8. creatum *pr. A.* || apud] ad *Torr.* || 9. quid de eo] *add.* C. T. quod ei crimen obiecturus esset *margo A.* || 10. laudati *pr. A.* || 11. se obiecturum *Torr.* || Licentiam — prosequendam *om. F.* || 12. aegre *A.* || 13. catillina *pr. A.* || senatum *pr. A.* || ciceronē *pr. A.* || 14. quidem *om. corr. A.* || 15. potero *F.* || [extinguam — qui]d *A.* || Quem quid — (16.) peregisse *om. F.* || Quem quid] quae quidem *C.* || 16. [quam — actu]m *A.* || actum] *add.* simulacrum *E Torr.* || a] *sine uncis Torr.* || in[choati — (*p.* 716, 1.) Conster]natum *A.* || inchoatum parricidium *D Kapp.*

---

in conplexu — ueniret) Paruam lineolam litterae *u* superscriptam aut finalem litteram *m* facillime in codicibus excidere potuisse, praesertim ante *in*, quibus litteris saepe *m* absorbetur, non negauerim. Nescio tamen an ideo non liceat ab archetypi scriptura discedere, quae simili prorsus locutione *in conspectu uenire* satis superque defenditur. Cf. VIII, 7, ext. 15. Estque hoc peculiare Valerii dicendi genus, quo saepe praepositionem *in* apud uerba motum continentia in designando fine motus cum ablatiuo, non cum accusatiuo coniunxit. Vide quae exempla congessimus ad V, 4, ext. 5.

2. Cf. Cic. pro Sex. Rosc. 12, 33.

Scaeuola) Q. Mucium intellege, consulem a. u. c. 659 et pontificem maximum.

3. Cf Sall. Cat. 31. Flor. IIII, 1, 7. Secundum Cic. pro Mur. 25, 51 Catoni hoc responsum dedit Catilina.

[a] se inchoati parricidii peregisse) Etiamsi Danielini libri scriptura magna ex parte hoc loco situ deleta legi nequit, dubium tamen non est quin archetypi codicis testimonium fuerit quod nos supra exhibuimus. A quo inepte cum maxime discesserunt qui cum deterioribus quibusdam libris, Aldo, Vorstio post *actum* interpolantes *simulacrum*, interpretantur Catilinam simulacrum peregisse inchoati parricidii. Quae equidem non magis intellego quam Vorstii explicationem, ita scripsisse Valerium, quod Catilina dixisset sentire se incen-

4. Consternatum etiam Magî Chilonis amentia pectus, qui M. Marcello datum a Caesare spiritum sua manu eripuit, uetus *amicus* et Pompeianae militiae comes, indignatus aliquem sibi amicorum ab eo praeferri. Vrbem enim a Mytilenis, quo se contulerat, repetentem in Atheniensium portu pugione confodit;

---

1. §. 4 *om. Γ.* || magichilonis *CDE et pr. A.* magii chilonis *corr. A.* || 3. amicus *om. CE et pr. A.* || aliquos *C et pr. A.* || sibi] *post* eo *Torr.* || 4. amicorum] *post* praeferri *D.* || Mitylenis *Torr.* || 5. repetente *A.* repente *C.* || athenis eum *C.*

---

dium a se excitatum idemque se, si aqua non posset, ruina extincturum. Melius aliquanto Torrenius, quamuis in ipso opere retinuerit Vorstianas nugas, in notis subiectis eam emendationem probat, quam in altero Berolinensi codice temptatam uidimus, *conscientiae stimulis actum a se inchoatum parricidium peregisse*, quibus significari putat perinde fuisse ac si parricidium peregisset. quod sibi propositum esse stimulis conscientiae actus tam libere esset professus. At ne dicam de genitiuis parum probabiliter in accusatiuos mutatis, qui potuit Catilina ita inchoatum parricidium peregisse dici, quod numquam certe non hoc dicto ad finem perduxerit? Aut quid sibi uult praepositum illud *a se*, quod in hac sententia melius profecto omnino abesset? Recepit tamen Kappius quod suaserat Torrenius, eo inconsideratius quo certius iam Perizonius monuerat e consilio ac mente auctoris Catilinam hac uoce missa inchoasse parricidium inchoatumque scelus publice esse professum, legendumque censuerat *conscientiae stimulis actum reum se inchoati parricidii peregisse*, uel deleta una litterula, *stimulis actum se inchoati parricidii peregisse*; quorum hoc mihi unice uerum uidetur. Dicitur autem peragere reum qui ita aliquem reum agit, ut eum etiam condemnet. Cf. Vlp. VIII disput. in dig. XLVIII, 5, 2. Val. V. 4, 4. VI, 2, 4. Cael. ad Cic. epp. VIII, 8, 1. Tac. ann. IIII, 21. Itaque ipse Catilina hoc dicto se et reum egit et damnauit inchoati parricidii. Praepositionem, quam seclusi, librarius quidam, cum Pighio arbitratus Catilinam peregisse actum inchoati parricidii, addidisse uidetur, ne penderet pronomen *se*. Nam Pighius pro substantiuo habuit *actum*, non animaduertens male Catilinam ita illum actum conscientiae stimulis peregisse dici.

4. Cf. Ser. Sulp. in Cic. epp. IIII, 12. Cic. ad Att. XIII, 10. Liu. epit. libr. CXV.

Magî Chilonis) P. Magius a Sulpicio dicitur, in Liuii codicibus Cn. Magius appellatur. Cognomen in Mediceo codice epistolarum Tullii sine aspiratione effertur. Differunt autem inter se Cilones et Chilones secundum Charis. I, 78 et Paul. diac. p. 43 Müll., quamuis in nummis eiusdem familiae nomen utroque modo scriptum inueniatur ap. Eckh. doctr. num. V, p. 212. Cum aspiratione etiam in Paridis epitome profertur.

M. Marcello) Consuli a. 703 cum Ser. Sulpicio Rufo. Cf. Drum. gesch. Roms II, p. 393.

uetus amicus et Pompeianae militiae comes) Boni codices omissa uoce *amicus* exhibent *uetus et pompeianae*. Manifestam lacunam emendator libri Bernensis expleuit, adiutus Paridis compendio, in quo legitur *Magius Chilo M. Marcello amico suo a C. Caesare datum spiritum sua manu eripuit* etc. Nec dubito quin recte fecerit homo haud inscitus, cum et sententiae omni numero satisfaciat supplementum et simul causam defectus detegat, similitudinem scilicet terminationum, quarum ab altera ad alteram transiit scribae oculus. Sulpicius quoque in epistola ad Cic. l. c. 'amicum' et 'familiarem' Magium Marcelli appellat. Quare cum ueteribus editionibus et grammaticis inde a Vorstio illam emendationem recepimus. Pighius nimirum pessimo exemplo ediderat *uetus etiam Pompeianae militiae comes*.

protinusque ad inritamenta uaesaniae suae trucidanda tetendit, amicitiae hostis, diuini beneficii interceptor, publicae religionis, quod ad salutem clarissimi ciuis recuperandam attinuit, acerba labes.

Hanc crudelitatem, cui nihil adici posse uidetur, C. Tora- 5.
nius atrocitate parricidii superauit. Namque triumuirorum partes secutus proscripti patris sui, praetorii et ornati uiri, latebras, aetatem notasque corporis, quibus agnosci posset, centurionibus edidit, qui eum persecuti sunt. Senex de filii magis uita et incrementis quam de reliquo spiritu suo sollicitus, an incolomis esset et an inperatoribus satisfaceret interrogare eos coepit. E quibus unus 'Ab illo', inquit, 'quem tantopere diligis, demonstratus nostro ministerio filii indicio occideris, protinusque pectus eius gladio traiecit. Conlapsus itaque est infelix, auctore caedis quam ipsa caede miserior.

Cuius fati acerbitatem L. Villius Annalis sortitus, cum in 6.
campum ad quaestoria comitia filii descendens proscriptum se cognosset, ad clientem suum confugit. Sed ne fide eius tutus esse posset scelere nefari iuuenis effectum est. Siquidem per ipsa uestigia patris militibus ductis occidendum eum in conspectu suo obiecit, bis parricida, consilio prius, iterum spectaculo.

Ne Vettius quidem Salassus proscriptus parum amari exitus. 7.

---

1. uesaniae *A.* || sua *C et pr. A.* || 2. publicaeque *corr. D.* || 5. cui — uidetur *om. Γ.* || uideretur *CD et pr. A.* || toranius (*sed littera* o *in rasura*) *A.* turanius *CΓ.* curanius *D.* || 6. patricidii *D.* || triumuirum *Torr.* || 8. aetatem *C.* || acnosci *pr. A.* || 9. et incrementis *om. E.* || 10. incolumis *CDEΓ et corr. A, Torr.* || 11. et *om. corr. A.* || ex quibus *DE.* || 12. diligetis *pr. A.* || 14. actore *D.* || 15. ipse *pr. A.* || 16. acceruitatem *pr. A.* || 1. iulius *Par. et corr. A.* l. tullius *DEΓ.* || analiis *D.* || 18. cognosceret *CDE.* cognouisset *Par.* || 19. nefarii *corr. A.* || est] eius *pr. C.* || 23. uectius *C.* uehicius *in rasura D.* uetius *E.* || falassus *C.* filapsus *E.* Sallassus *Torr.*

---

5. Cf. App. ciu. IIII, 18. Oros. VI, 18.

C. Toranius) Retinuimus eam huius nominis scripturam, quam uulgatae editiones hucusque protulerunt, confirmatam nunc epitomatore Paride, quocum tantum non omnes consentiunt, qui eius uiri aut patris Toranii mentionem fecerunt, (cf. App. ciu. IIII, 12. Suet. Octau. 27. Plut. Sert. 12. Dio. Cass. LIII, 27.) nisi quod Graeci scriptores et Sall. hist. III, p. 220 Gerl. cum aspirata littera nomen incipiunt. Cum nostris codicibus Turanium exhibentibus facere uidetur App. ciu. IIII, 18. Sed idem, ut praediximus, IIII, 12 *Θωράνιον* eum appellat. Erat autem ille C. Octauii, patris Augusti, in aedilitate collega. Cf. Suet. l. c. Orell. inscr. 592.

6. Cf. App. ciu. IIII, 18.

7. Cf. App. ciu. IIII, 24.

Quem latentem uxor interficiendum, quid dicam, tradidit an ipsa iugulauit? Quanto enim leuius est scelus, cui tantummodo manus abest?

Ext. 1. Illud autem facinus, quia externum est, tranquilliore adfectu narrabitur. Scipione Africano patris et patrui memoriam gladiatorio munere Karthagine Noua celebrante duo regis filii nuper patre mortuo in harenam processerunt pollicitique sunt ibi se de regno proeliaturos, quo spectaculum illud inlustrius pugna sua facerent. Eos cum Scipio monuisset ut uerbis quam ferro diiudicare mallent uter regnare deberet, ac iam maior natu consilio eius obtemperaret, minor corporis uiribus fretus in amentia perstitit initoque certamine pertinacior impietas fortunae iudicio morte multata est.

2. Mitridates autem multo sceleratius, qui non cum fratre de paterno regno, sed cum ipso patre bellum de dominatione gessit.

---

2. minus *pr. A.* || 4. est *om. Torr.* || tranquilliorem *pr. A.* || 6. in kartagine *E et corr. D.* || regii *Torr.* || 7. arenam *Torr.* || 8. pectaculum *pr. A.* || 9. faceret *Γ.* || diiudicari *D et corr. A.* dimicare *Γ.* || 10. uellent *Γ.* || uter] * * ut *(cum lineola super* t *a corr. addita) A.* || 11. uiribus corporis *Γ.* || 13. mulcata *pr. D.* mulctata *E et corr. D.* || 14. mitridatis *D.* || autem] nunc *Γ.*

Ext. 1. Cf. Liu. XXVIII, 21.

in harenam) Ita praeter codices nostros etiam Iulius Paris. Cf. Orell. inscr. 13 et 855. Varro ap. Seru. ad Aen. I, 172. Prob. ad Verg. Georg. I, 70. Charis. I p. 80. Vel. Long. p. 2278 Putsch. Wagn. Orthogr. Verg. p. 441.

diiudicare mallent) Perizonius et Torrenius probarunt codicis Guelferbytani abbreuiati scripturam *dimicare mallent*, in Aldino quoque exemplo inuentam: neque enim actiuum *diiudicare* locum habere, cum non ipsi illi reguli, sed Scipio litem diiudicaturus fuisset, ita tamen ut non reicerent emendationem recentiore manu in codice Bernensi temptatam, *diiudicari*. Mihi nihil mutandum esse uidetur. Procul dubio enim fratres recte singulari illo certamine ipsi sibi iudices extitisse putantur. Iam si a Scipione admonentur ut hanc controuersiam uerbis potius quam armis disceptent, uerbis pro armis usuri quodammodo rem ipsi diiudicasse dici poterant; is enim superior euasurus erat, qui alterum uerbis uicisset, atque ita uocabulum alteri dumtaxat rei conuenientem ad alteram transferri licuit. Neque sane quisquam nostra lingua utentium adeo offenderetur, si audiret, dass sie den streit lieber mit worten als mit waffen entscheiden möchten.

2. Cf. Liu. epit. libr. CII. Plut. Pomp. 41. App. Mithr. 111. Dio Cass. XXXVII, 13. Eutrop. VI, 12. Oros. VI, 5.

Mitridates autem) Mithridatis filio Pharnaci hoc tribuunt omnes quos citaui scriptores. De cognomini Mithridatis filio, quem ipse pater multo antea, iniuria tamquam regnum affectaret suspectum, interemit (App. Mithr. 64.), nihil eiusmodi constat. Itaque non possum quin Valerium hoc quoque loco memoria deceptum aut ipsius Mithridatis putasse credam quae filii eius erant, aut cognominem patri existimasse filium, qui erat Pharnaces.

In quo qui aut homines ullos adiutores inuenerit aut deos inuocare ausus sit, † prae admiratione habet.

Quamquam quid hoc quasi inusitatum illis gentibus mire- 3.
mur, cum Sariaster aduersus patrem suum Tigranen, Armeniae regem, ita cum amicis consenserit, ut omnes dexteris manibus sanguinem mitterent atque eum inuicem sorberent? Vix ferrem pro salute parentis tam cruenta conspiratione foedus facientem.

Sed quid ego ista consector aut quid his immoror, cum 4.
unius parricidii cogitatione cuncta scelera superata cernam? Omni igitur impetu mentis, omnibus indignationis uiribus ad id lacerandum pio magis quam ualido adfectu rapior. Quis enim amicitiae fide extincta genus humanum cruentis in tenebris sepelire conatum profundo debitae execrationis satis efficacibus uerbis adegerit? Tu uidelicet efferatae barbariae immanitate truculentior habenas Romani imperii, quas princeps parensque noster salutari dextera continet, capere potuisti? Aut te conpote furoris mundus in suo statu mansisset? Vrbem a Gallis captam et trecentorum inclitae gentis uirorum strage foedatum Alliensem

1. qui] quis *A C D E Γ*.||inuenerit] habuerit *Γ*.||2. pro *D E*, *in rasura A*, *corr. C*.||habetur *C D E Γ et corr. A*. haereo *Torr*.||3. §. 3 *om. Γ*.||ullis *A C D E*.||4. tigrannen *pr. A*. tigranem *C D E Torr*.|| arminiae *pr. A*.||5. exteris *A*.||6. emitterent *D*.|| soluerent *A C D E*. || ferrent *A C D E Torr*. || 8. §. 4 *om. Γ*. || [consector] *A*. || iis *Torr*. || [immoror — (9.) parri]cidii *A*. || 9. [cogitatione — superata] *A*. || 16. conpotem *pr. A*. || 17. mundus] *post* statu *Torr*. || gellis *pr. A*. || 18. foedatam *Torr*.

† *prae admiratione habet)* Quod nos in Bernensi codice legimus, *prae admiratione habet*, cum in aliis etiam libris inuenerint Pighius et Torrenius, non tam de testimonio archetypi codicis dubitari potest quam de sanando uulnere illi libro iam illato. Neque enim quod in plurimis codicibus profertur, *pro admiratione habetur*, significat, ut Torrenius opinatur, haberi illud pro re miraculi plena, neque, si significaret, apta sententia esset, qua id aliorum hominum, non ipsius auctoris iudicium pronuntiaretur. Taceo de uulgata scriptura, quae a Pighio profecta est, *prae admiratione haereo*, et de aliis coniecturis aeque improbabilibus. Nam sola nunc Perizonii ingeniosa suspicio *praecipuam admirationem habet* specie ueritatis commendatur. Qua quam proferam non habeo nunc meliorem.

3. Cf. App. Mithr. 104.

Vix ferrem) Ita Gronouius emendauit corruptum *ferrent*, cum Pighius male edidisset *Vix ferrent illi*, pro quo Barthius malebat *alii*. Debebat Gronouii emendationem, quam probabat, recipere Torrenius.

4. *strage foedatum Alliensem diem*) Sic omnes codices, quos equidem inspexi, tamquam non ad Cremeram, sed ad Alliam caesi essent Fabii. Quae cum repugnent historiae, Pighius, ut Valerium culpa liberaret, deleta tacite copula ante *Trasimenum* edidit *stragem foedam, Alliensem diem et oppressos in Hispania Scipiones* etc. idque persuasit Perizonio, quod miror, cum nec uiolentum quo usus est remedium nec uerborum ordo, qui ita existit, probari possit. Multo minus ipsius Perizonii coniectura placet, recepta a Torrenio,

diem et oppressos in Hispania Scipiones et Trasimenum lacum et Cannas bellorumque ciuilium domestico sanguine manantes furores, amentibus propositis furoris tui repraesentare et uincere uoluisti. Sed uigilarunt oculi deorum, sidera suum uigorem obtinuerunt, arae, puluinaria, templa, praesenti numine uallat sunt nihilque, quod pro capite Augusti ac patria excubare debuit, torporem sibi permisit, et in primis auctor ac tutela nostra incolomitatis ne excellentissima merita sua totius orbis ruin conlaberentur diuino consilio prouidit. Itaque stat pax, ualen leges, sincerus priuati ac publici officii tenor seruatur. Q autem haec uiolatis amicitiae foederibus temptauit subuerter omni cum stirpe sua populi Romani uiribus obtritus, etiam apu inferos, si tamen illuc receptus est, quae meretur supplici pendit.

---

1. et trasimenum *pr. A.* et thrasimennum *corr. A.* et transimenum *CE.* Thr symenum *(omisso* et*) Torr.* || 2. madentes *E et corr. A.* madentem *Torr.* furores] furoris *pr. A.* hemathiã *corr. A.* aut hemũ *margo A.* Aemathiam *Tor* || 4. noluisti *pr. A.* || uigorem suum *Torr.* || 5. obtin[ucrunt a]rae *A.* || [num — (6.) ni]hilque *A.* || 6. [capite — excu]bare *A.* || 7. torpore *pr. A.* torp *corr. A.* || tutele *pr. A.* || 8. incolumitatis *CDETorr. et corr. A. add.* lup *E et corr. CD.* || 10. legent *pr. A.* || 14. pependit *D.*

---

strage foedatam, (quod uult pertinere ad ***urbem***,) ***Alliensem diem*** et q. s Primum enim cur urbs potissimum ea caede ad Cremeram facta foedata ess diceretur causa erat nulla, tum si Torrenius omnem huic emendationi dubita tionem eo eximi opinatur, quod Perizonius de binis cladibus inter se coniunct monuerit, componi scilicet urbem a Gallis captam cum Fabiis ad Cremera caesis, Alliensem diem cum interfectis Scipionibus, Trasimenum lacum cum Ca nis; reuera ne deest quidem illa copula ante ***Trasimenum***. Quae cum ita sin uel inuitus adducor ut uerba codicibus tradita genuina et antiqua esse auc toremque confudisse duas illas clades et Fabios apud Alliam occisos inde originem traxisse nefastum Alliensem diem putasse credam. Concedam incre dibilem fere uideri talem notissimarum rerum in ipsa Romana historia ignora tiam, sed cumulatis iam tot peccatis nihilo leuioribus, quantula haec accessi criminis est? Causam erroris praebuerunt duorum fluminum, Alliae et Cremerae confusa nomina.

domestico sanguine manantes furores) Reuocaui ueterum librorum et e tionum scripturam, quacum non debuerat Pighius mutare glossatorum nuga Intellegit Valerius omnium omnino bellorum ciuilium cruentas turbas a Mar Syllaque usque ad Actianam pugnam, quorum bellorum furores unius Seia nam hunc increpat, perfido furore repraesentatos et superatos esse censet Corrector autem libri Bernensis aut alius nescio quis doctus interpres, cu non perciperet quomodo furores sanguine manare dici possent, quod tam a loquendi consuetudine huius scriptoris minime abhorret, terrae cuiusda denotationem desiderans et de proeliis apud Pharsalum et Philippos cogita ***Aemathiam*** substituit, antiquum et poeticum Macedoniae nomen, quod in hoc scripturae genere locum omnino non habet. Consentiunt mecum in probando bonorum librorum testimonio Perizonius, Torrenius, Kappius.

DE MORTIBVS NON VVLGARIBVS.

Humanae autem uitae condicionem praecipue primus et ul- XII.
timus dies continet, quia plurimum interest quibus auspiciis inchoetur et quo fine claudatur; ideoque eum demum felicem fuisse iudicamus, cui et accipere lucem prospere et reddere placide contigit. Medii temporis cursus, prout fortuna gubernaculum rexit, modo aspero, modo tranquillo motu peragitur, spe semper minor, dum et cupide uotis extenditur et fere sine ratione consumitur. Nam et si eo bene uti uelis, etiam paruum amplissimum efficies, numerum annorum multitudine operum superando; alioquin quid attinet inerti mora gaudere, si magis exigis uitam quam adprobas? Sed ne longius euager, eorum mentionem faciam, qui non uulgari genere mortis absumpti sunt.

Tullus Hostilius fulmine ictus cum tota domo conflagrauit. 1.
Singularem fati sortem, qua accidit ut columen urbis in ipsa urbe raptum ne supremo quidem funeris honore a ciuibus decorari posset, caelesti flamma in eam condicionem redactum ut eosdem penates et regiam et rogum et sepulcrum haberet.

Vix uerisimile est in eripiendo spiritu idem gaudium po- 2.
tuisse quod fulmen et tamen idem ualuit. Nuntiata enim clade, quae ad lacum Thrasymenum inciderat altera *mater,* sospiti filio

---

1. VVLGATIBVS *pr. A.* || 3. inchoetur] *litterae* et *a corr. A.* || 4. itaque *D.* || 7. spe • *A.* spes *Γ et corr. D.* || 9. bene eo *Γ.* || 11. Alioqui *Torr.* || inermora *pr. A.* || 12. uitam exigis *Torr.* || euagare *pr. A.* euagari *corr. A.* || 13. adsumpti *pr. A.* assumpti *D.* absorti *E.* || 14. §. 1 *om. Γ.* || conflaglauit *pr. A.* || 15. acciderit *E.* || 16. suppremo *pr. A.* || 17. eadem condicione *ACDE. Correxit tacite Pighius.* || 18. sepulchrum *pr. A.* || 19. Vix — (20.) idem ualuit *om. Γ.* || 20. enim *om. Γ.* || 21. thrasymennum *A.* thrasimenum *Par.* || acciderat *Par.* || altera mater] altera *(omisso* mater*) CΓ et pr. AD.* mulierum duarum altera *E et corr. D.*

XII. *Nam et si eo bene uti uelis.)* Perperam Perizonius particulam *et.* tamquam plane abundantem et sensum turbantem, accedente, ut opinabatur, exemplorum manuscriptorum auctoritate, deleri uoluit. Tacent reliqui interpretes. De anacoluthia, orta e dissoluto altero bipartitae orationis membro, disseruimus ad III, 2, ext. 9.

1. Cf. Liu. I, 31. Dion. Hal. III, 35. Auct. de uir. ill. 4.

2. Cf. Liu. XXII, 7. Sed Plin. h. n. VII, 53, 54 et A. Gell. III, 15, 4 quae secundo loco ponuntur post Cannensem cladem accidisse narrant.

altera mater) Lacunam archetypi codicis, ortam omissa notione quadam, ad quam pertineant pronomina *altera — altera,* alii aliter expleuerunt. Cf. Vinc. Bell. spec. hist. VI, 44; VII, 129 et doctr. V, 111. Recte, si quid uideo, emendator libri Danielini, adiutus scilicet Paridis epitome, post prius *altera* inseruit *mater,* siquidem Paris Valerii uerba ita in compendium redegit, *Nuntiata clade, quae*

ad ipsam portam facta obuiam, in complexu eius expirauit, altera, cum falso mortis filii nuntio maesta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est. Genus casus inusitatum! Quas dolor non extinxerat laetitia consumpsit.

3. Sed minus miror, quod mulieres. M'. Iuuentius Talna consul, collega Ti. Gracchi consulis iterum, cum in Corsica, quam nuper subegerat, sacrificaret, receptis litteris decretas ei a senatu supplicationes nuntiantibus, intento illas animo legens, caligine orta ante foculum conlapsus mortuus humi iacuit. Quem quid aliud quam nimio gaudio enectum putemus? En cui Numantia aut Karthago excidenda traderetur!

4. Maioris aliquanto spiritus dux Q. Catulus, Cimbrici triumphi C. Mario particeps a senatu datus, sed exitus uiolentioris. Namque ab hoc eodem Mario postea propter ciuiles dissensiones mori iussus, recenti calce inlito multoque igni percalefacto cubiculo se inclusum peremit. Cuius tam dira necessitas maximus Marianae gloriae rubor extitit.

5. Qua tempestate rei publicae Lucius quoque Cornelius Merula, consularis et flamen Dialis, ne ludibrio insolentissimis uictoribus esset, in Iouis sacrario uenis incisis contumeliosae

---

1. obuia *E Par.* || in conspectu *E.* || 2. mortui *Γ.* || domi moesta *Torr.* || 3. respectum *D.* || 4. non *om. pr. A.* || 5. Sed — mulieres *om. Γ.* || M'.] m *A.* m. *CDEΓ Torr.* || inuentius *pr. A.* iuuenius *(sed litt.* us *in rasura) C.* minentius *D.* iuuenis *D.* iuuencus *Γ. Vt nos Par.* || Talna] * * * *A.* instalna *C.* calua *corr. D.* ustalna *Γ. om. Par. et pr. D.* Thalna *Torr.* || 7. decretas ei] decretae * *(litt.* i *in fine erasa, ut uidetur,) A.* decretam ei *E et corr. C.* decreta ei *Γ.* || 8. supplicationis *AΓ.* supplicationem *CE.* || illas intento *D.* || 10. cuectum *E.* || 13. cum mario *E.* || uiolentiores *pr. A.* || 14. Mario *om. C.* || 15. illito *in rasura A.* illico *ante* calce *E. Vt nos Par.* || igne *Par.* || incalefacto *(sed litt.* inc *in rasura) C.* || 17. robur *pr. A.* || 18. §. 5. *om. Γ.* || rei publicae] tr. pl. *CE.* || 19. ne * *A.*

— *acciderat, mater sospiti filio facta obuia, — expirauit. Altera mater, cum falso* et q. sqq.

3. Cf. Plin. h. n. VII, 53, 54.

M'. Iuuentius Talna) Correxi constantem librariorum errorem, Marcum ponentium pro Manii praenomine, quod Iuuentio fuisse docent fasti Capitolini a. DXC p. 293 Grut. In Plinii l. c. idem mendum sustulit Harduinus. Cognomen in iisdem fastis et in Plinii optimis codicibus cum aspirata littera incipit, neque aliter hucusque edebatur inde a Pighio, cum antea legerotur *Talna*. Sed sine aspiratione effertur in codice Mediceo epistolarum ad Attic. XIII, 29, 1 et in Lauresham. Liuli, ut uidetur, XLIII, 8, 2. XLV, 16, 3 et 21, 2; estque notum ne ipsos quidem ueteres in his rebus sibi constitisse. Cf. etiam Borghes. osserv. numism. decad. V, 5.

4. Cf. Cic. Tusc. V, 19, 56; id. de or. III, 3, 9; de nat. deor. III, 32, 80. Vell. II, 22, 4. Plut. Mar. 44. Flor. III, 21, 15. App. ciu. I, 74; alii.

5. Cf. Vell. II, 22, 2. Flor. III, 21, 16. App. ciu. I, 74.

mortis denuntiationem effugit sacerdotisque sui sanguine uetustissimi foci maduerunt.

Acer etiam et animosus uitae exitus Herenni Siculi, quo 6.
C. Gracchus et aruspice et amico usus fuerat. Nam cum eo nomine in carcerem duceretur, in postem eius inliso capite in ipso ignominiae aditu concidit ac spiritum posuit, uno gradu a publico supplicio manuque carnificis citerior.

Consimili impetu mortis C. Licinius Macer, uir praetorius, 7.
Calui pater, repetundarum reus, dum sententiae diriberentur, in Maenianum conscendit. Siquidem cum M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, praetextam ponentem uidisset, misit ad eum qui diceret se non damnatum, sed reum perisse, nec sua bona hastae posse subici, ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore et faucibus suis coartatis incluso spiritu poenam morte praecucurrit. Qua cognita re Cicero de eo nihil pronuntiauit. Igitur inlustris ingenii orator et ab inopia rei familiaris

1. [sui sanguine uetus]tissimi *A.* || 2. [foci maduerunt] *A.* || fori *D.* foces *in rasura C.* || 3. [Acer — animo]sus *A.* || et *om. E.* || [uitae — quo C.] *A.* || herennii *DEΓTorr.* || 5. poste *CEΓ. add.* BR. posti eius inflicto c. *margo A.* || eius] *ante* postem *Torr.* || 7. supplicio *om. A.* || 8. lucinius *E.* || uir praetorius *om. Γ.* || 9. calun *aut* caluri *Γ.* || diriũerentur *(erasa lineola super* u) *A.* dicerentur *CEPar. Torr.* ordinarentur *D.* d'iuarentur *Γ.* || in *om. Par.* || 10. moenianum *A.* .. .. .. *(sic) Γ.* || 11. agebat *E.* || 12. dampnatum *pr. A.* || 14. suis *om. (Γ)Par. Torr.* || 15. praecurrit *Torr. Vid. ad III, 1, 1.* || re cognita *Γ.* || nichil de eo *E.* || pronuntiauit] *add.* crimine domestice dãna *punctis notatum E.*

6. *Acer etiam et animosus)* Haud dubie de eodem facto cogitauit Vell. Pat. II, 7, 2, qui refert aruspicem Tuscum, cum Fuluii Flacci filium Opimii iussu flentem in uincula duci uidisset, dixisse 'Quin tu hoc potius facis'? protinusque illiso capite in postem lapideum ianuae carceris effusoque cerebro expirasse.

7. Cf. Cic. ad Att. I, 4, 2. Plut. Cic. 9.

dum sententiae diriberentur,) Solito librarii errore in codice Bernensi *diriuerentur* scribitur pro *diriberentur*, permutatis propter similem pronuntiationem litteris *b* et *u*, eadem ratione qua constanter in hoc libro *aceruitas, aceruus, Viuienus* pro acerbitate, acerbo, Vibieno efferuntur. Diribendi autem uocabulum in hac re esse aptissimum, cum iam Pighius perspexisset, quem aut ultuperarunt eo nomine reliqui grammatici aut certe non audiuerunt, pluribus nunc docuit Wunderus copiosa disputatione in libro, qui inscribitur Variae lectiones librorum aliquot Ciceronis ex cod. Erfurt. enotatae praef. p. CXXVII et seqq., falsus dumtaxat de imperfecti significatione, quam putabat esse cum res in eo esset, ut sententiae diriberentur. Apparet enim C. Licinium eo consilio exisse e iudicio et in maenianum ascendisse, ut ibi expectaret sententiarum euentum atque, si tristem fore animaduertisset, ante damnationem moreretur. Reuocauimus igitur quod iam a Pighio et Colero editum a recentioribus editoribus male mutatum est in *dum sententiae dicerentur*, quod tamen Paridis compendium confirmare uidetur. Ceterum non iniuria Drumannus IIII, p. 195 de uoluntaria C. Licinii morte dubitat, cum et Cicero eum damnatum et Plutarchus post damnationem eum mortuum esse tradiderint.

et a crimine domesticae damnationis inusitato paterni fati genere uindicatus est.

8. Fortis huius mors, illorum perridicula. Cornelius enim Gallus praetorius et T. Etereius, eques Romanus, inter usum [puerilis] ueneris absumpti sunt. Quamquam quorsum attinet eorum cauillari fata, quos non libido sua, sed fragilitatis humanae ratio abstulit? Fine namque uitae nostrae uariis et occultis causis exposito interdum, quae inmerentia *sunt*, supremi fati titulum

3. Fortis — perridicula *om. Γ.* || Fortis huius] Mors huius fortis *D.* Fortis huiusmodi *E.* || [perridicula. Corne]lius *A.* || enim] autem *Γ.* || 4. [et — inte]r *A.* || etereius *CΓ.* echerius *D.* etherius *EPar.* Haterius *Torr.* || eques Romanus] equestro *Γ.* || 5. puerilis] *om. ΓPar. sine uncis Torr.* || puer[ilis — Quamquam] *A.* || 8. sunt] *om. ACΓ. ante* inmerentia *Torr. add.* inherencia *D.* || suppremi *A.*

8. Cf. Plin. h. n. VII, 53, 54.

T. Etereius, eques Romanus) Quamquam intercidit hoc loco Bernensis codicis testimonium, dubitari tamen non potest quin archetypum exemplum exhibuerit *Etereius*, quod nomen alibi quoque inuentum est. Cf. Plin. XV, 23. (25) 94 cl. cum XVII, 17, (26,) 94 et 122. Grut. inscr. p. 678, 11. Nec sane multum inde discrepant Plinii, qui haec e Valerio desumpsit, codices, quorum Chiffletianus *Aetherius* exhibet, conspirans fere cum Paridis scriptura *Etherius*, Riccardianus *Hectierius*, Toletanus *Heterius*. Fuerit igitur eques ille aut *Etereius* aut *Eterius* aut *Heterius*. Quorum quid potissimum eligas incertum est. Eterius quidem in titulo sepulcrali non admodum, ut uidetur, antiquo inuenitur ap. Grut. inscr. p. 1144, 8. Pighius uero, cum in ueteribus editionibus *Ethereus* aut *Aetherius* positum esset, tacite Haterium substituit, notioris gentis nomen, quod deinde non solum Valeriana omnia exempla occupauit, uerum etiam ab Harduino in Plinio tamquam a Valerio profectum temere receptum est. Quem miror Silligium quoque secutum esse.

inter usum [puerilis] ueneris) Vox a nobis seclusa suspecta iam erat Pighio, quod eam, omissam in codice Cauchiano, ne Plinius quidem haberet, quodque indecora atque impertinens uideretur, ipso auctore eorum exitum excusante. Sed primum Valerius, quam excusare putatur a Pighio, libidinem uirorum illorum nequaquam excusat, sed eam cum morte eorum nihil cohaerere indicat; deinde codicis Cauchiani, eius, qui nobis abbreuiatus Guelferbytanus *Γ* est, auctoritas nulla, siquidem procul dubio in archetypo omnium codice, e quo ille quoque fluxit, *puerilis* inuentum erat, librariumque potius id aut casu quodam aut alia de causa, fortasse propter ipsam rei obscenitatem praeteriisse existimabimus. Itaque si parum ualent haec argumenta, aliud nunc incidit maximi ponderis, Pighio scilicet ignotum, quod Paris in compendio huius exempli aeque ac Plinius nihil omnino de puerili uenere protulit, neque ulla probabilis causa excogitari potest cur et Plinius et Paris, si uterque in Valerio legisset *inter usum puerilis ueneris*, eandem uocem praeterierint, praesertim cum ea omissa plane alia res indicetur. Quae cum ita sint, suspicionem a Pighio motam reprimere nequeo, uocemque a Torrenio sola librorum auctoritate defensam eiciendam censeo. Ascripserit eam forsan grammaticus quidam antiquo iam tempore propter praecedens *perridicula* et sequens *cauillari*, quae aptius ad pudendam illam naturaeque repugnantem libidinem subita morte inhibitam referri crediderit.

quae inmerentia sunt, supremi fati) In codicibus *sunt* non extat. Madvigius ad Cic. de fin. II, 7, 20 p. 175 uerba *est* et *sunt* in relatiuis enuntiatis omitti posse omnino negauit. Sed idem uir doctissimus poetis (Hor. ep. II, 2, 138) hanc licentiam concessit in gramm. Lat. §. 447, a. not. Equidem in Valerio

occupant, cum magis in tempus mortis incidant quam ipsa mortem accersant.

Sunt et externae mortes dignae adnotatu. Qualis in primis Ext. 1.
Comae, quem ferunt maximi latronum ducis Cleonis fratrem fuisse. Is enim ad Rupilium consulem Hennam, quam praedones tenuerant, in potestatem nostram redactam perductus, cum de uiribus et conatibus fugitiuorum interrogaretur, sumpto tempore ad se colligendum caput operuit innixusque genibus conpresso spiritu inter ipsas custodum manus inque conspectu summi imperii exoptata securitate adquieuit. Torqueant se miseri, quibus extingui quam superesse utilius est, in trepido et anxio consilio quanam ratione uita exeant quaerentes; ferrum acuant, uenena temperent, laqueos adprehendant, uastas altitudines circumspiciant, tamquam magno apparatu aut exquisita molitione opus sit, ut corporis atque animi infirmo uinculo cohaerens societas dirimatur. Nihil horum Coma, sed intra pectus inclusa anima finem sui repperit. Enimuero minimo studio retinendum bonum,

1. ipsa] in ipsa *A.* ipsam *CDE Torr. Quod correxi.* || 2. morte *A.* || accersant * * *A.* accersiant *DE et corr. C.* arcessant *Torr.* || 4. cleogenis *pr. A.* diogenis *CE.* eleonis *D.* deogenis *Γ. Vt nos etiam Par. Cf. Liu. epit. libr. LVI.* || 5. rutilium *ACDEΓ Par. Vid. ad II, 7, 3.* || henna *corr. A et pr. D.* heruiam *E.* ethna *Γ.* Ennam *Torr. Cf. I, 1, 1. p.* 108. || 6. redacta *Γ et corr. A.* || 8. operit *Γ.* || 11. in *om. (EΓ) Torr.* || 13. circumaspiciant *pr. Γ.* || 14. exquisito *pr. A.* exquisitiore *EΓ.* || 16. inclausa *pr. A.* || 17. miuimo] * * nimio *A.* in nimio *C.* nimio *ED.*

unum deprehendi, sed certissimum subauditi eius uerbi exemplum I, 6, 11, *Vellem quidem placidius; sed quod relatum, uerum est.* Itaque non ausus essem inserere *sunt*, quod priores editores inde a Vorstio parum sane probabiliter ante *immerentia* interpolarunt, nisi facillime fieri potuisset ut haec uerbi forma excideret ante uocabulum iisdem litteris incipiens, *supremi.* Kappius *sunt* ante *immerentia* uncis inclusum posuit. Aldus et Ascensius et relatiuum *quae* et uerbum indo pendens omiserant.

Ext. 1. *in trepido et anxio consilio*) Valerius e more suo consilium hominum, qui trepidi et anxii sunt, ipsum trepidum et anxium consilium uocat. Cf. praef. p. 36. Itaque nescio quomodo uiros doctos offendere potuerit quod miseri illi in hoc trepido et anxio consilio finiendae scilicet uitae torquere se dicuntur, quaerentes quanam ratione uita exeant, neque causa ulla erat cur deleretur praepositio *in*. Quod nos reuocauimus e codice Danielino legendum iam proposuerat Colerus.

Enimuero minimo studio) Vbi rasuram notaui in codice Bernensi ante *nimio*, olim praepositionem *in* fuisse docemur altero Berolinensi libro, in quo legitur *in nimio studio*. Quod cum in aliis quoque libris repperissent Vorstius et Torrenius, praepositionem e male intellecto compendio negationis *non* ortam rati, scribendum censuerunt *non nimio studio*. Quod nimium quantum languet. Nullo enim fere studio tam caducum bonum retinendum esse Valerius Comae exemplo demonstrare uoluit. Recte sine dubio abbreuiator Guelferbytanus emendauit *minimo studio*, unde facillime nasci potuit illud *in nimio*, singulis

cuius caduca possessio tam leui adflatu uiolentiae concussa dilabi potuit.

2. Aeschyli uero poetae excessus quemadmodum non uoluntarius, sic propter nouitatem casus referendus. In Sicilia moenibus urbis, in qua morabatur, egressus, aprico in loco resedit. Super quem aquila testudinem ferens, elusa splendore capitis, erat enim capillis uacuum, perinde atque lapidi eam inlisit, ut fractae carne uesceretur, eoque ictu origo et principium fortioris tragoediae extinctum est.

3. Non uulgaris etiam Homeri mortis causa fertur, qui in insula, quia quaestionem a piscatoribus positam soluere non potuisset, dolore absumptus creditur.

4. Sed atrocius aliquanto Euripides finitus est. Ab Archelai enim regis caena in Macedonia domum hospitalem repetens. canum morsibus laniatus obiit. Crudelitas fati tanto ingenio non debita.

5. Sicut illi excessus inlustrium poetarum et moribus et operibus indignissimi. Sophocles ultimae iam senectutis, cum in certamine tragoediam demisisset, ancipiti sententiarum euentu

---

3. uero *om. D.* || 4. referendus] *add.* est *E Torr.* || 5. concedit *D.* || 6. quem *om. Γ.* || aquila * *A.* || delusa *Par.* || 7. lapidi] *ultima littera in rasura A.* || 8. fractae] *add.* testudinis *E.* || carne] *ultima littera in rasura A.* || 11. propositam *D Torr.* || 13. euripedes *D et pr. A.* || est *om. Torr.* || 14. coena *(A.) Vt nos Par.* || macedonia * *A.* macedoniam *CDE.* || 16. dubita *pr. A.* || 17. excussus *pr. A.* || 19. certamen *Par.* || tragoediam] *add.* iam *E.* || dimisisset *E Γ Par.* dimissam *C.* dixisset *D et in rasura A, Torr.*

---

fere litterarum ductibus inter se congruentibus. Retinui igitur contra Vorstii Torreniique suspicionem uulgatam scripturam, a qua inepte maxime Colerus discessit, cum ederet *nimio studio* sine negatione.

2. Cf. Plin. h. n. X, 3, 3. Suid. u. *Αἰσχύλος.*

3. Cf. Pseudoplut. uit. Hom. 4.

4. Cf. A. Gell. XV, 20, 9. Hygin. fab. 247. Solin. 15. Suid. u. *Εὐριπίδης.*

5. Cf. Plin. h. n. VII, 53, 54. Sed acino deuorato mortuum eum esse narrat Lucian. macrob. 24.

in certamine tragoediam demisisset.) Quod non solum Valerianorum librorum archetypus, uerum etiam Paridis codex Vaticanus tradidit, *dimisisset*, intellegi nequit, nisi forte credideris Sophoclem illam tragoediam in certamine quodam a se dimisisse fingi tamquam hominem, ut certamen cum aliis iniret. Grammaticorum coniecturae in eo Paridis et librorum nostrorum consensu omnes aut probabilitate carent aut ipsi rei aut Latino sermoni repugnant. Temptarunt autem *dixisset, docuisset,* quod Torrenio placuit, *commisisset,* similia. Mihi lenissima mutatione legendum uidetur *demisisset,* quod uerbum etiamsi in hoc nexu alibi legisse me non memini, recte tamen eadem ratione dicitur, qua certaturi descendere in certamen. Demittitur enim qui alicuius iussu descendit. Quod si acceperis, ne ablatiuus quidem praepositioni *in* subiunctus plane reiciendus erit, qui casus Valerio apud uerba motum usque ad finem aliquem

diu sollicitus, aliquando tamen una sententia uictor, causam mortis gaudium habuit.

Philemonem autem uis risus inmoderati abstulit. Paratas 6.
ei ficus atque in conspectu positas asello consumente puerum ut illum abigeret inclamauit. Qui cum iam comestis omnibus superuenisset, 'Quoniam', inquit, 'tam tardus fuisti, da nunc merum asello'. Ac protinus urbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosecutus, senile guttur salebris spiritus grauauit.

At Pindarus, cum in gymnasio super gremium pueri, quo 7.
unice delectabatur, capite posito quieti se dedisset, non prius decessisse cognitus est quam gymnasiarcho claudere iam eum locum uolente nequicquam excitaretur. Cui quidem crediderim eadem benignitate deorum et tantum poeticae facundiae et tam placidum uitae finem attributum.

Sicut Anacreonti quoque, quem usitatum humanae uitae mo- 8.
dum supergressum, dum passae uuae succo tenues et exiles

3. philomenem *E.* || autem *om. C.* || 7. hanelitu *AC.* || 8. chacinnorum *pr. A.* || seni legitur *pr. A.* sanilo gutur *E.* || praegrauauit *Torr.* || 9. Ac *D.* || 10. unico *E.* || se quieti *E.* || 11. [gymnasiarcho] *A.* gymnasiarcha *Torr. Vid. ad IX, 10, ext. 2.* || 12. u[olente nequicquam] *A.* || qu[idem — (13.) eadem] benignita[te — (14.) attributum] *A.* || 15. anacreontem *(sed litterae* em *in rasura) D.* || quem usitatum] *sic Γ.* quem uis stantum *pr. A.* quem bis tantum *E et corr. A.* quem bis tantummodo *C.* quamuis tantum *(sed* quamuis *in rasura) D.* quamuis statum *Torr.* || modum *om. CD.* || 16. supergresso *Torr.* || dum] * * * *A. om. pr. D.* quem *Torr.* || passae] *post* uuae *Torr.* passo *D.* || suco *AE.*

designantia usitatissimus est. Vid. quae adnotaui ad V, 4, ext. 5, ubi exemplo quod citaui IX, 15, 1 *in hortis admittere* addas IX, 5, ext. 3 *in castris admittere.* In multis quae ibi exhibui mansionis notio remotior etiam est quam in hoc exemplo. Demittendi uerbum ita cum ablatiuo composuit Colum. XII, 8. Paris nimirum haec non semel pro arbitrio suo ad uulgarem dicendi normam transformauit.

6. Cf. Lucian. macrob. 25. Appulei. florid. 16. Suid. u. *Φιλήμων.*

salebris spiritus grauauit) In uulgatis exemplis hucusque legebatur *praegrauauit*, quod nescio an in nullo libro manuscripto inueniatur, sententiae certe repugnat; neque enim esse potest, ut opinabatur Kappius, 'modo concitatiore modo remissiore spiritu Philemon guttur nimis grauauit'. Torrenius manifestam coniecturam codicis Barberini *salubri spiritu priuauit* iniuria praefert. Nam licet perquam contorta et obscura sit oratio, tamen librorum scriptura bene se habet. Sententia est, senex nimio risu guttur adeo onerauit et tamquam salebris impleuit, ut in iis haereret spiritus et respiratio impediretur.

7. Cf. Suid. u. *Πίνδαρος.*

8. Cf. Plin. VII, 7, (5.) 44. Idem Sophocli accidisse tradit Lucian. macrob. 24.

quem usitatum humanae uitae modum) Vulgata exempla mira constantia hucusque seruarunt uerba a Pighio e codice Wincheliano pessime in hunc modum constituta, *quamuis statum humanae uitae modum supergresso; quem uuae passae succo tenues — reliquias fouentem.* In quibus locum non habet illud *quamuis*, quod esset aliquid, si in praecedenti exemplo Valerius Pin-

uirium reliquias fouet, unius grani pertinacior in aridis faucibus humor absumpsit.

9. Iungam illos, quos et propositum et exitus pares fecit. Milo Crotoniates, cum iter faciens quercum in agro cuneis adactis fissam uidisset, fretus uiribus accessit ad eam insertisque manibus diuellere conatus est. Quas arbor excussis cuneis in suam naturam reuocata conpressit eumque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris praebuit.

10. Item Polydamas athleta tempestate speluncam subire coactus [est], nimio et subito incursu aquae labefactata ea ac ruente, ceteris comitibus fuga periculum egressis solus restitit, tamquam humeris suis totius ruinae molem sustentaturus, sed pondere

---

1. fouẽte *A.* foueret *CE et corr. D.* fouentem *Torr.* || 2. adsumpsit *pr. A.* || 3. illo *pr. A.* || 5. fixam *E et corr. D.* || eum *A.* || 9. polidamus *ACDEΓ.* || 10. est *om. corr. D, Torr.* || nimio] *add.* autem *Γ.* || labefacta *CDE Torr.* || 11. egressis] *add.*, u. uitantibus *margo A.* uitantibus egressis *DE.*

---

darum praematura morte abreptum fuisse declarasset. Nunc non habet, quo referatur. Sed luce clarius apparet archetypi codicis scripturam hanc fuisse, *quem uis tantum* (uel *stantum*) *humanae uitae modum supergressum dum unae passae succo — fouente.* Vnde, ut taceam Kappii somnia, conicientis *quem bis statum humanae uitae modum supergressum, dum — foueret,* non ita male Torrenius eruit *quem destinatum humanae uitae modum,* sed perperam paulo post cum Kappio *dum — foueret.* Neque enim in mera temporis denotatione imperfecti coniunctiuus particulam *dum* excipere potest. Vtrumque mendum egregie sanauit abbreuiator Guelferbytanus, facillima mutatione *usitatum* reponens pro *uis tantum* et necessarium prorsus praesens tempus *fouet* pro inepto *fouente*, quod a sciólo quodam factum est propter praecedens *succo.* Quam emendationem certissimam non dubitaui recipere.

unius grani) Perizonius legendum censuit *unius acini,* quod in grano non esset humor, quodque acini uocabulo in eadem re usus esset Plinius l. c. Sed cf. Ouid. trist. IIII, 6, 10 *uixque merum capiant grana, quod intus habent.*

9. Cf. Strab. VI, 1, 12 p. 263 Cas. Diod. Sic. exc. Vat. 23 p. 20 Mai. Ouid. Ib. 611. A. Gell. XV, 16. Schol. ad Theocr. IIII, 6. Suid. u. *Μίλων.*

10. Cf. Diod. Sic. exc. Vat. 23 p. 20 Mai. Paus. VI, 5. Suid. u. *Πολυδάμας.*

coactus [est] nimio) Verbum *est* ferri nequit, cum nihil praecesserit de alio item speluncam subire coacto. Deletum iam est quod nos seclusimus in editione Veneta a. 1478.

periculum egressis) Nimis dure qui e periculis euadunt ea egredi dici uidebantur Perizonio, probanti quod e margine libri Danielini in recentiores aliquot codices translatum est, *uitantibus,* insertum ante *egressis,* uel *egressis* e glossa ortum putanti. Alteram eius suspicionem secutus est Torrenius, qui *uitantibus egressis* a Valerio profectum opinabatur, alteram Kappius, qui *periculum uitantibus* edidit. Scio infrequens esse *periculum egredi*, duri quid sit in ea translatione non uideo, cum ipse Cicero pro Mur. 2, 4 *pericula ingredi* composuerit. Accusatiuus autem egrediendi uerbo de exeuntibus posito subiunctus inde ab Augusti aetate satis usitatus erat. Similiter Val. Flacc. II, 277 *Sic medios egressa metus* scripsit.

omni corpore humano potentiore pressus imbris petitam latebram dementis fati sepulcrum habuit. Possunt hi praebere documentum nimio robore membrorum uigorem mentis hebescere, quasi abnuente natura utriusque boni largitionem, ne supra mortalem sit felicitatem eundem et ualentissimum et sapientissimum.

DE CVPIDITATE VITAE.

XIII. Verum quia excessus e uita et fortuitos et uiriles, quosdam etiam temerarios oratione attigimus, subiciamus nunc aestimationi enerues et effeminatos, ut ipsa conparatione pateat quanto non solum fortior, sed etiam sapientior mortis interdum quam uitae sit cupiditas.

1. M'. Aquilius, cum sibi gloriose *extingui* posset, Mithridati

1. [humano potenti]ore *A.* || imbris] *add.* causa *E Torr.* || la[tebram dementis] *A.* || 2. saepulchrum *pr. A.* saepulcrum *corr. A.* || [Possunt — docum]entum *A.* || ii *Γ.* || 3. [robore — men]tis *A.* || rubore *Γ.* || haebes[cere — (4.) utriusque] *A.* || 4. ne • *A.* || 7. Rerum *Γ.* || ex uita *D.* || 9. enarues *D.* || quantum *Γ.* || 12. m. aquilius *A C D E Γ Par. Torr.* || gloriosae *pr. A.* || extingui] *om. C et pr. A. ante* gloriose *D.* mortem consciscere *margo C.* mortem conscire *E.* || posse *pr. A.*

imbris petitam latebram) Librorum scriptura simili prorsus Lucani loco defenditur, V, 743, ubi item res, cuius uitandae causa latebra petitur, genitiuo casu effertur, *Cedendum est bellis, quorum tibi tuta latebra Lesbos erit.* Poeticum dicendi genus in Valerio spero fore ne quisquam obiciat. Itaque nec addita uoce *causa* opus erat, quam intruserunt Chalcocondylae et Pighii exempla et quae Pighium sequuntur omnia, nec mutatione *imbribus*, proposita a Perizonio, probata a Torrenio, quamuis eam ueri similitudine commendari non negauerim. Kappius secluso *causa* mire *imbris* pro *imbribus*, sicut *poematis* pro *poematibus* positum putat. Mihi quidem Valerius ipsis illis genitiuis praepositis, *imbris* et *dementis fati*, acumen quoddam quaesiuisse uidetur atque ideo composuisse Polydamam, quam imbris tutelam petiuisset, eam fati sepulcrum habuisse. In quibus perquam mire sane *dementis fati* illud sepulcrum fuisse dicit; quod tamen qui facili quidem emendatione mutandum censuerit in *dementis facti*, uereor ut recte iudicet. Fatum enim auctor haud dubie ut alii quoque scriptores pro morte usurpauit, eamque mortem dementem appellat, quia dementia Polydamae, quae increpatur, eam prouocauerat, non aliter atque in primo externo huius capitis exemplo trepidum dixit et anxium eorum consilium, qui manum sibi consciscere parati quaererent quanam potissimum ratione e uita excederent. Quapropter nihil mutandum duxi.

XIII, 1. Cf. Liu. epit. libr. LXXXVII. Vell. II, 18, 3. Diod. Sic. exc. de uirt. et uit. II, p. 613. Plin. h. n. XXXIII, 3, 14. App. Mithr. 21. Dio. Cass. fragm. 115 et 136 pp. 46 et 55 Reim. Athen. V, p. 213.

M'. Aquilius) Manii praenomen recte reuocauerat Pighius, quem nescio cur non secuti sint reliqui grammatici. Cf. App. et Diod. ll. cc. Dauis. ad Cic. Tusc. V, 5.

sibi gloriose extingui posset) Manca meliorum librorum primaria scriptura et deteriorum uaria supplementa, in aliis alio loco inserta, uerbum e *posset*

maluit turpiter seruire. Quem nonne aliquis merito dixerit Pontico supplicio quam Romano imperio digniorem, quoniam commisit ut priuatum obprobium publicus rubor existeret?

2. Gnaeus quoque Carbo magnae uerecundiae est Latiuis annalibus, tertio in consulatu suo iussu Pompei in Sicilia ad supplicium ductus, petens a militibus demisse et flebiliter ut sibi aluum leuare priusquam expiraret liceret, quo miserrimae lucis usu diutius frueretur, eoque moram trahens, donec caput eius sordido in loco sedentis abscideretur. Ipsa uerba tale flagitium narrantis secum luctantur, nec silentio amica, quia occultari non merentur, neque relationi familiaria, quia dictu fastidienda sunt.

3. Quid, *D.* Brutus exiguom et infelix momentum uitae quam

---

1. Quem nonne] quem non *ACDE.* quem *(omisso* nonne*) F.* Quemne *Torr.* || quis *E.* || 3. robur *pr. A.* || 4. C. Carbo *Par.* || 5. sicilia *ACDEF.* || 6. petens *ACDF.* petiit *E.* || dimisse *C.* || 7. album *pr. A.* alium *E.* || alleuare *D.* || [prius] quam *A.* || [lucis] *A.* || 8. eo usque *Torr.* || traxit *F.* || 9. absciderentur *Torr. Vid. ad VIII, 3, 3.* || tale * *A.* || 11. nec *D Torr.* || orationi *D.* || dicta (sed *in rasura*) *D.* || 12. Quid brutus *ACDEF Torr.* || exiguum *corr. A. cum reliqui et Torr.*

---

pendens in archetypo codice omnino defuisse demonstrant. A Valerio igitur profectum putabimus quod a correctore libri Danielini e Paridis epitome petitum transierat in recentiores aliquot codices, ut in Campensem et Winchelianum, unde hausit Pighius. Dubitari tantum potest de pronomine *sibi*, quod non agnoscit Paris. At manifestum est auctorem singulis notionibus inter se oppositis lumen aliquod sententiae quaesiuisse atque ita illi *Mithridati turpiter seruire* contrarium fecisse *sibi gloriose extingui.*

Quem nonne aliquis merito dixerit) Ita dedi e coniectura Perizonii pro eo quod inde a Pighio uulgo legebatur *Quemne aliquis merito*, et ante Pighium *Quem quis non immerito* sine interrogatione, licet Perizonius ipse praetulisse uideatur *Quem nae aliquis merito.*

2. Cf. Liu. epit. libr. LXXXIX. Plut. Pomp. 10. App. ciu. I, 96.

petens a militibus) Librorum scriptura *petit*, quod est *petiit*, cum non conueniret copulae sequenti in *eoque.* Aldus probante Vorstio ediderat *eo* usque. Quod si facile fieri potuerit ut litterae *us* ibi exciderent, parum tamen concinna uidetur oratio ita restituta, quia male iam cohaeret participium *trahens* cum finito uerbo *petiit*, quocum sane formam suam mutare deberet in hunc modum *petens — traxit.* Rectius igitur Pighius e codice Cauchiano posuit *petiit — eoque moram traxit.* Sed multo uerisimilius Torrenius probum sententiarum nexum, quem nos supra exhibuimus, restituit mutato *petit in petens*, ut sit constructio *Carbo ductus ad supplicium uerecundiae est annalibus Latinis, petens ut sibi aluum leuare liceret et eo* (leuando aluum) *moram trahens donec* etc. Librarius antiquo iam tempore cum non animaduerteret, quae initio ponuntur, *Cn. Carbo — annalibus* arte cohaerere cum sequentibus, offensus tot participiis *(ductus, petens, trahens,)* uerbum finitum, quod desiderabat, sibi finxit interpolando *petiit.*

3. Cf. Liu. epit. libr. CXX. Vell. II, 64. Senec. epp. ad Lucil. 82. App. ciu. III, 98. Dio. Cass. XLVI, 53. Oros. VI, 18. Val. IIII, 7, 6.

D. Brutus) Suppleui praenominis notam e Paridis epitome, cum probabilius sit eam propter praecedentem litteram in codice archetypo excidisse quam sponte additam esse ab abbreuiatore illo. Eadem de causa paulo *post inter-*

dedecore emit? Qui a Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, conprehensus, non solum ceruicem gladio subtraxit, sed etiam constantius eam praebere admonitus, ipsis his uerbis iurauit, 'Ita uiuam, dabo'. *O* cunctationem fati aerumnosam! O iurandi stolidam fidem! Sed hos tu furores inmoderata retinendi spiritus dulcedo subicis, sanae rationis modum expugnando, quae uitam diligere, mortem non timere praecepit.

Eadem Xerxen regem pro totius Asiae armata iuuentute, Ext. 1.
quod intra centum annos esset obitura, profundere lacrimas coegisti. Qui mihi specie alienam, reuera suam condicionem deplorasse uidetur, opum magnitudine quam altiore animi sensu felicior. Quis enim mediocriter prudens mortalem se natum fleuerit?

QVAM EXQVISITA CVSTODIA VSI SINT QVIBVS SVSPECTI DOMESTICI FVERVNT.

Referam nunc eos, quibus aliquos suspectos habentibus ex- 2.
quisitior sui quaesita custodia est. Nec a miserrimo, sed ab eo, qui inter paucos felicissimus fuisse creditur, incipiam.

---

1. decore *pr. C.* || 3. sed] uerum *Torr.* || eam] *post* admonitus *E.* || 4. uiam *Γ.* || O *om. ADΓ.* || cunctationem] *post* fati *Torr.* contatione *Γ.* || aerumnosam * (*sed litterae* am *in rasura*) *A.* || 6. inclinando *E.* || 7. praecipit *corr. C.* || 8. xersen *C.* xersem *E.* xerxem *DΓTorr.* || 9. annos *om. pr. A.* || lacrimis *A.* || 10. [Qui] *A.* || aliena *C et corr. D.* || c[ondicionem deplorasse] *A.* || 11. [quam — an]imi *A.* || altiori *D.* || sen[su — (12.) mediocriter] *A.* || 12. enim] *add.* eciam *D.* || mortale[m — (13.) fleuerit] *A.* || 14. QVAM — (15.) FVERVNT *om. Torr.* || EXQVISIT[A — QVIBVS] *A.* || EXQVISITA] *add.* QVIDAM *Par.* || sunt *CDEΓ. Vt nos Par.* || QVIBVS — (15.) FVERVNT *om. Par.* || 15. domestici suspecti *E.* || DOM[ESTICI FVERVNT] *A.* || 16. [quibus — suspectos] *A.* || alios *coniecit Perizonius.* || 17. custodia quaesita *Torr.*

---

iectionem *O* ante *cunctationem* retinui, propter sequens *o iurandi stolidam fidem* necessario insertam a recentioribus librariis et receptam iam in ueteribus editionibus.

QVAM EXQVISITA CVSTODIA) Omnia quae sequuntur exempla, ad externam historiam pertinentia, eiusdem sunt argumenti cuius praecedentia, quibuscum necessario cohaerent. Titulum, tamquam nouum caput inciperet, grammaticus ille intrusit, a quo reliquae quoque profectae sunt capitum inscriptiones (cf. proleg. p. 92.), inductus praefatione ea *Referam nunc* etc., quae et uerba tituli subministrauit praeter illud *domestici*, quod ipsum ne aptissimum quidem est. Vulgata exempla inde a Pighiano totam inscriptionem omittunt.

Masinissa rex, parum fidei in pectoribus hominum reponens, salutem suam custodia canum uallauit. Quo tam late patens imperium? quo tantum liberorum numerum? quo denique tam arta beniuolentia constrictam Romanam amicitiam, si ad haec tuenda nihil canino latratu ac morsu ualentius duxit?

3. Hoc rege infelicior Alexander, cuius praecordia hinc amor, hinc metus torserunt. Nam cum infinito ardore coniugis Thebes teneretur, ad eandem ex epulis in cubiculum ueniens, barbarum conpunctum notis Thraciis stricto gladio iubebat anteire, nec prius se *ibi*dem lecto committebat quam a stipatoribus diligenter esset scrutatus. Supplicium irato deorum numine compositum, neque libidini neque timori posse imperare. Cuius timoris eadem et causa et finis fuit. Alexandrum enim Thebe pellicatus ira mota interemit.

---

1. rex] *add.* numidarum populo romano amicissimus *E.* || 2. custodia ∗ *A.* || 3. tantus *D Torr.* tam *C.* || numerus *D Torr.* || 4. arta] armata *Γ.* || constricta *A C D Γ Torr. et ante* tam arta *E.* || romana amicitia *A C D Torr.* amicitia romana *E.* || 5. dixit *Γ.* || 6. inferior *E.* || 7. thebis *D et corr. A.* || 9. coniunctum *C D* || *et pr. A.* || nothis *A.* nochis *C.* || thracis *C et pr. A.* thraicis *corr. A.* traciis *E.* trahciis *Γ.* Threiciis *Torr.* || ant[eire — (10.) ibi]dem *A.* || 10. ibidem] *om. D.* idem *C E Γ.* || [quam — d]iligenter *A.* || 11. scrutat[us — ira]to *A.* || deor[um — (14.) interemit] *A.* || 12. posse] esse *E.* || Cuius — (14.) interemit *om. Γ.* || timoris] tempore *C.* timori *E Torr.*

---

2. *quo tantum liberorum numerum)* Notum est dicendi genus, *quo mihi (tibi) hanc rem*, sequente *si* aut *nisi* ad insigniendam utilitatem uel commodum, quod ex aliqua re prodire poterat, sed non prodiit aut proditura est sub certa condicione. Cf. Phaedr. fab. III, 18, 9. Ouid. amor. III, 4, 41. Senec. de tranq. anim. 9. Bentl. ad Hor. epp. I, 5, 12. Gronou. ad Senec. quaest. *nat.* I, 16, p. 656. Madu. gramm. §. 770. Eo genere sine dubio hoc loco usus est Valerius, etiamsi datiuum personae non adiecit. Vix enim credibile est librarios rectum casum *tantus — numeras* mutaturos fuisse in accusatiuum, cum interim facillime in sequentibus *constrictam Romanam amicitiam* accusatiui notae excidere potuerint. Recepi suadente Pighio quod e coniectura iam posuerat abbreuiator Guelferbytanus, nisi quod hic male retinuit *constricta*.

3. Cf. Cic. de off. II, 7, 25; id. de inuent. II, 49, 144. Ouid. Ibid. 322. Plut. Pelop. 35.

nec prius se ibidem lecto committebat) Ita Pighius tacite, sed lenissima mutatione et necessario emendauit librorum scripturam *se idem*. Neque recte oblocutus est Vorstius. Praeterquam enim quod male se haberet *idem*, cum modo praecesserit *eundem*, demonstratiuum pronomen manente eodem subiecto non solum otiosum esset, sed etiam omnino nouum introduceret alieni timoris documentum, si idem Alexander Phereus, quotienscumque cubitum iret, lectum suum a stipatoribus perquiri iussisse diceretur, cum tamen omnia haec, cum praecedentibus arte cohaerentia, de solo coniugis timore intellegenda sint. Notabile praeterea est *scrutatus esset* patiendi significatu positum, quemadmodum ab Amm. Marc. XXVIII, 1, 10. Cf. Prisc. VIII, p. 799. Non. VII, 6 p. 469.

Cuius timoris) Edebatur uulgo *timori*. De archetypi scriptura nihil hoc loco affirmauerim, siquidem quae Bernensis liber olim exhibuerat legi nequeunt situ deleta, abbreuiatus autem Guelferbytanus omnia haec uerba omi-

Age, Dionysius, Syracusanorum tyrannus, huiusce tormenti 4.
quam longa fabula! Qui duodequadraginta annorum dominationem in hunc modum peregit. Summotis amicis in eorum locum ferocissimarum gentium homines et a familiis locupletium electos praeualidos seruos, quibus latera sua conmitteret, substituit. Tonsorum quoque metu tondere filias suas docuit. Quarum ipsarum, postquam adultae aetati adpropinquabant, manibus ferrum non ausus conmittere, instituit ut candentium iuglandium nucum putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. Nec securiorem maritum egit quam patrem. Duarum enim eodem tempore, Aristomaches Syracusanae et Locrensis Doridis matrimoniis inligatus, neutrius umquam nisi excussae conplexum petiit, atque etiam cubicularem lectum perinde quasi castra lata fossa cinxit, in quem se ligneo ponte recipiebat, cum forem cubiculi extrinsecus a custodibus opertam, interiorem claustro ipse diligenter obserasset.

1. [Age — (2.) duodequadraginta] *A.* || huiusce] *add.* modi *E.* || 2. longam fabulam *D.* || duos de XL *E.* || 4. locupletum *DE et corr. C, Torr.* || 6. tonsorumque (*Γ*). || detondere *Par.* || 8. ut *om. pr. D.* || iugladium *C et pr. A.* glandium *DΓ.* gladium *E.* || 9. nucu *pr. A.* aut nucum *DE. om. ΓTorr.* || puta manibus *pr. A.* ptamanibus *pr. C.* non captam manibus *corr. C.* || adurarent *Γ.* || 10. securiorem] *add.* se *corr. D.* || 11. aristhomades *pr. A.* aristhomadis *D et corr. A.* aristomacles *C.* aristoniathes *E.* || locrenses *pr. A.* || dorodis *supra lineam D.* || 12. alligatus *E.* || 13. petiit *CDEΓTorr.* || c[astra — (14.) lig]neo *A.* || 14. pont[e — (16.) obserasset] *A.* || 16. diligentius ipse *Γ.* || obserabat *E.*

sit. Sed cum alter Berolinensis, qui saepissime cum praedictis codicibus congruit, *timoris* tradiderit, familiae testimonium id esse suspicatus, recipere non dubitaui quod longe sane praestat. Nam si iam pronomine *cuius* indicaretur Alexander ille, male ipsa uiri appellatio statim repeteretur.

4. Cf. Cic. Tusc. V, 20, 57; id. de off. II, 7, 25. Plut. Dion. 9.

iuglandium nucum putaminibus) Ante Pighium uulgo legebatur *iuglandium* (uel *glandium*) *aut nucum putaminibus.* Ille et cum eo reliqui deinde grammatici uu. *aut nucum* tamquam ineptum glossema delerunt, quod nucum genus esset iuglans. Sed recte iam Vorstius legendum proposuerat quod nos suadentibus optimis libris atque etiam Iulii Paridis compendio edidimus, monuitque *nux iuglans* per appositionem dici posse ut *nux castanea* et similia. Cf. autem Plin. h. n. XIIII, 21, 27. XV, 22, 29. Macrob. Sat. II, 14, quem citauit Oliuerius. Corruptum Aristomaches nomen recte iam restitutum est ab abbreuiatore Guelferbytano siue e Ciceronis Tusc. l. c. siue e Plutarchi Dion. 3. Cf. etiam Diod. Sic. XIIII, 44, p. 677.

DE SIMILITVDINE FORMAE.

XIIII. De similitudine autem oris et totius corporis altiore doctrina praediti subtilius disputant, eorumque alii in ea sunt opinione ut existiment illam origini et contextui sanguinis respondere. Nec paruum argumentum ex ceteris animalibus trahunt, quae fere gignentibus similia nascuntur. Alii negant hanc esse certam naturae legem, sed species mortalium, prout fortuita sors conceptionis obtulit, attribui, atque ideo plerumque ex speciosis deformis et ex robustis inualidos partus edi. *Igi*tur, quoniam ista quaestio in ambiguo uersatur, pauca inter alienos conspectae similitudinis exempla referemus.

1. Magno Pompeio Vibius ingenuae stirpis et Publicius libertinus ita similes fuerunt, ut permutato statu et Pompeius in illis et illi in Pompeio salutari possent. Certe quocumque aut Vibius aut Publicius accesserant, ora hominum in se obuertebant, uno quoque speciem amplissimi ciuis in personis mediocribus adnotante.

2. Quod quidem fortuitum ludibrium quasi hereditarium ad eum penetrauit. Nam pater quoque eius eo usque Menogenis, coci sui, similis esse uisus est, ut uir et armis praepotens et ferox animo sordidum eius nomen repellere a se non ualuerit.

3. Eximiae uero nobilitatis adulescens Cornelius Scipio, cum

1. [DE SIMILITVDINE FORMAE] *A.* || 2. [De — (3.) ea sunt] *A.* || 6. hanc esse certam *Torr.* || 8. plerumque] *add.* et *E.* || 9. deformes *D et corr. A, Torr.* || inualidus *CE.* || edi. Igitur] editur *pr. A.* editur uerum *CDE et corr. A.* edi *F.* edi. Verum *Torr.* || quoniam] *om. C. add.* ergo *F.* || 10. uersatur in ambiguo *E.* || 12. pompei *pr. A.* || uiuius *pr. A.* uinius *C.* iunius *EF. Vt nos etiam Par.* || 15. uiuius *F et pr. A.* uinius *C.* iunius *E.* || 18. [Quod quidem fortuitum] *A.* || here[ditarium — (19.) pen]etrauit *A.* || 19. [quoque — Meno]genis *A.* || 20. [esse — uir et] *A.* || uir et] uir etiam *D.* || ferox animo et praepotens armis *Torr.* || 21. [animo — eius] *A.* || nomen eius *F.* || [ualuerit. — (22.) Eximiae] *A.*

XIIII. *partus edi. Igitur, quoniam)* Apparet codicem archetypum exhibuisse *inualidos partus editur quoniam ista*, omniaque, quae praeterea reperiuntur in codicibus manuscriptis, non felicissimos esse librariorum mancae sententiae emendandae conatus; ita quod hucusque in uulgatis exemplis legebatur *edi. Verum quoniam.* Nos suppletis tribus litteris, quas propter praecedens *i* excidisse admodum est ueri simile, leniorem medicinam adhibuimus. *Igitur* in initio sententiae positum ualde frequens est in hoc opere. Cf. I, 8, 10. II, 7, 6. III, 1 ext. 8. IIII, 7, ext. 1. VIII, 1, abs. 3. IX, 3, 8. IX, 12, 7.

1. Cf. Plin. h. n. VII, 12, 10 §. 53. Solin. I, 80.
2. Cf. Plin. h. n. VII, 12, 10 §. 54.
3. Cf. Liu. epit. libr. LV. Plin. h. n. VII, 12, 10 §. 54 et XXI, 3.

plurimis et clarissimis familiae suae cognominibus abundaret, in seruilem Serapionis appellationem uulgi sermone inpactus est, quod huiusce nominis uictimarî quam similis erat. Neque illi aut morum probitas aut respectus tot imaginum quo minus hac contumelia aspergeretur opitulata sunt.

Generosissimus consulatus collegium Lentuli et Metelli fuit. 4. Qui ambo in scena propter similitudinem histrionum propemodum spectati sunt. Sed alter ex quodam secundarum cognomen Spintheris traxit, alter, nisi Nepotis a moribus accepisset, Pamphili tertiarum, cui simillimus esse ferebatur, habuisset.

At M. Messalla consularis et censorius Menogenis Curioque 5. omnibus honoribus abundans Burbulei, ille propter oris aspectum, hic propter parem corporis motum, uterque scenici nomen coactus est recipere.

Abunde sint haec de domesticis, quoniam et personis sunt Ext. 1. excellentia et non obscura notitia celebrantur.

---

2. sermone * *A.* || 3. huiusce] *add.* modi *E.* || uictimarii *DΓ et corr. A.* uictimario *CEPar. Torr.* || quam *om. E.* || Nec *Torr.* || 4. illi] *post* probitas *Γ.* || 5. hanc contumeliam *pr. A.* || opitulatus est *Γ.* || 6. §. 4 *om. Γ.* || generosissimum *D Torr.* || collegio *E et corr. C.* || 7. scena * *A.* || 9. alter, nisi] alternis *pr. A.* || 10. tertiarum] tertiarum actori *partim in rasura partim in margine A. incerta pr. A.* tertiarum actoris *D.* retiarii *CE.* || esset *AD.* || habuisse (t *in fine erasum*) *A.* || 11. §. 5 *om. Γ.* || Ac *D.* || nemogenis *CE.* nemogenes *D.* || curiaque *D.* || 12. [abundans] *A.* || bubulei *C.* || [oris — (13.) hic] *A.* || 13. [corporis — uterque] *A.* || coact[us est] *A.* || 15. [Abunde] *A.* || sunt *E.* || de *om. E. et pr. A.* || dom[esticis, quoniam] *A.* || [sunt] *A. add.* haec *D.* || 16. [non — celebrantur] *A.*

---

4. Cf. Plin. h. n. VII, 12, 10 §. 54.

Generosissimus consulatus) Ita scripsi bonorum librorum iussu, cum uulgo ederetur *Generosissimum consulatus collegium.* Auctor e more suo pro concretis notionibus *(generosissimi consules collegae Lentulus et Metellus fuerunt)* abstractas consulatum et collegium posuit. Nobiscum sensit teste Vorstio Gronouius Obseru. in Eccl. c. 15.

nisi Nepotis a moribus accepisset) Falli Valerium de causa huius appellationis recte animaduerterunt Perizonius et Drumannus gesch. Roms II, p. 35. Colerus suspicatus erat legendum esse *a maioribus.*

Pamphili tertiarum) Liber Danielinus, manifesto interpolatus e Paridis epitome *Pamphilo tertiarum actori* exhibente, causa extitit cur recentiores libri emendatius proferrent quae in archetypo codice uitiose legebantur *pamphili retiarii.* Verum probabilius corrector omisso illo *actori* (certe *actoris* scribendum erat,) *retiarii* tantum in *tertiarum* mutasset. Ita Plinius quoque, qui omnia haec a Valerio mutuatus est: *sicut Spinther secundarum tertiarumque Pamphilus conlegio Lentuli et Metelli coss.* Partium et actoris denotationem interdum in his subintellegi praeter Plinii praedictum locum docet etiam Sueton. Calig. 57, quem citauit Perizonius.

5. Cf. Plin. h. n. VII, 12, 10 §. 55.

Ext. 1. Cf. Plin. h. n. VII, 12, 10 §. 53. Solin. I, 80.

Regi Antiocho unus ex aequalibus et ipse regiae stirpis nomine Artemo perquam similis fuisse traditur. Quem Laodice, uxor Antiochi, interfecto uiro dissimulandi sceleris gratia in lectulo perinde quasi ipsum regem aegrum conlocauit admissumque uniuersum populum et sermone eius et uultu consimilis fefellit crediderunt que homines ab Antiocho moriente Laodicen et natos eius sibi conmendari.

2. Hybrean autem Mylasenum, copiosae atque concitatae facundiae oratorem, Cymaeorum seruo strigmenta gymnasii colligenti tantum non germanum fratrem totius Asiae oculi adsignarunt. Ita liniamentis oris et omnium membrorum conpares erant.

3. Ille uero, quem in Sicilia praetoris admodum similem fuisse constat, petulantis animi. Proconsule enim dicente mirari se quapropter sui tam similis esset, cum pater suus in eam prouinciam numquam accessisset, 'At meus', inquit, 'Romam accessit'. Ioco namque lacessitam matris suae pudicitiam inuicem suspicione in matrem eius reiecta audacius quam uirgis et securibus subiecto conueniebat ultus est.

---

1. anthioco *A.* || [unus — ipse] *A.* || 2. no[mine — perquam] *A.* || arcemo *D.* arthenio *E.* arthemo *Γ.* Artemon *Torr.* *Vt nos etiam Par.* || tra[ditur — Laodice] *A.* || 3. anthioci *A.* || [dissimu]landi *A.* || 4. per[inde quasi] *A.* || [admissum]que *A.* || 6. omnes *Γ.* || anthioco *A.* || 8. §. 2 *om. Γ.* || hybreantem *D et in rasura C.* hibreanta *E.* Hybream *Torr.* || ac *E.* || 9. oratorum *pr. A.* || cymeorum *A.* cynicorum (*sed litt.* corum *in rasura*) *C.* cinicorum *E.* || stragmenta *DE et in rasura C.* || 10. tantum non] tantum * * *C.* tantum similem ferunt ut *corr. C.* tamquam suum *D.* tam similem ferunt ut *E.* tam similem ut tantum non *Torr.* || oculi totius asiae *D.* || assignarent *E et corr. C, Torr.* || 12. siciliam *C.* || praetoris] proconsuli *D.* || simi[lem — (13) constat] *A.* || 13. petulantis] *add.* fuit *Torr.* || [Proconsule — dicente] *A.* || proconsulem *C.* || enim] ei *D.* || 14. [quapropter sui tam] *A.* || [suus — prouin]ciam *A.* || 15. [At — acce]ssit *A.* || Romam] *add.* frequenter (*E*) *Torr.* || 16. [lacessitam — (18.) ultus est] *A.* || 17. uirgis et securibus *om. Γ.* || 18. ultus est] *Finit. h. l. cod. Guelf. Γ. uerbis* explicit lib. VIII Valerii dictorum et factorum memorabilium *Γ.*

---

2. *Hybrean autem Mylasenum)* Cf. Strab. XIV, 2, 24 p. 659 Cor.

colligenti tantum non) Ita hunc locum emendandum esse uidit Gronouius ad Liu. III, 2, 12, cum inde a Pighio uulgo peruerse admodum ederetur *colligenti tam similem, ut tantum non* (uel *tamquam*) *— assignarent.* Probant nunc Gronouii factum optimi quique codices a nobis collati. Vorstius et Perizonius Gronouii sententiae astipulati sunt neque tamen quisquam recipere est ausus.

3. Cf. Plin. h. n. VII, 12, 10 §. 55. Solin. I, 83. De Caesare Augusto idem refert Macrob. Sat. II, 4, 20 et ex eo Ioann. Saresb. Polier. III, 14 p. 202 ed. Lugd.

DE HIS QVI INFIMO LOCO NATI MENDACIO SE CLARISSIMIS FAMILIIS INSERERE CONATI SVNT.

Sed tolerabilis haec et uni tantummodo anceps temeritas. XV.
Quod sequitur impudentiae genus nec ferendum ullo modo pe-
5 riculique cum priuatim tum etiam publice late patentis.

Nam ut Equitium Firmo Piceno monstrum ueniens, relatum 1.
iam in huiusce libri superiore parte praeteream, cuius in amplectendo Ti. Graccho patre euidens mendacium turbulento uulgi errore, amplissima tribunatus potestate uallatum est, Herophilus,
10 equarius medicus, C. Marium VII consulem auum sibi uindicando ita se extulit, ut et coloniae [se] ueteranorum complures et municipia splendida collegiaque fere omnia patronum adoptarent. Quin etiam cum C. Caesar Cn. Pompeio adulescente in Hispania oppresso populum in hortis suis admisisset, proximo
15 intercolumnio paene pari studio frequentiae salutatus est. Quod nisi diuinae Caesaris uires huic erubescendae procellae obstitissent, simile uulnus res publica excepisset atque in Equitio acceperat. Ceterum decreto eius extra Italiam relegatus, postquam ille caelo receptus est, in urbem rediit et consilium inter-
20 ficiendi senatus capere sustinuit. Quo nomine iussu patrum

---

1. DE HIS QVI PER MENDACIVM SE IN ALIENAS FAMILIAS INSERVERVNT *Torr.* || [DE HIS — NATI] *A.* || 2. INS[ERERE] *A.* || 4. nec] non *D. Vid. ad III, 2, ext.* 9. || 5. cum] tum *CDE Torr. Vid. ad II, 2,* 8. || patentes *pr. A.* || 6. ut] et *C.* || aequitium *A.* || furno *in rasura D.* || 7. superiori *D.* || 9. potestate tribunatus *E.* || 10. aequarius *A.* ocularius *Par.* || 11. [ita — coloniae] *A.* || excudit *CE.* || ut et] ut *pr. D, Torr.* || se *om. Torr.* || [complures et municipia] *A.* || 12. [collegiaque — patro]num *A.* || 13. Quin — C.] Caesar *A.* || etiam c. cesar *in rasura C.* || [Pompeio — (16.) obstitissent] *A.* || 15. intercolumno *corr. D. incerta pr. D.* || 16. erubescente *D.* || 18. religatus *pr. A.*

XV, 1. Cf. Liu. epit. libr. CXVI. Cic. in Anton. I, 2, 5. App. ciu. III, 2, 3. *Herophilus, equarius medicus)* Appianus Amatium eum uocat, qui recte etiam Liuianae epitomae restitutus esse uidetur, ubi codices *camates, chamates, camartes* aut similia exhibent. Vtebatur fortasse utraque appellatione. Nam libertinos accepto heri nomine seruile cognomen retinuisse notum est. Alius Herophilus, celeberrimus medicus, commemoratur a Plinio h. n. XI, 37, 88 et XXVI, 2. Cels. praef. 3. Tertull. de anim. 10. Hic Pseudomarius humillimae sortis fuisse perhibetur in Liuii epitome. Magis etiam de condicione hominis ambigi potest, cum a Paride, cuius testimonio merito eadem fides habetur atque Valerianis codicibus, ocularius medicus dicatur. Quod equidem praefero. Nam ut taceam quod adiectiuum equarius alibi ita usurpatum non inuenitur, ne id quidem constat utrum fuerint apud ueteres medici, qui proprie sanandis equis operam impenderint.

necatus in carcere, seras prompti animi ad omne moliendum scelus poenas pependit.

2. Ne diui quidem Augusti etiam nunc terras regentis excellentissimum numen intemptatum ab hoc iniuriae genere. Extitit qui clarissimae ac sanctissimae sororis eius Octauiae utero se genitum fingere auderet, propter summam autem inbecillitatem corporis ab eo, cui datus erat, perinde atque ipsius filium retentum, subiecto in locum suum proprio filio, diceret, uidelicet ut eodem tempore sanctissimi penates et ueri sanguinis memoria spoliarentur et falsi sordida contagione inquinarentur. Sed dum plenis impudentiae uelis ad summum audaciae gradum fertur. imperio Augusti remo publicae triremis affixus.

3. Repertus est etiam qui se diceret esse Q. Sertorii filium, quem ut agnosceret uxor eius nulla ui compelli potuit.

4. Quid Trebellius Calca, quam adseueranter se Clodium tulit! et quidem dum de bonis eius contendit, in centumuirale iudicium adeo fauorabilis descendit, ut uix iustis et aequis sententiis consternatio populi ullum relinqueret locum. In illa tamen quaestione neque calumniae petitoris neque uiolentiae plebis iudicantium religio cessit.

---

1. in carcere * *A. in rasura C.* in carcerem *D.* || ceras *D.* || 2. ponas *pr. A* || 3. Nec *Torr. Vid. ad II.* 1. 4. || diu *E.* || et nunc *C.* etiam tunc *D.* etiamnum *Torr.* || 4. intentatum *post* genere *Torr.* || Extitit] *add.* enim *D et margo A, Torr.* || 5. ac] et *E.* || sanctissimae] *add.* feminae *D.* || eius *om. pr. D.* || 7. [filium reten]tum *A.* || 8. [proprio — diceret] *A.* || 9. [tempore — penates et] *A.* || [memoria — (10.) f]alsi *A.* || 10. [contagione inquinarentur] *A.* || cum *A C D E.* || 11. ple[nis — summam] *A.* || plenis] in pletris *pr. C.* impletis *E et corr. C.* || auda[ciae — (12.) affixus] *A.* || 12. affixus] *add.* est *D E.* || 13. [Repertus — (14.) c]ompelli *A.* || 15. chalcha *A C.* calcha *D.* chalca *E.* || se *om. E.* || 16. [et quidem] *A.* || de *om. pr. A.* || in — (17.) descendit *om. pr. C.* || 17. [descendit] *A.* || 18. ullum] fixum *in rasura C.* || 19. [iudicantium] *A.*

---

2. *dum plenis impudentiae uelis — fertur*) Sic iam ueteres editiones pro eo, quod in libris manuscriptis est *cum — fertur*. At praesentis indicatiuus particulae *cum* subiunctus in hoc sententiae nexu non habet quo defendatur. Itaque *dum* cum prioribus grammaticis retinui, quod apprime conuenit huic loco. In codice Bituricensi primo emendatum est *cum — ferretur*. In fine huius exempli uereor ne in archetypo post *affixus* exciderit *est*, quod deteriores tantum libri tradunt. Facile omittere poterat librarius, qui *affixus* coniungeret cum sequenti *repertus est*.

4. *Trebellius Calca*) Sic non improbabiliter bonorum librorum uitiosa scriptura *Chalcha* emendata est in uulgatis exemplis, ita ut nomen alias, quod sciam, non inuentum deriuatum sit a calcando. Ipse uir ignotus est, nisi idem fuerit, quem scimus tribunum plebis a. 707 P. Dolabellae legem de tabulis nouis ferenti restitisse (Cf. Plut. Ant. 9. Dio. Cass. XLII, 29 et XLVI, 16.

Multo fortius ille, qui Cornelio Sylla rerum potiente in do- 5.
mum Cn. † Assidionis inrupit filiumque eius patriis penatibus expulit, uociferando non illum sed se † Assidione esse procreatum. Verum postquam a Syllana uiolentia Caesariana aequitas † reduxit, gubernacula Romani imperii iustiore principe obtinente in publica custodia spiritum posuit.

Eodem praeside rei publicae in consimili mendacio muliebris Ext. 1.
temeritas Mediolani repressa est. Siquidem cum se pro Rubria quaedam, perinde ac falso credita esset incendio perisse, nihil ad se pertinentibus bonis insereret neque ei aut tractus eius splendidi testes aut cohortis Augusti fauor deesset, propter inexpugnabilem Caesaris constantiam inrita nefarii propositi abiit.

---

1. for[tius — qui] *A.* || rerum] r. r. *A.* re publica *DE et in rasura C.* || dom[um — (2.) Assidio]nis *A.* || 2. g. assidionis *(sed* sidionis *in rasura) C.* gnei bionẽ *D.* cn. asidionis *E.* Cn. Asiani Bionis *Par.* Cn. Asinii Dionis *Torr.* || 2. patris *CDE.* || [penatibus] *A.* || 3. [uocifer]ando *A.* || se[d se Assidio]ni *(sed* e *supra* i *scriptum) A.* || assidione *(sed litt.* sidio *in rasura) C.* bione *D.* asidione *E.* Dione *Torr.* || procreatum esse *E.* || 4. [Sylla]na *A.* || 5. obtinente] *add.* rem publicam *DE*, *corr. A*, *margo C et ante* obtinente *Torr.* || 7. [in con]simili *A.* || 8. est] et *D.* || Siq[uidem cum se] *A.* || 9. quaedam] quae dicta *D.* || per[inde ac falso] *A.* || in[cendio — (12.) inexp]ugnabilem *A.* || 10. nec *(E) Torr.* || 11. testis *D.*

---

6. *Cn. † Assidionis)* Apparet archetypum codicem olim exhibuisse *Cn. Assidionis* aut *Asidionis* et paulo post *Assidione*, unde Pighius, quem sequuntur recentiores grammatici e codice Atrebatensi *Cn. Asinii Dionis* posuit. Sed uix crediderim Sullae temporibus Dionis cognomen apud Romanos in usu fuisse. Perizonius et ipse haesitans legendum esse coniecit *Cn. Asellionis* uel *Cn. Asinii Dentonis* (Cf. Cic. ad Att. V, 20, 4), quae tamen nimis discedunt ab iis, quae Paridis compendium, item corruptum hoc loco, tradidit *Cn. Asiani Bionis.* Equidem duplicis uulneris medicinam nullam repperi.

Caesariana aequitas † reduxit, gubernacula) Gubernacula pendere ab *obtinente*, non a *reduxit* facile est intellectu, cum nulla causa sit cur gubernacula potius reduci dicantur quam id, quod in hac translatione ipsius nauis a peritiore gubernatore seruati uicem obtinere debet. Itaque cum exciderit obiectum aptum a reducendi uerbo, male in uulgatis exemplis ante *obtinente* intrusum est *rem publicam*, coniunctis inter se *reduxit gubernacula*, quod primus temptauit corrector libri Bernensis. Peius etiam Gudius *obtinente* mutauit in *obnitente* deleto *rem publicam*, tamquam iustior princeps obstitisset quominus gubernacula imperii Romani a Syllana uiolentia reducerentur aut quominus ille in publica custodia spiritum poneret. Equidem u. *rem publicam*, quam uulgatae editiones falso uerbo subiunxerunt, ante *reduxit* supplendum esse suspicor, quo loco ante uocem iisdem litteris incipientem facile excidere poterat. Pighius miro et inaudito relucendi significatu legendum proposuerat *postquam a Syllana uiolentia Caesariana aequitas reluxit, gubernacula* etc.

Ext. 1. *cohortis Augusti)* Perquam probabiliter Perizonius cum codice Copesiano legendum esse coniecit *cohortis Augustae;* neque enim conuenire eundem hic Augustum, altera linea Caesarem appellari, citatque adiectiui eius praeter multa alia exempla haec Valeriana II, 8, 7 et VIII, 15, init. *Augusta domus*, VI, 1, init. *Augustos penates.* Quae emendatio, etiamsi ualde mihi arridet, recipienda non uidebatur, cum quae libris manuscriptis traduntur defen-

maluit turpiter seruire. Quem nonne aliquis merito dixerit Pontico supplicio quam Romano imperio digniorem, quoniam commisit ut priuatum obprobium publicus rubor existeret?

2. Gnaeus quoque Carbo magnae uerecundiae est Latinis annalibus, tertio in consulatu suo iussu Pompei in Sicilia ad supplicium ductus, petens a militibus demisse et flebiliter ut sibi aluum leuare priusquam expiraret liceret, quo miserrimae lucis usu diutius frueretur, eoque moram trahens, donec caput eius sordido in loco sedentis abscideretur. Ipsa uerba tale flagitium narrantis secum luctantur, nec silentio amica, quia occultari non merentur, neque relationi familiaria, quia dictu fastidienda sunt.

3. Quid, *D.* Brutus exiguom et infelix momentum uitae quanto

---

1. Quem nonne] quem non *ACDE.* quem *(omisso* nonne*)* *F.* Quemne *Torr.* || quis *E.* || 3. robur *pr. A.* || 4. C. Carbo *Par.* || 5. sicilia *ACDEF.* || 6. petit *ACDF.* petiit *E.* || dimisse *C.* || 7. album *pr. A.* alium *E.* || alleuare *D.* || [prius]quam *A.* || [lucis] *A.* || 8. eo usque *Torr.* || traxit *F.* || 9. abscinderetur *Torr. Vid. ad VIII.* 3. 3. || tale * *A.* || 11. nec *D Torr.* || orationi *D.* || dicta *(sed* a *in rasura) D.* || 12. Quid brutus *ACDEF Torr.* || exiguum *corr. A. cum reliquis et Torr.*

---

pendens in archetypo codice omnino defuisse demonstrant. A Valerio igitur profectum putabimus quod a correctore libri Danielini e Paridis epitome petitum transierat in recentiores aliquot codices, ut in Campensem et Winchelianum, unde hausit Pighius. Dubitari tantum potest de pronomine *sibi*, quod non agnoscit Paris. At manifestum est auctorem singulis notionibus inter se oppositis lumen aliquod sententiae quaesiuisse atque ita illi *Mithridati turpiter seruire* contrarium fecisse *sibi gloriose extingui.*

Quem nonne aliquis merito dixerit) Ita dedi e coniectura Perizonii pro eo, quod inde a Pighio uulgo legebatur *Quemne aliquis merito*, et ante Pighium *Quem quis non immerito* sine interrogatione, licet Perizonius ipse praetulisse uideatur *Quem nae aliquis merito.*

2. Cf. Liu. epit. libr. LXXXIX. Plut. Pomp. 10. App. ciu. I, 96.

petens a militibus) Librorum scriptura *petit*, quod est *petiit*, cum non conueniret copulae sequenti in *eoque*, Aldus probante Vorstio ediderat *eo usque.* Quod si facile fieri potuerit ut litterae *us* ibi excíderent, parum tamen concinna uidetur oratio ita restituta, quia male iam cohaeret participium *trahens* cum finito uerbo *petiit*, quocum sane formam suam mutare deberet in hunc modum *petens — traxit.* Rectius igitur Pighius e codice Cauchiano posuit *petiit — eoque moram traxit.* Sed multo uerisimilius Torrenius probum sententiarum nexum, quem nos supra exhibuimus, restituit mutato *petit* in *petens*, ut sit constructio *Carbo ductus ad supplicium uerecundiae est annalibus Latinis, petens ut sibi aluum leuare liceret et eo* (leuando aluum) *moram trahens, donec'* etc. Librarius antiquo iam tempore cum non animaduerteret, quae initio ponuntur, *Cn. Carbo — annalibus* arte cohaerere cum sequentibus, offensus tot participiis *(ductus, petens, trahens,)* uerbum finitum, quod desiderabat, sibi finxit interpolando *petiit.*

3. Cf. Liu. epit. libr. CXX. Vell. II, 64. Senec. epp. ad Lucil. 82. App. ciu. III, 98. Dio. Cass. XLVI, 53. Oros. VI, 18. Val. IIII, 7, 6.

D. Brutus) Suppleui praenominis notam e Paridis epitome, cum probabilius sit eam propter praecedentem litteram in codice archetypo excidisse quam sponte additam esse ab abbreuiatore illo. Eadem de causa paulo post inter-

dedecore emit? Qui a Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, conprehensus, non solum ceruicem gladio subtraxit, sed etiam constantius eam praebere admonitus, ipsis his uerbis iurauit, 'Ita uiuam, dabo'. *O* cunctationem fati aerumnosam! O iurandi stolidam fidem! Sed hos tu furores inmoderata retinendi spiritus dulcedo subicis, sanae rationis modum expugnando, quae uitam diligere, mortem non timere praecepit.

Eadem Xerxen regem pro totius Asiae armata iuuentute, Ext. 1.
quod intra centum annos esset obitura, profundere lacrimas coegisti. Qui mihi specie alienam, reuera suam condicionem deplorasse uidetur, opum magnitudine quam altiore animi sensu felicior. Quis enim mediocriter prudens mortalem se natum fleuerit?

QVAM EXQVISITA CVSTODIA VSI SINT QVIBVS SVSPECTI DOMESTICI FVERVNT.

Referam nunc eos, quibus aliquos suspectos habentibus ex- 2.
quisitior sui quaesita custodia est. Nec a miserrimo, sed ab eo, qui inter paucos felicissimus fuisse creditur, incipiam.

---

1. decore *pr. C.* || 3. sed] uerum *Torr.* || eam] *post* admonitus *E.* || 4. uiam *Γ.* || O *om. ADΓ.* || cunctationem] *post* fati *Torr.* contatione *Γ.* || aerumnosam * (*sed litterae* am *in rasura*) *A.* || 6. inclinando *E.* || 7. praecipit *corr. C.* || 8. xersen *C.* xersem *E.* xerxem *DΓTorr.* || 9. annos *om. pr. A.* || lacrimis *A.* || 10. [Qui] *A.* || aliena *C et corr. D.* || c[ondicionem deplorasse] *A.* || 11. [quam — an]imi *A.* || altiori *D.* || sen[su — (12.) mediocriter] *A.* || 12. enim] *add.* eciam *D.* || mortale[m — (13.) fleuerit] *A.* || 14. QVAM — (15.) FVERVNT *om. Torr.* || EXQVISIT[A — QVIBVS] *A.* || EXQVISITA] *add.* QVIDAM *Par.* || sunt *CDEΓ. Vt nos Par.* || QVIBVS — (15.) FVERVNT *om. Par.* || 15. domestici suspecti *E.* || DOM[ESTICI FVERVNT] *A.* || 16. [quibus — suspectos] *A.* || alios *coniecit Perizonius.* || 17. custodia quaesita *Torr.*

---

iectionem *O* ante *cunctationem* retinui, propter sequens *o iurandi stolidam fidem* necessario insertam a recentioribus librariis et receptam iam in ueteribus editionibus.

QVAM EXQVISITA CVSTODIA) Omnia quae sequuntur exempla, ad externam historiam pertinentia, eiusdem sunt argumenti cuius praecedentia, quibuscum necessario cohaerent. Titulum, tamquam nouum caput inciperet, grammaticus ille intrusit, a quo reliquae quoque profectae sunt capitum inscriptiones (cf. prolog. p. 92.), inductus praefatione ea *Referam nunc* etc., quae et uerba tituli subministrauit praeter illud *domestici*, quod ipsum ne aptissimum quidem est. Vulgata exempla inde a Pighiano totam inscriptionem omittunt.

Albanorum reges, Capetum Siluium, Agrippam Siluium, posterioresque duces Mettium Fufetium et Tutorem Cloelium uocatos. Nec contenti his ad Sabinos transgrediuntur; Titum Tatium, Numam Pompilium et patrem eius Pompium Pompilium eiusdemque regionis principes enumerant † Pustulanum Lauranum, Volesum Valensium, Mettum Curtium, † Alium Fumusilleaticum. Ab Etruscis recitant Lartem Porsennam, ab Aequiculis Septimum

---

1. carpentem *D.* || 2. [Mettium] *A.* Metium *Par. Torr.* metrum *D. Vid. ad VII, 4,* 1. || suffectium *D.* Suffetium *Torr.* || 3. is *D.* || et Titum *Torr.* || 4. pompium popilium *D.* Pompum Popilium *Torr.* || eius denique *Torr.* || 5. reg[ionis — (743, 1.) qui ius] *A.* || puculanum *D.* Pirtilianum *Torr.* || Lauianium *Torr.* || 6. Volesum *om. D.* || ualencium *D.* Valesium *Torr. Cf. Osann. ad Cic. de rep. III,* 10, 17, *p.* 266. || metium *D Torr.* || Allum *Torr.* || funnisille *D.* Funnisillaticum *Torr.* || 7. Ab Etruscis] Ex Tuscis *Torr.* || porsinnam *D.* || Aequicolis *Torr.*

Capetum Siluium) Cf. Liu. I, 3. Dion. Hal. I, 71. Ouid. met. XIIII, 613; fast. IIII, 46.

Agrippam Siluium) Cf. Liu. Dion. Hal. ll. cc. Ouid. fast. IIII, 49.

Tutorem Cloelium) Sine dubio is significatur, quem commemorant Dion. Hal. III, 3 et Paul. diac. u. Cloeliae fossae p. 56 Müll.

Pompium Pompilium) Reliqui scriptores Numae patrem constanter Pomponem uocant (Dion. Hal. II, 58. Auct. de uir. ill. 3.), Plutarchus Num. 3 uno nomine Pomponium. Pighius, dubito num e codice, ut contendit, *Pompum* edidit pro librorum *Pompium*, quae emendatio speciem habet ueri. Nam si multa praenomina in *us* exibant, quae simulatque gentes significare coeperunt, bisyllabam illam terminationem acceperunt (Attus, Accus, [Acca,] Tullus, Marcus,) in primis hoc cadere uidetur in antiquas illas appellationes, in quibus praenomina iisdem litteris incipientia similiter sonabant atque nomina, ut in Tito Tatio, Voleso Valesio, Hosto Hostilio, aliis. Sed cum Pompilio solus Valerius hoc praenomen tribuerit et multa praenomina altera illa terminatione efferantur, ut Appius, Lucius, Manius, Publius, Seruius, Spurius, temerarium uidebatur mutare scripturam a codicibus firmissimam.

† *Pustulanum Lauranum)* De emendatione huius nominis equidem aeque despero atque priores editores, cum neque praenomen tale neque cognomen alibi inuentum sit ac ne similes quidem appellationes innotuerint, quae potuissent substitui, nisi quod Luranius uel Lauranius quidam commemoratur a Quintiliano IX, 4, 38. Pro Pustulano Paetulanum quendam a Paetone, pro Laurano Laianium sibi finxit Perizonius.

Volesum Valensium) Cf. Borghes. n. framm. de' fast. cons. T. I, p. 45. Inscr. Grut. p. 6, 5 et 97, 2. Dion. Hal. II, 46.

Mettum Curtium) Cf. Liu. I, 12. Dion. Hal. II, 46.

† *Alium Fumusilleaticum)* Non minus haec corruptela deplorata quam ea, quae modo in Pustulano Laurano offendit. Pighius duos homines pro exemplo poni praenomine et nomine significatos et *Allum* prius praenomen esse suspicatur, unde gens Allia appellationem traxisset. Altera eiusdem uiri coniectura speciem ueri similitudinis prae se fert, intellegi fortasse Tallum Turanium (codd. *Τάλλιος Τύρραννος*), quem Dionysius II ant. 46 cum Tatio e Sabinis Romam transmigrasse scripserit; iidem enim illic Tatii comites commemorantur, qui in hoc opere cum Allio Fumusilleatico componuntur, Volesus Valesius et Mettus Curtius. Verum litterae eius nominis a tradita scriptura nimis abhorrent, quam quae ansam praebeant emendandi.

Modium, primum regem eorum, et Sertorem Resium, qui ius fetiale constituit. In hunc modum Varronis sententia subruitur.

Romanos autem arbitrandum est maxime ab Albanis et 2.
Sabinis multiplicandorum nominum consuetudinem traxisse, quoniam ab illis orti sunt. Omnia autem quae ad unumquemque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem uim significandi hominis obtinent. Quod per proprietates dicitur, hoc distat, quia eo gens cognoscitur, ideoque dicitur gentilicium. Cetera ordine uariantur. Nam quod praeponitur praenomen, quod postfertur cognomen, quod ad ultimum dicitur agnomen est. Quorum series non ita ut exposui semper seruata est. Animaduerto enim in consulum fastis perplexum usum praenominum et cognominum fuisse. Dictum Postumum Cominium Auruncum et Postumum Aebutium Heluam et Vopiscum Iulium et Opitrem Verginium Tricostum et Paulum Fabium Maximum. Quin etiam quaedam cognomina in nomen uersa sunt, ut Caepio. Namque hoc in Bruto nominis locum obtinuit.

---

1. modum *D.* || Fertorem *Par.* || qui] *add.* primus *Torr.* || 2. instituit *Torr.* || 3. [arbitrandum est maxime] *A.* || 6. [definiendum excogitata] *A.* || ea[ndem uim signi]ficandi *A.* || significandum *D.* || 7. homi[nis obti]nent *A.* || proprietatem (*A*) *Torr.* proprietate *D.* || 9. proponitur *D.* || 10. adiicitur *Torr.* || 12. consulum] *Quae sequuntur in fine mutilae paginae per aliquot uersus legi nequeunt.* (*Cf. praef. p.* 79.) *Reliqua inde a* (14.) Heluam et Vopiscum *usque ad uu.* §. 7. celebrata est *omnino desunt in A. eademque in D.* || 14. Ebutium *Par.* || Eluam *Torr.* || Virginium *Torr.*

Sertorem Resium) Ius fetiale ab Aequiculis asciuisse Ancum Martium testatur Liuius I, 32, 5, Resii uel Rhesi nomen reticens, de quo auct. de uir. ill. 5, *Ius fetiale, quo legati ad res repetendas uterentur, ab Aequiculis transtulit* (Ancus), *quod primus fertur Rhesus excogitasse*. De praenomine, licet Paridis codex Vaticanus *Fertorem* exhibeat, dubitationem omnem eximit Festus u. Sertorem p. 340 Müll., et quod ipsum illud praenomen postea (§. 4.) cum aliis in priore huius capitis parte commemoratis (Opitre, Vopisco, Larte,) accuratius explicatur, Neque solum apud Aequiculos Sertoris nomen in usu fuisse, uerum etiam apud Vmbros docuit Grotefendius in zeitschr. f. alterthw. 1843 p. 181.

2. *quod ad ultimum dicitur)* Pighius 'e uetere codice' *adicitur* legi iussit. Sed Bernense exemplar cum Paridis Vaticano defendit dicendi uerbum eadem ratione adhibitum, qua paulo ante *quod per proprietates dicitur* positum est.

Postumum Cominium) Consul erat a. u. c. 253 et 261. Cf. Liu. II, 18 et 33. Dion. Hal. V, 50.

Postumum Aebutium) Magister equitum A. Seruilii dictatoris a. u. c. 319. Cf. Liu. IIII, 21.

Vopiscum Iulium) Cf. Fast. Cap. ap. Grut. p. 292. Borghes. framm. de' fast. cons. T. II, p. 140. Liu. II, 54. Dion. Hal. IX, 37. Cognomine Vopisci usi sunt P. Manilius cons. a. u. c. 634 ap. Grut. p. 214. Flauius Vopiscus; alii.

Opitrem Verginium) Cf. Liu. II, 54. Borgh. l. c. I p. 66 et II p. 67.

Paulum Fabium Maximum) Cons. a. 743. Cf. Tac. ann. I, 5.

3. Gentilicia nomina Varro putat fuisse numero ɔɔ, praenomina circa XXX. Pueris non prius quam togam uirilem sumerent, puellis non ante quam nuberent praenomina imponi moris fuisse Q. Scaeuola auctor est. Quae olim praenomina fuerunt, nunc cognomina sunt, ut Postumus, Agrippa, Proculus, Caesar.

1. numero ɔɔ] innumera *Torr.* || et praenomina *Torr.* || 5. Postumius *Par.*

3. *numero ɔɔ)* Valerii codices notam, qua millenarius numerus significatur, non intellectam omiserunt. Quo facto Pighius, cum in 'uetere codice' is *numero* repperisset, legendum esse coniecit *innumera*, merito eo nomine reprehensus a Bergkio. Recto enim ille a diligentissimo antiquitatis scrutatore accuratiorem eius numeri definitionem expectari obiecit. Veram scripturam nunc praebuit Paridis codex Vaticanus.

Pueris non priusquam togam uirilem sumerent) Lustrico die, qui puerorum erat nonus, puellarum octauus, infantes nomina accepisse tradiderunt Plutarchus quaest. Rom. 102. Macrob. Sat. I, 16. Arnob. III, 102. Discrepantia igitur, quae inter Q. Scaeuolae et reliquorum scriptorum testimonium intercedit, ita explicanda est, ut illum de priscis tantum urbis Romae temporibus, hos de recentiore aetate cogitasse statuamus, quamuis ne ita quidem probabilis sit Scaeuolae opinio, siquidem maxime quousque in patria domo uersabantur liberi, praenominibus eos inter se discerni oportuerit. Quintus autem Scaeuola procul dubio pontifex ille maximus est, eloquentissimus et iuris peritissimus, qui consul erat a. u. c. 658.

Postumus) Codd. *Postumius*, quod iam Pighius correxerat. Erat enim Postumus antiquis temporibus praenomen, cuius duo supra exempla repraesentantur; deinde cognomen extitit in gentibus Vibia, Rabiria, aliis; sicut Agrippa olim praenomen Silui regis, Meneniorum, Furiorum (Liu. II, 16. IIII, 11. IIII, 13. III, 66. V, 32.), proprie iis tributum, qui nascentes in pedes processerunt, ut opinantur Varro ap. Gell. XVI, 16. Plin. h. n. VII, 8, 6 §. 45. Quint. I, 4, 25. Seru. ad Aen. VIII, 682; deinde cognomen in Fonteia, Vibullia, Vipsania gente.

Proculus) Proculos secundum Paul. diac. p. 225 alii dictos putarunt natos patre peregrinante procul a patria (cf. Plut. Coriol. 11.), alii patribus senibus quasi procul progressis aetate natos. Praenomine illo usi sunt Geganius Macerinus cos. (Liu. IIII, 12.), Iulius senator (Liu. I, 16.), Verginius Tricostus Rutilus cos. a. u. c. 268, alii; cognomine Cn. Acerronius cos. ap. Fabr. inscr. p. 674 n. 13 Licinius, praefectus praetorio, apud Tac. I hist. 87.

Caesar) Nescio quam uere auctor hoc olim inter praenomina fuisse statuerit, cum nemo adhuc innotuerit, qui eo praenomine usus sit. Primus enim, quod nos quidem scimus, id nomen habuit, sed pro cognomine Sex. Iulius Caesar, praetor a. 546. Cf. Liu. XXVII, 21. Neque tamen ideo Perizonii coniectura placet, legendum esse pro eo in transitu ad sequentia *Ceterum*. Abruptam in sequentibus orationem mirari non debebat in hac compendii, non integri operis natura. Fortasse deriuatio nominis a nascendi quodam casu, quae in praenominibus maxime adhiberi solebat a grammaticis, causa extitit cur Caesar praenomen olim fuisse crederetur. Alii enim ita appellatos putarunt cum caesarie natos (Paul. diac. p. 57 Müll.), alii ex utere matris exectos (Plin. h. n. VII, 9, 7 §. 47.). Cf. etiam Spart. uit. Ael. Ver. 2. Isidor. orig. IX, 3, 12. Zonar. X, 11. Ni tamen omnia me fallunt, scribendum *Caeso*, non *Caesar*. Illud enim praenomen olim erat, ut recte Pighius obseruauit, usique eo sunt Duellii, Fabii, Quintii. Cf. Liu. III, 36. II, 41 et 42. III, 11. At postea in cognomen abiit et uocabatur eo C. Cornelius C. F. C. N. Gallus Caeso ap. Grut. p. 105, 12. Quod si ita est, grauissimum eripitur Grotefendio fundamentum, quo nixus Verrio Flacco hoc opus de nominibus adsignauit, quod qui haec nomina pro exemplis posuisset sine dubio de Gaio et Lucio

Opiter, qui patre mortuo, auo uiuo gignebatur. Vopiscus, qui in utero matris geminus conceptus, altero abortu eiecto incolumis editus erat. Hostus praenomen fuit in eo, qui peregre apud hospitem natus erat, idque habuit Lucretius Tricipitinus, collega L. Sergii. Volero in praenomen abiit, quod uolentibus nasci liberi parentibus uidebantur. Quo usus est Publilius Philo. Lartis praenomen sumptum est a laribus. Tuscum autem esse creditum, fuitque consul Lar Herminius cum T. Verginio *Tricosto*. Statius a stabilitate, Faustus a fauore praenomina ceperunt. Tullius praenominatus est ominis gratia, quasi tollendus, 4.

3. Hostus] Hospes *Par.* || 5. quod] et *Torr.* || 6. liberis *Torr.* || indebatur *Torr.* || Publius *Par.* || 7. Laertis *Par.* Lar Lartis *Torr.* || esse creditum] creditum est praenomen esse *Torr.* || 8. consul Lar] consularis *Par.* || Virginio *Torr.* || Costo *Par.* || 9. ceperunt] sumpta erant *Torr.*

Caesaribus ac M. Agrippa Postumo, M. Vipsaniae Agrippae filiis, et de Proculo, Augusti liberto, cogitasset.

4. *Opiter*) Cf. Paul. diac. p. 184 Müll. *Cuius pater auo uiuo mortuus est, ducto uocabulo aut quod obitu patris genitus sit, aut quod auum ob patrem habent, id est pro patre.* Cf. etiam Placid. gloss. p. 491.

Vopiscus) Cf. Plin. h. n. VII, 10, 8. Solin. I, 69. Plut. Coriol. 11. Non. 19, 3. Isid. orig. IX, 5.

Hostus) Codex Vaticanus Paridis omnesque Valeriani *hospes* tradunt, quod ortum e uerbis statim sequentibus correxit Pighius. Cf. Liu. I, 12. IIII, 30. Macrob. Sat. I, 6.

Publilius Philo) In omnibus codicibus *Publius* legitur, quod emendauit Pighius. Cf. Liu. II, 55 et V, 13. Vid. commentarium nostrum ad VIII, 7, 5. Sed male idem Pighius praecedentia sic constituerat, *Volero in praenomen abiit et uolentibus nasci liberis parentibus indebatur.* Veram scripturam, Vaticano codice nunc comprobatam, diuinatione iam inuenerat Perizonius, neque uero auditus est a grammaticis.

Lartis praenomen) Cf. Liu. III, 65. Pighius cum antea ederetur, quod in codice Vaticano est, *Laertis* e suis codicibus *lalertis*, *lacertis*, similia exhibentibus, legendum esse suspicabatur *Lar Lartis*, idque in uerborum ordinem recepit. Neque uero ad rem pertinebat adnotare flectendi discrimen, quod intercedit inter domesticum deum Larem et praenomen inde deriuatum. Recte autem idem Pighius in sequentibus pro inepto *consularis Herminius* effecit *consul Lar Herminius*, eiusque collegae T. Verginio uerum cognomen restituit, cuius prima syllaba interiit in codice Vaticano. Cf. Borghes. n. framm. de' fast. cons. T. I p. 58.

Statius) Cf. Fabr. inscr. p. 27. n. 120, 121, 122, 123. A. Gell. IIII, 20, 12. Ex quibus apparet male Pighium *Statum* posuisse, ratum scilicet nomina in *ius* exeuntia gentilicia esse deriuata a praenominibus in *us* terminantibus. Veram scripturam auctori uindicauit Perizonius.

Faustus) Praenomen, non cognomen Cornelii Syllae, dictatoris filii et aliorum deinde Corneliorum Syllarum. Cf. Eckhel. doctr. num. V, p. 192. Ascon. in Cic. Scaur. p. 29 Orell. inscr. ap. Grut. p. 113. 2 ap. Fabrett. l. c. p. 22 et 23 ap. Orell. n. 2713. Tac. ann. XII, 52. Suet. Caes. 27, quos citauit Drumann. II, p. 509.

praenomina ceperunt) Inde a Pighio perperam editum erat *praenomina sumpta erant.* Perizonius, cum in codice Copesiano repperisset *ceperunt*, scribendum proposuit *coeperunt*, ut §. 5, *Lucii coeperunt adpellari* et §. 6, *Tiberii*

O littera in V conuersa. Sertor qui per sationem natus erat adpellatus est. Ancum praenomen Varro e Sabinis translatum putat. Valerius Antias scribit, quod cubitum uitiosum habuerit, qui Graece uocatur ἀγχών. Lucii coeperunt adpellari qui ipso initio lucis orti erant, aut, ut quidam arbitrantur, a Lucumonibus Etruscis. Manii, qui mane editi erant, uel ominis causa quasi boni. Manum enim antiqui bonum dicebant. Cnaeus ob insigne naeui adpellatus est. Quod unum praenomen uaria scriptura notatur. Alii enim Naeum, alii Gnaeum, alii Cnaeum scribunt. Qui C littera in hoc praenomine utuntur, antiquitatem sequi

2. a Sabinis *Torr.* || 3. Antias] antea *Par.* autem *Torr.* || 7. Gnaeus *Torr.* || 10. G litera *Torr.*

uocitari coeperunt. Quae exempla a Perizonio citata non sunt aptissima, cum aliud sit, si dicas praenomen coepisse, aliud si hominem eo appellari coepisse. Sed ueteres etiam *nomen capere ex* uel *ab aliqua* re dixerunt. Cf. Caes. b. G. I, 13. Fest. u. Sertorem p. 340 Müll.

Sertor) Cf. Festus u. Sertorem p. 340 Müll.

Ancum) Ab aduncо hoc nomen ducit Verrius ap. Paul. diac. p. 19 Müll. *Ancus appellatur qui aduncum brachium habet et exporrigi non potest,* quo etiam spectat uitiositas cubiti apud Valerium Antiatem, qui tamen praenomen a Graeco etymo ἀγχών deriuat, ita ut appareat in utraque explicatione mire mixtam esse utramque originationem. Cf. etiam Serv. ad Aen. VI, 816. Valerium autem Antiatem bene reuocauit Pighius, cum codex Vaticanus exhibeat *Valerius antea*, quamuis de libro manuscripto Sambuci et alio quodam codice, quos Pighius *Valerius Antias* tradere refert, ualde dubitem. Mendum ortum esse uidetur, quia finalis littera propter sequens *s* exciderat, quo facto *antia* in *antea* mutatum est. Eodem modo idem Valerius Antias secundum auct. de orig. gent. Rom. 21 Romuli nomen e Graeco uirtutis uocabulo (ῥώμη) ortum esse opinabatur. Perizonii coniecturae pro *Valerius Antias* scribendum esse *Verrius autem* praeter litterarum nimiam discrepantiam diuersa etiam huius scriptoris et Verrii eiusdem nominis deriuatio, quam supra notaui, aduersatur.

Lucii) Cf. Varro de ling. Lat. IX, 60. Paul. diac. uu. *Lucius* et *Manii* pp. 119 et 148 Müll.

a Lucumonibus) Cf. Dion. Hal. III, 48.

Manii) Cf. Varro de ling. Lat. l. c. Paul. diac. p. 148 Müll.

Manum) Cf. Varr. de ling. Lat. VI, 4. Macrob. Sat. I, 3. Paul. diac. u. matrem Matutam p. 122. et Fest. p. 161. Müll. Non. I, 237. Isid. orig. V, 30, 14.

Cnaeus ob insigne naeui) Cf. Paul. diac. u. Gnaeus p. 96 Müll.

Qui C littera in hoc praenomine utuntur) Edebatur uulgo inde a Pighio, probante Grotefendio (zeitschr. f. alterthw. 1843 p. 175.), *Qui G littera — utuntur*, et his conuenienter paulo post, *Olim enim dicebant frugmentum*, nunc *frumentum profertur, et gnatura, non natura. Igitur etiam qui in corporibus naeuus gigni solet gnaeuus appellabatur. Qui C ponunt* et q. sqq. Quae scriptura aliqua ex parte, si codicem Vaticanum respicias, ei quam supra exhibuimus praeferenda uidetur. Extat enim in illo *frugmenta* et *gnatura*, quae similibus quibusdam exemplis comprobantur. Sic *frugamenta* cum legitur apud Paul. diac. p. 91 Müll., non improbabiliter Grotefendius, cui accedit Bergkius in Rhein. mus. iahrg. IIII p. 122, *frugmenta* emendandum esse coniecit. *Gnatus* saepissime a poetis comicis usurpatum est, atque etiam a Claudio Quadrigario apud A. Gellium VII, 11, 7; *gnotus* apud Priscian. II, 569 legitur; *gnotu, gnitus, gnixus* apud Paul. diac. p. 96 Müll. At in explicando discrimine, quod inter

uidentur, quae multum ea usa littera est. Olim enim dicebatur frucmentum, nunc frumentum ecfertur, et forctis, non fortis, et cnatura, non natura. Ergo etiam qui in corporibus gigni solet cnaeuus appellabatur. Qui GN ponunt corruptione syllabae

---

1. litera usa *Torr.* || dicebant *Torr.* || 2. frugmentum *Par. Torr.* || profertur *Torr.* || et forctis non fortis *om. Torr.* || 3. gnatura *Par. Torr.* || non natura] modo natura *Torr.* || Ergo] Igitur *Torr.* || corporibus] *add.* nacuus *Torr.* || 4. cnaeus *Par.* gnacuus *Torr.* || GN] C. *Torr.* || correptione *Par.*

---

formas *Gnaeus* et *Cnaeus* intercedit, iniuria alteram illam priscis temporibus adsignari, quod praeter alios nuper etiam Drumannus fecit uol. IIII, p. 324, recte Bergkius animaduertit l. c. p. 121, cum in antiquissimis monumentis hodieque superstitibus constanter *C* pro *G* positum sit. Affert Bergkius exempla e columna rostrata *Ecestanos, lecioneis, macestratod, cocnatos, pucnandod.* Iam si certissime constat superiori aetati prorsus ignotam fuisse *G* litteram, cuius inuentionem Spurio Carulio tribuit Plutarchus quaest. Rom. 54 (cf. Diomed. II, 417), apparet priscos Romanos scripsisse *frucmentum, cnatura, cnotus,* similia, atque ideo nihil fortasse mutandum est in his, quae apud Fest. u. *nobilem* p. 174 Müll. leguntur *Nobilem antiqui pro noto ponebant et quidem per C litteram.* Sed omnis dubitatio eximitur ipso codice Vaticano, in quo recte scribitur primum *Qui C littera in hoc praenomine utuntur,* deinde *forctis, non fortis,* quod exemplum totum omittunt uulgatae editiones, licet id confirmetur Paulo diac. u. forctes p. 84 et u. sanates p. 348 Müll. (Cf. etiam p. 321.), tum *qui in corporibus gigni solet cnaeus,* ubi tamen alterum *u* addendum est in codice omissum, denique *qui GN ponunt.* Quae cum certa sint, alia remouenda est difficultas in uerbo *ecfertur*, quo uiolenter turbatur sententiae nexus. Nemo enim hoc uerbo interposito ad sequentia *et forctis* repetere potest *olim dicebatur,* ad quae uerba, siquidem a sano homine scripta existimaueris, supplueris potius *nunc ecfertur.* Quare non dubito quin in hoc quoque uocabulo lateat exemplum litterae *C* ab antiquis adhibitae, ubi recentioribus temporibus iam non fuerit in usu, persuasumque fere habeo epitomae auctorem scripsisse *Olim enim dicebatur frucmentum, nunc frumentum, et ferctur, non fertur, et forctis non fortis.* Ita eadem littera olim erat in uocabulis *ferctum* et *struferctarius.* Cf. Paul. diac. et Fest. pp. 85 et 294 Müll. Video nunc de hoc loco constituendo plane mecum consentire Antonium Augustinum in notis ad Paul. diac. u. Gnaeum, quem cum integriorem Paridis codicem habuisse non probabile sit, coniectura eadem inuenisse crediderim. Dicit namque, postquam retulit Gnaeum a nacuo uocari, *additur autem c antiquo more, ut cum frucmentum, ferctur, forctis, cnatura dicebatur: ex Valerio a Iulio Paride relato, qui enumerat triplicem huius praenominis scribendi rationem Cn. Gn. N.*

corruptione syllabae) Codex Vaticanus et Porizonii Copesianus *correptione* tradunt, quod sensu omnino caret. At *corruptione*, editum iam inde a Pighio, bene defendit Perizonius ascriptis exemplis, quae litteras, syllabas, uoces, cum a propria figura declinantur, corrumpi dici comprobant, Ou. fast. V, 195. Quint. I, 5, 68. A. Gell. XVII, 2, 17. Macrob. Sat. I, 17. Apparet autem durius sonantes litteras *CN* procedente tempore cum lenius sonantibus *GN*, quae iam in titulo Scipionis Barbati (*GNAIVOD PATRE PROGNATVS*) extant, permutatas esse. Cf. Terent. Maur. 893 et seqq. citatum a Bergkio, qui quod ibi legitur interpolandi uerbum (*asperum quia uox sonorem leniore interpolat*) idem significare monuit, quod epitomae auctor corruptionem syllabae uocasset. In nota uero praenominis *C* littera constanter seruabatur. Cf. Quint. I, 7, 29. Mar. Vict. p. 2469. Val. Prob. de notis p. 1502. Eckh. doctr. num. V, p. 280.

delectari uidentur, qui Naeus, leuitate. Gaii iudicantur dicti a gaudio parentum, Auli, quod dis alentibus nascuntur, Marci Martio mense geniti, Publii qui prius pupilli facti erant quam
6. praenomina haberent; alii ominis causa ex pube. Tiberii uocitari coeperunt qui ad Tiberim nascebantur. Titus e Sabino nomine † Tito fluxit, Appius ab Atto, eiusdem regionis praenomine. Caesones adpellati sunt qui e mortuis matribus exsecti erant, Seruius, quod mortua matre in utero seruatus est, Spurii patre incerto geniti quasi σποράδιοι. Numeriis sola tantummodo

1. lenitatem uelle iudicantur. Gaii dicti *Torr.* || 2. quod] qui *Torr.* || marcii *Par.* || 6. Tito] Titurio *Torr.* || 7. Kaesones *Torr.* || 8. quod] qui *Torr.* || 9. σπόρος *Torr.* || Numerii *Par. Torr.* || tantummodo *om. Torr.*

qui Naeus leuitate) Vulgatorum exemplorum peruersa scriptura *qui Naeus, lenitatem uelle iudicantur. Gaii dicti a gaudio parentum* a Pighio est, codicem Campensem secuto. At Perizonius ueram scripturam e Copesiano libro restituendam esse uidit, nisi quod male *uero* post *Gaii* interpolauit. Ipsa illa forma *Naeus* alibi iuuenta non est. Verum deriuatum inde gentilicium Naeuiorum nomen.

Titus e Sabino nomine † Tito fluxit) Manifesto mendosa scriptura est, cum nomen aliquod ex eodem nomine fluxisse dici nequeat. Nam quod Perizonius contendit sensum esse posse Titum praenomen Romanum ortum esse e Sabino nomine Tito, fallitur, cum Titus apud Sabinos quoque praenomen fuerit, neque, si plane eadem esset huius nominis deriuatio quae Appii, a Sabino scilicet praenomine, alteram auctor ab altera seiunxisset. Praedicta autem inconcinnitas ne coniectura quidem Perizonii remouetur, legendum fortasse *a Sabino homine Tito.* Multo uero improbabilius suspicabatur Pighius Titum e Sabino nomine gentilicio Titurio uel Titulio uocatum esse, quae ipsa potius a Tito descendere poterant quam contra. Non male igitur Perizonius, tria enim sunt quae proposuit, huius operis auctorem, ut saepius ita hoc quoque loco Verrio Flacco (cf. Paul. diac. u. tituli p. 366 Müll.) astipulantem, praenomen a titulis i. e. militibus deriuanti, scripsisse censuit *e Sabino nomine titulo*, quam coniecturam probat Grotefendius l. c. p. 178, nisi quod is praeter necessitatem longius etiam a traditis litteris discedens maluit *titulorum.* Pauli uerba haec sunt, *Tituli milites appellantur quasi tutuli, quod patriam tuerentur, unde et Titi praenomen ortum est.*

Appius ab Atto) Cf. Liu. II, 16. Suet. Tib. 1.

Caesones) Cf. Plin h. n. VII, 9, 7. Paul. diac. p. 57 Müll. Isid. orig. IX, 3, 12. Ab eadem nascendi sorte alii Caesares quoque appellationem traxisse traduntur. Vide quae adnotauimus ad §. 3.

Seruius) Aliam etymologiam ponit Fest. u. nothum p. 175 Müll, qua uult significare matre seruiente susceptum, eamque respicit Val. III, 4, 3.

quasi σπόραδιοι) E coniectura Pighius pro monstro uocabuli antea editi *Epopae* posuerat σπόροι (*CΠOPOI*). Sed sine dubio recte codex Vaticanus σποράδιοι tradit. Cf. Gai. inst. I, 64, *unde solent spurii filii appellari uel a Graeca uoce, quasi σποράδην concepti uel quasi sine patre filii.* Cf. etiam Modest. I pandect. in I dig. 5, 23. Plut. quaest. Rom. 103. Fest. u. nothum p. 175 Müll.

Numeriis) Eadem leguntur apud Fest. u. Numerius p. 170 Müll. Cf. Madu. de iur. colon. in opusc. acad. I p. 274. A celeritate nascendi Numerios dictos esse opinabatur Varro ap. Non. u. numero IIII, 319. Ceterum Perizonii emendationem omnino necessariam secutus *Numeriis* dedi, cum ultima littera propter sequens *s* in codice Vaticano interierit.

patricia familia usa est Fabia, idcirco quod trecentis sex apud Cremeram flumen caesis qui unus ex ea stirpe extiterat ducta in matrimonium uxore filia Numerii Otacilii Maleuentani sub eo pacto ut quem primum filium sustulisset, ei materni aui praenomen inponeret, obtemperauit.

Antiquarum mulierum frequenti in usu praenomina fuerunt, 7. Rutila, Caesellia, Rodacilla, Murrula, Burra a colore ducta. Illa praenomina a uiris tracta sunt, Gaia, Lucia, Publia, Numeria. Ceterum Gaia usu super omnes celebrata est. Ferunt

---

3. iotacilii *Par.* || 6. in usu frequenti *Torr.* || 7. Rutilia *Par.* Rutilla *Torr.* || Caesella, Rodacella, Murcula *Torr.* || dicta *Torr.* || 8. Ista *Torr.* || 8. *et* 9. Caia *Torr.* || 9. omnia *Torr.* || Fertur *Torr.*

Rutila) Codex Vaticanus *Rutilia*, quam scripturam probat Grotefendius l. c. p. 177 citato Festi loco p. 262 Müll., *Rutilium rufum significat, cuius coloris studiosae etiam antiquae mulieres fuerunt, unde traxerunt cognomina rutilias, ut indicat frequenter Afranius.* Sed recte iam in his *Rutilum* et *Rutilae* emendarunt Scaliger et Vrsinus, quod probauit Müllerus ascripto Varr. de ling. Lat. VII, 83, *inde mulieres ualde rufae rutilae dictae*, estque omnino rutilum rufum, non rutilium. Vide quae exempla congessit O. Müller. Neque haerendum in eo, quod pro cognomine, non pro praenomine hanc appellationem affert Festus, cum etiam quod nomen postea ab epitomae auctore inter praenomina a colore deriuata recensetur, Burra cognomen aliis fuerit.

Caesellia) Praenomen hoc ductum esse apparet a caesio colore Cf. Gell. II, 26, 19. Sed dubitari potest num uera eius forma in codice Vaticano seruata sit. Scribendum fortasse erit *Caesulla* e Fest. u. Rauiliae p. 274 Müll., *Rauiliae* (leg. cum Ant. Augustino *Rauillae*) *a rauis oculis, quemadmodum a caesiis Caesullae.*

Rodacilla) Hoc nomen alibi inuentum non est neque unde fluxerit constat. Grotefendius igitur p. 177 legendum suspicatur *Rodicilla* idque positum existimat pro Raudicilla, collato Fest. u. persillum p. 217 Müll. Vereor ut recte; neque enim de colore hoc ductum esse dici poterit. Magis etiam ceteras eiusdem uiri coniecturas improbo, scribendum *Rauistella* e Fest. u. *raui coloris*, aut *Rubecilla*, quarum neutra ullam habet similitudinem ueri. Fortasse auctor praenomen a Graeca rosei coloris appellatione, quae est *ῥόδαξ, ῥόδακος* ortum putabat, quemadmodum paulo ante Spurios a Graeco *σποράδιος*. Certe corruptum nomen esse affirmare non ausim.

Murrula) Ortum uidetur hoc praenomen a murreo, quod colorem denotat. Nam apud Propert. IIII, 10, 22 murreum onychem grammatici recte flaui coloris esse censent, quem colorem in eo lapide honoratissimum fuisse docemur Plin. h. n. XXXVI, 8, 12. Cf. Schol. ad Hor. III carm. 14, 22. Ita fortasse ab eodem colore ductum est nomen equi circensis, qui uocatur Murra in inscr. ap. Gruterum p. 341. Grotefendius propter Venerem Murteam uel Murtiam (Varro de ling. Lat. V, 154. Fest. et Paul. diac. p. 148, 149 Müll.) *Murteolam* uel *Murtiolam* uel ex analogia Caesullae *Murtulla* scribi maluit. Quorum ultimum non improbauerim, si referas ad colorem murteum, quem Isidorus orig. XII, 1 dicit esse, qui est pressus in purpura, in equis commendat Pallad. IIII, 13. Cf. Petr. Sat. 21.

Burra) i. e. rufa, *πυῤῥά*. Cf. Paul. diac. u. burrum p. 30 coll. c. u. burranica potio apud eundem p. 36. Enn. ann. VI, 5 apud Merulam.

Ceterum Gaia) Cf. Cic. pro Mur. 12, 27.

didascaliae fabulis praemissae declarant. Hunc Ambiuium tamquam Catonis censorii (a. 570.) aequalem, praecipua arte praeditum, laudat Cic. in Cat. mai. 14, 18 eoque delectari praedicat et qui in prima cauea spectet et qui in ultima, sed illum magis. Cf. etiam Lucil. ap. Varr. de ling. Lat. VII, 30 p. 131 Müll. dialog. de orat. 20 cum Lipsii notis. Symmachi epist. I, 25. XIX, 2. Quod si uerum est, liquet hunc Ambiuium histrionem ab Appio Claudio impelli non potuisse ut Herculis sacra Potitiis familiaria seruos publicos edoceret, quippe qui aetate centum amplius annos ab Appio Claudio distet. Extincti enim sunt Potitii, si Liuio fidem habemus (IX, 29.), M. Valerio P. Decio consulibus anno a. u. c. 442, quo anno Appius solus censuram obtinuit; Terentii autem fabulae actae sunt ab Ambiuio intra annum 588 et annum 594.

Et Ambiuii quidem nec in Valeriana eius facti narratione, unde suam excerpsit Paris, neque ab alio eorum scriptorum, qui eandem rem attigerunt, mentio inicitur. Quae si cum iis comparaueris, quae supra de uerbis *intra annum interemit* male de uno Ambiuio dictis monui, facile intelleges uerba *Ambiuium histrionem* non esse ab huius epitomae auctore posita, deletisque eis legendum esse, ita ut Paridis relatio cum Valeriana congruat, *Potitiorum familiam Hercules intra annum interemit.*

At qui tandem fieri potuit ut *Ambiuii* commemoratio ab interpolatore intruderetur? Credo me habere quae satis probabiliter respondeam. Causam interpolationis haud dubie praebuit praecedens exemplum de Varrone, quod multo emendatius in Paridis compendio atque in Valerianis codicibus traditur, ita ut illos ex hoc corrigere licuerit, *Varro cons. apud Cannas cum Carthaginiensibus infeliciter conflixit ob iram Iunonis, quia cum ludos circenses aedilis ederet, in Iouis tensa eximiae formae puerum histrionem ad exuuias tenendas imposuerat.* Doctus igitur grammaticus nescio quis et fortasse ipse epitomae auctor Iulius Paris, cum puerum histrionem, quem Valerius a Varrone in tensa Iouis ad exuuias tenendas impositum esse tradidit, L. Ambiuium Turpionem fuisse, celeberrimum illum actorem, aut coniectura colligeret aut, quod mihi quidem ueri similius uidetur, ex antiquiore fonte comperisset, ad uerba *puerum histrionem* in margine codicis ascripsit hanc notam, *Ambiuium histrionem.* Quae deinde a librario quodam in uerborum ordinem recepta

sedem occupauit in initio sequentis exempli, quo facto *familiam* infelici coniectura mutatum est in *familiarem*.

Quaeritur utrum temporum ratio huic opinioni, qua idem ille puer formosus, qui Varroni Iunonis iram conciliauerit, idem L. Ambiuius fuisse creditur, faueat necne. Quo anno ludos circenses C. Terentius Varro aedilis ediderit certo quidem non constat, sed cum praeturam anno 536 a. u. c. duobus annis ante consulatum obtinuerit teste Liuio XXII, 25, eum non ita multo ante primum honoris gradum adeptum esse necessario conicias. Statuamus igitur praecedenti anno 535 Varronem aedilem fuisse inque ludis circensibus puero nouem annorum usum esse ad exuuias in tensa Iouis tenendas, iamque inuenies hunc hominem anno 594, quo anno tertium relata est Hecyra Terentii, in qua primariae partes Ambiuii erant, sexagesimum octauum aetatis annum egisse, quod sane congruit cum prologi ab Ambiuio dicti uerbis, *Sinite ut exorator sim, eodem ut iure uti senem Liceat quo iure sum usus adulescentior*. Fieri igitur omnino potuit ut Ambiuius, quem in senectute etiam ludicrae arti incubuisse ex hoc prologo discimus, cum puer etiamtum esset uenustae formae, in pompa circensi a Varrone aedili adhiberetur. Concedendum tamen est eum tunc temporis histrionem nondum fuisse nec a Valerio et a Paride puerum histrionem appellari potuisse, nisi aut prolepsin quandam in eo statuas aut Ambiuium uel septuagesimum annum longe egressum nihilo minus in scenam prodiisse existimaueris. Supra cum dixi malle me ad antiquiorem fontem quam ad uanam docti grammatici suspicionem referre hunc de Ambiuio puero nuntium, praeter rei probabilitatem mouit etiam quod in talia certe e coniectura incidere non solent homines.

EXCVRSVS II

ad Val. VI, 3, 2.

In Valerii VI, 3, 2 haec leguntur: *P. Mutius tribunus plebis — omnes collegas suos, qui duce Sp. Cassio id egerant ut communis libertas in dubium uocaretur, uiuos cremauit,* quae a codicibus quidem sunt certissima, ualde incerta, si ipsam rem spectaueris, nouumque documentum praebent quam caute iis fides habenda sit, quorum unus fons nobis hic scriptor extiterit. Mirabatur iam Glareanus quod neque Liuius neque Dionysius, cum Spurii Cassii historiam exponerent, neque alius quisquam ueterum scriptorum tam singularis facti mentionem fecisset, quantaque fides huic narrationi deberetur ualde ambigebat.

Innotuit nunc Cassii Dionis excerptum Vaticanum, editum ab Angelo Maio in script. uet. nou. coll. II, p. 152, in quo eadem res obiter tangitur et in contentione plebeiorum aduersus patricios patricii palam nonnisi in paucis restitisse, clam audacissimos quosque ex aduersariis sustulisse traduntur, neque uero his insidiis plebeios esse coercitos, ac ne eo quidem quod aliquando nouem tribuni a populo cremati essent. Quae a Dione exscripsit Zonaras VII., 17. Tempus supplicii illius neque a Dione neque a Zonara accuratius definitur, nisi quod ex ordine rerum a Zonara expositarum fere colligitur id poni intra annum 284 et annum 296 a. u. c. Sed Zonaras in his omnino temporum parum rationem habuit.

Quibus quamuis magna ex parte ea confirmari uidentur, quae supra e Valerio exhibui, cum de summa rerum, de nouem tribunis crematis Dio cum Valerio consentiat et de auctore tantum supplicii et de tempore dissensio sit, nihilo minus omnis illa narratio adeo manifestam mendacii speciem prae se fert, ut eam inter fabulas reicere ne tum quidem dubitarem, si origo mendacii in occulto esset, quam nunc satis probabiliter demonstrauit O. Müllerus in supplemento adnotationis ad Fest.

p. 389. Legimus enim in Festi de uerborum significatione p. 174 Müll. excerpta quaedam e Verrio Flacco, e quibus, etiamsi perquam mutila ad nostram aetatem peruenerunt, id tamen certo potest cognosci, T. Sicinio consule (a. 267, quem in consulatu secutus est Sp. Cassius Viscellinus,) nouem uiros ex illustribus cum maxime familiis et in his Mutium quendam Scaeuolam Romae in circo combustos et prope circum sepultos esse; locum sepulturae postea albo lapide esse constratum. Nomina horum uirorum, ita ut de paucis tantum dubitari possit, bene restituerunt Antonius Augustinus, Scaliger, Vrsinus, iisque nominibus praeter Mutium Scaeuolam consules et dictatores inde ab anno 251 usque ad 265 secundum annorum, quibus magistratibus functi erant, ordinem collocatos significari luculenter demonstrauit Müllerus, ingenioseque conicit fama inter Romanos propagatum fuisse nouem olim tribunos in circo crematos et sepultos esse; hos ab aliis tribunos plebis existimatos esse contra omnem historiae fidem, ab aliis tribunos militum, quos tum in summo honore habitos et ex primis ciuitatis uiris legi solitos esse constaret. Itaque qui in altera opinione fuissent, quam ipse probat Müllerus, nomina uirorum ex fastis illorum annorum docte collegisse, addito tamen Mutii Scaeuolae nomine, quod scilicet uulgi fama in ea re traditum accepissent. Quae cum satis certa uideantur, unum tamen non mihi persuasit O. Müllerus, nomina illorum tribunorum e sola uirorum doctorum coniectura posita esse; neque enim cur in hos potissimum inciderint homines facile intellegitur, qui partim consulatu, partim dictatura functi erant. Cur non consulares tantum elegerunt? cur modo huius, modo illius anni consulem nominarunt, annorum plurium interpositorum consulibus omissis? Mihi certe illa enumerandorum nominum ratio ea esse uidetur, ut quae enumerantur historiae fide omnino carere credere non possim. Atque etiam Mutium Scaeuolam non immerito illius gloriae participem referri opinor, quod ipse quodammodo confitetur Müllerus, cum eius nomen in ea re narranda uulgi ore celebratum censeret. Et quidni hunc quoque tribunum militum fuisse statuamus, quippe cuius familia nobilissima iam illis temporibus fuerit? Cf. Liu. II, 12.

Itaque quamuis in singulis magnopere inter se discrepent Verrii et Valerii narrationes, re uera utramque ad eandem rem

redire negari non poterit. Neque enim credibile est, quod iam Müllerus monuit, bis eodem tempore nouem uiros Romae publice esse combustos. Concedit hoc Niebuhrius quoque (Röm. gesch. II, p. 468.), licet in supplendis Festi reliquiis longe a Müllero digrediatur. Ille enim (ibid. p. 145.) nouem e principibus familiis uiros, cum coniurationem inissent aduersus T. Sicinium consulem, quem male Volscum cognominatum esse opinabatur, in circo crematos esse coniecit, et in hanc sententiam Festi uerba redintegrauit.

Quaecumque igitur causa erat cur nouem illi uiri cremarentur, Valerius certe ab aliis scriptoribus, qui nobis iam non sunt superstites, seditiosos hos tribunos plebis fuisse edoctus, unum, cuius nomen in ea re traditum acceperat, Mutium Scaeuolam decimum tribunum eumque auctorem supplicii sibi finxit. Quod quam peruerse fecerit inde maxime patet, quod Sp. Cassii aetate, quem nescio an hoc quoque loco quem admodum V, 8, 2 inter seditiosos tribunos plebis numerauerit atque adeo cum ceteris concrematum putauerit, quinque, non decem tribuni plebis erant (Liu. II, 33 et 43. Dion. Hal. VI, 89 et IX, 2.) aut, ut quidam auctores sunt, inter quos Piso, duo dumtaxat (Liu. II, 33 et 58.). Decem autem anno demum 297 creari coeperunt (Liu. III, 30.). Praeterea causa quoque cremandorum tribunorum, quam affert Valerius, quod scilicet magistratibus non subrogatis communem libertatem in dubium uocassent, temporum rationi repugnare uidetur. Primi enim qui hanc uiam ingressi sunt, ut rogationes suas perferrent, Licinius Sextiusque tribuni plebis erant, qui, cum reliqui octo tribuni intercederent quominus rogationes illorum recitarentur, ipsi magistratuum curulium comitia fieri uetabant perque quinquennium inde ab anno 379 usque ad annum 383 ut neque consules neque tribuni militum consulari potestate crearentur perfecerunt, neque ante id tempus alios tribunos idem temptasse memoriae proditum est. Cf. Liu. VI, 35.

INDEX.

A.

Accaeus u. Vibius.
L. Accius poeta 294 658.
Acerrani 704.
Achaia 165 333 574.
Achaicum bellum 574.
Achilles 636.
Achilles cognomen Q. Occii u. Occius.
Acilius, decimae legionis miles, 258.
Acilius Auiola 12 166.
M'. Acilius Glabrio, pater, cos. a. 563 a. u. c. — 196.
M'. Acilius Glabrio, filius, cos. suff. a. 600 a. u. c. — 196.
Acragantina ciuitas 375.
Acron, Caeninensium rex, 246.
Actium, promontorium et oppidum Epiri, 151.
Admetus, Thessaliae rex, 356.
Aeas, flumen uicinum Epidamniorum urbi, 136.
Aebucia, L. Menenii Agrippae uxor, 588.
Postumus Aebutius Helua 743.
Aegates insulae 125 129.
Aegeria dea 122.
Aeginenses 689.
Aegyptii 130 627 680.
Aegyptus 130 322 381 495 625 627.
Aelia familia 348 439.
L. Aelius Lamia, uir praetorius, 166.
L. Aelius Lamia, cos. a. 756 a. u. c. — 166.
Sex. Aelius Paetus Catus, cos. a. 556, cens. a. 560 a. u. c. — 337.
L. Aelius Seianus, cos. a. 784 a. u. c. — 719.
Aelius Tubero, praet. urb. 438.
Q. Aelius Tubero, a Valerio confusus cum Sex. Aelio Cato, 337.
Q. Aelius Tubero, gener L. Aemilii Pauli, 348 572.
Aemilia gens 242 473.
Aemilia, uirgo Vestalis maxima, 109.
Tertia Aemilia, C. Aemilii Pauli filia, Africani superioris uxor, 132 513.
Mam. Aemilius Lepidus, cos. a. 677 a. u. c. — 586.
M'. Aemilius Lepidus, cos. a. 688 a. u. c. — 617.
M'. Aemilius Lepidus, cos. a. 764 a. u. c. — 5.
M. Aemilius Lepidus, cos. a. 567 et 579, cens. a. 575, pont. max. a. 574 a. u. c. — 241 329 508 509 510.
M. Aemilius Lepidus, cos. a. 676 a. u. c. — 226.
M. Aemilius Lepidus, cos. a. 759 procos. Asiae a. 779 a. u. c. — 6.
M. Aemilius Lepidus Porcina, cos. 617 a. u. c. — 606.
Q. Aemilius Papus, cos. a. 472 et 476, cens. a. 479 a. u. c. — 345 346.
L. Aemilius Paulus, cos. 535 et 538 a. u. c. — 278 393 395.
L. Aemilius Paulus Macedonicus cos. a. 572 et 586, cens. a. 590 a. u. c. — 126 132 159

217 236 338 348 380 386 457 472 572 573 643.
M. Aemilius Scaurus, princeps senatus, cos. a. 639, cens. a. 645 a. u. c. — 19 255 291 350 452 453 503 504 616 617.
M. Aemilius Scaurus, filius praecedentis, aed. cur. a. 696. a. u. c. — 195 601.
Aeneas 163.
Aequi 398.
Aequiculi 213 742.
Aequimaelium 482.
Aeschines orator 642.
Aeschylus poeta 726.
Aesculapius 117 120 160 161.
Aesopus tragoedus 641 673.
Aethiopes 655.
Aetnaeus mons 428.
Aetoli 337.
Aetolia 656.
C. Afrania, Licinii Bucconis senatoris uxor, 613.
Africa, 174 209 236 253 280 286 287 347 380 405 444 523 528 552 570 657 665 709.
Africanus u. Cornelius Scipio.
† Afronia, Aebuciae filia, 588 589.
Agamemnon 361 648.
Agathocles, Syracusarum rex, 570.
Agesilaus 548.
Aglaus Psophidius 536.
Agrigentini 272.
Agrigentum 271.
Agrippa olim praenomen, deinde cognomen, 744. uid. in Meneniis et Vipsaniis.
Agrippa Siluius, Albanorum rex, 742.
M. Agrius argentarius 615.
Ahala u. Seruilius.
Aiax 647.
Alba, Latii oppidum, 164 380 703.
Albani 187 488 566 742 743.
Albana, Capuae urbis regio, 678.
Albanus lacus 138.
Albanus mons 285.
L. Albinius (codd. Albanius) 111.
Albinus u. Postumius.
Alcaeus poeta 325.
Alcamenes sculptor 645.
Alceste, Admeti regis uxor, 356.
Alcestis, tragicus poeta, 294.
Alcibiades Atheniensis 157 243 530 636.
Alcyoneus, Antigoni Gonatae filius, 392.
Alexander, M. Agrii argentarii seruus, 615.
Alexander, P. Atinii seruus, 615.
Alexander Pheraeus, 732.
Alexander, Pyrrhi regis frater, 393.
Alexander Cornelius Polyhistor, rerum scriptor Milesius, 24 656.
Alexander Magnus, 130 153 170 270 273 309 342 343 369 370 388 445 497 546 547 548 558 560 645 660 695 700 714.
Alexandria 130 304 508.
Alliensis dies 719.
Allobroges 703.
Allucius Celtiber 332.
Alpes 221 297 433.
Alsiensis ager 606.
L. Ambiuius Turpio histrio 751 et seqq.
Amesia Sentinas, cognomine Androgyne, 612.
Amphiaraus 670.
Amphinomus Siculus 427.
Amulius Siluius, Albanorum rex, 741.
Anacharsis Scytha 548.
Anacreon poeta 727.
Anapias Siculus 428.
Anaxagoras philosophus 459 548 629 639 645.
Anaxarchus philosophus 273 660.
Anaximenes, Alexandri praeceptor, 560.
Ancus praenomen e Sabinis translatum 746.
Ancus Marcius u. Marcius.
Anio flumen 637 683.
M. Anneius Carseolanus, eques Rom. 583 584.
L. Annius (in codd. Antonius) a. 448 senatu motus, quod uxorem repudiauit, 228.

P. Annius, interfector M. Antonii oratoris, 637 684.
T. Annius, Latinorum, non Campanorum princeps, 492 493.
Antabagius, comes Tiberii imperatoris in itinere Germanico, 433.
Antiense templum 161.
Antigenidas, tibicen Atheniensis, 294.
Antigonus Gonatas 392.
Antiochia 144.
Antiochus (I) Soter, Seleuci Nicatoris filius, 448 449.
Antiochus (II) Theos 736.
Antiochus (III) Magnus 196 234 280 287 328 409 554 604.
Antiochus (IIII) Epiphanes 494.
Antiochus (VII) Sidetes 679.
Antipater, Alexandri dux, Macedoniae rex, 154.
Antipater u. Caelius.
Antipater Sidonius poeta 172.
L. Antistius Rheginus tr. pl. 363.
Q. Antistius Vetus, seuerus in uxorem, 490.
Antium 161.
Antius Restio, proscriptus a triumuiris, 519 520.
Antonia, Drusi Germanici uxor, 333.
Antonianum bellum 304.
C. Antonius, cos. a. 691 a. u. c. — 226 331.
C. Antonius, frater Marci triumuiri, 195.
M. Antonius orator, praet. a. 650, cos. a. 655, cens. a. 657 a. u. c. — 230 292 515 554 637 684.
M. Antonius triumuir 117 129 130 135 151 304 364 366 388 412 700 731 740.
Apelles pictor 645.
Apollinares ludi 477.
Apollo 106 116 117 120 121 123 124 142 165 170 279 326 327 413 441 442 536 551 665 670.
Apollonia 511 708.
Apolloniatae 136.
Appius praenomen unde fluxerit 748.
Cn. Apronius, aedilicius Apolloniatarum legatis deditus, 511.
Apula regio 372.
L. Apuleius tr. pl. accusat Camillum, 408.
Sex. Apuleius cos. a. 767 a. u. c. — 4.
C. Apuleius Decianus tr. pl. a. 655 a. u. c. — 604.
L. Apuleius Saturninus tr. pl. a. 654 a. u. c. — 255 301 482 604 605 620 705 706.
Apulia 576.
M.' Aquilius cos. a. 653 a. u. c. — 729.
P. Aquilius tr. pl. accusat P. Villium, triumuirum nocturnum, — 606.
C. Aquilius Gallus ICtus, 610
Aquilonia, Samnii urbs, 540.
Arcades 536.
Archelaus, rex Macedoniae, 726.
Archelaus, Aegyptiorum dux, 680.
Archilochus poeta 491.
Archimedes 629 630.
Archytas Tarentinus 322 323 627.
Ardea, Rutulorum urbs, 312.
Areopagus 200 419 608.
Arganthonius Gaditanus 655.
Argennusae insulae 122 307.
Argiui 392.
Ariarathes, Cappadociae rex, ab Antonio interfectus, 740.
Aricia, oppidum Latii, 612.
Ariobarzanes, Cappadociae rex, 449 450.
Arion Pythagoricus 627.
Aristides Atheniensis 416 419 506.
Aristippus philosophus 343.
Aristogiton, qui Hipparchum interfecit, 239.
Aristomache Syracusana, Dionysii uxor, 733.
Aristomenes Messenius 171.
Aristonicus 252 279 623.
Aristophanes poeta 545.
Aristoteles 25 445 547 661.

Aristoxenus musicus 25 655.
Armenia 387 719.
Arpinum 183 528.
Arruns Tarquinius u. Tarquinius.
Arsia silua 162.
Artaxerxes cognomine Ochus 688.
Artemisia, gentis Cariae regina, Mausoli uxor, 358.
Artemisium 418 660.
Artorius, medicus Augusti, 147 148.
Aruerni 703.
Ascanius, Aeneae filius, 164.
Asculum 525.
Asia 199 203 226 237 252 264 281 285 287 321 328 333 359 373 404 409 431 524 529 604 607 623 666 676 686 701 706 731 736.
Asinius Pollio 20 655.
Cn. † Assidio 739.
Assyrii 696.
Astyages 155.
Ateguenses 684.
Atellani 192.
Aterius Rufus, eques Rom. 152.
Athenae 146 151 201 239 244 294 297 308 336 342 414 416 418 420 442 443 497 529 561 608 627 628 639 642 645 647 650 689.
Athenienses 121 124 171 200 244 297 305 307 324 341 414 415 417 442 458 491 505 506 530 543 548 639 689 709.
Athesis flumen 452.
Athos mons 146.
C. Atilius (aliis M. Papirius), Gallo barbam permulcenti scipionem capiti inflixit, 250.
M. Atilius, duumuir sacris faciundis, 113.
A. Atilius Calatinus, cos. a. 496 et 500, cens. a. 507 a. u. c. — 222 223.
M. Atilius Calatinus, Soranorum oppidi proditione reus, 601.
P. Atilius Philiscus, seuerus pater, 463.
M. Atilius Regulus, cos. a. 487 et 498 a. u. c. — 114 174 233 347 685 704.
M. Atilius Regulus, filius praecedentis, cos. a. 527 et 537, cens. 540 a. u. c. — 232.
C. Atilius Serranus, cos. a. 497 et 504 a. u. c. — 346.
C. Atilius Serranus, aed. cur. a. 560 a. u. c. — 191.
Atinas campus 150.
P. Atinius, eius seruus Alexander cruci affixus, 615.
T. Atius Labienus, Caesaris legatus, postea Pompeii partes secutus, 658 659.
Atratinus u. Sempronius.
Attalus, rex Pergami, 170, et cum Eumene II confusus 373 404.
Attalus rex, tertius eius nominis, populum Romanum heredem scripsit 404.
Attica 165 417 442.
Attienus Carbo, in adulterio deprehensus castratus est, 467.
Attius Tullus, Volscorum dux, 564.
Attus, praenomen regionis Sabinae, 748.
Atys, Croesi regis filius, 155.
Auentinus mons 161 410 500 551.
T. Aufidius, propraetor in Asia, 524.
Cn. Aufidius Orestes Aurelianus praet. urb. a. 677, cos. 683 a. u. c. — 586.
Aufilius, uxor eius Clodia CXV annos uixit, 653.
Augustus Caesar 4 106 117 130 135 147 148 152 304 333 580 584 592 738 739.
Auli unde dicti, 748.
Aurelia Orestilla, Catilinae uxor, 678.
C. Aurelius Cotta, cos. a. 502 et 506 a. u. c. — 210.
C. Aurelius Cotta, cos. a. 679 a. u. c. — 638, sed codd. male L. Cotta.
L. Aurelius Cotta, cos. a. 610 a. u. c. — 494 601.

L. Aurelius Cotta tr. pl. creditoribus satisfacere non uult, 503.
M. Aurelius Cotta, cos. a. 680. a. u. c. — 424.
M. Aurelius Cotta, filius praecedentis, 423.
P. Aurelius Pecuniola, obsidioni Liparitanae a C. Cotta cos. 502 et 506 praepositus, 210.
C. Aurelius Scaurus, ex ludo eius gladiatorum doctores arcessiti a P. Rupilio cos. 189.

B.

Babylon 696 697.
Bacchanalia 125 488.
Badia oppidum 286.
Badius Campanus, hospes T. Quintii Crispini, 383.
Cn. Baebius tr. pl. accusat Claudium Neronem Liuiumque Salinatorem, 541.
M. Baebius Tamphilus, cos. a. 573 a. u. c. — 113 196.
Bagrada, flumen Africae, 174.
T. Barrulus, decedens Lentulo Spintheri anulos tradidit, sed nulla ex parte heredem fecit, 593.
Beneuentum 440.
Berenice, uxor Antiochi II cognomine Theos, 713.
Berenice, patrem et filium habuit Olympionicas, 617.
Bestia u. Calpurnius.
Bias 327 544 560.
Bibaculus u. Furius.
Bibulus u. Calpurnius.
Bithynia 171 297.
Bito Argiuus, 427.
Bituitus, Aruernorum rex, 703.
Blassius, Salapiae princeps, 304.
C. Blossius Cumanus, Ti. Gracchi amicus, 362 363.
Bocchus, rex Mauretaniae, 658.
Boeotia 170.
Bosporanus tractus 580.
Brennus, Gallorum dux, 117.
Britannica insula 260 261.
Brundisium 292 380 511 708.
Bruttii 142 162 163.
Bruttius ager 394.
Brutus u. Junius.
Burbuleius histrio, simillimus C. Curioni, 735.
Burra, praenomen muliebre, 749.
Busa, femina regionis Apulae ditissima, 372.

C.

Gaia Caecilia, Tarquinii Prisci uxor, 750.
Q. Caecilius, eques Rom. auunculus T. Pomponii Attici, 591.
Caecilia, Metelli Balearici consulis 631 filia, 133.
L. Caecilius Metellus, cos. a. 503 et 507 pont., max. a. 511 a. u. c. — 108 129 652.
L. Caecilius Metellus Caluus, frater Macedonici cos. a. 612 a. u. c. — 616.
L. Caecilius Metellus Dalmaticus, filius praecedentis, cos. a. 635 cens. a. 639. a. u. c. — 233.
M. (aut L) Caecilius Metellus, auctor deserendae Italiae post Cannensem cladem, 232 440, sed hoc loco in codd. Q. Metellus.
Q. Caecilius Metellus, pater Macedonici, mag. eq. 547, cos. 548, dict. 549 a. u. c. — 538.
Q. Caecilius Metellus Macedonicus filius praecedentis, cos. a. 608 et 611, cens. a. 623 a. u. c. — 215 257 258 290

320 321 384 534 535 569 574 616 694.
Q. Caecilius Metellus Balearicus, filius Macedonici, cos. a. 631, cens. a. 634 a. u. c. — 133.
Q. Caecilius Metellus Numidicus, L. Metelli Calui filius, cos. 645, cens. a. 652 a. u. c. — 209 234 301 320 321 400 676 705.
Q. Caecilius Metellus Pius, filius praecedentis, praet. 665, cos. 674 a. u. c. — 400 617 668 676.
Q. Caecilius Metellus Creticus, nepos Dalmatici, cos. a. 685 a. u. c. — 581.
Q. Caecilius Metellus Celer, praet. a. 691, cos. a. 694 a. u. c. — 464 587.
Q. Caecilius Metellus Nepos, cos. a. 697 a. u. c. — 590 735.
Q. Caecilius Metellus Scipio, socer Cn. Pompeii Magni cos. a. 702 a. u. c. — 253 303 658 659 677 700.
Caelii fratres, parricidii rei, 603.
Caelius mons 609.
P. Caelius, ab Octauio cons. Placentiae praepositus, 365 366.
T. Caelius Tarracinensis, in lecto iuxta cubantibus filiis interemptus, 603.
L. Caelius Antipater, rerum scriptor, 19 151.
M. Caelius Rufus, tr. pl. a. 702, praet. 706 a. u. c. — 331 412.
Caeneus, satelles regius, 713.
Caeninenses 246.
Caepio cognomen in nomen uersum, 743.
Caepio u. Seruilius.
Caere oppidum 111.
Caeretani 112.
Caerites aquae 140.
Caesar olim praenomen, postea cognomen, 744.
Caesar u. Julius et Augustus.
Caesetius, eques Rom. a Caesare filium abdicare iussus, 447.
L. Caesetius Flauus, filius praecedentis, tr. pl. a. 710 a. u. c. — 447.
Caesetius Rufus, senator Antonii iussu interfectus, 700.
M. Caesius, scriba D. Jubellii, 219.
M. Caesius (aliis Cassius) Scaeua 258.
Caesones, unde dicti, 748.
Caieta 412 634.
Caietana uilla 129.
Calagurritani 581 582.
Calanus Indus 170.
Calatinus u. Atilius.
Calchas uates 647.
Calcitana u. Calliphana.
Calenus ager 173.
Cales 262 299.
Calidius Bononiensis, adulterii causam dicens, 602.
M. Calidius, praet. a. 697 a. u. c. accusat Q. Gallium, 641.
Q. Calidius tr. pl. legem de reuocando Metello Pio tulit, 400.
Calippus Syracusanus, Dionis amicus, 308.
Calliphana, Veliensis Cereris sacerdos, 107.
Callisthenes, philosophus Aristotelis discipulus, 547 695.
Calpurnia, Caesaris uxor, 148.
L. Calpurnius, triumuir capitalis, 615.
M. Calpurnius Bibulus, cos. a. 695 a. u. c. — 322.
Calpurnius Lanarius, domum quam a Claudio Centumalo emerat demoliri coactus, 609.
C. Calpurnius Piso, praetor urb. p. 585, fortasse idem atque
C. Calpurnius Piso, cos. a. 687 a. u. c. — 300.
Cn. (codd. L.) Calpurnius Piso, cos. a. 615 a. u. c. — 126.
Cn. Calpurnius Piso accusat Manilium Crispum, 474.
L. Calpurnius Piso Frugi, cos. a. 621, cens. a. 634 a. u. c. — 214 239.
L. Calpurnius Piso Bestia, cos. a. 643 a. u. c. — 166.
L. Calpurnius Piso Caesoni-

nus, cos. a. 696 a. u. c. — 599.
Calpurnius Saluianus, unus e coniuratis in Q. Cassium Longinum, 697.
Caluinus u. Domitius.
Cambyses rex 491.
Camerini 499.
Camertes 401.
Campani 189 262 299 383 393 397 492 493 692 702.
L. Caninius Gallus, tr. pl. a. 698 a. u. c. — 330.
Cannensis clades 115 218 232 252 278 293 297 300 352 372 393 439 440 491 512 549 570 576 701 720.
Canusium 372.
Capena porta 293.
Capetus Siluius, Albanorum rex, 742.
Capitolium 241 249 284 288 289 330 351 423 424 441 456 482 523 526 568 574 657 663 695 701.
Cappadocia 450 740.
Capua 189 224 256 257 297 298 381 397 493 578 702.
Carbo u. Papirius.
Cares 135.
Carneades philosophus 628.
Carrae, Mesopotamiae urbs, 143.
C. Carrinas, cos. a. 711. a. u. c. — 590.
Carthago et Carthaginienses u. Karthag.
Sp. Caruilius Ruga, primum diuortium fecit, 177.
Carystus, Chalcidico freto uicina, 165.
Cascellius praediator 479 649.
Casilinates 578.
Cassander, Antipatri filius, 153 154.
L. Cassius, tr. pl. a. 665 a. u. c. — 706.
C. Cassius Longinus, cos. a. 583, cens. a. 600 a. u. c. — 190.
C. Cassius Longinus, Caesaris interfector, 130 135 164 243 364 517 710.
L. Cassius Longinus Rauilla, scopulus reorum, cos. a. 627, cens. a. 629 a. u. c. — 292 606.
L. Cassius Longinus, cos. suff. a. 764, procons. Asiae, ut uidetur, a. 775 a. u. c. — 5.
Q. Cassius Longinus, frater C. Cassii, eius qui Caesarem interfecit, tr. pl. a. 705, propraet. in Hispania a. 706 a. u. c. — 697.
Cassius Parmensis, unus e percussoribus Caesaris, 151.
Cassius Viscellinus, pater Sp. Cassii Viscellini, 451.
Sp. Cassius Viscellinus, cos. a. 252 261 268, mag. eq. a. 253 a. u. c. — 451 482 484.
Castor 159 434.
M. Castricius, magistratu Placentiae functus, 478.
Catilina u. Sergius.
Cato u. Porcius.
Catulus u. Lutatius.
Caucasus mons 274.
Caudinae furcae 393 549.
Cea insula 203.
Celtiberia 570.
Celtiberi 205 258 332 385 569.
Celtibericum bellum 258 384.
Censorinus u. Marcius.
Centobriga, Hispaniae oppidum, 384.
Cephalenia insula 173.
P. Cerennius Pontium in adulterio deprehensum castrauit 467.
Ceres 107 115 121 451 669.
Chalcidicum fretum 165.
Chaldaei 126.
Charondas 507.
Chrysippus philosophus 629 631.
C Cicereius, scriba P. Scipionis Africani, 281 352.
Cicero u. Tullius.
Cilicia 309.
Cimbri 205 237 285 363 401 452 483 529 667 722.
Cimon, Miltiadis filius, 416 419 426 530.

Cimon (leg. fort. Mycon), filiae lacte alitus, 425.
Cincinnatus u. Quintius.
Cineas Thessalus 336.
Cinginnia, Lusitaniae urbs, 496.
Circenses ludi 115 150.
Circus Flaminius 149 348.
Circus Maximus 348.
Cirta, Africae oppidum, 207.
Claudia gens 333 433 590.
Claudia, soror P. Claudii Pulchri consulis a. 505 a. u. c. — 605.
Claudia, uirgo Vestalis, filia App. Claudii consulis a. 611 a. u. c. — 424.
Q. Claudia, neptis App. Claudii Caeci, eius statua in aede magnae matris bis incolumis mansit in incendio — 166.
C. Claudius, flaminio abire iussus, 109,
M. Claudius, quod turpem cum Corsis pacem fecerat, in publica custodia a. 518 a. u. c. necatus, 485.
P. Claudius, nescio quis, qui Camerinos cepisse dicitur, 499.
Claudius Asellus, a Licinia uxore ueneno necatus, 489.
App. Claudius Caecus, cos. 447 et 458, cens. a. 442 a. u. c. — 116 537 653.
App. Claudius Caudex, cos. a. 490 a. u. c. — 195.
Ti. Claudius Centumalus, domum quam demoliri iussus erat, dolose uendidit Calpurnio Lanario, 608.
Claudius Drusus Germanicus, priuignus Augusti, frater Tiberii, 333 433.
M. Claudius Marcellus, cos. a. 532 539 540 544 546 a. u. c. — 110 141 218 224 225 247 305 314 383 394 395 463 629.
M. Claudius Marcellus, praet. urb. a. 566, cons. a. 570 a. u. c. — 510.
M. Claudius Marcellus, Aesernini pater, aequalis L. Crassi oratoris, quem testimonio suo affligere non potuit, 617.
M. Claudius Marcellus, cos. a. 703 a. u. c. — 716.
C. Claudius Nero, cos. a. 547, cens. a. 550 a. u. c. — 230 317 329 540 541 568 569.
App. Claudius Pulcher, cos. a. 611, cens. a. 618 a. u. c. — 424.
App. Claudius Pulcher, cos. a. 700 a. u. c. — 165.
C. Claudius Pulcher, cos. a. 577, cens. a. 585 a. u. c. — 502 503.
C. Claudius Pulcher, cos. a. 662 a. u. c. — 195.
L. Claudius Pulcher male dicitur qui erat P. Clodius Pulcher, Ciceronis aduersarius, 599.
P. Claudius Pulcher, cos. a. 505, qui auspiciis neglectis classem amisit, 128 129, sed male Appius uocatur 598.
P. Claudius (s. Clodius) Pulcher tr. pl. a. 696 a. u. c. — 282. 330 617 618 676. Idem male Lucius uocatur 599.
P. Claudius (s. Clodius) Pulcher, filius praecedentis, 282.
App. Claudius Sabinus Regillensis, cos. a. 259 a. u. c. — 694.
App. Claudius Sabinus Regillensis, cos. a. 283 et 303, decemuir a. 303 et 304 a. u. c. — 462 693.
Cleanthes philosophus 631.
Clearchus Lacedaemonius 220.
Cleobis Argiuus 427.
Cleon, latronum dux, 725.
Cleopatra, Ptolemaei Physconis soror et uxor, 687.
Cleopatra regina, Ptolemaei Auletae filia, 322.
Clitus, Alexandri Magni amicus, 695.
Clodia, Aufilii uxor, CXV annos uixit, 653.
Clodius u. Claudius.
Cloelia 245.
P. Cloelius Siculus, flaminio abire iubetur, 108.
Cluuia Facula, Campana meretrix, 397.

Cnaeus, Gnaeus, Naeus, uaria praenominis scriptura, 746.
Cnidii 646.
Codrus, Atheniens. rex, 442 443.
Coela Euboea 165.
Coelius u. Caelius.
M. Colonius, damnauit Caninium Gallum, tribunum pl. a. 698 a. u. c. — 331.
Coma, frater Cleonis, latronum ducis, 725.
Cominius tr. pl. accusat M. Lactorium Mergum, 465.
Postumus Cominius Auruncus, cos. 253 et 261 a. u. c. — 334 743.
Concordiae aedes 706.
Considius publicanus 673.
Q. Considius fenerator 372.
Consualia 192.
Contrebia, Hispaniae urbs, 215 569 570.
Corinthus 276 531.
Coriolanus u. Marcius.
Corioli, Volscorum oppidum, 334.
Cornelia gens 236 405 410 457 472 657 663.
Cornelia, Africani superioris filia, uxor T. Sempronii, mater Gracchorum, 330 343 356 513.
Cornelia, filia L. Syllae, mater Q. Pompeii Rufi, 331.
C. Cornelius, quater primi pili honore donatus, propter stuprum in uincula coniectus, 465.
C. Cornelius, quaestor Cn. Pompeii, tr. pl. a. 687, defensus a Cicerone a. 689 a. u. c. — 617.
L. Cornelius Balbus, cos. suff. a. 714, heres L. Valerii — 592.
M. Cornelius Cethegus, flaminio abire iussus, 108.
P. Cornelius Cethegus, cos. a. 573 a. u. c. — 113 196.
P. Cornelius Cethegus, Syllae aequalis, Praenestinis spem salutis dederat, 682.
L. Cornelius Cinna, cos. 667 668 669 670 a. u. c. — 142 226 341 366 411 439 523 637.
L. Cornelius Cinna, praet. a. 710 a. u. c. — 710.
A. Cornelius Cossus, cos. a. 326, mag. eq. a. 328 a. u. c. — 246.
Cn. Cornelius Dolabella, cos. a. 673 a. u. c. — 638.
P. Cornelius Dolabella, procons. Asiae, 607 608.
P. Cornelius Dolabella, cos. a. 763, procons. Africae a. 777 a. u. c — 6.
Cornelius Gallus praetorius, inter usum Veneris absumptus, 724.
Cornelius Lentulus Cruscellio, proscriptus a triumuiris, 514.
Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, cos. a. 698 a. u. c. — 330 474.
L. Cornelius Lentulus Lupus, cos. a. 598. cens. 607 a. u. c. — 526.
P. Cornelius Lentulus Crus, cos. a. 705 a. u. c. — 164 330.
L. Cornelius Lentulus Niger, flamen Martialis, 330.
P. Cornelius Lentulus, cos. a. 592. a. u. c. — 410.
P. Cornelius Lentulus Spinther, cos. a. 697 a. u. c. — 195 593 735.
Ser. Cornelius Lentulus Maluginensis, cos. a. 763 a. u. c. — 5.
A. Cornelius Mammula, propraetor a. 538 a. u. c. — 577.
P. Cornelius Merula, cos. suff. a. 667 a. u. c. flamen Dialis, 722.
Cornelius Nepos, uitarum auctor, 18.
P. Cornelius Rufinus, cos. a. 464 et 477, dict. a. 478 a. u. c. — 229.
Cn. Cornelius Scipio Asina, cos. a. 494 et 500 a. u. c. — 509 526.
Cn. Cornelius Scipio Caluus, cos. a. 532, qui cum Publio fratre in Hispania periit, 137 217 286 349 511 669 718 720.

Cn. Cornelius Scipio Hispalus, cos. 578. a. u. c. — 485.
Cn. (aut C.) Cornelius Scipio Hispalus, praet. peregr. a. 615 a. u. c. — 126; fortasse idem atque
Cn. Cornelius Scipio Hispali filius, qui commemoratur 485.
Cn. (aut L.) Cornelius Scipio, Africani filius degener, 280 352.
L. Cornelius Scipio, cos. a. 495, cens. 496 a. u. c. — 382.
L. Cornelius Scipio Asiaticus, cos. 564 a. u. c. — 281 284 287 316 328 409 431 604.
P. Cornelius Scipio, cos. 536, qui in Hispania periit a. 542, pater Africani superioris, — 137 217 286 422 511 669 718 720.
P. Cornelius Scipio quaestor, (sed fortasse est L. Cornelius Scipio Asiatici filius), 381.
P. Cornelius Scipio Africanus superior, cos. a. 549 560, cens. a. 555 a. u. c. — 118 123 191 216 224 225 234 235 280 281 283 286 287 288 300 314 316 330 332 350 352 385 (sed h. l. cum Aemiliano confusus.) 399 404 405 408 409 422 431 440 444 472 483 510 513 514 522 532 537 552 634 657 663 708 718.
P. Cornelius Scipio Africanus Aemilianus, cos. a 607 et 620, cens. a. 612 a. u. c. — 191 208 217 236 248 249 267 289 302 317 318 320 340 385 et ibidem cum Africano superiore confusus, 405 406 409 410 444 457 471 472 473 493 494 572 581 601 664 665 667.
P. Cornelius Scipio Nasica, uir optimus, qui magnam matrem excepit, cos. a. 563 a. u. c. — 572 573 664 665.
P. Cornelius Scipio Nasica Corculum, cos. a. 592 et 599, cens. a. 595. a. u. c. — 108 190 573.
P. Cornelius Scipio Nasica Serapion. pont. max. cos. a. 616 a. u. c. — 128 225 255 289 410 573 734.
P. Cornelius Scipio Nasica, cos. a. 643 a. u. c. — 166 573.
Faustus Cornelius Sylla, dictatoris filius, 243.
L. Cornelius Sylla dictator, 123 134 138 226 238 243 284 301 401 402 413 439 496 505 516 522 555 574 579 620 658 681 694 695 707 739.
M. Cornutus, praet. urb. a. 711 a. u. c. — 402.
Corsi 485.
Corsica insula 722.
C. Cosconius, praet. a. 664. a. u. c. — 600.
Cotta u. Aurelius.
Cotys, rex Thraciae, 297.
Crannon, Thessaliae oppidum, 169.
Crassus u. Licinius.
Cremera flumen 749.
Creta 173 625.
Cretes s. Cretenses 123 549 581 694.
Critias, unus e triginta tyrannis Atheniensium, 266.
Croesus, rex Lydiae, 154 155 430.
Crotona urbs 173.
Crotoniatae 669.
Ctesias Cnidius, rerum scriptor, 23 655.
Ctesiphon orator 642.
Curetes 192.
Curiatii 488.
C. Curiatius tr. pl. a. 616 a. u. c. — 289.
Curio u. Scribonius.
M'. Curius Dentatus, cos. a. 464 479 480, cens. a. 482 a. u. c. — 334 335 486.
M'. Curtius adulescens in terrae hiatum se immittit, 436.
Mettus Curtius, 742.
Cyclades insulae 333.
Cydnus fluuius 309.
Cymaei 736.
Cynaegirus Atheniensis 258.
Cyprii 273 680 698.

Cyprus insula 134 322 333 415 668.
Cyrenae, Africae oppidum, 444.
Cyrenenses 444.
Cyrus, Persarum rex, 155 430 633 713.

D.

Damasippus u. Licinius.
Damastes, rerum scriptor, 23 656.
Damon Pythagoricus 368.
Dandon D annos uixit 656.
Daphnites sophista 169.
Dareus, Hystaspis filius, 263 403 428 430 491 531 559 688, ubi male antea Ochus dictus esse traditur.
Dareus Codomannus 271 309 310 343 369 389 497.
Dasius, Salapiae princeps, 304.
Decianus u. Apuleius.
P. Decius Mus, cos. a. 414 a. u. c. — 149 439.
P. Decius Mus, filius praecedentis, cos. a. 442 446 457 459, cens. a. 450 a. u. c. — 188 439.
Deiotarus rex 130.
Delos insula 121.
Delphi 120 123 138 165 170 551.
Demades Atheniensis 548.
Demaratus Corinthius, pater Tarquinii Prisci, 277.
Demochares Atheniensis 308.
Democritus philosophus 25 628 660.
Demosthenes orator 280 561 624 625 642 643.
Demostratus Atheniensis 308.
Diana Auentinensis 550 551, Ephesia 661.
Dii manes 149.
Dinocrates architectus 130.
Dio Syracusanus 308 323.
Diodorus Siculus 22.
Diogenes Cynicus 343.
Diogyris (fortasse Diegylis), Thraciae rex, 687.
Diomedon 122.
Dionysius Halicarnasseus 22.
Dionysius Syracusanus 119 156 343 368 480 481 733.
Dionysius minor, filius praecedentis, 323 531.
Diphilus tragoedus 477.
Dis pater 193 194 365.
Dodona 670.
Dolabella u. Cornelius.
Cn. Domitius, bos eius loquitur, 140.
Cn. Domitius Ahenobarbus, cos. a. 632, cens. a. 639 a. u. c. — 233 703.
Cn. Domitius Ahenobarbus tr. pl. a. 645 et 650, cos. 658, cens. 662 pont. max. — 503 504 674 675.
Cn. Domitius Ahenobarbus a Sylla proscriptus, in Africa occisus a Cn. Pompeio, — 476.
L. Domitius Ahenobarbus, praetor in Sicilia post a. 656, cos. ut uidetur 660 a. u. c. — 486.
Cn. Domitius Caluinus, cos. 701 et 714 a. u. c. — 644.
Doris Locrensis, Dionysii uxor, 733.
Drusus u. Liuius et Claudius.
Drypetina, Mithridatis filia, 171.
C. Duellius, cos. a. 494, cens. a. 496, dict. 523 a. u. c. — 284 563.
M. Duronius tr. pl. legem de coercendis conuiuiorum sumptibus abrogauit, 230.
Dyrrachium 143.

E.

Echecles, Samius athleta, 168.
Echecrates Pythagoreus 627.
Egeria u. Aegeria.
Egnatius Mecennius, uxorem interemit, quod uinum bibisset, 489.

Elaea, Asiae oppidum, 252.
Enna u. Henna.
Ennius poeta 657.
Epaminondas Thebanus 265 296.
Ephesia Diana 662.
Ephesii 662.
Ephialtes Atheniensis 308.
Epicurus philosophus 172 336.
Epidamnii 136.
Epidaurus 120 160.
C. Epidius Marullus, tr. pl. a. 710. a. u. c. — 447.
Epii, gens Aetoliae, 656.
Epimenides Cnosius 655.
Epirotae 340.
Epirus 333 393.
L. Equitius tr. pl. design. a. 654. a. u. c. qui Gracchi filium se simulat — 255 303 705 737.
Equus saxum 170.
Erasistratus medicus 449.
Eretum, uicus Sabinae regionis, 193.
Erythraeum litus 468.
T. Etereius aut Eterius aut Heterius, eques Rom. inter usum Veneris absumptus, 724.
Etpastus (?) tyrannus 427.
Etruria 107 192 354 678.
Etrusci 106 162 192 245 268 432 689 742.
Euander Arcas 187.
Euboea Coela 165.
Eucles Olympionices 671.
Euclides geometres 649.
Eumenes (II), Asiae rex, 182.
Euphranor pictor 647.
Euporus, C. Gracchi seruus, 516.
Euripides poeta 280 294 726.

F.

Fabia gens 2 314 457 749.
Q. Fabius, gener P. Rupilii consulis, a socero prouincia decedere iussus, 209.
Q. Fabius, aedilicius Apolloniatarum legatis deditus, 511.
C. Fabius Dorsuo, per medias Gallorum stationes ab arce in Quirinalem collem peruenit ad peragenda sacra, 112.
C. Fabius Hadrianus, Uticae uiuus combustus, 713.
Q. Fabius Labeo, cos. a. 571 a. u. c. — 553 554.
Paulus Fabius Maximus, cos. 743. a. u. c. — 743.
Q. Fabius Maximus Rullianus, cos. 432 444 446 457 459, cens. 450, mag. eq. 429, dict. 439 452 a. u. c. — 184 188 213 251 313 399 (sed h. l. confusus cum Fabio Maximo Cunctatore) 446 447.
Q. Fabius Maximus Gurges, filius praecedentis, cos. a. 462 478 489 a. u. c. — 184 313 338 447.
Q. Fabius Maximus Verrucosus Cunctator, cos. a. 521 526 539 540 545, cens. a. 524, dict. a. 533 et 537 a. u. c. — 109 184 299 371 398 399 556 563 601 652 691.
Q. Fabius Maximus Aemilianus, cos. a. 609 a. u. c. — 181 216 457.
Q. Fabius Maximus Seruilianus, cos. a. 612, cens. 628 a. u. c. — 463.
Q. Fabius Maximus Allobrogicus, cos. a. 633, cens. a. 646 a. u. c. — 281 522 572 665 703.
Q. Fabius Maximus, Allobrogici filius degener, 281.
C. Fabius Pictor, cos. a. 485 a. u. c. — 659.
Num. Fabius Pictor, cos. a. 488 a. u. c. — 338.
K. Fabius Vibulanus, cos. 270 273 275 a. u. c. — 693.
M. Fabius Vibulanus, cos. 271 et 274. a. u. c. — 223 432.

Q. Fabius Vibulanus, frater praecedentis, cos. a 269 et 272 a. u. c. — 432.
C. Fabricius Luscinus, cos. 472 476 481, cens. 479 a. u. c. — 163 229 335 336 345 350 501.
Falerii 499.
Falisci 499.
Fannia Minturnensis 134 611.
A. Fannius 615.
Fannius Saturninus paedagogus 462.
M. Fauonius, familiaris M. Catonis, 238 475.
Faustulus 187.
Faustus praenomen unde ortum 745.
Faustus u. Cornelius Sylla.
Fidenae 565.
Fidenates 247.
Fides publica 254.
Figulus u. Marcius.
Fimbria u. Flauius
Firmum Picenum 737.
Flacciana area 483.
Flaccus u. Fuluius et Valerius.
Flamininus u. Quintius.
Flaminius circus 149 348.
C. Flaminius, tr. pl. 526, cos. 531 et 537, mag. eq. 533, cens. 534 a. u. c. — 109 140 424.
C. Flaminius, cos. a. 567 a. u. c. — 509, sed codd. male L. Flam.
Flauius Lucanus, perfidus hospes, 141.
C. Flauius, eques Rom., 615.
Cn. Flauius, scriba aedilicius, postea aedilis curulis a. 450 fastos uulgauit, 197 692.
M. Flauius tr. pl de Tusculanis puniendis retulit, 711.
Q. Flauius, accusatoris sui culpa absolutus, 599.
C. Flauius Fimbria, cos. 650 a. u. c. — 539, (ubi in codd. male L. Fimbria) 616.
C. Flauius Fimbria id egerat ut Q. Scaeuola in funere Marii iugularetur, 715.
Florales ludi 238.
C. Fonteius Capito cos. 765, procons. Asiae a. 777 a. u. c. — 5.
Fortuna 166.
Fortuna muliebris 161 396.
Fortuna Praenestina 125.
Forum boarium 139 195.
Forum Romanum 528.
Fregellani 224.
Frontinus u. Iulius.
Fulbertus, episcopus Carnotensis, 47.
Mettus (s. Mettius) Fufetius, Albanorum dux, 566 742.
Fuluia, nobilis femina prostituta in conuiuio Gemelli uiatoris, 677.
Fuluia, Clodii uxor, 282.
A. Fuluius senatorius filium Catilinae partes secutum interficit, 453.
Q. Fuluius, mitis erga filium suspectum, 454.
Fuluius Flaccus, seruus eius octies tortus nihil contra dominum edixit, 615.
Cn. Fuluius Flaccus, triumphi honorem contemnit, 223.
Cn. Fuluius Flaccus, a fratre Quinto senatu motus, 210.
M. Fuluius Flaccus, tr. pl. a. 473 a u. c. — 219.
M. (codd. Q.) Fuluius Flaccus, cos. a. 490 a. u. c. — 195.
M. Fuluius Flaccus, cos. a. 629 a. u. c. cum C. Graccho interfectus, 482 699.
Q. Fuluius Flaccus, cos. a. 517 530 542 545, cens. 523 a. u. c. — 189 210 224 262 263 298 397 669.
Q. Fuluius Flaccus, cos. a. 575 a. u. c. cens. 580 a. u. c. — 118.
M. Fuluius Nobilior, cos. a. 565, cens. 575, non Flaccus, ut est 329.
Furius praediator 649.
Furius, ab Antonio ad occidendum D. Brutum missus, 366 731.
P. Furius, tr. pl. a. 654 a. u. c. — 604.

L. Furius Bibaculus praetor 111.
Cn. Furius Brocchus 468.
M. Furius Camillus, tr. mil. a. 353 356 360 368 370 373, cens. 351 dict. 358 364 365 386 387 a. u. c. — 132 161 227 312 408 441 499 564.
P. (codd. L.) Furius Philus, cos. a. 531, cens. 540 a. u. c. — 232.
P. Furius Philus, cos. 618 a. u. c. — 290.

G.

Gabii 566.
Gabini 567.
A. Gabinius, tr. pl. a. 687, cos. a. 696 a. u. c. — 322 330 597 680.
Gabinus ritus 112.
Galba u. Sulpicius.
Gaia, pronomen muliebre, 749 750.
Gaii, unde dicti, 748.
Galli 111 112 117 130 205 247 249 250 290 312 441 482 522 568 719.
Gallia 139 203 291 297.
Gallicus ager 424.
C. Gallius, in adulterio deprehensus et flagellis caesus, 467.
Q. Gallius, praet. a. 689, ambitus reus defensus a Cicerone, 641.
Gallograeci 468.
Gallus flumen, sed nomen corruptum esse uidetur, 686.
Gaurus spado, Mithridati auctor caedis Romanorum, 686.
Gelenses 375.
A. Gellius citat Valerium Maximum 45.
L. Gellius Publicola, cos. 682, cens. 684 a. u. c. — 453.
L. Gellius Publicola, cos. a. 718 a. u. c., filius praecedentis, 453.
Gelo, tyrannus Syracusanorum, 119 267.
Gemellus, tribunicius uiator, 677.
Geminius u. Maecius.
Gemoniae scalae 485 528.
Gentius rex, 269.
Genua 140.
Genucius, magnae matris Gallus, 586.
Genucius Cipus praet., 437 438.
Germania 433.
Germanicus u. Claudius Drusus.
Geta u. Licinius.
Gillias Acragantinus 375.
Glaucia u. Seruilius.
Gnaeus Cnaeus Naeus, uaria praenominis scriptura, 746.
Gobryas, Darei socius, 263.
Gorgias Epirotes 168.
Gorgias Leontinus, Isocratis praeceptor, 654 670.
Gracchanus tumultus 107 471.
Gracchus u. Sempronius.
Granius, Puteolorum princeps, 695.
M. Gratidius, legatus C. Marii a. 665 a. u. c. — 707.
Gryllus, Xenophontis filius, 459.
Gyges, rex Lydiae, 536 537.
Gytheum, Spartanorum oppidum nauale, 506.

H.

Hadrianus u. Fabius.
Hadriaticum mare 708.
Hamilcar, Karthaginiensium dux, somnium eius cum obsideret Syracusas, 157.
Hamilcar Barcas, pater Hannibalis, 509 696.
Hammon u. Iuppiter.
Hannibal, Gisconis filius, a Duilio cos. uictus, 562 563.

Hannibal, Hamilcaris filius, 140 141 153 219 252 256 257 287 293 296 298 300 304 314 371 393 394 395 399 413 422 440 512 539 541 549 563 568 569 570 578 669 675 678 686 696 701 704 709.
Hanno, dux Karthaginiensium, pro Olbia fortissime dimicans occumbit 382.
Hanno, dux Karthaginiensium, primo Punico bello, certus Romani animi aestimator 509.
Hanno Karthaginiensis, princeps factionis Hannibali inimicae, 549.
Harmodius, interfector Hipparchi, 239.
Harmonia, Gelonis regis filia, 267.
Hasdrubal, dux Karthaginiensium primo Punico bello, insidiis M. Atilium Regulum capit, 114.
Hasdrubal, gener et successor Hamilcaris, a seruo barbaro interfectus, 275.
Hasdrubal, Gisconis filius, Syphacis amicitiam petit 532.
Hasdrubal, frater Hannibalis, 290 317 568 569 691.
Hasdrubal, dux Karthaginiensium tertio Punico bello, a Scipione impetrat uitam, uxor eius flammis ardentis patriae se obicit, 267.
Hegesias, Cyrenaicus philosophus, 640.
Helena 295
Heliconii colles 147.
Hellanicus Lesbius 23 656.
C. Heluius Cinna, tr. pl. a. 710 a. u. c. — 710.
Heluius Mancia Formianus, libertini filius, 475.
Henna, Siciliae urbs, 108 725.
Hephaestio, Alexandri amicus, 369 370.
Heraclides Syracusanus, Dionis amicus, 308.
Hercules 116 415.
Herculis portus, Ligurlae oppidum, 140.
Herennius Pontius, Samnitium dux, 549.
Herennius Siculus, aruspex et amicus C. Gracchi, 723.
Lar Herminius, cos. a. 306 a. u. c. — 745.
Hermocles, Pausaniam incitat ad interficiendum clarum aliquem uirum, 661.
Herodotus 23 655.
Herophilus medicus C. Marium auum sibi uindicat 737.
Hiero, Syracusarum rex, 374.
Hiero alter, Siciliae rector, 653.
Hieronymus tyrannus 274.
Himera, Siciliae urbs, 156.
Himeraei 156.
Hippo, Graeca femina, 468.
Hippoclides Epicureus 172.
A. Hirtius, cos. a. 711 a. u. c. 402, Hispalus u. Cornelius.
Hispania 137 208 217 224 225 236 249 253 286 290 293 296 332 333 339 349 384 405 427 485 494 496 511 569 596 621 665 668 676 684 694 696 697 708 719 737.
Homerus 135 295 636 726.
Honoris et Virtutis aedes 110 150.
M. Horatius, Curiatiorum uictor, 488 595.
Horatius Cocles 245 363.
M. Horatius Puluillus, cos. a. 245 a. u. c. — 456.
Hortensia, Q. Hortensii oratoris filia, 614.
L. Hortensius, tr. pl. a. 332 a. u. c. — 501 502.
Q. Hortensius orator 282 454 614 617 641 697.
Q. Hortensius, oratoris filius, 454.
Q. Hortensius Corbio, nepos oratoris, 283.
Hostilia curia 699.
Tullus Hostilius 276 565 566 595 721.
C. Hostilius Mancinus, cos. a 617 a. u. c. — 140 209.
Hostus praenomen unde ortum 745.
Hybreas Mylasenus, concitatae facundiae orator, 736.

Hymettus mons 147.
Hypsaeus u. Plautius.
Hypsicratia regina, Mithridatis uxor, 358.

I.

Ianiculum 111 113.
Ianuarius Nepotianus 67.
Iason Argonauta 359.
Iason Pheraeus 168 713 714.
Idaea mater u. mater deum.
Illyricum 118.
Illyricum bellum 136.
Illyricus tractus 656.
Indi 206 274 655.
Indibilis Celtiber 332.
Indicus Bacchi triumphus 285.
Intercatia, Hispaniae oppidum, 249.
Ioannes Saresberiensis 47.
Iones 199.
Iophon, Sophoclis filius, 632.
Iphigenia 647.
Isis 126.
Isocrates 25 630 654.
Isthmicum spectaculum 373.
Italicum bellum 431 485.
D. Iubellius, tr. mil. occupat Rhegium, 219.
T. Iubellius Taurea Campanus 263.
Iudaei 126.
Iugurtha 209 523 528 658.
Iugurthinum bellum 209 285.
Iulia gens 433.
Iulia, mater Sulpiciae, socrus Lentuli Cruscellionis, 514.
Iulia, C Iulii Caesaris filia, Pompeii uxor, 357.
Iulia (Liuia Augusta), Tiberii mater, 7 461.
Iulis, oppidum Ceae insulae, 203.
Vopiscus Iulius 743.
C. Iulius Caesar Strabo, aedilis a. 664 a. u. c. — 294 411, Idem cum fratre Lucio confusus male consularis et censorius dicitur 683 684.
C. Iulius Caesar dictator, 17 106 134 143 144 148 164 165 238 253 255 258 259 260 354 356 387 447 448 478 517 529 580 613 638 644 684 685 708 710 716 737 739.
L. Iulius Caesar, cos. 664, cens. 665 a u. c. — 683, sed h l confusus cum fratre Gaio.
Iulius Frontinus 44.
Iulius Paris 50.
Iunia lex de peregrinis 278.
C. Iunius Brutus Bubulcus, cos. a. 437 441 443, cens. 447 mag. eq. 442 445, dict. 452 a. u. c. — 228 659.
D. Iunius Brutus Pera, cos. 488, cens. 501 a. u. c — 195 196.
D. Iunius Brutus Callaecus cos. a. 616 a. u. c. — 496 658.
D. Iunius Brutus, cos. a. 677, Antonii iussu interfectus, 366 730.
L. Iunius Brutus, cos. 245 a. u. c. — 345 435 450 551 552.
M. Iunius Brutus Pera, pater insequentis, 195 196.
M. Iunius (Brutus) Pera, cos. a. 524, cens. a. 529, dict. a. 538 a. u. c. — 196 577.
M. Iunius Brutus, tr. pl. a. 559, cos. a. 576 a. u. c. — 674.
M. Iunius Brutus, tr. pl. 671, pater insequentis, proscriptus a Sylla, interfectus a Cn. Pompeio, 476.
M. Iunius Brutus, interfector Caesaris, 130 134 148 253 358 364 388 496 556 710.
P. Iunius Brutus, tr. pl. a. 559 tuetur legem Oppiam, 674.
M. Iunius Pennus, tr. pl. a. 627 a. u. c. — 278.
L. Iunius Pullus, cos. a. 505 a. u. c. — 129.
C. Iunius Silanus, cos. 763, procons. Asiae 773. a. u. c. — 5.
D. Iunius Silanus, filius naturalis T. Manlii Torquati, 451.

L. (M.) Iunius Silanus, cos. suff. a. 763, procos. Asiae, ut uidetur a. 775 a. u. c. — 5.
Iuno 115 119 176 428.
Iuno Capitolina 461.
Iuno Lacinia 118 173.
Iuno Moneta 161 482.
Iuno Regina 457.
Iuppiter 115 119 123 124 143 150 153 156 176 197 288 295 314 330 362 433 457 459 568 627 647 663 722.
Iuppiter Feretrius 246 247 248.
Iuppiter Hammon 670 700.
Iuppiter Sabazius 126.
Iuturnae lacus 160.
M'. Iuuentius Talna, cos. 591 a. u. c. — 722.

K.

Karthaginienses 114 120 157 171 219 233 236 286 293 305 314 378 382 399 405 413 444 510 512 526 541 570 685 686 702 704.
Karthago 114 116 125 174 208 216 225 236 267 283 288 293 300 332 340 347 385 408 410 443 444 472 522 532 538 549 552 563 570 664 696 722.
Karthago Noua 332 718.
Κατωβασίλεια 134.
Korinthus 276 531.

L.

Labienus u. Atius.
Lacedaemon 146 265 327 359 413 625. uid. Sparta.
Lacedaemonii 124 200 220 264 360 491 497 506 548.
Lactantius Firmianus 45.
D. Laelius, tr. pl. a. 700 a. u. c. — 597.
D. Laelius dicitur p. 367, qui erat
C. Laelius Sapiens, cos. 614 a. u. c. — 362 367 431 532 634.
Laetorius, C. Gracchi amicus, 363.
L. Laetorius Mergus, tr. mil. 465 466.
Laeuinus u. Valerius.
Lamia u. Aelius.
Lampsacus 560.
Laodice, uxor Antiochi II, interfieit filium Berenices reginae, 713 736.
Laodice regina, Mithridatis uxor, 171.
Lar, praenomen unde sumptum, 745 u. etiam Porsenna et Tolumnius.
Larissa, Thessaliae urbs, 354.
Latina uia 161.
Latini 216 242 243 257 492 493 692.
T. Latinius, homo ex plebe, 149.
Latinum bellum 149 212 439 521.
Latium 213.
Latmiorum insula incerta 656.
Lauinium, Latii oppidum, 140 163.
Laurentina uia 618.
Laurentum, Latii oppidum, 634.
Leda 295.
Lemniorum insula 359.
Lentulus u. Cornelius.
Leonicus, Mithridatis salutem defendit, 404.
Leonidas 146 264.
Lepidus u. Aemilius.
Leptines mathematicus 449.
Letus mons 135.
Leuctra, Boeotiae oppidum, 265.
Liber pater 178 285.
Libo u. Scribonius.
Licinia, Claudii Aselli uxor, 489.
Licinius Bucco senator 613.
C. Licinius Caluus, orator et poeta, 723.

Licinius Crassus Diues, nepos P. Licinii Crassi Diuitis, consulis a. u. c. 657, Decoctor cognominatus, 526.
L. Licinius Crassus, orator, cos. 659, cens. 662, gener Q. Scaeuolae, 290 353 471 504 617 634 (ubi tamen male Publius uocatur) 666 673 674 675.
M. Licinius Crassus, cos. 684 et 699 cens. 689 a. u c — 142 525 697.
P. Licinius Crassus Diues, mag. eq. 544, cos. 549, cens. 544, pont. max. 542 a. u. c. — 109 522.
P. Licinius Crassus 634, dicitur gener Q. Scaeuolae, sed is erat L. Crassus.
P. Licinius Crassus Mucianus, quaestor 601 cos. 623 a. u. c. — 181 252 279 623.
L. Licinius Damasippus, praet. a. 672 a. u. c. — 684.
C. Licinius Geta, cos. 638, cens. 646 a. u. c. — 233.
C. Licinius Hoplomachus a praetore impetrauit ut patri bonis interdiceretur, 619.
C. Licinius Lucullus cos. a. 603 a. u. c. — 236 249 405.
L. Licinius Lucullus, aed. 675, cos. 680 a. u c. — 195 591 617.
M. Licinius Lucullus, filius Lucii, eius, qui bello Mithridatico excelluit, ab Antonio occisus, 364.
C. Licinius Macer, Calui pater, praetorius interiit a. 688. a. u. c. — 723.
C. Licinius Sacerdos, eq. Rom., 318.
C. Licinius Stolo, tr. pl. 379 et seqq. cos a. 390 393, auctor legis Liciniae, 191 620.
Ligures 218 290.
Liguria 297.
Lilybaeum, promontor. Siciliae, 171.
Liparae insulae 210 526.
Liparitani 120.
Liternina uilla Scipionis 235.
Litorius quidam e gente Epiorum 656.
Liuia Augusta u. Iulia.
Liuia, Rutilii uxor, 653.
T. Liuius Patauinus 15 174.
Liuius Andronicus poeta 192.
C. Liuius Drusus, eloquentissimus ICtus caecus 622.
M. Liuius Drusus, tr. pl. a. 663 a u. c. — 242 699.
M. Liuius Salinator, cos. 535 547, cens. 550, dict. 547 a. u. c. — 230 290 317 329 540 541 568 569 691.
Locrenses 119 124 506.
Locri urbs 118 119 506 627.
Cn. Lollius, triumuir nocturnus, 606.
M. Lollius Palicanus, tr. pl. a. 683 a. u. c. — 300.
Longinus u. Cassius.
Longus u. Sempronius.
Lucani 141 162 163 568.
Lucia, praenomen muliebre, 749.
Lucii unde dicti 746.
Lucretia, filia Lucretii Tricipitini consulis a. 245 a. u c. — 461.
Lucretius aedilis corpus Ti. Gracchi in Tiberim abici iussit 128.
Q. Lucretius, a triumuiris proscriptus, 514.
Hostus Lucretius Tricipitinus, cos. 325 a. u. c. — 745.
Sp. Lucretius Tricipitinus, cos. a. 509 a. u. c. — 311.
Lucrinus lacus 673.
Lucullus u. Licinius et Terentius.
Lucumones 746.
Lupercalia 187.
Lusitani 555 676 685.
Lusitania 123 496 596 703.
C. Lusius, tr. mil., filius sororis C. Marii, 466.
Lutatia gens 683.
C. Lutatius Catulus, cos. a. 512 a. u. c. — 221 222.
Q. Lutatius Catulus, cos. a. 652 a. u. c. — 452 483 722.
Q. Lutatius Catulus, cos. a. 676 a. u. c. — 195 225 523 668.

Q. Lutatius Cerco, cos. a. 513, cens. a. 518 a. u. c., quo consule pax data est Karthaginiensibus, 125 499.
M. Lutatius Pinthia eq. Rom. 539.
Lycii 206.
Lycon Molossus 391.
Lycurgus 124 198 413 548.
Lydi 192.
Lydia 536 537.
Lyncestis, flumen Macedoniae, 173.
Lysias orator 497.
Lysimachus, dux Alexandri, postea rex Thraciae, 481 695.
Lysippus sculptor 645.

M.

Macedones 309 393 445 451 546 547.
Macedonia 173 236 270 352 373 388 451 452 574 726.
Macedonicum bellum 159 380 472.
Macedonicus u. Caecilius Metellus.
Maecia tribus 232.
Geminius Maecius, dux Tusculanorum, 212.
Sp. Maelius, ab Ahala occisus, quia regnum adfectabat, 411 482.
P. Maenius, seuerus in libertum suum, 462.
Maenius, centurio diui Augusti, 304.
P. Magius Chilo, M. Marcellum interficit, 716.
Mago, frater Hannibalis, 141 549.
Maharbal, Himilconis filius, 701.
Maior Graecia 626.
Cn. Mallius Maximus, cos. 649 a. u. c. — 189.
Maluginensis u. Cornelius.
Mamilius Octauius, Tusculanorum dux, 159.
Mancinus u. Hostilius.
Mandane, Astyagis filia, 155.
Manii unde dicti 746.
M'. Manilius, cos. 605 a. u. c. — 406.
C. Manilius Crispus, tr. pl. a. 687, auctor legis Maniliae, 474.
L. Manlius a. 566 a. u. c. Karthaginiensibus deditus, 509.
M. Manlius Capitolinus, cos. a. 362 a. u. c. — 482.
L. Manlius Imperiosus, dict. a. 391 a. u. c. — 422 521.
T. Manlius Torquatus, Imperiosi filius, cos. a. 407 410 414, dict. 401 405 434 a. u. c. — 149 211 212 247 423 452 492 493 521 692.
T. Manlius Torquatus, cos. 519 et 530, cens. 523, dict. 546 a. u. c. — 492 493.
T. Manlius Torquatus, cos. a. 589, pater D. Silani, 451 452.
Cn. Manlius Vulso, cos. a. 564 a. u. c. — 468.
Mantinea 265 459.
Marathon 415 418 659.
Marcellus u. Claudius.
Marci unde dicti 748.
Ancus Marcius rex 137 334.
L. Marcius, dux duorum exercituum in Hispania post interitum P. et Gn. Scipionum, 137 217 669.
L. Marcius, tr. pl. a. 692 a. u. c. — 221.
L. Marcius Censorinus, cos. a. 605, cens. a. 607 a. u. c. — 526.
Cn. Marcius Coriolanus 162 334 396 397 409 421.
C. Marcius Figulus, cos. a. 592 et 598 a. u. c. — 108 691.
C. Marcius Figulus, praecedentis filius, 691.
L. Marcius Philippus, cos. 664, cens. 668 a. u. c. — 471 652 699.
Q. Marcius Philippus, cos. 568 et 585, cens. 590 a. u. c. — 488.

Q. Marcius Rex, cos. 636 a. u. c. — 457.
C. Marcius Rutilus Censorinus, cos. 444, cens. 460 489 a. u. c. — 313.
Mariana monumenta 150 198 348.
C. Marius, cos. 647 650 651 652 653 654 668 a. u. c. — 123 133 150 183 188 226 237 243 255 285 302 341 401 439 466 469 523 528 611 620 658 667 683 705 706 715 722 737.
C. Marius, filius praecedentis, cos. 672 a. u. c. — 516 579.
M. Marius Gratidianus praetor, a Sylla apud sepulcrum Lutatiae gentis occisus, 683.
T. Marius Vrbinas, ad summos castrenses honores ab Augusto promotus, 591.
Mars 108 162 213 297 501.
Martha, Syra mulier sacricola, 123.
Martia legio 256.
Martius campus 193 681.
Marullus u. Epidius.
Masinissa rex 119 236 380 385 386 404 405 406 407 541 653 654 732.
Massilienses 201 202 203 205 258.
Mater deum 108 166 572 665.
Mauritania 541.
Mausolus rex 358.
Maximus, Valerii Vari heres, 3.
Medi 156.
Mediolanum 739.
Megara 157 324.
Megullia Dotata 350.
Melissa, quam uxoris loco habebat Carneades, 628.
Melita insula 119.
Memmia lex 293.
C. Memmius L. Octauium in adulterio comprehensum pernis contudit, 467.
C. Memmius, tr. pl. a. 643 a. u. c. — 616.
C. Memmius, tr. pl. a. 700 a. u. c. — 597.
Memphites, Ptolemaei Physconis filius, 687.
Menelaus 647.
Menenius Agrippa, cos. a. 251 a. u. c. — 345 637 (sed h. loco confusus cum Valerio Publicola).
L. Menenius Agrippa, Aebuciam quandam in matrimonio habuit, 588.
Menogenes, cocus Pompeii Strabonis ei simillimus, 734.
Menogenes scenicus, simillimus M. Messalae, 735.
Mercurius 204 693.
Messala u. Valerius.
Messana 210.
C. Messius, tr. pl. 697 a. u. c. aedilis ludos Florales fecit, 238.
Metapontus 322 626.
Metaurus, flumen Vmbriae, 568.
Metellus u. Caecilius.
Methymnus, Masinissae regis filius, 654.
Midas, rex Phrygiae, 146 147.
Milesia regio 325.
Milesii 327.
Miletus 121.
Milo Crotoniates 728.
Miltiades 415 418 426 659.
Minerua 124 148 176 244 419 457 659.
Minos, Cretensium rex, 123 415.
Minturnae 134 237 611.
Minturnenses 237.
C. Minucius Basilus admodum locuples 697.
L. Minucius Esquilinus Augurinus, cos. 296 a. u. c. — 213 398.
L. Minucius Mirtylus, a. 566 Karthaginiensibus deditus, 509.
M. Minuciux Rufus, cos. 533, mag. eq. 537 a. u. c. — 300 399.
Minyae 359.
Mithridates 171 292 358 387 404 523 633 668 686 706 718 729.
Mitylenae 716.
Mitylenaei 505.

Septimus Modius, primus Aequiculorum rex, 742.
Molo rhetor 183.
Moneta u. Iuno.
Mucia, nobilis femina prostituta in conuiuio Gemelli uiatoris, 677.
C. Mucius Scaeuola dexteram exuri passus 268.
P. Mucius, tr. pl. a. 269, nouem collegas cremauit 484.
P. Mucius Scaeuola, pont. max. cos. 621 a. u. c. — 254 634.
Q. Mucius Scaeuola augur, praet. a. 633, cos. 637 a. u. c. — 301 353 634 649.
Q. Mucius Scaeuola, pont. max. cos. a. 659 a. u. c. — 319 666 715 744.
M. Muluius, triumuir noct., 606.
L. Mummius Achaicus, cos. a. 608, cens. a. 612 a. u. c. — 493 574.
L. Munatius Flaccus Pompeianus, crudelis in Ateguenses, 684 685.
L. Munatius Plancus, cos. 712 suff. 718, cens. 732 a. u. c. — 517.
L. Munatius Plancus, cos. a. 766, procos. Asiae, ni fallor, a. 778 a. u. c. — 5.
Munatius Rufus, Catonis praetorii amicus, 20 333.
Munda urbs 580.
Murrula, praenomen muliebre, 749.
Musochanes, Masinissae filius, 380.
Mutina 366.
Mutius u. Mucius.
Mycalensis mons 531.
Mytilenaei u. Mitylenaei.

N.

M. Naeuius, tr. pl. diem dicit Scipioni, 288.
Naeuius Anius, libertus Surdini, 586.
Naeuius Surdinus, dominus praecedentis, 586.
Naeus, Gnaeus, Cnaeus, uaria praenominis scriptura, 746.
Nasica u. Cornelius Scipio.
Attus Nauius augur 127.
Q. Nauius centurio 189.
C. Nautius Rutilus, cos. a. 279 et 296 a. u. c. — 398.
Neapolis 284.
Neapolitani 553 554.
Nearchus tyrannus 272.
Nepotianus u. Ianuarius.
Neptunus 264 531 647 672 686.
Nero u. Claudius.
Neruii 256.
Nicocreon, Cypriorum tyrannus, 273.
Nicolaus Damascenus, rerum scriptor, 22.
Nilus flumen 627.
Nola oppidum 141.
Nolani 553 554.
Nolanus ager 138.
Nausimenes Atheniensis 167.
A. Nonius, competitor L. Saturnini, 706.
C. Norbanus, cos. a. 671 a. u. c. — 617.
Nucerini 704.
Numa Pompilius 113 742.
Numantia 208 209 340 410 471 472 667 722.
Numantini 266 581.
Numeria, praenomen muliebre, 749.
Numerius, praenomen Fabiorum, 748.
Numidae 252 305 405.
Numidia 208 379 541.
Numitor Siluius, Albanorum rex, 187 741.

O.

Q. Occius, cognomine Achilles, 257.
Ochus, qui postea Darius appellatus est; in eo mirus Valerii error, 688.
Octauia, soror Augusti, 738.
Cn. Octauius, cos. a. 667 a. u. c. — 142 366.
L. Octauius, a C. Memmio in adulterio deprehensus, 467.
Octauius Balbus, proscriptus a triumuiris, 448.
Octauius Mamilius u. Mamilius.
Oebaris, equiso Darei regis, 559.
Oedipus 419 632.
Q. Ogulnius Aesculapii anguem ab Epidauro aduexit 160.
Q. Ogulnius Gallus, cos. a. 485, dict. a. 497 a. u. c. — 338 339.
Olbia oppidum 382.
Olympicum certamen 626.
Olympus mons 155 468.
L. Opimius, cos. a. 633 a. u. c. — 224 225 698.
Opiter praenomen unde sumptum 745.
Oppia lex 674.
Oppius Gallus 593.
Orata u. Sergius.
Orestes, Agamemnonis filius, 361.
Cn. Orestes u. Aufidius.
Orestilla, M. Plautii uxor, 356. uid. etiam Aurelia.
Orgiagon, rex Graecogallorum, 468.
Orontes, Darii regis praefectus, 531.
Osci 192.
Ostia 193 293.
Otacilia Laterensis, commercium libidinis habuit cum C. Visellio Varrone, 610.
Num. Otacilius Maleuentanus 749.
T. Otacilius Crassus, propraetor a. 538 a. u. c. — 577.
Othryades Spartanus 264.
† Otiosa, soror Artaxerxis Ochi, 688.

P.

Paciaeci 427.
Padus flumen 247.
Paediculi 576.
Palatinus mons 187.
Palatium 179 198.
Palicanus u. Lollius.
Pamphilus, tertiarum actor, simillimus Q. Metello Nepoti, 735.
Pansa u. Vibius.
Paphus, oppidum Cypri, 134.
Papia lex 279.
Papiria tribus 712.
C. Papirius Carbo, tr. pl. a. 623, cos. a. 634 a. u. c. — 291. Idem male Gnaeus uocatur 471 et 504.
C. Papirius Carbo Aruina, filius praecedentis, praetorius, a Damasippo a. 672 occisus, 291 684.
C. Papirius Carbo, frater insequentis, a militibus occisus, 707.
Cn. Papirius Carbo, cos. a. 669 670 672, a Cn. Pompeio occisus, 413 423 476 478 579 707 730.
L. Papirius Cursor, cos. a. 421 434 435 439 441, mag. eq. 414 434, dict. 429 445 a. u. c. — 213 251.
L. Papirius Cursor, cos. a. 461 482 a. u. c. — 540.
C. Papirius Maso, cos. a. 523 a. u. c. — 285 499.
Papus u. Aemilius.
Parmenio, Alexandri amicus, 309 497.
Parthi 143 525 580.
Paterculus u. Sulpicius.

Paulus u. Aemilius.
Paulus Fabius Maximus 743.
Pausanias, Spartanorum rex, 199.
Pausanias, Philippi regis interfector, 170 661.
T. Pedanius centurio 257.
Pelasgi 359.
Peligni 256.
Pelorus gubernator 709.
Pergamum 144 410.
Pericles 200 245 341 458 545 639 640 645.
Pero, Cimonis (fort. leg. Myconis) filia, patrem lacte suo aluit, 425.
M. Perpenna, cos. 624 a. u. c. — 278.
M. Perpenna cos. 662, cens. a 668, a. u. c. — 652.
M. Perpenna praetorius, occisus a Cn. Pompeio, 477.
Persa catellus 133.
Persae 121 156 208 298 370 389 415 430 443 625 688 689 713.
Perses rex 132 159 182 217 338 348 380 381 386 472 643.
Pessinus 108 665.
C. Pescennius triumuir capitalis 465.
Petelia, Bruttiorum urbs, 513.
Petelini 512.
Petilia, urbs Lucaniae, 709.
Petilii duo tr. pl. Scipionem Africanum accusant 288.
L. Petilius scriba 113.
Q. Petilius Spurinus, praet. urb. a. 573, cos. 578 a. u. c. — 113 135 218.
Petreius totam scenam auro praetexuit 195.
Petronia, Tettii uxor, 584.
L. Petronius eq. Rom. 365.
Petronius Sabinus 113.
Petrus Blesensis, archidiaconus Bathoniensis, 48.
Phaenarete, Socratis mater, 279.
Phalaris, tyrannus Agrigenti, 272 689.
Pharmacusa insula 529.
Pharnaces, Mithridatis filius, 718.
Pharsalica pugna 134 165 354.
Pheres Pamphylius, rogo impositus reuixit, 166.
Phidias sculptor 122 295 659.
Philaeni fratres 444.
Philemon poëta 727.
Philippensis acies 135 164.
Philippi 358 517 710.
Philippii campi 148 388.
Philippus, Macedonum rex, pater Alexandri, 170 480 497 546 661 700.
Philippus (III), Macedonum rex, a T. Flaminino uictus, 352 373 374 400 674.
Philippus, medicus Alexandri Magni, 309 310.
Philippus, seruus Fuluii Flacci, 615.
L. Philippus u. Marcius.
Philo architectus 650.
Philocrates, C. Gracchi seruus, 516.
Philus u. Furius.
Phintias Pythagoricus 368.
Phocion Atheniensis 305 306 416 419.
Phraates, Parthorum rex, 580.
Phrygia 146 572.
Phryne, nobile Athenis scortum, 342.
Phye 124.
Picena regio 412.
Picenum 139.
Pindarus poeta 727.
Pindarus, C. Cassii libertus, 517.
Pinna, Vestinorum oppidum, 431.
Pirithous, Thesei amicus, 365.
Pisistratus tyrannus 124 389 415 639 640.
Piso u. Calpurnius.
Pittacus Mitylenaeus 325 327 505.
Placentia 366 478.
Placentini 478.
M. Plaetorius centurio, aedem Mercurii dedicat, 694.
M. Plaetorius, a Sylla occisus, 683.
Plancus u. Munatius.
Plato philosophus 25 147 167 323 459 544 627 649.
M. Plautius, sociorum classem

in Asiam reducere iussus uxore mortua Tarenti se ipse interficit, 356.
C. Plautius Hypsaeus (Venno), cos. a. 407 et 413 a. u. c. — 470.
M. Plautius Hypsaeus, cos. 629 a. u. c. — 19 699 702.
P. Plautius Hypsaeus, quaestor Cn. Pompeii bello Mithridatico, tr. pl. a. 698 a. u. c. — 700.
C. Plautius Numida senatorius uxore mortua se ipse interficit, 356.
Plebeii ludi 149.
Pleminius, Scipionis legatus, 118.
† Pletonia, Aebuciae filia, 588 589.
C. Plinius, historiae naturalis auctor, 43.
C. Plotius, manipularis miles C. Lucium, filium sororis Marii, interficit, 467.
P. Plotius, ei se nexum dedit T. Veturius, 465.
C. (L.) Plotius Plancus, Munatii Planci frater, 517.
Plutarchus, uitarum auctor, 44.
Poeni 114 141 157 207 216 222 252 256 257 284 286 287 290 293 297 300 304 329 332 385 394 509 512 526 549 556 569 570 571 576 578 663 678.
Polemo Atheniensis 529 530.
Pollia tribus 231 486 712.
Pollux 159 434.
Polybius 21.
Polycrates, Samiorum tyrannus, 531.
Polydamas athleta 728.
Polystratus, Epicuri discipulus, 172.
Pompeius, nescio quis, legatus ad Gentium regem missus, 269.
Cn. Pompeius Magnus, 4 134 143 144 164 165 171 195 253 259 303 354 357 358 387 401 402 413 434 450 474 475 476 477 478 479 581 583 584 658 667 668 684 700 707 730 734.
Cn. Pompeius, Magni filius, 737.
Q. Pompeius, praet urb Fabio Maximo Allobrogici filio bonis paternis interdicit, 282.
Sex. Pompeius, cos. a. 719 a. u. c. — 4.
Sex. Pompeius, cos. a. 767 a. u. c. — 4 6 203 204 370.
Pompeius Reginus, uir transalpinae regionis, testamento a fratre praeteritus, 590.
Q. Pompeius A. f. Rufus, cos. 613, cens. 623 a. u. c. — 290 616 694.
Q. Pompeius Rufus, cos. a. 666 a. u. c. — 707.
Q. Pompeius Rufus, tr. pl. 702 a. u. c. — 331.
Cn. Pompeius Strabo, pater Pompeii Magni, cos. 665 a. u. c. — 525 734.
Pompius Pompilius, Numae pater, 742.
M. Pomponius tr. pl. diem dicit L. Manlio Imperioso, 422.
M. Pomponius, C. Gracchi amicus, 363.
T. Pomponius Atticus, Ciceronis amicus, 591.
Pomponius Rufus, eius collectorum liber, 20 343.
Ponticus sinus 221 359.
Pontius, a Cerennio in adulterio deprehensus et castratus 467.
Pontius Aufidianus eq. Rom. 462.
Pontius Lupus eq. Rom. ICtus caecus 623.
Pontius Telesinus, C. Marii filii amicus, 516.
Pontus 387.
M. Popilius, senatorius, 593.
P. Popilius, tr. pl. a. 586 a. u. c. — 502.
P. Popilius, heres M. Annei Carseolani, 584.
C. Popilius Laenas, cos. 582 et 596 a. u. c. — 494.
C. Popilius Laenas, Ciceronis interfector, 412.
M. Popilius Laenas, cos. 395 398 404 406 a. u. c. — 620.

M. Popilius Laenas, praet. 607 a. u. c. — 607.
M. Popilius Laenas, cos. a. 615 a. u. c. — 126.
P. Popilius Laenas, cos. 622 a. u. c. — 362.
Q. Poppedius, Marsorum, non Latinorum princeps, 242.
Porcia familia 254.
Porcia, Catonis Vticensis filia, M. Bruti uxor, 253 358.
M. Porcius Cato, censorii pater, 609.
M. Porcius Cato, cos. a. 559, cens. 570 a. u. c. — 19 229 254 (confusus cum filio) 279 291 339 352 458 (sed h. l. confusus cum nepote) 596 620 664.
M. Porcius Cato, censorii filius, 254.
M. Porcius Cato, censorii nepos, cos. a. 636 a. u. c. — 458.
M. Porcius Cato Vticensis, praet. a. 700 a. u. c. — 221 238 242 243 253 279 285 321 333 340 358 387 474 574 575 622 668 669.
Lar Porsenna 246 268 742.
Postumius aruspex 138.
A. Postumius, dictator a. 258 a. u. c. — 159.
A. Postumius Albinus, cos. a. 512 a. u. c. — 108.
A. Postumius Albinus, legatus a militibus occisus, 708.
L. Postumius Albinus, cos. a. 600 a. u. c. — 489.
M. Postumius Albinus, tr. mil. 328, cens. 351 a. u. c. — 227.
Sp. Postumius Albinus, cos. a. 568 a. u. c. — 488.
Sp. Postumius Albinus, cos. a. 644 a. u. c. — 209.
A. Postumius Torquatus, securi a patre percussus, 212.
A. Postumius Tubertus, mag. eq. 321, dict. 323 a. u. c. — 211 212.
Postumus olim praenomen, postea cognomen, 744.
Potitii 116.
Praeneste 516 705.
Praenestina Fortuna u. Fortuna.
Praenestini 579 682.
Praxiteles sculptor 646.
Priene, Ioniae oppidum, 544 560.
Prienenses 135.
Priscianus grammaticus 46.
Priuernates 471 711.
Priuernum, Latii oppidum, 470.
Proculus olim praenomen, deinde cognomen, 744.
Propylaea 244.
Proserpina 118 119 193 194.
Protagoras philosophus 121.
Prusias, rex Bithyniae, 171 296 381 686.
Pseudophilippus (Andriscus) 574.
Ptolemaeus (II) Philadelphus 338 339 640.
Ptolemaeus (V) Epiphanes 508.
Ptolemaeus (VI) Philometor 381 508.
Ptolemaeus (VII) Physcon 494 495 508 679 687.
Ptolemaeus (XIII), Auletae filius, 164.
Ptolemaeus, rex Cypri, frater Ptolemaei Auletae, 698.
Ptolemais 144.
Publia, praenomen muliebre, 749.
Publicia, Postumii Albini uxor, 489.
Publicius senex 584.
Publicius, libertinus Pompeio simillimus, 734.
Publicola u. Valerius.
Publilius senator caecus 623.
Volero Publilius Philo, tr. mil. a. 355 a. u. c. — 745.
Publius praenomen unde sumptum 748.
Pulcher u. Claudius.
Pulton, iuuenis Pinnensis, 431.
Punica bella 400.
Punicum bellum primum 125 128 347 382 549 704, secundum 140 230 286 349 397 408 440 522 549 575 674, tertium 114 181 217.
Pupinia 346 347 371.

Pustulanus Lauranus, nomen corruptum, 742.
Puteoli 557 694.
Pylades, Oresti amicus, 361.
Pyrresus Celtiber 258.
Pyrrhus, rex Epiri, 118 218 293 335 336 340 391 392 393 501 653 675.
Pythagoras 205 322 625 626 627 669.

Q.

Quadriga, locus Boeotiae, 170.
Quinquatrus minores 197.
Caeso Quintius Cincinnatus, sequentis filius, 348.
L. Quintius Cincinnatus, cos. a. 294, dict. 296 et 315 a. u. c. — 213 313 348.
T. Quintius Crispinus, singulare eius certamen cum hospite Badio, 383.
L. Quintius Flamininus, cos. 562 a. u. c. — 229 352.
T. Quintius Flamininus, cos. 556, cens. 565 a. u. c. — 229 352 374 400.
Quirinalis collis 112.

R.

Rauduscula porta 437.
Reatina praefectura 159.
Reatina uilla 518.
Regillus lacus 159.
Regium 219.
Remus 127 187 741.
Sertor Resius, ius fetiale constituit, 743.
Rhamnus, Attici soli pars, 165.
Rhea Siluia 741.
Rheginus u. Antistius.
Rhegium u. Regium.
Rhenus flumen 433.
Rhodii 135 239.
Rhodus 642.
Rhoetogenes Centobrigensis 384.
Rhoetogenes Numantinus 266.
Rodacilla, praenomen muliebre, 749.
Romulus 127 166 187 192 221 244 247 351 407 450 741.
Q. Roscius Lanuuinus, comoedus, 624 641.
Rubria quaedam incendio periit 739.
P. Rupilius, cos. a. 622 a. u. c. — 209 362 524 725.
Rusticius Helpidius Domnulus 59.
Rutila, praenomen muliebre, 749.
Rutilius, eius uxor Liuia XCVII annos uixit, 653.
Rutilius, consanguineus P. Popilii, tribuni pl. a. 586 a. u. c. — 503.
P. Rutilius Rufus, cos. a. 649 a. u. c. — 189 236 495 496.

S.

Sabazius Iuppiter 126.
Sabelli 279.
Sabina regio 193.
Sabinae uirgines 192.
Sabini 551 702 742 743 746.
Sabinus ager 550.
Sacer collis 637.
Sacerdos u. Licinius.
Saeculares ludi 192.
Saguntini 511.
Salamis 415 418 660.
Salapia, oppidum Apuliae, 304 305.
Salernitana regio 517.

Salii 111 166.
Salinator u. Liuius.
Sallustius Crispus 17.
Salutis aedes 659.
Samii 135 404 531.
Samnites 138 184 213 251 334 335 336 393 464 549.
Samnium 335 399.
Samos insula 531.
Sardanapallus 361.
Sardinia 577 578 705.
Sardes 430.
Sariaster, Tigranis regis filius, 719.
Sarpedon, paedagogus Catonis Vticensis, 243.
Saturninus u. Apuleius.
Saturninus, nobilis puer prostitutus in conuiuio Gemelli uiatoris, 677.
Saxo grammaticus 49.
Scaeua u. Caesius.
P. Scaeuius centurio 260.
Scaeuola u. Mucius.
C. Scantinius Capitolinus, tr. pl., 463 464.
Scaurus u. Aurelius et Aemilius.
Scipio u. Cornelius et Caecilius Metellus.
Scopas Thessalus 169.
C. Scribonius Curio, (pater) cos. a. 678 a. u. c. — 676 735.
C. Scribonius Curio (filius) tr. pl. a. 705 a. u. c. — 676.
L. Scribonius Libo, aed. cur. 560 a. u. c. — 191.
L. Scribonius Libo, tr. pl. a. 605 a. u. c. — 596.
L. Scribonius Libo, cos. a. 720 a. u. c. — 476.
Scyros insula 415.
Scythae 428 429 430.
Scythia 497.
Seianus u. Aelius.
Seleucus Nicator 239 448 449.
Semiramis, Assyr. regina, 696.
Sempronia, Ti. et C. Gracchi soror, uxor Scipionis Aemiliani, 302.
A. Sempronius Asellio, praet. urb. a. 665 a. u. c. — 706.
C. Sempronius Atratinus, cos. 331 a. u. c. — 250 501, sed hoc loco male Lucius appellatur.
C. Sempronius Gracchus tr. pl. 19 151 302 363 410 483 513 516 640 698 702 723.
Ti. Sempronius Gracchus, cos. a. 539 et 541 a. u. c. — 141 394 395 440 575.
Ti. Sempronius Gracchus, filius praecedentis, cos. a. 577 et 591, cens. a. 585 a. u. c. — 108 291 316 330 355 483 502 503 722.
Ti. Sempronius Gracchus tr. pl., filius praecedentis, 128 151 225 254 255 302 303 362 410 472 483 513 541 705 737.
Ti. Sempronius Longus, affinis Tuditani, 588.
Ti. Sempronius Longus, cos. a. 560 a. u. c. — 352.
Sempronius Musca C. Gallium deprehensum in adulterio flagellis caedit 467.
P. Sempronius Sophus, cos. 450, cens. 455, mag. eq. 453 a. u. c. — 490.
P. Sempronius Sophus, cos. a. 486, cens. a. 502 a. u. c. — 232.
Sempronius Tuditanus, pater Semproniae, matris Fuluiae, 587.
Senaculum 185.
Senones 482.
Sentius Saturninus Vetulo, a triumuiris proscriptus, 557.
Seplasia, urbis Capuae regio, 678.
Septicia, mater Trachalorum Ariminensium, 584.
L. Septimuleius, familiaris et proditor C. Gracchi, 698.
Septimus Modius u. Modius.
Serapion, uictimarius, simillimus P. Cornelio Scipioni Nasicae, 735.
Serapis 126.
C. Sergius Orata, homo luxuriosus, 672 673.
Cn. Sergius Silo 464.

L. Sergius Catilina 226 372 453 678 715.
L. Sergius Fidenas, cos. 317 et 325, tr. mil. 321 330 336 a. u. c. — 745.
Sertor praenomen unde sumptum 746.
Sertor Resius u. Resius.
Q. Sertorius 123 555 581 668 676 738.
Seruilia lex de repetundis, quam tulit C. Seruilius Glaucia, 600.
C. Seruilius Ahala, mag. eq. a. 315 a. u. c. — 411.
Cn. Seruilius Caepio, cos. a. 613, cens. 629 a. u. c. — 616.
Q. Seruilius Caepio, cos. a. 614 a. u. c. — 616 704.
Q. Seruilius Caepio, pont. max. cos. a. 648 a. u. c. — 363 527.
M. Seruilius Geminus, cos. a. 756 a. u. c. — 166.
C. Seruilius Glaucia, tr. pl. a. 650, praet. 654 a. u. c. — 255.
P. Seruilius Priscus Structus, cos. a. 259 a. u. c. — 694.
P. Seruilius Vatia Isauricus, cos. a. 675 cens. 699 a. u. c. — 618.
P. Seruilius Vatia Isauricus, cos. a. 706 et 713 a. u. c., filius praecedentis, 613.
Seruius praenomen unde sumptum 748.
Sextilius, C. Iulii Caesaris Strabonis proditor, 411.
L. Sextilius, triumuir nocturnus, 606.
L. Sextilius, heres M. Anneii Carseolani, 584.
Sibylla (sibulla) 135.
Sibyllini libri 107 160 669.
Sicca, Africae oppidum, 207.
L. Siccius (Sicinius) Dentatus, 261.
Sicilia 139 209 222 225 232 283 286 315 339 385 410 486 509 514 524 531 552 557 577 709 726 730 736.
Sicinius u. Siccius.
Siculi 157 315 525 570.
Siculus u. Cloelius.
Sigeum, oppidum Troadis, 505.
Silanus u. Iunius.
Silius, unus e coniuratis in Q. Cassium, qui Hirtio est Q. Sextius, 697.
C. Silius, cos. a. 766 a. u. c. — 5.
Siluanus 162.
Siluius Numitor u. Numitor.
Simonides poeta 153 169 632.
Sisenna, filius A. Gabinii, 597.
Smyrna u. Zmyrna.
Sociale bellum 138.
Socrates 121 279 306 307 497 541 542 543 627 630 636.
Sol 135.
Solon 327 415 419 543 544 632 639.
Sophocles 341 631 632 726.
Sophron, mimorum auctor, 627.
Sophroniscus, Socratis pater, 279.
Soranorum oppidum 601.
Spartana ciuitas 359.
Spartani 146 198 220 264 265 u. etiam Lacedaemonii.
Speusippus, Platonis amicus, 323.
Spinther, secundarum actor, simillimus P. Cornelio Lentulo, 735.
Spurii, unde dicti, 748.
Spurinna Etruscus, pulchritudine excellens adulescens, 354.
Spurinna aruspex 145 644.
Stagira, Aristotelis patria, 445.
Stasippus Tegeates 324.
T. Statilius Taurus, cos. 764, ut opinor procos. Asiae a. 775 a. u. c. — 5.
Statius (Status) a stabilitate 745.
Statius Statilius, Lucanorum dux, 163.
Stolo u. Licinius.
Stratonice, Seleuci Nicatoris uxor, 448 449.
Sublicius pons 111 245 363.
Suessa, Campaniae oppidum, 184.
Sufenas, Anneii Carseolani auunculus, 583 584.

Sulla u. Cornelius.
Sulpicia lex, qua C. Mario bellum Mithridatis decernebatur, 706.
Sulpicia, uxor Cornelii Lentuli Cruscellionis, 514.
Sulpicia, Ser. Paterculi filia, Q. Fuluii Flacci uxor, 669.
Sulpicius, ei apex e capite prolapsus sacerdotium abstulit, 109.
Ser. Sulpicius Camerinus, cos. 293 a. u. c. — 139.
Ser. Sulpicius Galba, orator, cos. a. 610 a. u. c. — 494 596 621 702.
Ser. Sulpicius Galba, sponsor pro Cn. Pompeio, 478.
C. Sulpicius Gallus, seuerus in uxorem, 490.
C. Sulpicius Gallus, cos. 588, Ser. Sulpicii Galbae affinis, 596 643 644.
Ser. Sulpicius Paterculus, socer Q. Fuluii Flacci, 669.
C. Sulpicius Peticus, cos. 390 393 399 401 403 a. u. c. — 191.
P. Sulpicius Rufus, tr. pl. a. 666 a. u. c. Syllae inimicus, 505.
Sylla u. Cornelius.
Syloson Samius 403.
Syphax, Numidiae rex, 379 472 532 708.
Syra mulier sacricola in castris Marii 123.
Syracusae 141 152 156 157 218 224 225 267 314 343 383 480 531 570 629 630 646.
Syria 322 495.

T.

† Taccia, Caesonis filia, 349.
Tanaquil falso Anci Marci regis uxor perhibetur 137.
Tarentini 340 391.
Tarentinum bellum 217.
Tarentum ad campum Martium 193.
Tarentum, Calabriae urbs, 185 193 356 627.
Tarpeia, Sp. Tarpeii filia, arcem Sabinis prodidit, 702.
Tarpeium saxum 505.
Sp. Tarpeius, Romulo regnante arci praepositus, 702.
Tarquiniensis fundus 411.
Tarquinius Priscus 137 276 750
Tarquinius Superbus 113 162 344 435 450 551 566 567 715.
Arruns Tarquinius, Superbi filius, 435.
Sex. Tarquinius, Superbi filius, 461 566.
Tarsus, Ciliciae urbs, 309.
Tarracina 603.
T. Tatius Sabinus 702 742.
Tauromenitana arx 210.
Taurus mons 221 328 497 604.
Taxillus gymnasiarchus 713.
Taygeti montes 359.
Teanum, Campaniae oppidum, 299.
Telesinus u. Pontius.
Telluris aedes 482.
Terentia, Ciceronis uxor, 653.
Terentius, ab uno ex octo filiis in adoptionem dato exheredatus, 585.
Ser. Terentius, D. Bruti amicus, 366.
Q. Terentius Culleo, liberatus a P. Cornelio Scipione, 399.
C. Terentius Varro, cos. a. 538 a. u. c. — 115 278 279 352.
M. Terentius Varro 20 262 622 741 743 744 746.
M. Terentius Varro Lucullus, aed. a. 675, cos. 681 a. u. c. — 195 617.
Terra mater 149.
Tertia, Aemilii Pauli filia, 132.
C. Tettius, a patre Tettio exheredatus, 584.
Teutoni 285 363 469 529.
Thales 327 545.
Thebae, Boeotiae caput, 265 296 415.
Thebe, uxor Alexandri Pheraei, 732.

Themistocles 416 419 443 505 506 530 546 632 659.
Theodectes, Aristotelis discipulus, 25 661.
Theodorus Cyrenaeus 481.
Theodorus, Megarae princeps, 324.
Theodotus, ab Hieronymo tyranno tortus, 274.
Theophanes Mitylenaeus, rerum Pompeianarum scriptor, 22 658.
Theopompus, Spartanorum rex, 327.
Theopompus, rerum scriptor, 23 655 662.
Theramenes Atheniensis 265 266.
Thermopylae 196 264.
Theseus, Atheniensium rex, 365 414 419.
Thessalia 169 356.
Thraces 252.
Thracia 205 297 687.
Thrasippus, amicus Pisistrati, 390.
Thrasybulus Atheniensis 324 443.
Thrasymenus lacus u. Trasymenus.
Thucydides 23.
Thurina urbs 163.
Thyreates 264.
Tiberis flumen 161 193 245 246 363 551 599 682 748.
Tiberius praenomen, unde sumptum, 748.
Tiberius Caesar 106 175 231 333 433 651 719 720.
Tibur 197 379.
Tiburtes 197.
Ticinum oppidum 433.
Ticinus flumen 422.
Tigranes, rex Armeniae, 387 668 719.
Timaeus Pythagoreus 627.
Timaeus Tauromenitanus 24.
Timagoras Atheniensis 491.
Timasitheus, Liparitanorum princeps, 120.
Timochares Ambraciensis 501.
Titinius centurio 710.
C. Titinius Minturnensis, Fanniae maritus, 611.
C. Titius, equitum praefectus, 214.
C. Titius Probus 53.
L. Titius praetor 612.
Sex. Titius, tr. pl. a. 655 a. u. c. — 605.
Titus praenomen, unde sumptum, 748.
Lar Tolumnius, rex Veientium, 711.
Tomyris, Scytharum regina, 713.
C. Toranius, proscriptus a triumuiris et a filio proditus, 717.
Torquatus u. Manlius.
† Totius, Caesarianus miles a Q. Metello Scipione captus, 303.
Trachali Ariminenses 584.
Tralles, urbs Lydiae, 144 321.
Trasymenus lacus 140 297 374 720 721.
Trebellius Calca se P. Clodium tulit 738.
Trigemina porta 363.
Tubero u. Aelius.
Tuccia, uirgo Vestalis, 598.
Tuditanus u. Sempronius.
Tullia, Ser. Tullii filia, 714.
Tullianus, Pompeii Magni familiaris, 583 584
M. Tullius Cicero, cos. 691 a. u. c. — 13 129 150 183 330 412 617 618 641 653 715 723.
Ser. Tullius rex, 136 166 277 550 714.
Tullus praenomen, unde ortum, 745.
Tullus u. Attius.
Turia, uxor Q. Lucretii, 514.
Turullius, praefectus M. Antonii, 117.
Tusci u. Etrusci.
Tusculani 159 398 563 711 712.
Tusculanum 129.
Tusculum 279.
Tutor Cloelius 742.
Tyndaridae 359.
Tyrii 170.

V.

Valeria gens 2.
C. Valerius aedilis Q. Flauium reum egit 599 600.
Q. Valerius, praetor a. 512 a. u. c. — 221.
Valerius Antias 21 746.
M. Valerius Coruinus (s. Coruus), cos. a. 406 408 411 419 454 455; dict. a. 412 453 a. u. c. — 248 651 666.
Valerius Flaccus, tr. mil. tertiae legionis, 257.
C. Valerius Flaccus, flamen Dialis, 522.
L. Valerius Flaccus, cos. a. 559; cens. 570 a. u. c. — 352.
L. Valerius Flaccus, cos. a. 654 et 668; cens. a. 657; mag. eq. a. 672 a. u. c. — 230.
L. Valerius Heptachordus, Cornelium Balbum inimicum heredem reliquit, 592.
M. Valerius Laeuinus, cos. a. 544 a. u. c. — 315.
M. Valerius Maximus, cos. a. 422; cens. a. 447 a. u. c. — 228.
M. Valerius Maximus Sacerdos 3.
M'. Valerius Maximus Messala, cos. a. 491; cens. a. 502 a. u. c. — 232.
M. Valerius Messala, cos. a. 593; cens. 600 a. u. c. — 190 233 735.
M. Valerius Messala, filius sororis Hortensii oratoris, cos. a. 701 a. u. c. — 454.
P. Valerius Publicola, 162 194 311 345, et confusus cum Menenio Agrippa 637.
Valerius Valentinus poeta, accusat Q. Cosconium, 600.
Valesius, uir rusticae uitae, 193.
Volesus Valesius (s. Valensius), 742.
Q. Varius Seuerus Hybrida Sucronensis, tr. pl. a. 664 a. u. c. — 292 620 684.
Varro u. Terentius et Visellius.
P. Vatinius, Reatinae praefecturae uir, 159.
P. Vatinius, cos. a. 707 a. u. c. — 330 575.
Vecillus leno 587.
Veiens ager 348.
Veientana praeda 408.
Veientes 137 138 162 432 711.
Veii oppidum 131 132 138 161 312 441.
Velia, oppidum Lucaniae, 107.
Veliterni 711.
C. Velleius Tutor, cos suff. a. 763 procos. Asiae, ut uidetur, a. 775 a. u. c. — 5.
P. Ventidius, cos. a. 711, triumph. de Parthis 716 a. u. c. — 525.
Venus 207 646.
Venus Verticordia 669.
D. Verginius filiam suam interficit 462.
Opiter Verginius Tricostus 743.
T. Verginius Tricostus, cos. a. 306 a. u. c. — 745.
Verrugo, oppidum Volscorum, 250 501.
Verticordia Venus 669.
Veseris flumen 493.
Vesta 109 129 330 351 424 461 598.
Vestia Oppia, mater familias Campana, 397.
Vesuuius mons 149.
C. Vettienus sinistrae manus digitos abscidit, ne militaret bello Italico, 485.
Vettius Salassus, proscriptus et ab uxore proditus, 718.
Veturia, Marcii Coriolani mater, 396 421.
T. Veturius Caluinus, cos. 420 et 433 a. u. c. — 464.
T. Veturius, filius praecedentis, 464.

Vibienus Carbonem Attienum in adulterio deprehendit 467.
Vibienus Vecillum lenonem heredem instituit 587.
Vibius, simillimus Cn. Pompeio, 734.
Vibius Accaeus, Pelignae cohortis praefectus, 256.
C. Vibius Pansa, cos. a. 711 a. u. c. — 402.
Victoria 144 375.
Vicus longus Romae 198.
L. Villius Annalis, proscriptus et a filio proditus, 717.
P. Villius, triumuir nocturnus, 606.
Vincentius Bellouacensis 48.
M. Vipsanius Agrippa, cos. 717 726 727 a. u. c. — 367.
Virginius u. Verginius.
Viriathus 494 704.
Viriplaca dea 179.
C. Visellius Varro, filius C. Aculeonis, adoptatus a Visellio Varrone et Heluia, sorore matris Ciceronis, 610 611.
C. Visellius Varro, cos. suff. a. 765. procos. Asiae, ut uidetur, a. 778 a. u. c. — 5.
Vlixes 647.
Vmbria 290 568.
Volero praenomen, unde ortum, 745.
Volesus Valesius u. Valesius.
Volsci 250 334 396 421 501 564.
Volsiniensium urbs 678.
Volumnia, Coriolani uxor, 396 421.
Volumnius, ab Antonio interfectus, 364.
P. Volumnius Amintinus Gallus, cos. a. 293 a. u. c. — 139, sed male h. l. C. Volumnius appellatur.
M. Volusius, aedil. pleb. proscriptus, 556.
Vopiscus praenomen 745.
Vrbinius Panapion, a triumuiris proscriptus, 518 519.
Vtica 253.
Vulcanus 645.

X.

Xanthippe, Socratis uxor, 543.
Xanthippus Lacedaemonius, Poenorum dux, 114 704.
Xenocrates philosophus 239 323 342 529 530 545.
Xenophilus Chalcidensis Pythagoricus 655.
Xenophon, Platonis discipulus, 459.
Xenophon Lampsacenus, geographus, 24 656.
Xerxes 145 239 264 416 419 506 628 632 679 701 731.

Z.

Zaleucus 124 506.
Zeno Citieus 272.
Zeno Eleates 271 272.
Zeuxis pictor 295.
Ziselmius (codd. Zisemis), Diogyridis (leg. fort. Diegylidis), Thraciae regis filius, 687.
Zmyrna 252.

Ablatiuus a praepositione in pendens apud uerba motum designantia in significando fine motus pro accusatiuo 429 715.
ablatiuus pro datiuo in coniugatione periphrastica cum gerundiuo 303.
ablatiuus sine praepositione in, 377.
ablatiuus sine praepositione a de, ex apud uerba motum designantia 131.
abscisus et abscissus 614.
abstracta pro concretis 38.
ac non ponitur ante C G K Q 149.
ac, atque, duobus numeralibus interposita pro et, 231.
accusatiuus cum infinitiuo omisso subiecto per praenomen efferendo, 152 325. acc. c. inf. pendens a dicendi uerbo subintelligendo, 389. acc. c. inf. in exclamando, 353. acc. c. inf. in indirecta oratione post ut in comparando, 318.
adiectiui neutrum pluraliter positum cum genitiuo substantiuorum in loci natura denotanda, 251.
adiuncta notio pro subiecta 38.
aedis, nominatiuo singulari, 129 166.
agnomen inuentum recentiorum grammaticorum 62.
aliquis in negatiuis enuntiatis 133.
altus pro alitus 545.
anacoluthia in bipartitae orationis altero membro 267.
anacoluthia absolute posito subiecti nominatiuo, ita ut nihil praedicetur de eo, 565.
anguis masculino et feminino genere 141.
apium genitiuo plurali 143.
Areus (Arius) pagus, genitiuo Arei pagi etc., ita ut utraque uocabuli pars flectatur 200.
asyndeta 635.
aut si — aut pro si aut — aut 538.
carbasus masculino genere ponitur 110.
cedere cum ablatiuo coniunctum 315.
cucurri in compositis cum reduplicatione 241.
cum interim cum indicatiuo 227.
cum — tum et tum — tum 186.
datiuus quartae declinationis in u exiens 293.
demonstratiuum pronomen obliquo casu subintellegendum ante relatiuum, 157. demonstr. abundanter additum 512.
deripere et diripere 233.
desistere et desciscere 512.
destrictus et districtus 230.
deuertor, deuersari, deuerticulum, non diuertor etc. 158.
dirigere intransitiua notione 309.
diripere et deripere 233.
dissicio pro disicio 282.
districtus et destrictus 230.
enim ultra secundum locum remota, 259.
et — et duo substantiua praegnanter posita coniungit 235.
fabricare et fabricari 295.
genitiui duo qualitatis, quos uocant, asyndetos compositi 307.
harena 154.
imponere in rogum et in rogo 417.
incolomis 119.
inluster 314.
inquit absolute positum incerto subiecto inducit aduersationes, quas auctor ipse sibi obicit, 408.
lamminae, non laminae, 274.
lanterna 515.
nanctus 347.
nam in transitu ita positum, ut euanescat causalis particulae notio, 42 142.
natus cum ablatiuo annis 401.
nec — quidem a Valerio non positum 178.
nomina propria Graeca in on et in o exeuntia, 323.
nomina propria locorum adiectiue appellationi urbis, insu-

lae, montis adiuncta, ut Tarentina urbs, 147.
non modo non — sed, omisso etiam post sed, 273.
numeralia duo coniuncta per ac, atque, 311. per et ita coniuncta ad unum numerum, ut maior numerus praecedat minorem, 651.
obtunsus 521.
parentium et parentum 420.
participia perfecti passiui uerborum intransitiuorum transitiua notione posita 458.
perrogare legem 124.
persuadere sequente accus. cum infinit. pro ut 455.
postquam cum coniunctiuo plusquamperfecti 450.
praetextum idem ualet quod decus 234.
qua — qua 175.
quadriduum 458.
que — et in conectendis duobus nominibus 284.
qui pro quis in directa oratione 707.
quo mihi hanc rem 732.
relatiuum ad remotius nomen relatum 116.
sestertium pro decies centenis milibus 675.
si — siue 201.
tremibundus 517.
tunc in progressu orationis pro tum 158.
tunsus 521.
uerba est, et sunt raro omissa in relatiuo enuntiato 724.
umerus 112.
ut, omissum post ita in comparando, 255.
uterque pluraliter de duobus hominibus 206.
ut non — ita pro etiamsi non — tamen 200.

Typis Guilelmi Pormetteri.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

IN PRAEFATIONE pag. 4 lin. 5 not. leg.; 35 *a. Chr.* — p. 23 l. 35: *scribit* — p. 24 l. 10: *auctorem* — p. 27 l. 2: *concessum esse* — p. 42 l. 30: *VIII, 7, ext.* 14. *VIII, 14, ext.* 2. — p. 60, 23. De Rusticio Helpidio Domnulo, quem alia quoque subscriptio Pomponii Melae in eodem codice Vaticano, e quo Iulius Paris desumptus est, exhibet, copiose et accurate disseruit O. Iahn in act. societ. litt. reg. Sax. a. 1851 p. 345. In quibus uir doctissimus probat quidem opinionem meam, qua eundem huius subscriptionis atque carminum illorum, quae Fabricius edidit, auctorem esse dixi, neque uero hunc Helpidium diaconum, Theoderici regis medicum, ut equidem contendi, sed potius Domnulum illum, Galliae rhetorem fuisse existimat, de quo Bergkius suspicatus erat; nam hunc a Sidonio Apollinari et poemata composuisse perhiberi et (carm. XIIII ep. ad Polemium) quaestorium uirum uocari. Mihi tamen nunc quoque magis pro Helpidio diacono, Theoderici regis medico, quam pro Domnulo, Arelatensi poeta, facere uidetur cum ipsum carminum illorum argumentum tum Rauennae commemoratio. Et dignitatis quaestoriae gradum illi Helpidio quoque fuisse, in ea qua erat apud regem gratia, non abhorret a similitudine ueri. — p. 65 l. 8 leg.: *e Verrii Flacci* — p. 78 l. 13: *nostrorum* — p. 79 l. 3 post *transfixum* adde: *aut nota similis litterae Graecae Λ.* — p. 80 l. 9: *duabus* — p. 95 l. 34: *moribus moribus.*

IN IPSIS VALERII VERBIS p. 134 l. 10: *quaerens* — p. 263 l. 16: *magum* — p. 440 l. 3: *extinctus pro re publica* — p. 462 l. 1: *Superbi* — p. 471 l. 1: *bonam* — p. 511 l. 2: *Apollonia* — p. 526 l. 10: *ingemescere* e cod. Bern. recipere debebam. — p. 703 l. 12: *remissus* — p. 723 l. 10: *maenianum* — p. 745 l. 10: *Tullus.*

IN NOTIS p. 169 l. notarum 21 adde: *Suspicor haec pertinere ad a.* 533 *a. u. c. dicique de Q. Fabio Maximo Cunctatore et de C. Flaminio Nepote, qui biennio ante consul fuerat.* — p. 111 l. 15: Flori certe codicem Nazarianum *albinius*, at Bambergensem *atinius* exhibere docemur nunc egregia O. Iahni opera in nouissimo Flori exemplo. — p. 112 l. 13 dele *Flor.* — ibid. l. 21 add. ad exempla ibi congesta: *III, 2, 23.* — p. 118 post lineam 3 adde: 20. *Cf. Liu. XLII, 3.* — ibidem in fine uersuum 5, 6, lege mutatis ultimis litteris: *com-* deinde *appulsus* et lin. 9 *Alii ad* — p. 133 not. ad 1, 5, 4: Quod Valerius Caeciliam, Metelli Balearici filiam, nuptam fuisse putat Metello, falsus esse uidetur male intellectis quae Cic. de diu. I, 46, 104 scripsit *Caecilia Metelli* et paulo post *Virgo autem nupsit cui Caecilia nupta fuerat.* Vulgo Caeciliae maritus nescio quam recte App. Claudius perhibetur, Metellus certe non erat. — p. 140 l. 11: Hostilius — p. 166 l. 11 leg.: *et* 756 — p. 169 l. 9: *etiam* — p. 170 l. 4: *alterius familiae* — p. 172 l. 11: *haec potissimum*

— p. 200 l. 5: *facinorosa sit, neque* — p. 206 l. 13: *a u.* — p. 210 l. 26: *Valerius* — p. 211 l. 18: *secures* — p. 219 l. 15: *trecenos* — p. 226 l. 13: *quem* — p. 229 l. 4: *Flamininus* — p. 230 l. 2: dixi non constare quo anno censura functi essent M. Antonius et L. Valerius Flaccus, quod factum est a. 657. — p. 233 l. 3: *Q. Metellum* — p. 242 l. 15: errorem, quem Floro obieci, nullum esse, si recte legantur eius uerba, O. Iahni exemplo edoctus sum. — p. 251 l. 19: *explesse uerisimile est* — p. 261 l. 11: *Siccius* in optimo codice Redigerano esse ap. Plin. h. n. VII, 28 et XXII, 5 docuit nunc Silligius. — p. 264 l. 14: *mendum recte* — p. 278 l. 8: *de off. III,* 11. Paulo post l. 20 dele uu. *et pro Arch.* — p. 282 l. 19: *militare* — p. 289 l. 6: *cacumina* — p. 313 l. 8: *a. u. c.* 460. — p. 314 l. 3: *IIII,* 3, 11. — p. 327 l. 26: *oppositi* — p. 329 l. 3 adde: *Errat Valerius quod Fuluium Flaccum dicit qui erat Fuluius Nobilior.* — p. 336 l. 4: *admodum* — p. 367 l. 30: *pertrahere* — p. 378 l. ultim.: *Poenis* — p. 391 l. 17: *poetis et recentioribus* — p. 392 l. 11: *prouentu* — p. 414 l. 39: *in archetypo fuisse probabile est* — p. 419 l. 23: *sacra sanctione* — p. 429 l. 9: *praeter motum* — ibid. l. 21 post *Cf.* adde: *Val. IX,* 5, *ext.* 3. — ibid. l. 34 post *interim* adde: *V,* 1, 1. — p. 434 l. 12: *propius* — p. 483 l. 22: *porticum* — p. 490 paenultim. l.: *Cons. a. u. c.* 450. *Cf. dig.* — p. 498 l. 6: *in petitione* — p. 515 l. 27 *sincerissimis* — p. 517 l. 11: *Plotium* — p. 539 l. 12: *praenomen* — p. 545 l. 21: *occurrat* — p. 565 l. 30: *Sallustius* — p. 579 l. 7: *priore loco retinendum, altero necessario delendum est.* — p. 599 l. 13: *conuictus est* — p. 610 ultim. l.: *exacturus* — p. 629 l. 1: *admouisse, et melius* — p. 635 l. 40: *inuitis* — p. 638 ultim. l.: *ferebat et querebatur* — p. 649 l. 9: *qui ut non* — p. 658 l. 2 adde: *schol. Bob. p.* 359 *Or.* — p. 659 l. 2: *II,* 9, 2. — p. 706 l. 7: Flori cod. Bamb. *A. Ninnio* exhibet, Nazarianus *annio.* — p. 712, l. 9: *interciderit* — p. 744 l. 16: *a. u. c.* 659 — p. 745 l. 5: *habeat* — p. 747 l. 33: *Perizonii.*

DEC 1 - 1934